Sunt exemplaria hujus Possevini Moscoviae, plane ipsissimae impressionis, quae tantum alio titulo induta sunt." Ant. | Poss., | Soc. | I., | Moscovia, | et, alia | opera, | de statu hujus seculi; | adversus Catholi[cae] "Ecclesiae hostes. | Nunc primo in unum volumen collecta, atq; ab ipsomet | auctore emendata et aucta. | Adiecto indice r[erum] toto opere memorabilium, locupletissimo. | Seriem et Argumenta operum, vide, lector, pagina quinta." Eadem insigne "Perm. Sup. | In off. — Mylij. | cIↃ. IↃ. LXXXVII. | Cum — Majestatis. |" — Praefatio, Catalogus, liber ipse, Index omnia denique in minutissimis sibi conveniunt, aut potius eadem sunt; ut appareat, quum bibliopola Broniovii Tartariae descriptionem etc. 1595 vendere vellet, eum Possevinum cum Broniovio conjunxisse, novumque Possevino titulum addidisse.

ANTONII

POSSEVINI,

SOCIETATIS IESV,

MOSCOVIA,

ET ALIA OPERA.

Quibus nunc recèns, propter materiæ similitudinem, & regionum, quarum historias explicant, vicinitatem, adiuncta sunt,

MARTINI BRONIOVII DE BIEZDZFEDEA, BIS IN Tartariam nomine Stephani Primi Poloniæ Regis Legati, TARTARIAE DESCRIPTIO, *antehac nunquam in lucem edita, cum tabula geographica eiusdem Chersonesus Tauricæ:*

TRANSSYLVANIAE, AC MOLDAVIAE, ALIARVMQVE vicinarum regionum succincta descriptio GEORGII A REICHERSDORFF Transsyluani, cum tabulis geographicis tam Moldauiæ, quàm Transsyluaniæ.

Item,

GEORGII WERNERI DE ADMIRANDIS HVNGARIAE AQVIS *hypomnemation, addita tabella lacus mirabilis ad* CIRKNITZ.

PERMISSV SVPERIORVM,
In Officina Birckmannica, sumptibus Arnoldi Mylij.
ANNO cIↃ. IↃ. XCV.
Cum gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

CATHOLICO ET PIO LECTORI TYPOGRAPHVS S.

OPuſcula quædam à R.P. ANTONIO POSSEVINO *Societatis* IESV *Theologo elucubrata, & paucis antè annis Dilingæ edita, tam cupidè pleriqueſitienterq; arripuerunt, vt alijs ea magnopere poſcentibus nulla exemplarium copia relinqueretur. Dedit ea res non obſcurã ſignificationem, ijs in libris reconditam quandam eruditionem ineſſe, quæ maieſtate ſua, & deſiderium & admirationem hominibus commoueret. Acceßit eòdem integerrimorum virorum commendatio, quæ & auctoris ingenium, & res ab eo domi foriſqúe cum laude geſtas mirificè deprædicaret. Nequaquam enim pœnitendos pro Eccleſia labores ſuſcepit, ſuſceptoſqúe exantlauit. quæ verò ſcripſit, parem cum voluptate vtilitatem continent. Scripſit ille de Moſcorum ingenio, terris, ſchiſmate, non quæ auditione acceperat, vt alij, ſed quæ ſenſibus coràm vſurpauerat, ac Magni Ducis congreßione, & familiari Procerum vſu, diuerſorumqúe locorum peragratione didicerat. Hæreticorum verò ac Schiſmaticorum errores & ſapienter refellit, & tanta veritatis luce inſidioſas eorum latebras colluſtrat, vt omnis tergiuerſandi opportunitas aduerſarijs eripiatur. Eo interim tempore, dum huius viri lucubrationes iterum typis mandari, vt multorum expectationi fieret ſatis, præſtolor; incidit in manus noſtras eiuſdem* P. POSSEVINI *libellus, mole quidem exiguus, ſed rerum pondere præſtans, de Atheiſmis hæreticorum noſtri temporis, in cuius præfatione quia mentio fit alterius maioris voluminis contra eoſdem noſtri infelicis ſæculi hæreticos, eius conſequendi ac typis in hiſce partibus edendi, ſpes animum meum obtentauit, minimeqúe fruſtrata eſt. Auctor ſiquidem de mea voluntate certior factus, amicorum hortatu, Deiqúe in primis gloria ac publica vtilitate permotus, non modo votis meis perbenignè annuit, ſed etiam ipſos libros ſuos ad limam reuocauit, vt nunc e-*

mendatiores politioresq́ue quàm vnquam antè in lucem prodeant: omnem ſiquidem & nos operam dedimus, vt ab omnibus mendis vindicati ederentur. Tu verò optime lector, ad labefactatum Eccleſiæ ſtatum confirmandum, ad tollenda ſchiſmata, ad errores profligandos, ad exſtirpandas hæreſes, tuiq́ue ipſius ac aliorum ſalutem conſtituendam, beneuolè diligenterq́ue ijſdem vtere. Colon. &c. Calendis Ianuarij ↄ.Ↄ.Ↄ. LXXXVII.

CATAL.

CATALOGVS ET ARGVMENTA OPERVM ANTONII POSSEVINI.

MOSCOVIA cum ijs quę ad euincendos Schiſmaticos attinent, ad GREGORIVM XIII. PONT. MAX. duobus commentarijs abſoluta.

1 *Commentarius primus ad* GREGORIVM XIII. PONT. MAX. *in quo difficultas, ſpes, rationes afferuntur promouendæ catholicæ religionis tam in Moſcouiam quàm in Ruſsiam eam, quæ Poloniæ Regi ſubiecta eſt.* *pag.* 1.

2 *Commentarius alter ad eundem Gregor. xiij. P. M. de ſtatu rerum Moſcouiticarum: de gentis ingenio: de ratione legationis ad eum obeundæ, poſtremò conſcriptus ab Auctore cùm ex Vrbe in Poloniam Moſci legatos reduxiſſet, quos antea ex Moſcouia Romam adduxerat.* *pag.* 12.

3 *Colloquia de Religione Catholica publicè ab Auctore habita cũ Magno Moſcouiæ Duce in eius Regia frequēte Procerum conſeſſu.* *pag.* 31.

4 *Capita, quæ Magnus Dux ab Auctore petijt, quibus Græci & Rutheni à Latinis in re fidei diſſenſerunt, poſtquam ab Eccleſia catholica ſeſe præciderunt: Et eorum Errores.* *pag.* 39.

5 *Scriptum ab Auctore traditum Magno Duci, cùm Angli mercatores Moſcuæ tunc commorantes clam eidem Magno Duci per quendam Anabaptiſtam librum obtruſiſſent, quo Pontificem Maximum blaſphemè vocabant Antichriſtum.* *pag.* 46.

6 *Interrogationes & reſponſiones de proceſsione Spiritus S.ti à* PATRE ET FILIO, *deſumptæ ac breuiore & dilucidiore ordine digeſtæ ex libro* GENNADII SCHOLARII *Patriarchæ Conſtantinopolitani.* *pag.* 50.

7 *Litteræ & Acta Pacificationis in cōuentu Legatorum Stephani Poloniæ Regis & Io. Baſilij Magni Moſcouiæ Ducis, Auctore Pacificationem procurante nomine* GREGORII XIII. PONT. MAX. *pag.* 57. & *pag* 82.

NOTAE DIVINI VERBI & Apoſtolicæ Eccleſiæ fides ac facies, ex quatuor Oecumenicis Synodis. E quibus demonſtrantur FRAVDES prouocantium ad ſolum Verbum Dei ſcriptum. ATHEISMI hæreticorum huius ſæculi. ERRORES aduerſantium CALENDARIO emēdato. VAFRICIES peruertentium canones & abutentium nomine SS. Patrum ac Principum in re fidei, ad IOANNEM III. Succiæ &c. Regem Sereniſsimum. pag. *116.*

INDEX CAPITVM ET MATERIERVM HVIVS operis.

SECTIONIS PRIMAE capita, & Materiæ.

SECTIONIS SECVNDAE capita.

SECTIONIS TERTIAE capita.

SECTIONIS QVARTAE capita.

Sectio quinta.

Sectio Sexta.

Sectio septima.

Sectio vltima.

ANTO-

ANTONII POSSEVINI, SOCIETATIS IESV, COMMENTARIVS PRIMVS DE REBVS MOSCOVITICIS, AD RELIGIONEM SPECTANTIBUS.

MAGNI DVCIS Moſcouiæ ditio, cùm longè lateque ad ſeptētrionem atq; ad Ortum ſolis pateat, vndecim tantùm habet Epiſcopatus: quorū præcipuus eſt Moſcuæ, quem Metropolita, qui cæteris omnibus præeſt, adminiſtrat. Roſtouium autē, ac Magnam Nouogardiam (q̄ Nouigrod dicitur) Archiepiſcopi duo; Reliquas ciuitates Cortizā, Reſaniam, Columnam, Susdeliam, Caſanum, VVolochdam, Tueriam Smolenciū, Epiſcopi adminiſtrant. Cùm verò à Patriarcha Conſtantinopolitano Moſcouiæ Metropolita olim confirmaretur, nunquam hoc Principe cōfirmatus eſt ampliùs, licèt plures eo munere ſint functi, ac deniq; vel interfecti, vel ad monaſteria ablegati. Ab ea verò confirmatione petenda ceſſatum eſſe putatur, poſtquam Pater huius Principis Baſilius Gręcum in vincula Sacerdotem cōiecit, quem à Conſtantinopolitano Patriarcha euocaue rat. Sed Sacerdos cùm Moſcos non ſolùm à Latinis, verùm etiam à Græcis in fidei dogmatibus, ac ritibus quibuſdam diſsidere cōperiſſet, liberè id Baſilio obijciens, nunquam (ne acriter quidem vrgente id per literas Imperatore Turcarum) è cuſtodia, in qua diē obijſſe fertur, liberari potuit. Porrò Metropolita deligitur iam ab ipſo Principe, conſecratur à duobus, tribusúe Epiſcopis. Atq; is ad duodeuiginti millia talerorum, qui circiter tredecim aureorum nūmûm millia faciunt, è reditibus annuis percipere dicitur. Ab eo tamen, vt & à reliquis Epiſcopis, non illis quidem adeò opulentis, interdum tributum, ſiue ſubſidium (vt vocant) exigit Princeps: ſine cuius ſcitu, ac permiſſu, nihil, quod magni alicuius momenti ſit, faciunt. Ac tamen, licèt à Conſtantinopolitano Patriarcha confirmatio Metropolitæ haud petatur, ei audio quingentos aureos nummos in Eleemoſynam ſingulis annis à Principe numerari. Ceterū Epiſcopi omnes ex Monachis, tanquā perfectioris vitæ hominibus, deliguntur. Quare nec vxores habent, nec vnquam carnes edunt (ſicut nec ipſe Metropolita) neque annulos gerunt in digitis; & ſanctitatem præ ſe ferentes, apud omnes in veneratione habentur. Diœceſes ſuas (in quibus Archimandritas, & Igumenos, ſeu Præpoſitos in Monaſterijs collocant) non ſolent, vt apud Catholicos fit, obire, aut inuiſere: fortaſsè quòd Principi ea res foret ſuſpicioſa. Veruntamen quibuſdam in oppidis laicos aliquos, quaſi vicarios foraneos, ſingulis annis ſtatuunt, quibus vitam Popporum (hi Sacerdotes ſunt) ſeu aliorum obſeruandi cura cùm demandetur, ij, ſi quis Sacerdos crimen committit, pecunia ferè mulctantur. Vocantur autem Epiſcopi Vladicæ, à voce Rutenica VVlodars, quæ Oeconomum ac diſpenſatorem deſignat. Parochi verò, ac reliqui Poppi, Græcorum more Sacerdotum, vxorem virginem, antequam Sacerdotes ſint, ducunt. Qua demortua, ſi monaſticam vitam agere velint, pergunt Sacerdotio fungi: ſin alteram ducunt, nullum iam Sacerdotij munus obeunt, nec adeò Sacerdotes cenſentur; cùm & aliqui tanquam Diaconi in Eccleſijs inſeruiant, quaſi Character Sacerdotalis ex primæ vxoris vita penderet, ea mortua deleretur. In his omnibus, ſicut & in Monachis (quorum eiuſdē ordinis, & veſtitus omnia monaſteria cernuntur) mira interiorum literarum ignoratio eſt: ita, vt nec, quis ſit ſui auctor inſtituti, aliqui reſpondere ſciuerint, cùm hæc de ijs quæreremus. Diui tamen Baſilij quandam eſſe ſpeciem conijcitur. Monialium item nō deſunt Monaſteria, ſiue domicilia, ſed quæ longè abſunt à cultu, cuſtodiaq́ue noſtrarum. Quibus autem in vniuerſum Moſci erroribus impli-

cãtur,ex èo intelligi poteſt,quòd antè quingentos annos,Duce Moſcorum Volodimero,Chriſtianam fidem à Schiſmaticis hęreticis acceperunt.Ea imbuti,ac proinde maximo ſeſe beneficio deuinctos putantes,facilè crediderunt, quicquid de Latinis Gręci (Romanæ gloriæ, atque pietatis æmuli)obloquebantur. In ea verò opinione alti,& à teneris educati, Chronicaq́; corrupta legentes, nec habentes, qui iſtas ex eorum animis calumnias ſeriò poſſent abſtergere,à Catholicis valdè abhorruerunt. Itaque cùm ingens alicui malum imprecantur,Vtinam te,inquiunt, Latinæ fidei videam. Cùm verò imaginem aliquam piam ex ijs,quibus Catholici vtuntur,à ſuis ſimplicioribus coli animaduertunt, Ne colas, aiunt,quia noſtræ fidei non ſunt.

CVM autem nobiſcum,iubente Principe(officijne, an obſeruandi cauſa) nobiles quidam,aſsignati neceſſarijs rebus procurandis,comedere ſoliti eſſent,nec aſſurgebant,cùm menſæ benediceremus,aut gratias DEO ageremus;nec item noſtras imagines venerari, aut vllo in honore habere (cùm ſuas tantùm non adorent)nec alia id genus facere volebãt. Quin verò Princeps, quotiescunq; externos Legatos alloquitur, ijs recedentibus(ſicut & nobis contigit)manus è deaurata pelui,quæ ſuper ſcamno cõſpectui omnium patet, quaſi ad expiationem,ſolet abluere.Quo facto, Proceres,ac reliqui nobiles,quorum frequens ſolet eſſe conſeſſus, ſic in ſuo Schiſmate,atq; à nobis Chriſtianis auerſione, obſirmantur, vt nihil ſuprà. Ego verò,licèt expectandũ eſſe tempus, quo ingenia illa mатureſcerent ad pietatem,intelligebam,ęgerrimè tamen hoc ferebam,ſperans quidem non longiùs futurum,cùm vel alij Chriſtiani Principes id Moſco obijcient, aut Legatos ſeſe ad eũ non miſſuros ampliùs ſignificabunt, niſi ab illa ſordida ablutione deſiſtat. Ita porrò Moſci,tradito per manum à maioribus ſuis inſtituto, à pueris loqui, ac ſentire de ſuo Principe ſoliti ſunt, vt interrogati ſæpius reſpondeant: Solus DEVS, & magnus Dominus, (hoc eſt, Princeps)hoc ſcit: Ipſe noſter magnus Dominus nouit omnia: Is vnico verbo omnes nodos,ac difficultates poteſt ſoluere: Nulla religio eſt, cuius ille ritus ac dogmata neſciat: Quicquid habemus, aut cũ rectè equitamus,vel valemus, id Clementia Magni Domini obtinemus. Is verò hanc de ſe exiſtimationem apud ſuos mira diligentia fouet,prorſus vt quaſi Rex Sacrorum,ſimulq́ue Imperator videri velit; Pontificiam autem, ac plùs quàm Regiam Maieſtatem ipſis in veſtibus,conſeſſu, ac reliquis præ ſe ferat. A Græcis Patriarchis, & Imperatoribus mutuatum eſſe omnia, aliquis dixerit, atq; ad ſui honorem,quæ ad DEI cultum referebantur,traduxiſſe. Tiaram enim vnionibus,ac gemmis ornatiſsimam, eamq́; non vnam tantùm (quam oſtentandæ amplitudini mutat identidem,cùm & Byſantio ſibi delatam dicat) aut apud ſe habet, cùm ſedet in throno, aut geſtat in capite. Pedũ,ſeu Paſtorale in manu leua,Chriſtalli ſat magnis globis,tanquam nodis, interſtinctum: Talarem veſtem,quali ferè Pontifices maximi vti ſolent, cùm ſolenniter procedunt ad Sacrum, & manus plenas annulorum gerit, cum prægrandibus gemmis. Imaginem item Saluatoris ad dexteram, ac Beatiſsimæ Virginis ſupra Cathedram, in qua ſedet: binosq́ue albis ſagis indutos,atq; bipennibus ad humeros munitos habet vtrinque ſtantes,quaſi Regij corporis ſtipatores. Ceterùm ſubſellia interioris,& anterioris cubiculi, referta hominibus,qui veſtibus aureis (quas niſi ipſi habeant,Princeps,Legatis aduenientibus, ſolet vtendas dare) induti vſque ad talos, referunt ſpeciem Diaconorum,cùm hi Sacerdotes Sacra facturos proſequuntur. Hi autem miro ſilentio, ab ore nutuq́; Principis pendent; cuius ad ſiniſtram maior natu humiliore in loco filius ſedet, Tiaram & ipſe habens,licèt minorem,in ſcamno,oblongaq́ue veſte,& ea precioſiſsima indutus. Atq; hi duo, pater & filius, cùm menſæ accumbunt,pluribus crucis conſignationibus ſeſe muniunt,antequam vnumquodque ferculum,aut potum delibent,vel guſtét. Ad ſacrum autem, atq; ad templum quotidie (nec ſemel)eunt: dumq́; id fit,nunquam ſedent,niſi cùm pars aliqua homiliæ,vel ſancti alicuius apud eos viri vita recitatur. Quin verò ipſi quoque fronte humum ex religione percutiunt: ieiuniaq́ue ſua ſedulò obſeruantes, eam, quam dixi, pietatis opinionem in ſubditorũ animis figunt, ac fouent. Principi verò ipſi Confeſſarius Sacerdos eſt proprius, qui eum quâcumque comitatur,Moſcua exeuntem: cui etſi Princeps ſingulis annis peccata confitetur, Euchariſtiam tamen non ſumit ampliùs, quòd ei, qui plures quàm tres vxores duxerit, fas non ſit, ex eorum legibus, Chriſti Domini corpori communicare. Nam & Princeps, vbi ex Anaſtaſia prima vxore, quæ olim deceſsit, duos, qui adhuc ſuperſtites ſunt, filios ſuſcepit, ſex alias vxores (ſiue quo nomine alio vocet quis) virgines duxit; quarum aliquas varijs de cauſsis in monaſteria intruſit: cumq́; adhuc aliquæ earum viuere dicantur, ſeptimam tamen, quæ vocatur Maria, filia Theodori Nagoi (quã ſuperiore anno ſibi in ſuo illo matrimonii genere adiunxit)apud ſe habet. Ioãnes

nes item maior natu filius,non plus viginti licèt annos natus,tertiam habet vxorem; primis duabus (ſic patre iubente,filio autẽ dolente)in monaſteria incluſis. At Theodoro alteri filio ea,quam primò duxit, adhuc eſt; adoleſcenti (vt ferunt) ſatis innocenti,nec à Catholicis abhorrenti. Quanquam, vt ſtatura corporis non æquat ætatem, & verò barbam habet, quæ primogenito deeſt,non permittitur venire in cõſpectum eorum,qui à Principibus externis ad Magnum Moſcouiæ Ducem mittũtur. Porrò Ioannis primogeniti vxor (ſi ita vocanda ſit) Helena vocatur, Ioannis Scheremitoni nobilis Moſci filia: Theodori verò Hirene,cui Theodorus Godonus eſt pater.

Iam verò Princeps,cùm ſuarum omnium Prouinciarum, quæq́; in ijs ſunt, hæredem ſe agnoſcat, & dicat, bona & prædia, quibus vult, tradit: quibus autem vult, & quando libet,adimit. Quæ res etiam facit, vt à ſuo Schiſmate diſcedere non audeant, & in bella quiſque ſine ſtipendio prodeat. Pendent verò ſic à Principis nutu, vt quocunq; mittuntur aduolent,idq́; faciant,nõ tam ſui,quàm cauſa liberorum, quibus, ſi ſpecimen aliquod præbeant,eorumq́; parẽtes rectè ſe geſſerint,aut omnia,aut partem bonorum Princeps cõcedit. Sic bonorum, & corporum,animorumq́;, ac quaſi cogitationum vult eſſe integer Dominus. Cùm autem velit omnia noſcere, quæ inter ſuos geruntur,fit, vt nemo penè audeat hiſcere; aut ſi quid proferat,id ad gratiam aucupandam, vel ad ſupplicium declinandum ſpectet. Ad externos autem commigrare,abſque illius ſcitu,& adeò miſſu,non licet. Itaque etſi mercatores aliarum regionum in Moſcouiam nauigant,aut commeãt: nemo tamen ex Moſcis ad alienos ſolet tranſmigrare,niſi miſſus; ac ne naues quidem habere permittitur, ne ea ratione diffugiat, aut nimia cum externis conſuetudine contracta, aliquod deniq; Principi incõmodum afferri putetur. At verò,ne ijs quidẽ, quos ille interdum ad Chriſtianos Principes allegat,licet,vt eoſdem,quos mutuò ijdemmet Principes ad Magnum Moſcouiæ Ducem mittunt, alloquantur. Quemadmodũ nec Thomæ Seuerigeno licuit nobiſcum loqui, amiciſsimè licet, & perhonorificè per Italiam, V. Beatitudine iubente, à nobis deducto. Quod tamen eo mirandum eſt minùs,quòd Legatis quantumlibet magnis, etſi in Ciuitate Moſcua datur amplũ hoſpicium: ſic tamen eſt præaltis ſudibus circumſeptum, vt inde nec domos aliquas intueri,neq; cum vllo omnino loqui, ne educere quidem (vt & noſtris aurigis accidit) ad aquandum equos poſsint. Sed nec ipſis Medicis,quorum duo tantùm in vniuerſa Principis ditione ſunt, alteri Italo, Belgæ alteri, licet ęgrotũ inuiſere, niſi id Princeps conceſſerit. Porrò nec collegia, neq; Academiæ vllæ ſunt; ſed ſcholæ duntaxat aliquæ,in quibus legere,& ſcribere docentur pueri, idq́; ex Euãgelijs, Apoſtolorum Actis,Chronico quod habent, & quibuſdam, vt ſancti potiſsimùm Ioannis Chryſoſtomi,Homelijs,vel Sanctorum,aut eorum, quos habent pro Sanctis hiſtorijs ac vitis. Quod ſi quis maiorem in literis progreſſum facere velle videretur, vel alias ſcientias imbibere, is nec ſuſpicione careret, nec impunè abiret. Eò enim ſpectaſſe videntur Magni Moſcouiæ Duces, vt non tantùm, quæ inde oriri poſſet, hæreſum occaſionem amouerent, quantum præciderent viam,qua ipſo Principe doctior,aut ſapientior aliquis haberetur. Atque inde fit,vt neque Amanuenſes, & Scribæ (ſic enim eos vocant, qui ſunt à Secretis) nec ipſe Cancellarius, qui eis præeſt, vix quidquam ſcribat,vel reſpondeat ijs, qui ab externis Principibus veniunt, quin Magnus ipſe Dux,longa ſatis, neq; neceſſaria,vel titulorum, & rerum propoſitarum repetitione,dictet: dictatum deinde Senatores Nuncijs, aut Legatis ſic ex ſcripto referant, vt partitis inter ſeſe ſchedis,omnes ordine ſua recitent. Quod mihi aliquando per quatuor integras horas contigit, cùm reſpondiſſe ad omnia minùs vnius horæ ſpacio potuiſſent. Antequam verò quiſq; aliquid recitat, aſſurgentibus ad Principis nomen omnibus, dicit, Magnus Dominus totius Ruſsiæ,iuſsit tibi Legato, vel Nuncio talis &c,hæc referri: quæ nec vnus ipſe pergit vſque ad finem proferre, ſed ab altero mox interceptus,ex ſcheda eidem propoſita nectit conſequentia. Sed & tanta (quaſi dixerim) religione in menſis aſſurgunt omnes, quotieſcunq; Princeps alicui propinat, vel cibum mittit,nihil vt antiquius videantur habere,quàm vt ipſi continens,neq; vnquã intermiſſum omnibus in rebus, tributum venerationis pendant, ac ferè iuge ſuorum animorum ſacrificium ei offerant. Quantalibet autem auctoritate polleat aliquis, is ſi graue (aut quod graue videatur) commiſerit crimen,iubente,vel annuente Principe,extremo ſupplicio plectitur,ac plerũque in aquam demergitur, aut verberibus afficitur. Nec tamen id vſque adeò dedecori ducitur,quin etiam affecti verberibus Principi gratias agant. Porrò ad hæc, quæ tractandis rebus, & inſinuandæ religioni, non minima videri poſſunt incommoda, accedit,quòd cùm Legati Principis Vilnã ſæpe,aliasq́; ad Polonici Regni Prouincias, de pace, inducijsúe iuerint, varias eſſe hæreticorum ſectas, quibus ea Ciuitas ſcatet,

acceperunt. Quare & de ijs dicunt, Quod manè credunt, id à prandio pernegare: & eiuſmodi eſſe Catholicos omnes, atque adeò ipſum Poloniæ Regem Stephanum, ſatis affirmabant. Sed hoc illis, & Senatoribus conſtanter exemimus. Cùm autem Lutherani ex Germania, & Caluiniani, reliquiq; ex Anglia, in Moſcouia ſoleant habere commercia, hi iam diu duo templa obtinuerant, nomine Romanæ religionis, cui ſeſe eſſe addictos, inter hanc gentem, rerũ iſtarum haud peritiſſimam, iactitàrant. Nõ leui certè Satanæ aſtu, qui ea ratione vel ijs conciliare auctoritatem, quaſi eſſent Catholici; vel in Catholicos diſſenſionis, atq; illorum improbitatis culpam conijcere conabatur: vt videlicet noſtris ad oſtium fidei pandendum aditus impediretur. Sed magna iudicia, & abyſſus multiformis ſapientiæ Dei, non ſinunt quidquam occultum non reuelari, ac tandem in eorum caput malitiæ ſpicula retorqueri, quæ in alios intorquent heretici; verè ſemen maledictum. Princeps igitur ante biennium, ſiue quòd aliquid inaudiuerat eiuſmodi, ſiue quòd ſuis metueret, ne eo fermento inficerentur, variaſq; ſectas introducerent, conceſſa illis duo templa comburi mandauit: ſicq; in hypocauſtis ſecretò res ſuas agunt. Hanc autem de Romanis opinionem, quaſi ijdem eſſemus cũ Lutheranis, alijsq; hæreticis, neceſſe fuit ex Principis, ac Senatorum animis euellere: cùm nobis pro aliquibus Sacerdotibus, qui venturi eſſent ex Italia, locum petentibus, primò negaſſet præcisè Princeps, ſe Eccleſiam conceſſurum, ſed tamen poſteà dixerit ſe permiſſurum, aliqua vt in domo religionem ſuam colerent, Catholiciq; Romano ritu, (ſicut alij Germani in campo ipſis aſsignato) ſepelirentur. Illum ergo de tota re liquidiùs docentes, fidem publicam pro ipſis Catholicis Sacerdotibus, ac mercatoribus, nec nõ alteram pro Legatis, ac Nuncijs Apoſtolicę Sedis obtinuimus, vt ingreſſuris in Moſcouiam nouas literas commeatus, ſeu ſalui conductus ea de re, petere non opus fore videatur. Quæ quidem res à Clemente VII. cum Baſilio huius Principis patre tentata, non potuit ad exitum perduci. Sed & tranſitum, atq; itineris Duces per ſuam ditionẽ pollicitus eſt Princeps tradere ijs, quos Pontif. Max. in Aſiam mittere iudicaret, ſi quando promouendum eò eſſe fidei negocium, per eas regiones cenſeret.

Iam quod attinet ad Sacrum, officiaúe Diuina, hæc omnia Ruthenicè, ſeu potiùs lingua Moſcouitica recitantur, quæ ferè prorſus eadem eſt, qua ſubditi Poloniæ Regis Rutheni vtuntur. Libros autem omnes ipſi deſcribunt, nec typis cudunt, niſi cũ pro ipſo tantùm Principe aliquid prælo ſubijcitur, in oppido, quod Sloboda Alexandreska dicitur, vbi Typographiam habet: idq; oppidum nonaginta Italicis milliarib. quæ ipſi Verſtas nominant, Moſcua diſtat. Ceterùm quos ipſi libros ferè lectitant, aut etiam peritiores Monachi verſant, eorum nomina, quantum hoc tempore aſſequi potuimus erunt in Calce huius narrationis adſcripta, vnà cum illorum Calendario, ex quo intelligi poſsit, quorum anniuerſarios dies Sanctorum celebrant, vel item aliorum, quorum ſanctitas Latinis, & Græcis necdum innotuit.

Quod autem in ſuo de Moſcouia Commentario ſcripſerat Iouius, Quatuor Latinæ Eccleſiæ Doctorum, & aliorum Patrũ ſcripta circumferri apud hanc gentem, in eius linguam conuerſa (quam item Slauicam eſſe putabat) id nondum reſciri potuit, licèt à me accuratè perquiſitum ſit. Quin verò, ne illorum quidem nomina huc perueniſſe, ſatis veriſimile eſt, quòd eâ, præter D. Ambroſij nomen, in eorum Kalendario (in quo tamen quorundam Pontificum Romanorum, Syluestri, Gregorij Magni, & aliorum mentio fit) non ſunt inſcripta. Et quidem illa apud aulicos ipſos, qui ſolent Principem comitari, fuiſſe videntur hactenus inaudita. Nec verò Slauicam linguam nôrunt, niſi quantum hæc cum Polonica, Ruthenica, & alijs eiuſmodi ſic habet affinitatem, vt quem Moſcuam miſi Sacerdotem, natione Slauũ, is pleraq; iam multa Moſcouiticæ linguę ſtatim aſſequebatur, cùm contra Moſci Slauicam difficiliùs percipere viderentur.

Cvm ergo tantùm Ruthenicè noſcant, fit vt neq; vlli commodo ſit Gręca lingua, Synodusúe Florentina edita Græcè, quam in conſeſſu procerum frequenti Principi illi V. B. nomine in arce Staricíæ ad Volgam fluuium tradidi. Neminem enim habet, qui eam calleat linguam, niſi quòd relatum eſt nobis, anno ſuperiore veniſſe Byzantio quoſdam Græcos, qui Principis mãdato Moſcum aliquem docent, vt interpretis ea in lingua operam præſtet. Verùm corruptam, & quali Gręci hoc tempore vtuntur, eam potiùs eſſe credo, quàm priſcam, aut illam, qua Patres antiqui libros, Synodoſq; conſcripsère. Itaq; ne ipſa quidem vnionis, quæ dicitur Bulla, ſeu Diploma, ab Eugenio quarto latum, nobiſq; ex ipſo exemplari ab Illuſtriſsimo Cardinali S. Seuerinę traditum, vſui eſſe potuit, quamuis Latinè, Græcè, ac Ruthenicè ſcripta tum fuerit. Qui enim Diploma illud Ruthenicè verterat, eum nec characteres, nec linguam omnino Moſcouiticam nouiſſe, ſed mixtã aliquã ex Boſsinenſi, ac Croatica, animaduerſum

eſt ab ijs quos mecũ ex regis Poloniæ Ruſſia, & ex Auſtria duxerã: quiq; & ipsũ, & fidei profeſsionẽ à Pio Quarto editã, vt verterent in Ruthenicum idioma, quali hodie vtuntur, curatum eſt: eo animo, vt ab aliquibus peritioribus in Regijs caſtris, ad quæ propero, vbi fuerit examinata, quã primùm Vilnæ edatur in lucem, ſicq; vtrique Ruſsiæ Polonici Regni, ac Magni Ducatus Moſcouiæ, Deo adiuuãte, cõſulatur.

Nec verò niſi pauciſsimos habent, qui Latinam linguam calleant, qui quidẽ præter medicos illos, de quibus dictum eſt ſuprà, trium numerum haud excedunt, hiq; Poloni ſunt omnes, Iacobus Zaborouius, Ioannes Bucouius, & Chriſtophorus Caieuius. Illi quidem duo multos ante annos ex Polonia, ex oppido Vredoco, hic verò ante triennium, cùm ad Bogdanum Alexandri, ſuum Dominum, & Valachiæ Voyuodam, quem putabat adhuc eſſe ſuperſtitẽ veniſſet, à Principe retentus eſt: quẽ etſi peritiorem Latinæ linguæ eſſe dixerunt, cum tamen haud nobiſcũ agere, hactenus permiſſum fuit. Inde ergo factum eſt, vt laboratum ſit vehementer, antequam ea, quæ ſcripto (vti petierat Princeps) traderemus, vel quæ cum Senatoribus ſubinde agebantur, ad plenam ipſorũ notitiam peruenirent. Ineptè etiam illi pleraq;, neq; ad rem ſæpè noſtra vertebant: earum verò præcipuè rerum maximam partem omiſerant, quas Principi fore moleſtas, aut certè ſibimet ipſis aliquid periculi creaturas ab eo timebant; cuiuſmodi erant, quæ ad negocium de religione primariũ ſpectabant. Quod eos alijs quoq; in Principum literis, licèt Ruthenicè ex Lituania ſcriberẽtur, facere, quibus in rebus dictio non eadem eſt cũ Moſcouitica, valdè mihi probabile eſt. Ac tamen Diuino beneficio, incommodũ quoque hoc ſuperatum eſt, inſinuatione tandem noſtrorum interpretum, quos antea nolebant admittere, ſcriptisq; noſtris omnibus ab ijs integrè verſis: quę Principi, ac Senatoribus tradita fecère, vt reſponſio nem nobis vberiorem nõ in colloquijs ſolùm, verùm etiam ſcripto tradiderint. Verſionis aũt illius, à noſtris interpretibus factæ, exemplum Ruthenicum, præter Latinum exemplar, iſthuc mittam, vt ſi quis aliquando huic operi ſucceſſerit, eadem vel Principi huic, vel eius filio, ac poſteris reuocari poſsint ad mentem.

Porrò populus vix vnquam ab opere vacat, niſi ipſo die Beatiſsimæ virginis annunciatæ: ſicq; Dominicis, ac reliquis omnibus dieb⁹ profeſtis (ne excepto quidem Paſchatis die) operatur: ſibi enim perſuaſum habet, ſpectare tantũ ad nobiles, vt ad Sacra, templaq; tam ſæpè proficiſcantur. Ceterùm contenti ſunt populares ſua ſimplicitate, plurimaq; crucis conſignatione, & reuerẽtiſsimo erga pias imagines cultu; quas decentiſsimè pingunt, & ad viuũ exprimunt, nudas in eis corporis partes omninò exhorrentes. Ieiuniorum aũt, & à carne, ac lacticinijs abſtinentiæ tenaciſsimi, Eccleſias rarò; Nobiles verò mulieres, ac virgines nũquã eas penè inuiſunt, niſi quo tempore, Paſchatis nempè, Euchariſtiã ſumunt. Concionatores non habent; ſed tãtùm, quas diximus, vitas Sanctorum, vel eorum, quos pro ſanctis venerantur, atque homiliæ partem vt dixi, (ex D. præſertim Chryſoſtomo) à Poppis ſuis audiũt. Orantes ſtant, interdũq; fronte percutiũt terrã: quod illis quoq; in ſalutandis primarijs viris aliquando, & in eleemoſyna petenda ſolemne eſt. Quatuor candelæ ad quatuor fontis partes accenſę ponuntur, quibus deinde extinctis, baptiſma adhibetur infantibus, trina totius corporis merſione. Aegroti vix vllum remedium adhibent, quã vel cremati vini, vel aquæ, in quam Sanctorum reliquias impoſuerint potum, vel aquæ, à Sacerdotibus orationibus ſanctificatæ, aſperſionem; vel nuncupationem votorum, quæ plerũq; Beatiſsimæ Virgini, ijsue quos habent pro ſanctis, offerũt. Reſtituta valetudine, imagines quoq; argenteas ijſdẽ affigunt, antiquiſsimæ Eccleſiæ morem ſeruantes, niſi in ſanctorum apud eos quorundam exiſtimatione errarent. Moribundis Euchariſtiam ſine facibus afferunt, eoſq; extrema vnctione inungunt, peccata ſua in primis Sacerdoti confitentes: quod & ſingulis annis, cùm valent, atque aliquando ſæpiùs, faciunt. Cùm funus effertur, id Poppi, Laiciq́ue candelis quibuſdam paruulis ardentibus, quas gerunt in manibus, proſequuntur, nulla pręlata cruce: imagine tantũ pia demortui pectori hęrente, qui ſic linteamine totus obuoluitur, ſola vt facies cerni poſsit. Nihil verò aliud concinunt, præter illud triſagion, Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte & immortalis. Cũ autem cadauer mandant ſepulturæ; Recordare, inquiunt, Domine animæ huius: ac quædam in eum ſenſum, ex Græcorum Liturgijs, aut ex D. Dionyſio Areopagita, verba proferunt. Mortuum oſculantur: ſi quis autem nobilior moritur, hunc Metropolita, quiq́ue alius adeſt in ciuitate Epiſcopus, comitantur, quouſq; in ſepulturam illatum ſit cadauer. Ceterùm D. Nicolaum Myreæ Epiſcopũ magnoperè venerantur: quem non depictum tantúm, verùm etiam penè totum exſculptum vidimus, non procul Nouogardia magna; cùm (quo in loco religiosè, imago ne, an ſtatua illa, erat expoſita) Monachi nobis obuiã ve-

 niſſent,

niſſent, in altera patina aquam benedictã, & crucem, in altera verò panem, ac ſal, vt ſolent, offerentes. Vocant autem S. Nicolaũ Czudothvvoretz, quaſi θαυματουργον, id eſt, miraculorum patratorem: quem nõ adeò colunt, vt vel Chriſto Domino æquent, vel Sanctorum maximum exiſtiment, niſi quis, minùs veritatem edoctus, in ea re erret. Obliquas deinde (vt ipſi dicunt) & curuas ferias ſextas quaſdam habent, quas Niedziela VVſiereiedna nominant, quibus deſignatur, totam hebdomadam eſſe quaſi Dominicam. Nam à Domini Natiuitate vſque ad Epiphaniam, & octo poſt Paſcha dies, ac quibuſdam alijs, qui ieiunium (quod ipſi vocant S. Petri) antecedunt, vt & ijs, qui magnam Quadrageſimam præceſſere, carnes edunt, lautiusq́; viuunt. Peruigilia verò (vt Catholici) non habent. Si quis profeſtus, vel anniuerſarius alterius celebrationis dies in Paſchatis incidit diem, eum in alium haud transferunt. Bis in anno, ſemel in die Epiphanię, iterum ante Beatiſsimæ Virginis Aſſumptionem, benedicit Metropolita flumini Moſcuæ, alij verò Sacerdotes alijs fluminibus. In eo multi mares, fœminæq́; trina merſione toti immerguntur. Equi item & imagines quaſi baptizãtur, ac propterea id Chreſczenie eorum lingua, id eſt, baptizatio dicitur. Qui mos, ſiue ritus licèt non præceptus ſit omnibus, plures tamen eum ex religione ſic ſeruant, vt ægroti quoq;, qui ſibi ea ratione putant ad valetudinem conſulere, ſummo in gelu effoſſa glacie, per foramen in aquam demiſsi, eximantur. At & cùm eſſem in Alba Ruſsia, relatum eſt mihi, in ea, quæ Rubra dicitur, quæq́; item, vt Alba, Poloniæ Regi ſubdita eſt, Drohobicij puteum eſſe aquæ ſalſæ, cui cum ſolenni ſupplicatione Sacerdotes, vbi benedixerint, ea populũ aſpergunt. Inter Sacerdotes autem ſunt Protopoppi, quaſi Archipresbyteri, & Archidiaconi, quibus maior (vt etiam apud nos fit) honor defertur. Ex his igitur, quæ hactenus hoc in itinere, vel ipſi vidimus, vel ex Moſcis audiuimus, intelligi poteſt, quanto Diuini cultus, & Eccleſiæ bono fuiſſent, qui Europæ, atq; Aſiæ fines attingunt, ſi Orthodoxã initiò fidem hauſiſſent, vel adeò hodieq́; haurirent: Catholici aũt Principes huic genti viciniores, eandem (cùm facilè olim potuiſſent) in re Catholicæ religionis, quam hi ſeruant in Schiſmate, conſtantiã à ſuis populis ſeruari procuraſſent. Quoniam verò Moſci alijs ritibus, & erroribus impliciti ſunt, propterea hi, cùm à Poloniæ Rege ad Magnum Moſcouiæ Ducem, reuerſus fuero, ſic à me perſcribentur, vt ſimul, quid ijs refutandis reſponderi poſsit, Deo aſpirante, adijciam.

DIFFICVLTAS, SPES, RATIO Catholicæ religionis in Moſcouiam promouendæ.

CVM ex ijs, quæ dicta ſunt, perdifficile videatur fore negocium inſinuandæ in Moſcouiam Catholicæ fidei; tùm eò difficiliùs videri poſſet, ſi cetera, quæ dicenda ſunt breui attigero. Primùm enim cũ maxima populi pars ignoret, quid ſchiſma ſit; religionis autem ritus & dogmata, quæ credunt, nunquam habuerint, qui à recta fide aliena eſſe illis oſtenderet: ſi quis Catholicus Sacerdos ad eos acceſſerit, vereri fortaſſe poterit (cùm adhuc Euangelio & veritati prędicandæ non omnino pateat oſtium) an illis inijcere de ipſorum ſchiſmate ſcrupulum debeat, ceteroquin rudioribus, in ſua ſimplicitate forſan ſaluandis.

CVM autem grauiſsimè plecteretur, qui de Ruthenis ritibus, aut dogmatibus quidquam obloqui auderet; concionandi autem facultas omnis tollatur, qua ferè vnica via inferendæ Euangelij luci, vti ſolita eſt Diuina ſapientia; nec verò (ſicut dictũ eſt) magna pars hominum accedat ad templa: res plena periculi videtur, ſi quis eiuſmodi aliquid tentet, cùm præſertim, niſi hoc ex voto ſuccederet, maiores poſſet parere difficultates.

Accedit, quòd Aulici cum Principe (in quibus rei totius ſumma poſita eſt) cùm de Catholicis, atq; adeò de Romanis multa ex mercatoribus, qui pene omnes hæretici ſunt, audiuerint, & continenter audiant, ea peruertunt in peiorem partem; numerum propè innumerabilem Catholicorum, & plurima pietatis opera, conſenſumq́; in fide vnanimem, ac Diuini cultus maieſtatem, quæ apud nos eſt, nunquam audientes. Cùm verò Antiſtites, ac Sacerdotes noſtros cum ſuis Epiſcopis, ac Monachis conferunt, hos eſſe ſanctiores, ac proinde ſynceriorem cultum, veriorem q́; religionem habere ſeſe putant; quòd ab hæreticis miras (vt hi ſolent) blaſphemias audiant.

Natura verò Schiſmatis cùm ea ſit, vt pietatis ſpeciem, remq́ue ipſam magna ex parte retinens, his contẽta ſit (quo fuco etiam noſtro tempore hæretici populos deceperunt) caput autem miniſteriale non habeat, & proinde neque primarium habeat, vnde ſpiritualis vitæ ſenſum, & motum accipiat: vix rationis vllius vim intrinſecus admittit; etſi quid veritate cogente, admittit, hoc vix retinet diu. Itaque operam & oleũ inter hos, qui ex Scythis, Tartarisq́; permiſti ſunt, viderentur ij perdere, qui alibi futuri eſſent vtiliores. Nam & quàm peruicaces fuerint D. Auguſtini tẽpore Donatiſtæ, cũ pleraq; omnia retinerent, ab

ab ipſo tamen Chriſti Vicario tantummodò (ſi tantũmodò dicẽdum ſit id, quod eſt maximum) ſeiuncti, Eccleſiæ notum eſt. Atqui etiam Græci ipſi, vnde hi ſchiſma ebiberunt, cùm ſummam charitatem, ſumptus, & veritatem Sedis Apoſtolicæ experti, ſe quaterdecies publica confeſsione nobis adiunxerint, ac tamen ſemper ab ea receſſerint, oſtendunt, quid de pullo mali oui ſperandum ſit.

SED & Magnus Moſcouiæ Dux, cùm à ſuis Legatis, qui de pace venerant Vilnam, cognouiſſet, me ad Poloniæ Regem à V.B. veniſſe, ſcripſerat per Chriſtopherũ Dzerzeciũ ipſi Regi, Moſcos à Synodi Florẽtinę tempore cum Eccleſia Catholica fuiſſe eadem in religione coniunctos; ſeq́; ſinere, vt Catholici in Moſcouia ſuis ritibus vterentur. Veruntamen ſe nihil minus hactenus cogitaſſe planè indicauit. Quin verò, cùm Liuoniæ magna parte ſubacta, Catholicos inde ad vnum eiecerit, cultumq́; Ruthenicum armis paſsim inuexerit, ac diligentiſsmè ſtatuerit (Auum qui idipſum Nouogardiæ fecerat, patremq́ue ſecutus) cumq́ue mihi longa cum eius Conſiliarijs colloquia habenti, deprompta fuiſſent ex penitioribus Archiuis ſcripta, & formulæ, quas ad res ſuas, aduerſùs Poloniæ Regem tuendas, Pontifici Maximo cupiebat eſſe cognitas: ſatis certò collegi, quidquid de amicitia continuanda cum Pontificib⁹ Maximis, ac Cæſaribus, aut alijs Principibus, à tempore Leonis X. ac Clementis Septimi, eius Pater Baſilius, vel hic ipſe modò cum V. B. tentauit, id ad ſuæ ditionis, ac ſchiſmatis terminos propagandos, armaq́ue ad hanc rem ſibi comparanda ſpectaſſe. Non ſecùs ac ſuperioribus annis Turca fecerat, qui quorundam malis artibus aut quæſitam, aut oblatam Chriſtianorũ amicitiã; in Europæ viſcera peruaſit.

NAM quòd ad Regios, & adeò Cæſareos titulos attinet, nihil ille aliunde petit, qui ſibi illos vendicauit: eminentes verò Principes quoſdam eo adduxit, vt ſe fratrem Cæſaris, Czar verò, id eſt, aut Regem, aut Imperatorem Caſani, & Aſtracani in litteris vocet. Quibus nominibus cùm à V.B. non appelletur in litteris, non adeò contentus eſt; quin verò ægrè tulit, quòd in ijs alia ſaltem inſcriptio non eſſet, adnumeratis aliquibus Prouincijs, quibus præeſt. Sed hæc forſan V. B. perpendet, ſi quando vaſtitate prouinciarum iſtius Principis, ſpeq́; illum ad meliora alliciendi, aliquid addendũ ſit, ac calamus quaſſatus nõ conteratur. Et tamẽ ſic ei ſcribatur, vt Dominus non totius Ruſsiæ, ſed Ruſsiæ tantũ, neq; Liuoniæ hæres, aut ſimile aliquid, in alienum præiudicium, appelletur.

PRAETEREA non minima difficultas eſt, quæ Moſcos in Schiſmate detinet, quòd (licèt res planè fabuloſa ſit) corpora quorundam, qui Schiſmatici fuerunt, integra ſeſe habere gloriantur, per quos miracula frequenter edi, cæcis viſum reſtitui, ægrotos ſanari conſtanter affirmant. Vt plurimi periculi res eſſe videatur, ſi quis illorũ corporum eleuet præceptam animis ſanctitatem, aut quaſi dubius quærat, num ij verè ſancti, martyresúe fuerint. Inter alios autem numerantur Cleba, & Boris, Petrus Metropolita, Alexius, quorum corpora extare aiunt Moſcuæ; Sergius item quidam Monachus ante vndeuiginti annos mortuus, qui in Monaſterio Trinitatis aſſeruatur, procul ab ea ciuitate milliaribus Italicis ſexaginta. Quo in Monaſterio ducenti circiter Monachi eſſe feruntur, vniuerſæ Moſcouiæ primario, ac ſatis opulento. Eò verò ad diem ipſius Sergij anniuerſarium celebrandum etiam Princeps ex arce Stariciæ, triduo poſt diſceſſum noſtrum (cùm decimo octauo Kal. Octobris versùs Pleſcouiam in viam nos dediſſemus) excurrit, inde in Slobodam Alexandri oppidum, mox ad ſuam Regiam profecturus.

AT & illud magni momenti eſſe videtur, quòd difficillimè Ruthenicum Sacrũ deſererent, & cum Latino permutarent; vel ipſi adeò Græco vti nos permitterẽt. Quod quidem ſi ad tempus eis concederetur, iam ſedulò eſſet examinandum, num quæ ex Diuino Vetere codice, atq; ex Euangelijs recitantur rectè ſint verſa: quæ res nunquã fortaſsis, ne à Græcis quidem, facta eſt, nec verò fieri facilè poteſt; cùm qui Moſcouiticam linguam, proprietatesq́; harum phraſum vnà cum Græca, ſeu Latina lingua intelligat, & ſolida ſimul in Theologia iecerit aliqua fundamenta, neminem hactenus cognouerim.

Ac quidem Epiſcopos Ruthenorum, qui Poloniæ Regi ſubditi ſunt, audio interdũ Græcè facere Sacrum, quam tamen linguã vix eorum vllus nouit. Quamobrem neq; ab ijs, ſi quis ad Eccleſiam Catholicam accederet, id ſperari poſſet, cùm etiamſi vtrãque linguam callerent, Theologię prorſus ſint inperitiſsimi. Vni verò, aut duobus eiuſmodi tantam rem committere, iudicium eſto V.B. an expediret.

SPES, ET EXEMPLA.

VERVM enimuerò nos animat ad meliora ſperanda is, apud quem non eſt impoſsibile omne verbum; quiq́; vt quærentibus ſeriò DEI regnum multa ſolet adijcere, ita hoc potiſsimùm ſeculo in remotiſsimis Indijs, ad Ortum, Occaſum, atque Meridiem, deletis Idolis, trophęum crucis

paſsim excitauit, eademq́; Latina lingua Sacrū dici in diuerſiſsimis nationibus exiguo annorum ſpacio fecit. Cumq́; quarta hæc mundi pars, quę vergit ad Septentrionem, atq; ad Orientem, reſtet, in qua neceſſe ſit Euangelium rectè annunciari, magnū in ea oſtium aperiri poſſe Orthodoxæ fidei Diuina prouidentia oſtendit: ſi præſertim ijs rationibus, longanimiq́; (vt ita dicā) diligentia, quibus tot alia Regna fuêre Chriſti iugo ſubiecta, negocium hoc promoueatur. Nam & aliquid eſt, nec ſine Diuino numine factum, quod nunc aditus in Moſcouiam patuerit, V.B. clauū Eccleſiæ regēte, quum nempè operarij coguntur, & ad excolendas vineas inſtitui curantur: quodque DEVS id effici voluerit poſt Synodū Tridentinam, quæ afflata diuinitus, iſtud Seminariorum vnicum eſſe remedium, ad propagandum Euangelium oſtendit: Rege item Poloniæ Stephano, qui armis in Moſcouiam oſtiū Catholicis patefecit, ac cùm ſapienter intellexiſſet profectionem hanc nec ſuæ dignitati, neq; Reipublicę incommodaturam, in gratiā V. B. (ſummo licèt in belli feruore) conceſsit, vt in Moſcouiam tutò procederem; quod quidem ne in pace quidem alijs permiſſum eſt ſemper. Accedit ipſius magni Ducis erga nos perhonorifica exceptio, qui nec omnia nobis negauit, & vexatione belli dante intellectū, fortaſſe mitior ad reliqua fiet, quā de eius ingenio fama percrebuerat. Vix verò credibile eſt, vt minimus omniū hominum, qualis ego ſum, eā liberè loquendi, & interiora penè omnia, ac ſatis quidem citò ſciendi occaſionem nanciſci alio tempore potuiſſet, niſi Diuina prouidentia, aliquam huius inchoandi negocij horam veniſſe, & ipſi demum negocio ſe adeſſe indicaſſet. Quin verò, cùm oblata peropportuna occaſione magno Duci ſignificaſſem; videret, num iuſtè à DEO tanti belli moles eius humeris incumberet, quòd Chriſti Vicario de negocio religionis nihil reſpōderet (nectebat enim moras, & diſsimulabat hoc totū) ſe quidem eo verbo vehementer affici oſtendit. Quamobrem mitiora cogitare incepit, ſeq; in reditum ſaltem meum reſponſum mihi hac de re daturū dixit, quod vt tunc certò faceret, ipſum rogaueram. Et quidem aliqua dixiſſe eum ferunt, vnde ſe templū conceſſurum, atq; adeò, ſi pax ſequeretur, ædificaturum noſtris intelleximus: ſed ſerione, an iſta belli vexatione impulſus, cùm egere Pontificis Maximi opera videatur, hęc dixerit, tempus declarabit. Quamuis, vt nihil aliud eſſet, quā id, quod de Catholicis Mercatoribus, & Sacerdotib⁹ modò conceſsit: quodq́; de pace cum duobus Poloniæ, & Sueciæ Regibus inceptū eſt agi: quod item de Chriſtianorum aliquot Principum arctiore vinculo iam ordiri velle DEVS oſtendit (ſi ſeriò publicū bonum ij plus, quā priuatas res ſpectent) hæc nō vſquequaq; contemnenda eſſe videātur, ijs præſertim, qui ſciunt ædificia non extrui vnico momento integra, nec in fidei negocio ſolere DEVM, ſine ſummis laboribus, atq; perſeuerantia eorum, ad quos pertinet de ouib⁹ vim ſuā exerere. Sic autem iam inchoata re, non vna anſa præberi poterit de religione agendi, variaq́; ſerendi cum conſiliarijs, & Aulicis de pietate colloquia: alij verò vel voce, vel exemplo ſaltem doceri poterunt, ac alumni interim inſtitui; gentis lingua addiſci; libelli eo Idiomate & charactere conſcribi, atq; in lucem edi, præſertim ſi Polociæ, ac Derpati (ſi Liuonia reſtituetur à Moſco) noſtri eſſe poterunt, qui tuto in loco Moſcos eâdem opera poſsint excolere. Quæ omnia ſanè aliquam, ac ſine multo ſtrepitu, viam ad rem DEI benè gerendam ſolent complanare.

QVOD verò ad ſchiſmatis naturā, Græcorumq́; ingenium pertinet, cùm Rutheni, ſeu Moſci eorundem veſtigijs inſiſtant; Græci autem adeò frequenter ad vomitū redierint, auſim dicere, ſi cùm primū abſoluta fuit Synodus Florentina, libelli ea de re ad populi captum, & communem linguam per Orientem iterum atque iterum ſparſi, Scholæq́ue alumnorum Græcorum inſtitutę fuiſſent, qui veritatem illam illicò, dum plerique adhuc ex Synodo illa recentes in Gręciā tranſmiſerant, hauſiſſent, non ſatis fuiſſet vnus Epheſius Marcus tā ſolido ac Diuino operi ſubuertendo. Et verò tum, ſi Ruthenis quoque conuertendis eadem ratio fuiſſet adhibita, ſegetē fœcundam haberet Eccleſia: quæ, vt ita dicā, non poteſt conſolari, quia non eſt. Sed & præter Eugenium Quartum, ſi Innocentius tertius, Gregorius Decimus, Alexander Sextus, Leo Decimus, & Clemens Septimus hoc negocium aggreſſi, non autem ſola Synodorum conuocatione, aut vnius hominis, atque Epiſtolę miſsione contenti fuiſſent, ſed varijs illis modis, qui Chriſti Legatorum & Apoſtolorum proprij ſemper fuêre, ſedulò rem, ſæpeque vrſiſſent; Ruſsiam aūt, quæ ad Poloniæ Regnum attinet, Catholica religiōe imbui curaſſent, (quod quidem facilè licuiſſet, cùm ea conditione Poloniæ Reges Gręcis Epiſcopis priuilegia conceſsiſſent, ſi Synodum Florentinā fuiſſent amplexi) iam eam haberemus tanquā validiſsimam machinam, quæ Moſcouitico Schiſmati expugnādo poſſet admoueri. Sed Ruſsia illa, licèt propriore Prouincia, prętermiſſa, & magis incerto

Moſ-

Moſcouiæ negocio præpoſterè tentato, Deus, qui ordinatè omnia diſpenſat, quiq́; priùs quàm mundi conuerſionem aggreſſus eſt, triennium Apoſtolis, & Diſcipulis catechizandis inſumpſit, neutrius negocij hactenus, non ſolùm integrum exitum, ſed ne progreſſum quidem iuſtè permiſit: quoniam ad exemplar, quod nobis monſtratum eſt in CHRISTO, non omnia facta ſunt.

IAM verò, quoniam Moſci ex Scythis̃, & Tartaris permiſti ſunt, hoc nequaquam fido Chriſti operario faceſcere negocium debet. Nam etiam his Dominus opus habet quos ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creatos, vult ſaluos fieri. Vt autem Apoſtolis, ſic Apoſtolicæ Sedi dictum eſt, vt doceat omnes gentes. Quæ Sedes mirificè iuuatur à DEO, cùm hoc, quod Apoſtolico nomine deſignatur, id præſtat; nempe cùm ad reuocandas animas ex errorum barathro mittit operarios, qui pro Chriſto, non pro ſe, aut pro negocijs tantùm humanis Legatione fungantur. Quanquam vt ad hos redeam, ſi nonnulla, quæ ſunt in hac gente, cum noſtris, iam in Eccleſia Catholica antiquiſsimè excultis, cōferantur (quæ quidem ad ſimplicitatem, ad abſtinentiam, ad obedientiam, ad blaſphemiæ ignorationem, aut declinationem ſpectant) eſt quod non minimam ſpem faciat, fore vt pietatis & Catholicæ religionis tenaciores euadant. Sed & cœleſtis gratiæ virtus, tandem naturæ deprauatæ immaniores quoque attemperat mores: nec porrò CHRISTVS, benè valentibus, ſed malè habentibus, venit, vt mederetur.

PORRÒ ſi quis cogitaret, oleum ſe atq; operam perdere; ſi huc miſſus, non haberet initiò, cum quibus talentum expenderet, cogitet quid Andreas Ouiedus Societatis noſtræ in Aethiopiam, cū aliquibus alijs ſocijs miſſus, vir quidem ſingularibus donis præditus, triginta hoſce totos annos fecerit; cui ſi minus quàm ſperabatur. Principis illius, qui Aethiopiæ præerat, conuerſio ſucceſsit, ſuorum tamen laborum ſemen reliquit, quod aliquando, DEO nunquam mentiente, laturum ſit fructum. Qui etiamſi nihil feciſſet omnino, paſſus eſt tamē multa, viamq́; triuit alijs exemplo patientiæ, quam incedant. Quòd ſi Alumnorum ex Aethiopia emittendorum, aut ratio, aut facultas ei ſat pauperi conſtitiſſet, aliqua citiùs meſsis erupiſſet. Verùm hoc forſan à V. Beatitudinis charitate ex ijs ſeminibus, quæ pius ille vir ſecreuit à Schiſmate, procurari poterunt, cùm ex Aethiopia Hieroſolymam Abyſsini, vel mercatores, vel alij religionis gratia ſingulis annis adeant.

ERGO non vſq; adeò leuis momenti eſt, à DEO aſciſci tanquam lapidem viuum, ſuper quo Scythæ, Tartari, gensq́; remotiſſima Orientis extrui poſsit, quæ peregrinatur à Domino. Cùm item, quod tempus Theologico, ac prius Philoſophico curriculo abſoluendo, aut etiam linguis aliquibus, quæ vix vnquam ad vſum adhibentur impenditur, ei ſi biēnium ad vtiliores has linguas perdiſcendas adiecerint, quibus viui hominum libri ac corda perlegi poſsūt, nunquam futurum ſit, vt eos pœniteat. Sed & hoc ipſo in Moſcouiæ ſolo id efficere, vbi doctrina, probitate, ſanctiſsimis Sacrificijs, vel hæreticorum calumniæ, vel malæ de Catholicis conceptæ opiniones tollantur, acutum ijs addere poterit calcar, quorum vocationis finis eſt ſalus animarū; quiq́; norunt beatæ memoriæ Franciſcum Xaueriū de Societate noſtra cupiuiſſe corpus ipſum tanquam mancipium Ethnico alicui Indico vendere, vt ea ratione (cùm alia non liceret externis) inter Sinas inuectus, lucem Euangelij inferret: quam etiā ex vinculis Paulus Apoſtolus Romæ intulit; & ex compedibus, & Cryptis Pontifices Maximi non ſolùm in Vrbem, verùm etiam in totum orbem prioribus illis ſeculis inuexerunt.

QVOD autem Magnus hic Moſcouiæ Dux ad ſui duntaxat commodum, Schiſmaq́ue propagandum, amicitiam cum Pontifice Maximo, ceteriſq́; Principibus Chriſtianis quæſiuerit, & hinc quoq; mirabiles eſſe Diuinæ prouidētiæ vias cernimus, qui comprehendit aſtutos in aſtutia ſua; ſinitq;, vt non quod ſpirituale, ſed quod animale eſt, præcedat, ne glorietur omnis caro. Dicet autem, vt ſpero, aliquando Eccleſia: Quoniam magna eſt miſericordia Domini, qui Spiritu illo ſuo vnico, atque multiplici de lapidibus poteſt excitare filios Abrahæ. Quod ſi nullo alio ſtimulo vrgeremur, quàm vt, quod Princeps hic in Schiſmate, nos idem in Catholica fide promouenda faceremus, id iudicio DEI declinando permultùm prodeſſet, ne in eo ſurgens ille nos condemnaret; cùm præterea hoc Chriſtiani pectoris pietatem ſaperet; ac verò eſſet in odorem ſuauitatis holocauſtum Domino acceptiſsimum.

RATIONES PROMOVENDAE IN Moſcouiam Catholicæ Religionis.

IN primis ergo Seminarium inſtituendum videtur, quod paternam V. Beatitudinis erga Ruthenos quoq; curam, Orbi terrarū oſtēdat: operarios aūt (ſine quib. nihil vnquā ſolet huiuſmodi De⁹ efficere)

ſup-

ſuppeditet huic ſanctiſsimo ædificio excitando. Cùm verò hoc, ſi Romæ inſtitueretur, ſplendorem quidem Apoſtolicæ Sedi, bonumque apud ceteras omnes, ac præcipuè apud hanc gentem nomen conciliaret; ac quod cum Collegio Græco iſthîc fit, id etiam fortè Ruthenis magna ex parte prodeſſet: cogitanda tamen videntur viática, itineris longitudo, faſtus, quem vel oculis ipſis haurire ſolent in vrbe harum homines regionum Septentrionalium, putantes id ſibi deberi, quod ex charitate fit. Qui tamen, ſi quaſi in probatione, tanquam pauperes, aliquamdiù ſolidam humanitatem imbiberint, ſelectiores aliqui, & pauci poſtea Romam mitti poſſent: eò magis, quòd irritus eſſet labor ac ſumptus, eos iſthuc mittere, qui antè quàm Latinam, aut Græcam linguam nouerint, Italicam perdiſcere debeant; quam in rem temporis multũ impendendum eſt, ſicut adoleſcenti illi Moſco cõtigit, quem ante triennium cum Ruthenis nonnullis Romam rediens ex Suecia, ad V. B. adduxi.

Ac Vilna quidem Lituaniæ Metropolis eſt, in qua Collegium, & Vniuerſitas Societatis noſtræ, à V. Beatitudine confirmamata, bonum habet numerum Scholaſticorum. Ad eam verò cùm Rutheni quoq; nonnulli cõfluant, hi ſi pauperes ſunt (qui fermè plerique ſunt) ea amplectuntur ſtudia, quæ priuatæ rei procurandæ videant eſſe commodiora: ſin ditiores ſunt, hi aliud ſpectant; quàm vt ſuos labores ad Diuinam rem promouendam referant. Accedit, quòd cùm Magnus Moſcouiæ Dux nemine adhuc permiſerit è ſuis foras emigrare ad literas addiſcendas, id tanto minus facturus eſſe creditur, ſi apud Lituanos audiret id eſſe faciendum, quibus cum aut bellum, aut animi perennis auerſio eſt. At verò vtrique vt genti Ruthenicæ conſulatur, ſi quæreretur, vbinam Seminarium iſtud eſſet inſtituendum; primùm Vilnæ, aut Polociæ, dicerem, pro Ruthenis Poloniæ Regni, proq́; ijs, qui huius triennij bello in Moſcouia capti, minùs difficultatis afferre negocio poſſent. Qui verò ex Moſcouia educerentur, hi vel Olomucium, vel Pragam mitterentur, ad Pontificia Seminaria, in quibus ex eius linguæ affinitate cũ Ruthenica, facilius, quantum ſatis eſſet doctrinæ, haurirent. Quod ſi fieret, demandãda videretur omninò alicui fido, ac prudenti operario cura, vt illos, ceteroſq́; Septentrionales Sueciæ, Gothiæ, ac ſi qui ſunt, alij, interdum inuiſeret, perq́; eos & litteras, & libros quaquauerſùm ad ſuos mitti curaret; iam verò ſatis inſtructos, ad diuerſa loca tanquam in vineas emitteret; alios verò eorum loco ſubſtitueret, ex toto hoc Septentrionis, & Orientali tractu. Quibus item omnibus is ipſe procuraret, quoad eius fieri poſſet, vt loci, victuſq́; ratio à Principibus, ac Regibus, atq; ab Epiſcopis non deeſſet. Alioquin nec facilè operarij ex Seminarijs ſuppeditabuntur, quorum Præfecti ſatis habent quod agant, ſi regulas obſeruari ab ijs, ac litteris operam dari ſtudeant: nec ipſimet Alumni, quibus non ſtatim ſolet ardor cõnuertendarum animarum exciri, ijs potiſsimum diſciplinis vacabunt, quæ propoſito huic ſcopo ſunt neceſſariæ.

Interea, quod V.B. nomine cœperam agere cum Sereniſsima Venetorum Repub. acriùs vrgendum eſt modò, vt vnum, alterumúe mercatorem, priuatos licet homines, ſed probos in Moſcouiã mittant, qui oblatam occaſionẽ iuuerint, qua Catholici Sacerdotes in hac regione figant pedem. Quod cùm prudentiſsimis illis viris, ad Diuinam gloriam vberiùs promerẽdam, magni momenti futurum ſit, certè nec inutile aliquando foret, ſi vel ſuperſtite hoc Principe, vel altero mitiore, aut fortaſſe Catholico ſuccedente, id de quo agitur, inter quoſdam Chriſtianos Reges conſtitueretur. Hanc ob cauſſam curatum eſt, vt Moſcus ad eos litteras ſcribat amantes, quas vnà cum meis V. B. ad illos mittã, cũ primùm in Regijs Caſtris fuero: ſimulq́ue fidem publicam, qua tutus illis aditus, atq; exitus pateat. Hac verò in mercatorũ miſſione non eſt, quod dubitent, aut ob itineris longitudinem, aut ob merces emendas, vendendaſúe, maxima pecunia opus eſſe; cũ ſi tantùm, vt quid hîc merciũ habeatur, venirent inſpecturi, & aliquid ſiue in pelles, ſeu in ceram, mel, coria, & alia eiuſmodi expenderent, nec ipſi iacturam vllam facerent, nec ſi terreſtre iter per Poloniam inſtituerent, id multum pecuniæ exhauriret: cùm etiam acceptis à Poloniæ Rege literis; quas (ſi pax inter iſtos Principes coibit) difficile non erit aſſequi, vix quidquã periculi, incommodiúe futurum ſit ex via. Quin verò, ſi ipſi ſericum, & alia illa, quæ veſtibus ornandis ex Oriente illhuc aduehuntur, aut illhîc parantur, in Moſcouiam afferrent, vno curru multum per Poloniam mercium, ſine grauibus illis vectigalibus, quæ in Italia penduntur, in Moſcouiam rectiſsima via poſſet importari. Quod ſi oblatę huic rei Reſpub. illa alias ob cauſſas cunctaretur manum admouere, tũ fortaſsè expedire cogitaret V. B. vt quæcunq; in hac mea profectiõe acta ſunt cũ hoc Principe, Venetis, tanquã filijs paternè ac fidenter, ſiue eorum Oratori communicarentur: vt ea ratione iam, quo referenda ſunt tã inſignis Reipublicæ ſtudia, tanto ſuo

cum

cum bono altiùs perciperet, perceptum mãdaret executioni. Ac quidem ego optimè acceptus ab illa Repub. non diffidebam fore, quin rediens illi totam hanc rem, atque adeò aliquid aliud fortaſſe perſuaderem. Verùm neceſsitas ad Moſcum reuertendi, aliaq́ue agendi, quæ inchoata ſunt, id non permiſit, quod non ita poſt multos menſes (ſi Diuinæ placitum fuerit voluntati) ac quidem maturiore cum occaſione per eos effici poterit, quos iſta ſancta Sedes aptiores in Domino iudicabit.

Ac tamen interim obſecro B. V. vt diſpiciat, num aliqui Roma, aliundeúe cordati, & pij mercatores huic itineri, cum duobus Sacerdotibus quàm primùm poſſent accingi: quandoquidem à Magno Moſcouiæ Duce patentes litteras alteras obtinui, in quibus in gratiam V.B. concedit, vt quoſcunq; ipſa miſerit, ij tutò venire, ac cõmorari in Moſcouia poſsint.

Qvoniam verò æquum eſſe videtur, vt cùm Moſcus V.B. litteras iſtas conceſſerit, alteras ipſe pares conſequatur, quibus libera in Italiam Moſcis Legatis, atque alijs commeatiõ ſit, propterea ſupplico B. V. vt eas magna paterni amoris ſignificatione conſcriptas, iubeat ita parari, vt aduenientibus ijs, quos ex caſtris Poloniæ Regis iſthuc mittam, poſsint ad me perferri. Gens enim hæc his maximè externis officijs ducitur; præſtatq́; hoc anſam ad redeũdum atq; ijs de rebus agendum, quas in primis ad eorum ſalutem procurandam ipſe Devs exoptat.

Sed & cùm Moſcouia, quod ad religionem pertinet, pendere quadantenus ſolita eſſet ex Ruſsia, quæ Poloniæ Regi ſubiecta eſt (nam & non ita pridem Moſcouiæ Epiſcopi, à Rutheni ritus Metropolita Chiouiæ, quæ in Ruſsia Regis eſt, confirmabantur) maximi autem ponderis futurum ſit ad Moſcouiam conuertendam, ſi Epiſcopi, ſiue Vladicæ Regiæ Ruſsiæ ſeſe ad Catholicã Eccleſiam aggregarent: propterea huc ſeriò incumbendum videretur, ſi amantia Breuia V. B. ſcriberet ijſdem Vladicis, qui octo ſunt (adnumerato eorum Metropolita, Vilnę commorante) ad quos per vnum Theologum afferrentur, non expreſſo alicuius nomine, vt is, qui tum rectiùs & commodiùs hoc præſtare poſſet, ad hoc negocium proficiſceretur: eos autem V.B. ad veritatem agnoſcendam inuitaret, eaq́; omnia ab Apoſtolica Sede expectanda doceret, quæ à Patre, ac Paſtore Vniuerſalis Eccleſiæ, tanquam erga filios conferri poſſent. Tum .n. alterutrum ſequeretur, vt hi rationibus auditis, & pijs ad eam rem libris acceptis, quos Vilnæ edi Ruthenicè curabo, meliùs ſapere inciperent; aut certè, dũ & in hoc paſtoralis iſta V.B. virga inuigilaret, coram Deo iuſtificaretur: atq; eodem itinere Reguli quidam Rutheni (quorum iam aliqui ad Catholicam fidem conuerſi ſunt) pietatem iſtius Sanctæ Sedis obuijs vlnis exciperent. Nam & cùm per Ruſsiam Regiam in Moſcouiam veniremus, nobiles aliqui qui ſchiſma ſuum deſeruerunt, nobis fidenter dixerunt, ſi ea, quæ à noſtris audierunt, apud illos vnquam dicerentur, maximum momentum ad eorum conuerſionem allatura. Habent autem ij Duces, qualis eſt Oſtrogiæ, & Slucenſis, Typographias, & Scholas, quibus Schiſma fouetur, cùm etiam Leopoli, præter Archiepiſcopum Catholicum, & Vladicam Ruthenũ, ſit Armenus Epiſcopus, cum ſuis Armenis, quibus quidquid Catholicæ fidei accederet, id in Armeniam vſque, Deo iuuante, peruaderet.

Qvibvs autem modis noſtri, alijúe Sacerdotes in Moſcouia verſari debeant, tum ieiuniorum, quę plura Moſci habent, tum quorundam feſtorum dierum tempore, quos in honorem eorũ celebrant, quos habent pro Sanctis (cùm Schiſmatici fuerint, vt dictum eſt) cumq́ue præſertim ijſdem diebus abſtineant, atque aliquando ieiunent: quid item agendum ſit ante illorum imagines, alioquin pias, cùm ipſi noſtras non venerentur: quiúe honor ab eo, qui ab ipſa ſancta Sede mitteretur, exhibendus ſit Metropolitæ, aut ipſorum Vladicis: quidq́ue agẽdum cum ijs, qui ſimpliciores ſunt, ne ſcrupulo de Schiſmate iniecto, fortaſsis poſteà nõ ſaluarentur: V.B. pro charitate, qua ſuos filios, atq; operarios proſequitur, diſpicere, ac quàm primùm iubere, vt reſpondeatur, contenta erit.

Ex pago Bor ad Schocolnam fluuium, in Ditione magni Moſcouiæ Ducis, dum equitum aliquas turmas à Polonię Rege expectamus, qui nos in caſtra deducant; Die Sancto Michaeli Archangelo ſacra, Anno 1581. Diſtat autem hic pagus Nouogardia Magna quinquaginta, Pleſcouia verò centum milliaribus Italicis.

FINIS.

DE

DE REBVS MOSCOVITICIS,

COMMENTARIVS ALTER AD GREG. XIII PONT. MAX.

QVINAM rerum status in Moscouia, quidúe de ipso Ioanne Basilij Moscorum Principe, qui nunc rerum potitur, sperandum sit, ac quænam fouendæ Sanctæ Sedis Apostolicæ cum eo amicitiæ occasiones possint existere (siue ad inferendum sinceriorem Dei cultum in illum ingentem Septentrionis, atque Orientis tractum, siue ad Christianos Principes animandos, ad fœdus cum eo sanciendum, vel certè, quod in primis optandum est, ad rem Christianam solidiùs apud eum statuendam) hoc Commentario, Deo adspirante, exponam.

Alteri enim Commentario, quod priore ad ipsum mea profectione, Vestræ Beatitudini è Regijs ad Plescouiam castris misi, non ausus sum hęc adscribere: tum quoniam de ijs cum Mosco, quantum satis foret, haud egeram, tum quòd posteà negotio Pacificationis inter Stephanum Regē, & ipsum (sicut Diuino beneficio factum est) composito, videbam secunda profectione plura me liquidiùs assecuturum. Itaque cùm & tractandis rebus, de quibus à V. B. missus fueram, & eius Ditionis primarijs ciuitatibus, atq; arcibus, per bis mille, & quadringenta millia passuum obeundis darem operam; cùm item apud Moscum reliquissem duos homines, qui, dum ab eo aberam, mensium quinq; spacio multa obseruârunt: faciliùs mihi fuit, ea, quæ ex historijs adnotaueram, & quæ ab varijs Legatis, & in Suecia primùm, deinde in Polonia, ab ipsismet eorum Regnorum Regibus non semel de Mosco audiueram, cum re præsenti conferre, vnde quantum iniuncti mihi à V. B. muneris ratio poscit, cuncta planiùs in CHRISTI nomine aperiam.

MOSCI, QVI NVNC RERVM POTITVR, euectio ad Magnum Moscouiæ Ducatum, propagatio Imperij, & varij casus.

IOANNES, Basilio Patre, anno huius seculi vigesimo octauo natus est. Is ad suæ Dominationis fastigium euectus, vt erat ingenio vehementior, ac dignitatis augendæ percupidus, vlcisci Tartarorum iniurias, & pedem figere in Liuonia statuit. Casanenses adortus, admotis æneis tormentis, facilè fuit ei (vt Stephanus Poloniæ Rex mihi narrauit) siue armorum, seu machinarū generi insuetos expugnare. Inde Astracanum ad ostia fluuij Volgæ situm cœpit, non ignobile Orientis emporium ad mare Caspium. Id cùm alterius Tartarorū Hordæ (seu Regni) esset caput; protulit ditionis suæ fines vsq; ad Circassos, trecenta vltra Astracanum millia passuum. Qui Circassi editiora, prope Caspium mare, incolunt, & ad fines vsq; Persici Regni pertinebant, antequam hoc anno superiore Ferream portam, aliasq; arces Selymus eo de Rege cepisset. Ea vicinia, & Græci ritus affinitate, proximus Circassis Moscus, (illorum primarij viri filia in vxorem ducta, quæ postea interijt) rogatus olim ab ijs, vt ad sese peritos condendæ arcis mitteret, qua Turcarum excursiones prohiberentur, id fecit: atq; ab eo tempore cum illis sic amicitiam coluit, vt quib. finitimus alius Princeps nō sit, eum quasi Patronum habeant, gens ceteroquin simplex, & Diuino cultui capessendo propior, quàm Scytarum pars, aut Ruteni sint, qui ferè in vnum populum coaluêre, Imperio Mosci subiecti. Restant Nogaici Tartari, qui cùm sæpe, tum hoc anno in Mosci ditionem irrumpentes, muneribus placati abscessere. Cùm Præcopensibus autem Tartaris Turcæ fœderatis, qui Tauricam Chersonesum incolunt, & à quibus, vti potentioribus, multa clade accepta, peiora metuebat, Polonico bello distentus, pacem ita fecit, vt, quo tempore Moscua Moscouiæ Regia discessurus eram, mihi respondit, se aduersus Tartaros vnà cū Stephano Poloniæ Rege arma sumere non posse, quòd in singulos dies eius Tartarorum Imperatoris magnos Legatos, & suos expectaret, cum quibus pacem, iam vtriusque Principis signo obsignatam, confirmaret. Cæterum quod attinet ad Liuoniam, cùm induciæ quinquaginta annorum cum Liuonibus ictę, anno huius seculi quinquagesimo expirassent (quibus maiores sui, ob cæsum ad Plescouiā, Pletembergio Ordinis Liuonici Magistro, ad internecionē exercitum, assenserant) varia caussatus; quòd Liuones conditionibus pactis non starent,

starent, quodque templa, in quibus Rutenico ritu Deum Mosci Reualiæ, & Derpati colebant, à Lutheranis euersa essent, omnem verò impietatem erga Catholicos exercerent, bellum ijs indixit: Derpatoq;, & alijs arcibus captis, summaq; cum Liuonū strage, magnam Liuoniæ partem assecutus, diuturni belli cū Polonis semina sparsit: Qua de tota re eodem in Commentario scripsi, quem nouissimè de Prouincia illa ad V. B. misi. Et ea quidem omnia, licèt aliquandiu facilem exitum habuere, maximas tamē calamitates Moscouiæ posteà intulerunt. Nam dum in tam dissitas regiones, atque in arces iam plures præsidia essent imponenda: bellum autem, suo ferè tantùm milite, varijs in locis, ac per tot annos exercendum: qui verò arces tuerētur, ij in Moscouia steriles vxores relinquerent: ac si quis eorum moriebatur, alterius suffectione locus impleretur: factum est, vt populi admodùm rarescerent. Accessit militaris ab eo disciplina Pyxidariorum, siue fistulatorum, (Sclopetarios vulgò aliqui dicunt) qui minoribus vtuntur tormētis, instituta, maioribus suis ignota, qui ferè arcubus tantùm, & sagittis vtebantur. Ex decimo enim quoq; è suis vno assumpto, vel sunt Prætoriani Stipatores Principis, vel in bello merent, aut in arcibus præsidiarij collocātur, relictis domi vxoribus & filijs, quibus interim cadentibus domus sensim hominibus nudantur. Sed & pestilentia, quam antea nunquam in Moscouia, ob intensissima illa frigora, & vastitates grassari auditum fuerat, multos absumpsit, & plurima bella, cædes verò multorum millium (& quidem Optimatum) Tartarorūmque continentes excursiones, ipsaq; ab ijsdem ante duodecim annos cōbusta Regia, Principem ad eum statum adegere (additis Stephani Regis continentibus huius elapsi triennij victorijs) vt non solùm attritæ, sed pene accisę eius vires existimari potuissent. Id constat, trecenta millium passuum aliquando in eius ditione iter fieri, in quibus incola nullus iam superstes sit; pagis ipsis extantibus quidem, sed vacuis. At verò dedolati agri & recentes Syluæ, quæ passim succreuerunt, indicia sunt frequentiorum anteà incolarum: licèt quæ regiones supra Moscuam versùs Septentrionem vergunt, eæ admodum frequētes incolas habeant, quòd excursiones illuc Tartari non fecerint, & salubriore cœlo fruantur, quemadmodum mihi diligenter perquirenti relatum est ab Italis & Hispanis ijs, quos in B. V. & Regis Catholici gratiam libertate à Magno Duce Moscouiæ donatos, mecum in Italiā adduxi. Hi enim duo de viginti menses eas terras latissimè pererrauerant, cùm per paludem Meotidem ex Turcica elapsi captiuitate, Terrarum ingentia spacia emensi, denique ad Ciuitatem Vologdam transmissi fuissent. Iam verò quod inter Casanum & Astracanum est interuallum, id vastissimum est, rarissimis sanè incolis: vt, qui citrò vltroué commeant, vel qui ab ipso Principe mittuntur, sępe menses integros nullo alio cibo, quàm piscatione, ac venatu, absq; vllo pane, vitam sustentent.

CELEBRIORES MOSCI CIVItates, & populi.

AT ciuitates, quæ frequentia, & nobilitate celebriores habentur, erant cis Tanaim, Moscua, Smolencium, Nouogardia, siue Nouogrod, Plescouia, Tueria; vltrà verò ad Septentrionem, Volochda; ad Orientem autem Casanum & Astracanum, quod Iouius, & alij, Citracham vocant: quamuis inter istas Iaroslauiam, & Alexandri Slobodam, atque eiusmodi quasdam alias connumerent, quæ tamen rectiùs oppida dixissent, nisi quòd arces habent, pro more gentis, haud contemnendas. Verùm enim verò mirum dictu, quòd alijs illis vel popularium cētena millia, vel nobilium, quos Boiaros vocant, decades millium quidam attribuunt: quos secuti, qui res illas memoriæ mandârunt, Albertus Campensis (is quem V. B. mihi in Moscouiam discedenti legendum tradidit) vel idem Iouius (qui ex Demetrij cuiusdam Mosci relatu Commentarium confecit, quem huius Principis parens ad Clementem VII. misit) nescio quem scopum veritatis attigerint. Idē verò & alij fecere, q. Legationib. functi, inde reuersi sunt. Credo ita, quòd Mosci cōsuetudinē in hominib. colligendis perq; arcium primas, & loca editiora disponendis, cùm Principum legati quæsitissimis honoribus excipiuntur, haud satis intellexerant: res autem à nobis longius dissitas commemorando (vti mos est) præter veritatem extollerent. Licèt etiam fieri potuerit, vt minùs à vero aberrarent, quòd superiore parētum nostrorum ætate, Mosci (vt diximus) minùs bellis exerciti, minùs morbis tentati, neq; tot cædibus imminuti, & pauciores item in arces impositi, non ita orbas domos posteris reliquerint. Id verò de Mosci Regia, quę (vt dixi) Moscua est, certum est; triginta hominum millia, pueris, sexuque vtroque numerato, hoc tempore non censeri. Nam quantacunque Ciuitatis species adeunti incurrit in oculos, accedenti tamen propiùs (ne dicā posteà ingresso) ipsæ domus multum terrę spacium occupant; platearumq;, ac non vnius fori amplitudo, ambitusque

ipſe ſacrarum ædium (quæ ad ciuitates ornādas potius, quàm ad cultum extructæ eſſe videntur, cùm toto penè anno plerunq; ſint clauſæ) certiorem veritatis fidem efficiunt. Et erat ſanè eodē hoc Principe auguſtior, ac numeroſior Moſcua, ſed anno præſentis ſeculi ſeptuageſimo à Tartaris cōcremata, incolis plerisq; incēdio abſūptis, res omnis in anguſtiores terminos adducta eſt Extant veſtigia maioris circuitus; vt qui octo, vel nouem fortaſſe fuiſſet, iā vix quinque millia paſſuum impleat: cùm & boues, & vaccæ, cæteraq́ue id genus animalia, quæ quotidie ducuntur ad paſcua, in domibus ciuium habeantur, quarum pleræque ſepibus, & viminibus circumſeptæ, faciem noſtrarum ruſticanarū referunt. Sed in ipſis duabus Moſcuæ arcibus, quarum altera alteri hæret, ſpendidius quiddam eſt. Alteram enim inſigniora aliqua templa, ex latere cōfecta (cùm reliqua templa ciuitatis lignea ſint) Palatiumq́; Principis: alterā verò nouæ officinę, quę ſuas plateas, ſuis quibusq; opificijs diſtinctas habent, vtcunque exornant. At cùm eædem officinæ exiguæ ſint, vniusq́ue Venetę officinæ plus mercium appareat, quàm in Moſcuę integra platea ſeruetur: neque verò easdem ferè incolant, quippe qui domicilia in ciuitatę habent, rem quanti ſit, non obſcurè indicant. Smolēcium autem, Nouogardiam, & Pleſcouiam eodem populi numero cenſeri putauerim: vt certè ſummū viginti hominū millia earum ſingula (cùm bellū nō eſt) habeat. Ac quidquid amplius præ ſe ferūt, frequentiores tamen eſſe haud puto; easdem nempe ob cauſſas, quas dixi, & ob ædium ac domorum ingētia ſpacia: ſed Legatis aduenientibus ruſtici, qui in pagis, agrisq́ue habitant, Principis iuſſu accurrentes, (vti ſuprà expoſitum eſt) frequentiam oſtendūt. Iam verò multò minor Tueriæ populus eſt, quæ procul maximę et inſignis ciuitatis ſpeciem præbet. Verùm mænibus cincta nō eſt, licèt nō exiguum domorum numerum circumquaque habeat, vt quæ belli dāna, excurſionesué hoſtiū minimè ſenſerit. Quæ res fecit, vt & Vologda, & Caſanum, ac præcipuè tractus ille, qui magis ad Septentrionem vergit, hominibus abundet. Sed & quicquid huius eſt rei, ac quantumcunque terrarum Moſcus à Lituaniæ, ac Liuonię finibus vſque ad mare Caſpiū, vel ad Lappos, vel ad Ceremiſſas, cęterasq́ue potius vaſtitates, quā populos, obtinet gratis ſanè dictum eſt, inde ducenta, trecentaué equitū millia in aciem educi; aut Tartarorum quoq; infinitam eſſe multitudinem, quam, cùm Moſcus velit in expeditiones emittere poſſit.

MOSCI MVNITIONES, ET RAtio earum defendendarum, cùm oppugnantur.

IAM quæ ſunt apud Moſcos hoc tēpore arces, atque præſidia, ab ijs, quæ ſuperioribus temporibus fuerant, ſatis differūt, neque eadem omnes ratione ſunt communitę. Aliæ ex ſaxis, & lateribus, quales duæ ſunt, quæ ciuitati Moſcuę hærent, vna Nouogardia, Pleſcouiaq́; ipſa, ac Porcouia, Stariciaq́; Alexandri Sloboda, pars Iaroslauię, quęq; in Albo lacu eſt ſita, & quæ ſunt eiuſmodi reliquæ. Aliæ aggeribus vimine cōtextis, & ad duritiem preſſis: quale Smolencium eſt, ipſiusq́ue Moſcuæ mœnium ambitus, poſt Tartaricum incendium excitatus. Reliquæ trabibus in quadrum connexis, media humo, vel arena, impreſsionem, diuerberationemq́; ſuſtinent, ignem non ferunt, aduerſus quem tamē interdum lutum oblinunt. At in vniuerſum, neque prominētia propugnacula, quęuè ſibi reſpondeant (qualia hoc, ſiue itē ſuperiꝰ ſeculum docuit) nec ratio illa eſt apud eos architecturę, quæ apud nos viget. Arces autem Moſcuę duas Principis huius parens Baſilius ædificari iuſsit, Mediolanenſe architecto, Italis operarijs. Extat eius rei memoria Latinis literis ſupra arcis portam, ſub imagine pia Beatiſsimæ Virginis. Cęterùm mœnia ipſa alta, turresq́ue circumquaque diſpoſitæ, Regium opus oſtentant. Idem Nouogardię cernitur: ſed in ipſa arce, præter ſacram ipſam ædem, prope quam Archiepiſcopus cum ſuis commoratur, vix vllæ ſunt domus aliæ: cumq́ue penè in orbem eſſet antiquitus extructa, eam ſuperiore anno Romanus alter Architectus aggere cinxit, ac propinquum monaſterium intra nouam munitionem incluſit; ſuis locis ex eodem aggere propugnaculis collocatis, quæ hoſtibus ab aſſultu arcendis, tormenta maiora ſuſtineant. Ad Pleſcouiam verò ipſam primò mœnia ex lapide, quem fluminis alueus ſuppeditat, turresq́; mox alter murus ductus per mediam ciuitatem, quæ formam oblongi trianguli penè habet; triaq́; apud eum murum ſuccedentia Caſtella, extraordinariam munitionis rationē oſtendūt. Et ea res obſeſsis firmitatem (quo tempore in Regijs caſtris hęc obſeruabamus) obſidētibus autē curas & ſolicitudines afferebat. Nam vt pinnas quidam tantùm decuſſerant, neque ex fundamentis extantem in ſolo murum malleis, aut ligonibus ſatis exemerant, vt concidere poſſet: ita ijs, cùm alta mœnia ſtrenuè conſcendiſſent, reſtabat deſcenſus, ex quo ictibus depellebantur à Moſcis; ac ſi deſilire tentaſſent, mœnibus Ciuitatis ab exercitu reliquo ſecer-

nebantur, vt omninò interijſſent. Sed & irruptio quantumuis primò ſucceſſiſſet, iam intra domos illas ligneas, quarū ciuitas referta eſt, ita cōcludebantur, vt igne ſuppoſito cōburendi fuiſſent, ſi deſcēdiſſent; Moſci verò in murata Caſtella ſeſe tutò recepiſſent. Acceſſit Præfecti Ciuitatis cura, qui intra muratas turres, alias quoq; ligneas circūquaq; excitârat, ferendis maioribus tormētis idoneas, ex quibus aſſidua fiebat exploſio. Quo ipſo modo Polocię magnā turrim ex ipſis trabibus Moſci cōſtruxerāt, ex qua circūquaq; ad caſtra, alioúe collimātes, vix liberā alicui facultatem appropinquandi prębebant. Intereà tamē globis Regiorum ſæpe plùs perforata eſt, quàm vt quicquam inclinationis oſtēderit: licèt deniq; arx Stephani Regis Virtute, regiorumq́; conatu, & fortitudine expugnata ſit. Porcouia verò præter turrim eam, ſub qua præſidij vnica porta eſt, ſcalis vndequaq; cōſcendi poteſt, nullo altero propugnaculo hoſtes, ſi qui acceſſerint, lædente, nî ex mœnibus cominus pugnetur, vel eminus iacula, globiúe intorqueantur. Par penè aliarū arcium eſt ratio. Sed Smolencij aggeres, quos ab vna parte alluit Boriſtenes fluuius, triplex eiuſdem rationis munitio, editioreq́ue in loco ſupra montem arx, vnà cum templo, faceſſerent negotium oppugnantibus. Et verò agger ipſe circumquaq; minimis ſpacijs foraminibus eſt repletus, vt minoribus tormentis arceri poſſint, ſi qui tentauerint irruptionem. Is ergo modus eſt munitionū. At præſidiarij, quantò minùs iuſto in prælio, campoúe Polonis obſiſtunt, tanto magis arces, ciuitatesq́ue defendunt: & fæminę ipſę munia militum ſic ſæpe induūt, vt vel aquæ aduersùs iniectum ignem afferendæ, vel congeſtis è muro lapidum molibus prouoluendis, aut ſudibus, qui de manibus ad eam rem dependent, impellendis, magno ſuis vſui ſint, hoſtibus pernicięi. Porrò ſi quis è præſidiarijs hoſtili impetu, aut diſploſione in aerem fruſtillatim euolat, alter ſuccedere, cui alius identidem, ac denique nemo parcere operæ, vitęq́ue. Ad frigus durati, ſæpe aduerſus illud, imbresq́ue ac niues, & ventos alio ſuffugio nō vtuntur, quàm aliquo ramorum nexu, vel penula defixis palis impoſita. Inediæ quoque patientiſſimi, aqua, farinæ auenæ commixta, acetum penè ſapiente, pro potu, pane pro cibo contenti ſunt. Et retulit mihi Poloniæ Rex, in arcibus Liuonicis fuiſſe repertos, qui ita ſe aliquamdiu aluiſſent, vt cùm iam penè omnes occumberēt, reliqui ſuperſtites, animam licèt agentes, hærerent adhuc anxij, num ſeſe obſidentibus dederent: ne videlicet fidam ſuo Principi operam vſque ad mortem negarēt. Hæc illa res eſt, qua vna tātum poſſunt, quoniā ſimul in idem incumbunt, vt fortiores interim pluribus euadant, aut certè aliquando hoſtes patientia, diligētiaq́; fatigent. Sed hæc alibi alij.

VIRES ALIAE MOSCI.

CVM in vnum ipſum Principem omnia cōgerātur, ciuitates, oppida, pagi, domus, agri, prędia, ſyluæ, lacꝰ, flumina, honor ac dignitas, nihil in tā vaſto terrarū tractu non maximum videri poteſt earū virium, & opum, quibus polleat: quæ & maiores ęſtimari poterant tum, cùm quies ab armis cōmercia reddebat liberiora, Liuoniaq́ue florebat, & ipſa Balthici maris nauigatio erat frequentior. At verò iſtis ſublatis, vel imminutis, eadem quoque imminui neceſſe fuit, quamuis nec ſpecies Maieſtatis deminuta ſit, & theſauros habere Princeps ingentes exiſtimetur: ad quos quicquid facti, infectiué auri in Moſcouiam importatur, id omne, quantum poteſt, colligit, nec penè vnquam efferri permittit. Argentum etiam vix vnquam inde exportatur, niſi cùm captiui redimuntur, aut miles externus ſcribitur; quod tamen rarò fit. Pellium autem, & coriorum permutatione Moſci pro pecunia ſæpe vtuntur: cibumq́ue ipſum, ſi quo proficiſcuntur, ſecum plerumq; deferūt. Sed & Taleros (Germanicam pecuniam) in Dengas & Moſcouiticas, quibus nominibus monetam ſuam vocant, immutant: minùs iam illas, quàm anteà, probo argento, cùm licentius, priſtina reiecta cura, eius ſignādi aurificibus quibuſcunque poteſtas ſit. Si qua verò aurea dona, vel argētea aliunde Legati redeuntes afferunt, ea omnia ijs vel data argenteæ pecuniæ ſumma aliqua, vel ne data quidem, in Theſauros ſuos infert. Et dubitandum non eſt, cū eius parens ex Liuonicis ciuitatibus, atque ædibus ſacris, quicquid potuit opum, auri, vaſorum aureorum, & argenteorum, Calicum, & aliarum eiuſmodi rerū, corraſerit, onuſtiſſimisq́ue curribus aſportârit, ingentem vim earum rerum aceruaſſe, quod poſt Tartaricam illam excurſionem, ac Moſcuæ ipſius exuſtionem, tribus in arcibus partitus eſt, Moſcuæ, Iaroslauię, & in Albo lacu. Iam Ciuitatum, aut Prouinciarum Reguli nulli ſunt, quos Duces apud nos vocare mos eſt: eo tamen nomine, ad exiſtimationem ſibi, ſeu potius Principi conciliandam, ſiue ad Præfecturas vtuntur: verùm res ipſa deeſt. E Tartaris quidam, qui fidem Principi huic in expugnādis Caſanenſibus, ad Rutenum ritum, & Schiſma accedens, prę́ſtitit, cùm etiam partem quandam ſuę ditionis reliquiſſet, Columnam oppidum, & alia nonnulla accepit: ſed penè merum imperium manet a-

pud Moscum,præter aliquos reditus ei attributos,ac demendos,vbi libuerit. Pagos & agros, si cui addicit, ij ad posteros non perueniunt,nî confirmentur à Principe:cui tamen rustici ex fructibus inde tributum & operas pendunt, vti & Domino faciunt: reliquum, quantulumcunque est, victui suo reseruant,aut eximunt. Ea re fit, vt nemo verè dicere possit sibi quicquam esse proprij:&(velit,nolit) quisq; ab nutu Principis pendeat. Si cui plura sunt, tanto magis se deuinctum agnoscit: opulentior autem factus,tanto sibi metuit magis; quippe ad Principem sæpe omnia recidunt. Inde quoque existit siue commodum, siue cautio, nullus vt audeat hiscere;transferendis autem familijs, vel hominibus ad varia præsidia potiùs relegandis, quàm mittendis, præcidantur coniurationum viæ. Licet si quid eiusmodi præsenserit, nex in tales homines,filios,filias,rusticos quantumuis innoxios,haud semel patrata sit. Et retulit mihi ex eius aulicis vir nobilis,cum Villas quasdã obtinuisset,ne domos quidẽ ligneas tegere,aut reficere per aliquot iã annos sibi licuisse:rustici.n. ad quos id pertinebat, oneribꝰ à Principe pressi,nec respirãdi facultatem habuerant. Sunt verò quadraginta Germanæ familię earum, quę ex Liuonia abductæ fuerant, quæ Moscuę ad opificia iussu Principis olim substitêre: reliquæ permultę Casanum,& aliò amandatę sunt. Ex his igitur pecunia quotannis exigitur. Qui sanè, vexatione dãte intellectũ, honorificẽtissimè Pontificem Maximum iã appellabãt,nihilq; mihi non obsequij summi exhibebãt:recordati, quid Apostolicę sedi Liuonia olim tribuerit:& quanta pace frueretur,quibusúe nominibus,tanquã Christianæ Reipub.propugnaculum,ipsamet Prouincia vocata sit,cũ Catholicos & legitimos suos agnosceret Principes,ac pręcipuè cùm à Pontifice Maximo penderet. Qua paterna potestate excussa, mox ab ordinis Teutonici equitibus,cùm hi aduersus Ecclesiasticum ordinem insolescerent, tantùm non discerpti,deinde aliunde frustra petito auxilio, tandem sub hæreticorum iugum adacti,iam miserrimè in Moscouia viuebant;si ea vita vocanda sit,quę hęretica est. Ad ipsas syluas,lacus,& fluuios quod attinet,quæcunque inde preciosiores pelles,& pisces, quorum copia permagna est, percipiuntur,earum omnium rerum Princeps potissimam habet partem. Pelles ad dona, & venditionem; pisces siccati ad pręsidia, cibumque asseruantur. Quęcunque ad Principem spectantia ex his distrahuntur,alijs præferuntur; nec quisquam sua potest diuendere,antequã ea, quę sunt Principis vendita sint. Scribæ,siue Amanuenses(corrupta è gręca voce Diacos,quà si diaconos,& ministros vocant) designati, non tantùm in palatio Principis summa diligentia rationes, & acceptum scribunt: verùm etiam per singulas Prouincias accuratè omnia exigunt, & ad Quæstorem imperij referunt. Vectigalia non sunt maxima. Nã Legatis mercatores,quoscunq; volunt,secum licet adducere,qui eo nomine, nec aliquid pendũt,& aluntur à Principe. Astracani olim frequentius conueniebant ex Maris Caspij ora, Persideque: at Tartaris magna ex parte eiectis, belloque isto Persico diuturniore, infrequens factum est emporium illud. Auri & argenti fodinas esse non audiui,ferri sunt;quod quidẽ homines,nõ adeò industrij ægrè ad vsum aptant. Honor autem Principi tantus ab omnibꝰ defertur, quantus vix cogitatione intelligi potest. Ab ipso,si non credunt, certè ita crebrò fatentur,se vitam,salutem, omniaque habere,vt & gratiæ Dei, & clementiæ Magni Czarij, seu Regis, vel Imperatoris (sic enim Principem vocant)cunćta tribuere putẽtur:& verberati,ac propemodum morientes, id loco beneficij sese interdum dicant accipere. Gens ad seruitutem nata potiùs videretur esse,quàm facta,nisi plærique captiuitatem illam agnoscerent,filiosque,& quicquid aliud habent,illico necatum,perditumúe iri scirẽt, si aliò emigrarent. A pueris quidẽ eidem viuendi modo assueti,quasi naturam induerunt,vt ea omnia sui Principis maximè extollant,seseque viuere,& rectè valere,si viuat, & rectè valeat Princeps, asserant: deque alijs quantacunque vident,hęc non magni æstiment:licèt qui rectius sapiunt, si absit,quem timeant delaturum,& externas regiones obierint,haud difficillimè aliorum potentiam, & vires dignoscant. Ac cùm reliqui ex ora Pomeraniæ,Hollandia, & Anglia, per mare Balthicum in Moscouiam, ad ceras,coria,pelles vendendas,transmittere solent,tum superiore Septentrionali Oceano(quem alij glacialem illi mare siue Asperum,siue Aspidum vocant)singulis annis ad Diui Nicolai portũ, aliquot Hollandicæ,atque Anglicæ naues cupro,mercibusque alijs onustę appellunt in ipsam pene diem Diuo Petro sacram. Inde centum penè Germanica milliaria Volochdam,quod est nõ incelebre Moscouiæ emporium, merces aduehuntur.

CONSILIARII MOSCI.

DVODECIM Principi Senatores adsunt qui de caussis iudicãt,& quę maioris momẽti sunt,ad eũ referunt. Ad eos autẽ, & alia,& libelli supplices (quandoquidem Principi nõ porriguntur)deferũtur. Loco

ac ma-

ac magistratu,pro eius arbitrio,mouentur. Eorũ,cùm essem in Moscouia, nomina hęc erant: Ioannes Theodori filius (vocant ipsi Theodorovvicz) duoq; eius filij, Theodorus & Simeon: Deinde Michitta Romani, cuius soror Anastasia Principi quondã nupserat (de qua altero meo Commentario ad V. B. scripsi) Andreas Solcanouius Cancellarius, Basilius eius frater, Bogdan (id est Deus dedit, vel à Deo datus) Iacovv leuicz, Bilscius (qui gratiosissimus tredecim integros annos apud Principem fuerat atque in eius cubiculo dormiebat) Nieueia Bogdan frater: Basilius Iuanouicz Zugin, quem parens natione Moscus, cùm in Lituaniam aufugisset, genuerat. Sed ille grandior factus, in Moscouiam posteà trãs fugit. Hic penè omnium vnus Latinè nonnihil nouerat, sicut Polonicè Andreas Solcanouius, Ignatius Tatischovv, Abain Voiecovv, Michael Andreievvicz Begin. Quæstori autem ærarij, siue Thesaurario,qui non censetur inter Senatores, nomen erat Petrus Iuanovvicz Glouin. Porrò Cancellario erat curæ dispositio nobiliũ in arcibus, quibus agri, vel prædia, quæ attribuuntur à Principe, victum suppeditant: ac proinde vix vllum datur stipendium, aut post multos annos ab eo munere vacatio. Reliqua Præfecti arcium, & ciuitatum sic administrant, vt sciant, cuinam Senatorum epistolas ad Principem mittant:quibus eius nomine respondetur, licèt nunquam ipse Chirographo siue ad eos, siue ad Principes alios, suis literis subscribat.

MOSCI MAGNI DVCIS MOSCOVIÆ FILIJ.

IOANNES Basilij magnus Moscouię Dux ex Anastasia, quã primò duxerat vxorẽ, duos filios susceperat, Ioannem & Theodorum. Hi prima profectione nostra superstites erant: Secunda, primogenitus Ioannes decesserat,annos natus viginti, ad regendũ iam aptus,& qui à Moscis diligebatur. Alios quoque alijs è mulieribus eum filios genuisse,sed posteà mortuos ferunt. At de Ioannis morte (quod ea res memoratu digna sit,nec mediocre habuerit momẽtum ad Principem flectendum, vt multa, quæ cum eo agebamus, mitius,quàm fortasse fecisset,audiret) operæprecium fuerit nosse. Interfectum igitur fuisse Ioannem filiũ à Magno Moscouię Duce in arce ea,quę Sloboda Alexandri dicitur, certiore indicio proditum est. Eius mortis fuisse caussam, qui veritatem scrutati sunt (nam & tum erat apud eum alter ex interpretibus meis,quẽ ad ipsum allegaueram) hanc veriorẽ retulere. Honestæ quęq;, nec pauperes mulieres tribus vestibus indui solẽt, pro ratione temporũ,aut grauibus aut leuibus, si vna tantùm induãtur, haud bene audiũt. Tertia igitur Ioãnis filij vxor simplici veste induta,quoniã vterũ gerebat, neq; ad se quemq̃ aditurũ putabat, fortè sup scãno decumbens, inuisitur à Magno Duce Moscouiæ,cui statim assurgens,nihil tamẽ animũ illius emolliuit, sed accepta alapa, deindè baculo,quem ille gestabat, ita percussa est, vt insequenti noćte pueri abortum faceret. Accurrit interim ad Patrem Ioannes filius, eumque dum reprimit, ne vxorem verberet,in se iram & verbera Patris conuertit. Itaq; eodem baculo in capite propè tempora grauissimè vulneratus est. Et filius anteà aduersus Patrem incensus,multa illi exprobrauerat in hæc verba: Tu mihi primã vxorem nullam ob causam in monasterium intrusisti: de secunda idipsum fecisti; ecce iam tertiam percutis, vt filius, quem in vtero gerit, pereat. Vulnerato itaq; filio,tardius indolens Pater, medicisque, & Andrea Solcanouio, & Michitta Romani Moscua confestim accitis, nequicquam remedia curata sunt. Post quinque dies mortuus, vniuerso omnium mœrore elatus est Moscuam, sequente funus patre, atque (vbi ciuitati appropinquauit) etiam pedibus iter faciente: digitorum interim apicibus loculum portãtibus proceribus, pullatis omnibus. Quas vestes, ad squalorem compositi, adhuc ijdem in nostro reditu retinebant, promissam comam (id quod signum mœroris est) defluere sinentes, neq; pileolũ nobilitatis insigne ferentes. Qua in re miram Dei prouidentiæ, & iustitiæ charitatem agnouimus, quòd cùm priore ad eũ Principem aduentu nobis illuderent, quod nigris vestibus induti, & tanquam pannosi incederemus, (is enim color ijs est, aut insolens, aut lugubris) tum ipsi ob demortui Ioannis luctum, eodem vti cogerentur, nihilque iam hac de re mutire audirent. Cæterum cùm Princeps aduocato Senatu, suis peccatis factũ esse dixisset, vt Ioannes moreretur: cumque alia quædam essent, ex quibus dubitare videbatur, si ad Theodorum minorem natu filium peruenisset imperium, id minus esset stabile: consiliarios est hortatus, vt cogitarent, quinam ex Regni nobilioribus in Principis locum esset sufficiendus. Cui illi, nullum se alium velle, quàm qui supererat, Theodorum, quod eum sibi sat esse dicerent, qui Principis esset filius. Porrò, & molestiam illam hortati sunt, vt ex animo abstergeret: & qui sese monachi vitam suscepturum insinuasset, is vt id consilij saltem ad tempus Moscouiæ, rebus rectius constitutis, seruaret. Et boiarij autem id ab eo dici de sufficien-

 doal-

do altero,opinati ſunt,vt pertentatis ani-
mis, ſi quem in alterum ſpectaſſe anim-
aduertiſſet,& ille, & qui ei animo adhæ-
rerent,de medio tollerentur. Ac tamen
cùm Princeps ex mærore(ſiue diris actus)
ſingulis noctibus de lecto ſurgeret,atq; ad
cubiculi muros manibus reptans, magnis
ſuſpirijs editis, vix à Cubicularijs in le-
ctiſternio humi deponeretur (ſic enim po-
ſteà, recepto ſpiritu,mentis iterum com-
pos quieſcebat)propterea nõ deſtitêre qui-
dam varia agitare animo conſilia,quinam
denique,ſi quid de Theodoro eueniret,ſuf
ficeretur.Nam neque alius ex ipſius ſtirpe
erat & ante 30. annos Magiſter Stabuli va-
cabat, ad quem(tanquam Comeſtabilem)
ea poteſtas deferenda fuiſſet. At Princeps
poſt Ioannis interitum, in lachrymas ſo-
lutus, atque in ſqualorem omnem compo
ſitus,ne legatis quidem ijs, qui mecum ad
V.Beatitudinem veniebant,alias,quam ni
gras veſtes(licèt ex holoſerico)tradi iuſſit.
Per vniuerſum eius imperium (ſed præ-
ſertim in aula)eadem facies,cultusq́; lugu-
bris,ſepoſitum diadema,& ſi quis alius co-
ruſcabat ornatus,quanquam vix aulæis v-
tatur.Pro ſalute animæ filij ad omnia mo-
naſteria multam pecuniam miſit. Idem
cum Acomato, Turcico ſiue Legato,ſiue
Procuratore,qui triennium in Moſcouia
hæſerat,quòd Regio Poloniæ exercitu diſ
currente,itinera ad reditum haud tuta e-
rant,duos Moſcos ad Patriarchas,monaſte-
riaq́ue Orientis miſit, denis Rublonum
millibus(Rublo,paulo plus duobus Coro-
natis cenſetur)ad eleemoſinam, filijq́; de-
mortui refrigerium procurandum datis.
Nam & ſingulo triennio in Orientem ad
eoſdem pecuniã mittit,quòd ab ijs auitam,
quã vtcunq; habent, fidei Græcæ noticiam
Rutheni hauſerint,licèt in multis iam dif-
ferant.

RATIO LEGATOS IN MOSCOuia excipiendi, & cum ijs agendi.

ET vera ſunt,& antiquũ obtinent,quæ
ſcripſit Herbeſtan' de ratiõe,qua Moſc'
externorum Principum Legatos excipit.
Nobis tamen prçter illa,in arcem Smolecẽ
ſem,& Nouogardiẽſem patuit aditus,ſum-
mo honore,tormentorumq́; exploſione in
gentium: quod non ita ſemper cum alijs,
qui ad ſuum Principem mitterentur,ſolitũ
fuiſſe fieri dicebãt. Iuſſum eſt item primũ
Epiſcopo Smolecenſi, deinde Archiepiſco
po Nouogardienſi,vt quãdiu Smolencij,&
Nouogardiæ hæreremus, lautia nobis prç
berent inſtructiſſima, pro more gentis.
Iique ipſi (mandante Principe, vt pluri-
mis facibus, & reliquo apparatu exor-
natis templis ſacrum facerent) rogârunt,
vt intereſſe vellemus. Quin & idem Prin-
ceps,quinis hominum millibus in platea
patenti conueniẽtibus,vt ſplendidiore ma
ieſtate rem illuſtraret,Moſcuæ,ſuo è pala-
tio cum Senatoribus,& Proceribus, (præ-
euntibus ſacerdotibus,prælataq́ue B.Vir-
ginis imagine) deſcendit, vt nos in tem-
plum adduceret:in quo locum parari ho-
norificum iuſſit,vnde ſacrum,ceremonias-
q́ue illas conſpiceremus. At neq; Epiſcopo
rum(ſi Epiſcopi dicendi ſunt)ſacris intereſ
ſe,neq; in templum cum Moſco vlla ratio-
ne ingredi voluimus: licèt,quoniam id li-
berè coram eo Principe,ac tanta multitudi
ne recuſabamus,nemo nõ exiſtimaret actũ
eſſe de nobis: plures autem de tanta illa o-
pinione, quam de ſua religione concepe-
rant,hæſitare inciperent. Rationes,quas ei
tum publicè attulimus, cauſaſq́ue altero
ſcripto expoſuimus,quarũ potiſſima fuit,
ne miſſus à V.B. viderer illa approbare,&
Epiſcopos,ab ſede Apoſtolica non confir-
matos,honore ac reuerentia proſequi,quo-
rum manus & Princeps ac quilibet alius,ca
pite verſus humum demiſſo,ſolent deoſ-
culari. Et verò præter Metropolitam,ſex
alios euocauerat Epiſcopos,tum ad eam rẽ,
tum vt mecum de religione agerent. Qui
tamen, vbi ſcripta noſtra acceperunt,
quæ Princeps de diſcrimine inter Catholi-
cam fidem, & Ruthenica dogmata de me
publicè quæſiuerat, obmutuerunt, vnus-
q́ue ex ijs Archiepiſcopus Roſtouienſis, v-
bi omnia probaſſet,in exiliũ actus,& digni
tate motus,vitam amiſiſſe putatur,felicior
alijs,qui ſuperfuêre. Cçterum tribus inſtru
ctiſſimis conuiuijs, quibus me vnà cum
omnibus noſtris, priore ac poſteriore lega-
tione Princeps excepit, nihil ad Regium
ſplendorem defuit: cùm præter cibos &
ſumptus, quos à Priſtauis (ij ſunt nobiles,
qui adiunguntur Legatis,atque eo nomi-
ne quaſi adiũcti vocãtur) ſuppeditari edix
erat, de ſua ipſa menſa quotidie cibos ad
nos mitteret. Euocato ad negocia & cum
eo,& cum Senatoribus tractanda,pridie ei-
us diei ternos,ac inſequenti mane totidem
alios præmittebat, nunciantes nos paulo
poſt ſerenos oculos magni Imperatoris vi-
ſuros:itaque præſto eſſemus. Poſt horam,
ecce Priſtaui nos monebant,adeſſe Proce-
res, & aliquos Principis Conſiliarios, qui
penè propè hoſpitium,cum centum circi-
ter equitibus obuiam veniebant, vt nos
adducerent. Ex ijs tres primi ex equis por-
recta manu,me nomine Principis conſalu-
tabant,inviamq́ue nos dabamus,Prætoria-
nis pyxidarijs mille circiter & quingẽtis v-
trinq; per ſpacium ferme paſſuum mille
ſtantib',atq; diſpoſitis. Vbi in arcis interio-

ra hominib' referta,qui veſtibus & machç-
ris pretioſis erant ornati,veniſſem,vt ex e-
quo deſcenderem admonitus, & ab alijs Se
natoribus ad imos ſcalarũ gradus exceptus,
atque in conſpectum Principis ſum addu-
ctus.Is ſedere primùm iuſſo,vel agebat me
cum ipſe,vel vt in conclaue me conferrem,
vbi cum Senatoribus agerem, indicabat.
Sic plures interdum horas commoraba-
mur,deq́; omnibus diligentiſſimè, ac ſæ-
pè ad ſummam laſsitudinem,ij ſuis ego no
ſtris interpretibus adhibitis,tractabamus.
Si quid noui proponebam(id quod è re na
ta crebrò fiebat)ij dẽ illicò omnes ad Prin-
cipem ibant,exquiſituri reſponſum:quod
quidem accuratè afferebãt,nihil de ſuo pro
mere auſi. Nec verbis facilè aſſequar,quàm
aptè,ac inprimis repetitis ad verbum,quæ
cunque propoſueram,mihi identidem,eo-
dem ſemper cum honore,equitibusq́ue,ac
Senatoribus obuiam venientibus accerſi-
to,cùm me in conſpectum Principis dediſ-
ſem,Senatores eius mentem ex ſcripto,par
tita inter ſeſe longarum ſchedarum recita-
tione,perlegerent,ac denique traderent.
Itaq; duorum menſium quibus continen-
ter erat cum eo Principe agendum, & quin
que aliorũ ſpacio,quib' vltro citroq́; cõme
ans,& cum Rege Poloniç,Regijsq́;,ac Mo-
ſci Principis Legatis(qui omnes erant ſep-
tem) agens,nihil vidi ea in re vigilantius,
dum quicquid antiquitus ex Lituanicis,
Polonicis,Liuonicis,& Moſcicis rebus col
legerant,quibus ſua tuerentur,fidenter ex
Archiuijs ederent:ex quibus poſtea non mi
nimam lucem hauſi ad ſtatum illarum om
nium rerum pernoſcendum,atque tractan
dum. Quæ quoniam ex literis & actis, quæ
ad V.Beatitudinem miſi,liquidius intel-
ligi poterunt,idcirco hæc fuerint hic ſatis.
Iam quod equites, & Equos ac commea-
tum,præmiſſa fide publica per tabellarios,
vſque ad imperij ſui fines, vbi tentoria
fixeramus, nobis celerrimè miſerit, cùm
primùm ad eum perlatum eſſet,eò nos per
ueniſſe:quòd ſexaginta è ſuis qin hoſpitijs
nobis ad omnia præſto eſſent, attribue-
rit,quibus ſtipati,exire domo, aut aliquẽ
emittere abſq; magna neceſſitate prohibe-
bamur: quod equos præmiſerit ornatos,
quos & dono Legatis tradere ſolet, & vt
conſcenderemus oportebat: quòd turmas
item, modo Tartarorum, modo Moſco-
rum,comitatui noſtro addiderit, quibus
vel ad Regis caſtra proficiſci,quæ ſexcentis
ab eo paſſuum millibus aberãt, vel ex eius
ditione exire tutius liceret: vera quoque
ſunt: & quoniam ea alibi attigimus, fu-
ſius hic quoque recenſenda non cenſui. Id
incommodè non ſemel accidit, quod me-
dicis ad nos morbo tentatos non permitte-
batur ob ſuſpitionem venire. Reliqueram
autem (vt ſupra dixi) duos apud Moſcum,
qui dũ ipſe redirem ad Regem, res noſce-
rent:ac ſi quid pietatis inſinuare poſſent in
eam gentem,id facere conarentur. Promiſe
ratq́ue mihi Princeps coram centum nobi-
libus,noſtros à ſe eo loco habitum iri,quo
me,ſi remanſiſſem,habuiſſet. Sed neque ex
eundi vnquam data ijs facultas eſt, niſi ſe-
mel,aut iterum:& Moſcuam Staricia miſ-
ſi,ſatis anguſto cubiculo detenti fuerunt:
in eodem enim coacti erant habere altare
ad celebrandum, menſam ad ſcribendum,
& legendum, ac locum ad ſomnum capien
dum. Aderant portæ perpetui cuſtodes,
boiarij tres totidem ruſtici, quorum no-
mina erant, Sunebul, Chuſara, Rudear,
Chuſara, Miroslau, & Ruroiedau. Qua-
tuor ibi menſes cum dimidio demorati,ac
de promiſſo Principis haud præſtito con-
queſti,reſponſum ab homine cordato acce
perunt:Principem aliud externis polliceri,
aliud Priſtauis iniũgere:quippe qui ore ali-
ud loquatur,aliud corde cogitet:pluresq́ue
eſſe,quibus fidem veniẽdi,redeundiq́; pub
licam dediſſet, qui ſi reuertendi veniam
peterent, dictum ac factum morte multa-
retur. Quòd ſi qui iureiurando confirmẽt,
ſeſe ad mortem vſque in Moſcouia com-
moraturos,nec his tamen alios conuenien-
di,aut occurrentes alloquendi vllam pote-
ſtatem dari:et capite plecti,ſi quis id faciat
quiué in ſuſpitionẽ minimã ea de re vene-
rit, Ruthenus is fuerit,aut alius. Plçriq; op-
târunt ad noſtros accedere, ſed eaſdem ob
cauſſas auſi non ſunt. Inter quos Medicus
quidem erat,qui cùm ſummoperè expete-
ret Sacramento confeſſionis expiari,& ſan-
ctiſſima Euchariſtia refici,veniamq́ue ad-
eundi poſtularet,non ſolùm id conſequi
non potuit,verum etiam in hæc verba mi-
nas reportauit: Cur qui externus ſis,eius
gentis homines audes inuiſere? Itaque nĩ ve
lis interfici,caue ſis,ne ampliùs iſta propo-
nas. Erant autem è Moſcis,qui captiuita-
tem illam ingemiſcerent,dicerentq́ue,quã
diu Princeps aliam rationem viuẽdi haud
inierit,ſperandum non eſſe,vt aliquid pie-
tatis, & veritatis promoueatur. Noſtris
cùm ego è Regijs caſtris, aut aliunde li-
teras mitterem,ſigno carentes, & faſcicu-
lo Principis, ne quid ſuſpicaretur, iun-
ctas, licèt nihil continerent, niſi quod ad
noſtrum inſtitutum ſpectaret: eas tamen
aut reddi nolebat,aut aliquas è Latino Ru
thenas fieri iubebat,ne (opinor) lateret ali-
quid: ſuſpitione, videlicet, nimis perſpica-
ci, & trepidante, vbi non erat timor. Ad ex
tremũ Moſcua verſus Liuoniam diſceſſuris
poſt publicum conuiuium, data mihi, &
omnibus noſtris manu, aſſurgens iuſſit,

vt V. Sanctitatem, Regemque Poloniæ ſalutarem. Domum autem reducto, & literas, ac dona miſit, quæ deniq; partim Germanicis ſtudioſis Olomucij, & Pragæ, atque alibi addicta ſunt, partim ipſis interdũ Moſcis deducendis vſui fuere. Ea cùm ſecundò recuſauiſſem, atque eſſem à Senatoribus admonitus, non debere me antiquũ Imperij illius morem inuertere, aut Principis clementiam lædere, cùm ipſe & V. Beatitudinis munera non reieciſſet, & à ſuis quos iſthuc miſerat, atque miſſurus erat, alia ſinebat capi (ſecutus conſilium iſthic antea mihi datum) gratijs actis, & diſtributa à me pluribus aulicis pecunia, accepi: ſed vt ea occaſione aliquid altius, & verius de inſtituti noſtri ratiõe cognoſceret, hęc, quę ſequuntur per Senatores illi ſignificaui his verbis.

PATERE, Clementiſſime Magne Domine, per IESV Chriſti ſanguinem, vt tertiò deniq; te obſecrem, vt quæ mihi dona pro tua magnanimitate parari iuſſiſti, ea ſine animi tui offenſione non accipiam. Scit enim Deus, me ea ob contemptum aliquẽ, aut quòd inde non agnoſcam excelſam Serenitatis tuæ liberalitatem, non aſpernari. Sed meæ ad huius vitæ ſpiritualis ſtatũ vocationi, votoq́; paupertatis, quod ſæpe Deo miſerante emiſi, da per viſcera miſericordiæ Chriſti hoc, quod ſummi beneficij loco ducam. Recordare, te mihi (alios licet ob homines, & in quos tamen iſta, quæ meę vocationis ſunt, non cadebant) paucos ante dies dixiſſe, Optimam eſſe rem, Chriſti Domini humilitatem, & paupertatem imitari. Itaque ſine, vt illam re ipſa ſequar. Pax facta eſt, Deo miſerante, ſine iſtis aut veſtibus, aut pellibus: ſine ijſdem reliqua, quæ cupis, Deo aſpirante, conficientur: nec verò à me vllum fidelis diligentiæ officium deſiderabis. Viaticum, quod Paulo ſocio meo ad Pontificem Max. dediſti, quæúe dona eius Sanctitati miſiſti, fuerint ſatis. Quæ certè nec permiſiſſem accipi, niſi, cùm tanto itineri, & moræ noſtrorum omnium in Caſtris, & in his regionibus, neceſſaria fuiſſent, tum offendere animum tuũ, ac proinde meliora impedire metuiſſemus. Pellibus autem iſtis pretioſis non vtimur nos: tradituri potius (ſi tanto nos munere dignaretur Deus) ipſas noſtras pelles & Vitam, pro fidei Catholicæ propagatione. Propterea nec mercatores vllos (licèt id ſedulò efflagitantes) mecum venire paſſus ſum, ne quid ab eo genere hominum ſcandali, ad id, quod mittebar, aut rixæ cum tuis oriretur. Porrò habeo ſatis, Diuina gratia, quo redire poſſim ad Pontificem Maximum. Quòd ſi pretioſum mihi donum largiri volueris, ſerua erga me iſtam, quã mihi exhibuiſti, clementiam tuam: ac cùm te ouẽ Chriſti gregis profitearis, cogita eius item viſibilis Paſtoris, id eſt, Sũmi Pontificis ductum tibi eſſe ſequendum, cui Chriſtus Dominus gregem ſuum tradidit paſcendum. Cæterum ſcito, aliqua hominum millia eſſe noſtri ordinis, quos hoc ſeculo, cùm nouus terrarum orbis apparuit, variæque hæreſes Europam diuexare cœperunt, in vnum tanquam exercitum, abiectis ſarcinis, & omni cura priuatarum rerum expeditos, Deus euocauit. Dexteras inter nos dedimus omnes ſub IESV nomine, vt eius nomẽ, Eccleſięq́; ſpirituales theſauros in Indias inter gẽtes, inter hęreticos, eosq́ue, qui non integrè cum ipſamet Eccleſia coniuncti ſunt, inferamus. Itaq; & reliquimus omnia; Dignitatesq́ue nullas accipiunt, aut accepere noſtri, niſi ſi quæ ſine reditibus vllis, cum manifeſto autem vitę diſcrimine coniunctæ fuerunt. Ad Patriarchatus enim, & Epiſcopatus quoſdam Indiæ, atq; Aethiopiæ, ante 30. circiter annos, aliqui è noſtris ſic promoti ſunt, vt remotiſſimis in regionibus illis diuturnos labores, vitamq́ue pro Chriſti gloria, nullis omnino terrenis bonis, impenderint. Quamobrem & ab ſancta ſede Apoſtolica quoquò verſum mittimur, atque vt remitti ad te (ſi fuerit opus) poſſimus, permitte, vt cũ iſta neceſſaria non ſint, ne capiamus. His itaq; rationib', etſi haud permotus eſt, vt ſua apud ſe dona retineret, lucem tamen aliquã veritatis hauſit, iactaq́; ſunt ad tantum ædificium, quod in Moſcouia fore ſuo tempore non deſperamus, hæc fundamenta. Is verò regio planè animo, itineris duces, & omnia abundè nobis ſuppeditari iuſſit: ſicq́ue ab eo digreſſi, in Liuoniam per Ruſſiam iter inſtituimus, ad Stephanum Poloniæ Regem.

QVI À MOSCO AD EXTERNOS Principes mittuntur, nec eiusdem generis ſint omnes, & quonam modo mittantur: quidq́; Legatis, cum Antonio Poſſeuino ad Pontificem Max. venientibus à Moſco, in toto itinere acciderit.

TABELLARIIS, Internuncijs, ac Legatis, qui vocantur Magni, vtitur Moſcus ad tractanda cum externis Principibus negocia, ſeu belli ſint, aut pacis, ſiue ad cõmercia pertineant. Tabellarij dicuntur Goniez, qui tantùm literas afferunt: Internuncij, Poslance, qui & minores Legati, præter literas, aliquid in mandatis habent: aliquot item itineris comites ſolent adducere. Magni verò Legati (nam fere tres mittuntur, adhibito Secretario) Velikij Posly vocantur, vltraque Poloniæ Regnũ rariùs hi allegantur, tum quòd magnũ comitatum ijs adhibet, quibus (vti tamẽ fit in Polonia, & Moſcouia) lautia non præbentur: tum quod longum iter extra Poloniæ Regnum emenſuris, non exigua pecuniæ vis eſſet neceſſaria, quam Princeps ad id aut nullam, aut perexiguam tradit. Poloniæ igitur Rex, & Moſcus, quoniam hoc inter ſeſe officij præſtant, centum ac ducentos cum Legatis ſuis mittere ſolent, ad quos mercatores ſeſe aggregant: cùm & ipſi Moſci Legati merces ſecum deuehãt, quas pro eo munere, quo funguntur, non ſatis decenter diuendunt. Quod ſi quid dono dant, id ad maiorem compenſationem, ac remunerationem fit: quę ſi non datur, petitur ab ijs, atque adeò extorquetur. Cùm ergò in Chiuerouam Horcam (is eſt pagus ad Iamum Zapolſcię) Legati Moſci vnà cũ alijs trecentis veniſſent, officinas aperuere, atque inter ipſa negocia compoſitionis, de qua agebamus, per ſuos venditioni, ac permutationi cum Polonis diligenter vacabant. Nouogardia verò, quæ inde plus minùs ducentis paſſuum millibus diſtabat, commeatum, reſq́ue ipſas coctas (frigore cibos conſeruante) ſubinde accipiebãt, vt nihil omnino ſumpt' facerẽt. Quę res mihi, ac reliquis noſtris non incommodabat, quibus Legatorum quiſq;, qui erant à Moſco quatuor, cibum (partitis inter ſeſe dieb') Principe ſuo id mandante, mittebant.

ERAMVS autem ſumma hyeme in altiſſimis niuibus, in quibus fixa tentoria, & perpetuus ignis horridum frigus, vtcunque pellebat: ligneis quibuſdam caſulis, fuligine & fumo repletis, noſtrorum partem tegentibus. Cæterum agros circumquaq; depopulati fuerant Regij: quamobrem vix aliquid pręter panem emendum reperiebatur: & putris aqua, vel nix ad ignem ſoluta ægrè equis potum, aut cibis coquendis humorem ſuppeditabat. Cùm tamen Principis illius Legati, ſi quando ad externos alios Principes veniũt; niſi gratis equos, hoſpitia, cibos, pręcurſores, dona reperiant, illico Magni ſui Domini (ſic enim eum plerunque vocant) ad cœlum vſque clementiam, liberalitatẽ, & vires extollere: alijs verò quantũuis ſublimibus mendicitatem exprobrare ſoleãt. Hoc ego cùm in Seuerigeno, priore ad Beatitudinem V. Internuncio eſſem expertus, cumq́; ex reliquorum cõſuetudine plura eiuſmodi cognouiſſem, velletq́ue Moſcus alteram Legationem in Vrbem inſtituere: ſuaſi, ne plus quàm decem venirent. Ter enim trium milliũ paſſuum iter facturo, cùm primò Orſam, inde in Liuoniam, & Poloniam, ac deinceps per Germaniam in Italiam mihi eſſet proficiſcendum, videbam duriorem fore prouinciam, ſi centum, ducentiúe fuiſſent, quibus aliunde cibus eſſet procurandus: eo periculo, vt niſi gratis omnia ſubminiſtrarentur, perijſſet, quicquid officij, ſtudij, laborum, ſumptuum, erga ipſum Moſcum Sancta Apoſtolica ſedes contuliſſet. Duo autem Principes erant Legatiõis, cum quibus de maximis rebus, ac de Chriſtianorum Principum amicitia, vnà mecum erat agendum. Huic verò Legationi cùm interpres à Principe aſſignaretur, qui Catholica fide repudiata, Ruthenicũ Schiſma ſuſceperat (licet is hoc ad ſui ſecuritatem, & lucrum faceret) eum enixè reiecimus: atque alterum, & quidem Catholicum, ac nobilem Polonum petiuimus, quem et obtinuimus. Magni enim referebat, ſi quis eiuſmodi ex ea legatione ad Principem redijſſet, qui veritatem rerum, ac Catholicorum Principum humanitatem poſſet Moſco referre, ſi quid earum reliqui calumnijs infuſcare tentaſſent. Et à Seuerigeno, ſiue potiùs ab eius ſocio (qui Catholicus olim, poſteà Lutheranus, deniq; Ruthenorum erroribus imbutus, Italum interpretem, qui venerat è Moſcouia, in Carinthia trucidârat) quàm primùm ab eis diſcedens, ad Carolum Archiducem eſſem profectus, acerbiſſima acciderant: cùm vix pedem ex Italia extuliſſent, vbi ſummis honoribus accepti, muneribus quoq; inſignibus donati fuerant. At altera iſta legatione neq; cædes, nec eiuſmodi lites vllæ vnquam interceſſerunt, vt ad arma veniretur. Quæ ſine vlla dubitatione ſecutæ fuiſſent, niſi continẽter repreſſi, ac modo amanter, modò ſpe munerum, interdum & timore cohibiti ſibi temperaſſent. Permiſſum eſt quoque vt aliquando de ſuo hoſpitibus ſatisfacerent: quod licèt ægre ferrent, valebat tamen ad beneficium cognoſcendum, & ad Italicam Eccleſiaſticæq́ue ditionis liberalitatem (qua ſupra id, quod expectare potuiſſent, excepti fuerant) rectius æſtimandam. Hac igitur in profectione, Moſcorum illorum, quos adducebam, ingenia liquidius innotuere: quos & tanto magis cognouimus, quòd eos poſteà in ipſum Poloniæ Regnũ, iubente V. Beatitudine, reducere oportuit. Quo cùm primò è Moſcouia acceſſiſſemus, mirati, quòd equos, & cibos à Rege de more obuiam non offendiſſent: reſponſum acceperunt, ſatis eſſe, ſi cùm venirent ad Regem, liberaliter acciperentur: cõſuetudinem autem in legatis excipiẽdis, qui à Moſco ad alios principes mittãtur, nõ eſſe in Regnum inuehẽdam. Rigę tamẽ ſatis benignè, nobis rogãtibus, à Rege accepti ſunt. In Liuonia verò, quæ ędificia magnis ſumptibus ab Archiepiſcopo Rigẽſi, atq; à Magiſtris Teutonici ordinis fuerant excitata ea diruta à Moſcis comperimus, vel omnino

nino ruinam minantia, ſordium plena, & feneſtris patentibus, iniuriæ cæli expoſita. Quæ cùm ſperneret, lignea potiùs tuguriola extruxerant, in quibus, fuligine oppletis, habitare malebant: vt Gothorum cladem, Coloſſæo, atq; arcubus triumphalibus, Romę adeò vniuerſæ illatam recordatus, iam non mirarer, quid remaneret in cordibus gentis, quę ſplendorem, ac maieſtatem aliorum populorum ferre non poſſet. Et neque publica Cęſaris pompa, qui tum Auguſtã Vindelicorum ad Imperij comitia Imperialia ingrediebatur, impelli poterant, vt eam libenter cernerent: nec tanta ciuitatum, & nobilium celebritate mouebantur, vt ex animo illam collaudarent.

Et hæc quidem in Boemia, & Germania: in qua quicquid expenderant, mandato Cæſ. Maieſtatis reſtitutum eſt, & Vaſa argentea plura dono data. Vbi verò Italiæ appropinquauimus, & in Venetorum ditionem deſcendimus, ab ijs magnificentiſſimè per omnes ciuitates fuerunt excepti. Veronæ primùm inuitati ſunt ad arces inuiſendas, propè quas militum frequentes cohortes fuerant collectę, à quibus honorificentius admitterentur. Vicentini nihil omiſerunt, quo omnem humanitatem, & præter alia, quæ ſummam nobilitatem animorum ſapiebant, liberalitatem, (vt ea ciuitas hoc genere laudis maximè excellit) exhiberẽt. Patauij idem effectum eſt. Inde Venetias appulimus, vbi omnib⁹ omniũ generum officijs ab ea Sereniſſima Republica ſunt accepti. Hîc verò, cùm homines minus his rebus aſſueti, omnia ſuo Principi deberi crederent, atque ob laxiorem vitam ęgrè ferrent, ſibi in Dominicanorum monaſterio commodiſſimum quamuis hoſpitium fuiſſe aſſignatum, non mediocri diligentia, & patientia opus fuit, vt in officio continerentur, donec ij, quibus à Senatu cura Moſcorum fuerat data, nos enixè rogârunt, ne ab horum latere diſcederemus. Quæ dum fiunt, & eorum diſceſſum vrgerem, ecce Græci, qui iam multos antè annos Venetias commigrârunt, clã cum Moſcis egerunt, vt ad ſuam ædem proficiſci vellent, ſacrum, & reliqua, Gręco ritu audituri. Nobiles autem Adoleſcentes, à Senatu ijs per ciuitatem deducendis attributi, cùm nondum, quid haberet ea res momenti, perpẽdiſſent, iuſſerũt, vt ædes ornatiſſimè appararentur, poſtridieque eius diei, à ſchiſmaticis Græcis Ruteni ſchiſmatici exciperentur. Quod cùm ad aures meas perueniſſet, ad monaſterium approperans, inuenio Moſcos, & Venetos, vnà cum Græcis ad horum templum procedentes, quos ego affatus, Tu mihi, inquam, Iacobe Moluenine (id erat primario Legato nomẽ) traditus es, à Principe tuo, te vt geſſeris, qua tibi ratione mõſtrabo: Te ad Pontificem maximum non ad Gręcos adduco. Itaq; redi ad hoſpitium tuum; id quod fecit. Sed Gręcis hoc indigniſsimè ferentibus, atque aliquibus iniuriam Reipublicę fieri putantibus, quòd eam imperaſſe dicerent, vt eò deducerentur, Græcis reſpondi, Vbi conſtitiſſet Gręcos cum Eccleſia Catholica conſenſiſſe, tum mecum agerẽt, eorum deſiderijs ſatisfacturo. Cùm autem cæteris ſeorſim adhibitis, haud omnino perſuaderem, ad Senatũ adij: qui rationibus auditis, Græcos, qui conqueſtum venerant, ſapienter compeſcuit: resque tota non ſolum impedita eſt, verùm etiam occaſionem præbuit, vt & plerique Græcorum aſtum, & ſchiſma propius cernerent, reliqui verò cordatiores intelligerent, ecquid mali inde ad id, quo de agebatur, emergere poſſet, cùm inter Græcos, qui Venetijs commorãtur, perſępe ſint exploratores, qui ad perfidos omnia deferãt. Iam verò Moſci, aureis magni põderis torquibus donati à Republica, ſuo interpreti, Vade (inquiunt) ad Ducem, & dicito, ad nos vt ſericum, aliaque mittat è ſuo theſauro: interpres tamen rem (vt erat ingenuus) declinauit. Venetijs autem ſoluentes Ferrariam, inde Bononiam venimus, vbi Veſtra Beatitudine iubente, cuncta paternæ charitatis argumẽta liberaliſſimè edita ſunt ab Illuſtriſſimo Cardinali Cęſio Legato: tum & officinæ clauſę, atq; honores plus quàm ordinarij habiti. Reliqui Illuſtriſſimi Legati, Vercellenſis in AEmylia, Columna in Picæno idem procurârunt. Militum cohortes, è ciuitatibus obuiam primò prodibant: deinde ad portas Magiſtratus aderat, inde in Prætorium honorificentiſſimè deducebantur, tormentis diſploſis, tibicinibus perſonantibus, conuiuijs, & exquiſitiſſimis epulis inſtructis. Admoniti nobiles, à quib⁹ varia licentius Moſci petebant, iam haud facilè aſſentiebãtur: quo factum, vt intra cancellos pudoris ſeſe Moſci reciperent. Arimini cũ eſſemus, in domo Præfecti ciuitatis, pias imagines amouerant, vt paruulas quasdam ſuas, ritu Rutenico depictas, apponerent. His ablatis, cùm priores repoſuiſſemus, ne quid ea in re inſolentius inter Catholicos agerent, minùs poſteà licenter ſeſe geſſere. Inde ad Beatiſſimæ Virginis Lauretanæ, celeberrimum Sanctitate, ac populi concurſu, locum peruenimus, vbi habuerunt, quo miraculorum memoria, frequẽtia adeuntiũ, & perpetuis precationib⁹ oculos atque animũ paſcerẽt. Deniq; tẽperatis mea pręmonitione apud ciuitates honoribus, ad Tiberim propè Burgetũ Oppidum, à Veſtræ Beatitudinis cubicularijs hu-

humaniſsimè excepti, & ſalutati, poſtridiè progreſsi, ſequenti deniq; die Romam venimus; vnde Romana nobilitas, præeunte Marchione Cæſio, obuiam egreſſa eſt; Moſci verò honorificentiſsimè, ac frequentiſſimo populo, diſploſis omnib⁹, quę in mole erant Adriani, tormentis, ad Cardinalis Columnæ tum abſentis palatium adducti ſunt. Eo in palatio lautijs præbitis, adhibitisq; è familia B. V. diligentiſsimis adminiſtris, atque alijs, qui portas cuſtodirent, ſingulis diebus, dum ex Algido Veſtra Beatitudo redijſſet, per vrbem curribus vecti, pulcherrima quæque viſebant. Mirati ſunt in primis curam, diligentiam, ingentes ſumptus, charitatem erga ægrotos, officinas, cubiculaque diſtincta, & præſertim hoſpitalem Sancti Spiritus domum, ac reliqua maiora Noſodochia. Nihil verò eorum animos plus inflexit, quàm pietas illa, quam valere ad omnia, tum ipſi quoq; nos in ipſis Moſcis videbamus. Seminaria verò, & Collegia variarum gentium cùm ſubinde inuiſerent, iã orbi terrarum ipſa religione Romam dominari; nec verò ſeſe ſolos eſſe Chriſtianos (vtì dicere ſolebant) cogitare inceperunt: & harum omnium rerum capita in tabulas ſingulis diebus referebant, ad ſuũ Principem allaturi: quod quidem in itinere quoq; fiebat, cùm per Lituaniam, Poloniam, Morauiam, Bohemiam, Germaniam, Italiam, Societatis noſtræ Collegia luſtrarent. Anglicum, quod eſt Romæ, Seminarium eò magis admirati ſunt, quòd Angliam hæreſibus prorſus infectam audiuiſſent: ſed & modeſtiam Alumnorum illorũ conſpicientes mirificè emolliebantur, martyrumque reliquias, quæ in eorũ erant Eccleſia, ſumma reuerentia venerati, & oſculati ſunt. Id quod in alijs quoq; Romanis templis, atq; alibi faciebant. Sed cùm in Capitolij palatium à Romanis Patricijs aduecti, & Romana magnanimitate humaniſſimè accepti, fragmẽta marmorum antiquorum, ineptasq; gentilium Deorum memorias, à quodã rogarentur (quaſi maximi res eſſent momenti) vt attentiùs inſpicerẽt, omnia (nec immeritò) contempſerunt. Et illud enim eos maximè offendebat (quod & cuilibet Chriſtiano deteſtandum eſt,) cùm vel in hoſpitijs ſigna turpitudinum cernerent, vel imagines (etiam pias) ad laſciuiam depictas, nudas verò ſtatuas, & cætera diabolica figmenta, in aliquorum domibus, & hortis cernerent, quibus cupidines, & Veneres plùs quàm Chriſtus, & Beatiſſima Virgo ſapere videbantur. Iam verò templa Romana, Diuique Petri ædem ſuſpicientes, omninò fatebantur, hæc longiſsimè præſtare ſuis, quæ cùm anteà ſolùm vidiſſent, vel lignea, vel murata, putabant reliquis totius mundi pulchritudine, aut operis aut magnificẽtia pręcellere. Vbi ventum eſt ad Veſtram Beatitudinem ſalutandam, & dona, liteasq; ſui Principis reddenda, ęgrè nonnihil videbantur adduci, vt crucem ad pedes Veſtræ Sanctitatis oſcularentur: ſed longè ægriùs cùm diſceſſum pararent. Credo ita, quòd alia quoq; dona (pecuniam in primis) voluiſſent: licet aurei torques magni ponderis, veſtes aureæ, & holoſericæ duobus ipſius legationis Principibus, cæteris verò omnibus ex panno, & ſerico duplices traditæ fuiſſent. Oſculati tamen ſunt libenter, cùm quid ea de re Moſco eorum Magno Duci eſſet æſtimandum; quidué non ſolùm Apoſtolis primi Chriſtiani faciebãt, ſed & ipſi Moſci ſuis Epiſcopis faciant, ad quorum pedes ſe proſternunt, humi terram capite percutientes, audiuiſſent. Illud non ſatis ęquo animo tulerunt, quòd ſeſe in diſceſſu nemo, pręter me, ac comites itineris meos ex vrbe proſequeretur, ſicut ipſi Principum Legatos, (quod & mecum bis, ab ijs diſcedẽte, fecerant) ad quatuor, quinqueué paſſuum millia, magno cum comitatu educunt. Eadem porrò in reditu contigére, quę in profectione acciderant. Torques enim (cùm hoſce per iter inducerent) & Veſtræ Beatitudinis crucem pulcherrimam, licèt Græcis characteribus elaboratam, tum Venetorum auream D. Marci Euangeliſtæ imaginem ademerunt: quamuis ſi ſolus quisq; fuiſſet, neque delationem ad Principẽ ſuum timuiſſent; non difficilimè ſeſe ad omnia accommodaſſent. Mitiores autem aliquanto effectos (ſiue ob humaniorum gentium conſuetudinem, ſiue quòd reuertentibus erat extra Italiam expendẽdum de ſuo) Varſauiam ad Polonię Regem denique adduximus; illud in itinere præcipuè cauentes, ad declinandas lites, ne eodẽ hoſpitio diuerſaremur. Sic donis à Rege procuratis, q̃ illis Regio animo ſunt data; literiſque ad ſuũ Principem à me acceptis, quibus breui de omnibus illum certiorem faciebã; tradita item à me pulcherrima Saluatoris imagine (quæ miſſa à Veſtra Beatitudine ad Moſcum, in ære picta, & Græcis literis additis, ebore, argenteisque floſculis continebatur) ſatis lætos in Moſcouiam dimiſi. Quę fuſiùs narranda putaui, vt ſi cui aliquando tale negocium obtigerit, pręuiſa minùs eum feriant: iſq; ad patientiam, & prudentiam, à Deo per orationes hauriendam, ſedulò ſe comparet.

IN-

INGENIVM MOSCI, ET *Schiſma.*

ID verò primùm ſatis conſtat, Septentrionalem tractum, eoſq; præſertim populos, ex quorũ cordibus vera religio feritatem haud excuſsit, quãtò magis ab ingenio ſeſe deſertos ſentiũt, tantò ſuſpicioſiores euadere: quamobrẽ quod induſtria, & iudicio conſequi nequeunt, id calliditate, ac vi, (ſed Moſcos diligentia quoq;) ſtudere, vt aſſequantur. Ea in Scythis, & Tartaris perſpicuè cernuntur, ex quibus cùm plerique Moſcorum originem ducant, aut conſtent, mirum non eſt, niſi hactenus naturam illam exuerint, quam pietas alijs nationibus excoluit, ac vicit. At is, ad quem ſumma in ſuos poteſtas acceſsit, vnà cum aliqua Chriſtianę religionis ſpecie; nec verò aliorum Principum opes viderit, ſi ſe (addita perenni ſubditorum aſſẽntatione atque acclamatione) ſupremum omnium arbitretur, minùs fortaſsè mirandum eſt. Quæ tria cùm in Magnis Moſcouiæ Ducibus ab eo potiſsimum tempore fuerint, quo ſe à Tartaris, quorum erant tributarij, in libertatem aſſeruerunt, extulere mirificè eorũ, ac præcipuè eius, qui nunc rerum potitur, Principis animum: vt cùm vix ab vllo viribus ſe ſuperari nonnunquam exiſtimaſſet, neminem quoq; doctiorem, aut religione veriore imbutum putaret. Cui cùm ipſe interdum Chriſtianorum Principum mentionem facerem, qui maximè cæteris præſtant; quinam iſti ſunt (inquiebat) in Mundo? Comparationem, videlicet, non ferebat elatio, quæ quicquid alteri tribuitur, ſui depreſsionem putat. Inde igitur factũ eſt, vt Magni Moſcouiæ Duces primò ſeſe totius Ruſsiæ Dominos verbis, literis, atque ipſius pecuniæ ſignis exprimãt, quamuis Ruſſię bonam partem Poloniæ Rex obtineat. Deinde verò hic, qui ſuperſtes eſt, Ioannes Baſilij filius, præter illam titulorum ſeriem, qua vult appellari Caſani, & Aſtracani Czar, ſeu Regem; Germanorum quoq; Imperatorem, ad Turcam ſcribens, vocari ſe aliquando iuſſit. Et ſanè cùm Liuoniæ inhiaſſet, atque ad Pruſsiam, quodam Cæſaris Auguſti fratris prætextu, reſpiceret, quem Pruſſum vocatum fuiſſe, & ſe ab eo deſcendiſſe dicebat: cumque cum Carolo Quinto, ac Ferdinando eius fratre, huiuſque filio Maximiliano videri voluerit amicitiam colere, intelligi poteſt, quid de Germaniæ, & Occidentis vlteriore tractu in animo coxerit. Spem ipſius alebant diſsidia Chriſtianorum Principum, variæque, ac peſtilentes hæreſes, Liuonici ſucceſſus, Caſanum, & Aſtracanum anteà deuictum, ac imbibita ſui illius Schiſmatis, potiùs quàm religiõis, opinio, qua delectum à Deo ſe exiſtimauit, quaſi iubar, quod vniuerſum orbem eſſet colluſtraturum. Auxerunt poſteà Legationes anteactæ quorũdam ad eum Principum, cuius ſtudium, & operã requirebant, qua Polonicum Regnũ aliò caderet. Quin cùm apud eum eſſem, resque Moſcouiæ ſatis eſſent attritæ, necdum tamen recordatio Legationum illarũ elanguerat, quæ Spiritus ipſius fouebant. Facta denique ad eandem ſpem eſt maior acceſſio, cùm ab eminenti Principe literæ ad eum ſcriberentur, quibus Lutheranæ hæreſeos propagationem in ſua ditione cõmendabat. Inde enim Catholicos (quos Romanos vocat) omnes in hæreſim corruiſſe, credidit, ac proinde facilius eſſe ſubijciendos. Ad extremum, ſeueritas in omnes breuiorem ſui conſilij exitum pollicebatur, qua ſperabat, quicquid obijci poſſet impedimenti, ſe amoliturum, quando in Lituaniam, atque Liuoniam ſic eius terror penetrauerat vt eadem ſibi ratione aditum patere ad reliqua non dubitaret.

At quod ad ſchiſma pertinet, incredibile eſt, quantopere eo in viſco hæreat, ac placita pro æternis habeat, quin verò potiùs aliquid ſemper addat, quàm demat. Itaque vt qui ab vno diſcedunt, quo progrediuntur vlterius, eò in plura incidũt (quod & huius ſeculi nouatoribus contigiſſe nemo non videt) ſic Moſcis accidit, qui à Gręcis ipſis ſchiſmaticis, vnde ſchiſma hauſere diuiſi ſunt, multaque imperitiſſimè blaterant, libris, ſtudijsque literarum carentes, quod in altero Commentario ſcripſi. Qui ergo Græcorum pertinaciam obſeruauerit, quiué Donatiſtas memoria repetierit, nunquam, vbi ſeſe ab Eccleſia præciderũt, ad eandem aggregatos: qui item AEthiopum ingenia conſiderauerit, Summum licèt Pontificem agnoſcentium; quique eundem non vna ad Apoſtolicam ſedem legatione cõfeſsi ſunt: qui denique Huſſitas inſpexerit, tam ſæpe de vnione agentes, ac nũquam ad Eccleſiam peruenientes, facilè deprehendet naturam Moſcici ſchiſmatis. Auget porrò ipſius pertinaciam pręſumpta de ſe opinio cõſtantiæ, exiſtimãtis, quòd Schiſma iſtud ſine ſciſſura perduret. Pręterea accedit populorum, qui illud cum lacte ſuxerunt, eorumq; rudiſsimorum, perpetuum erga Principem obſequium, & ſeruitus. Inde enim fit, vt cùm Principũ omnium Legatis collocutus, vbi illi abſceſſerunt, in pelui argentea manus eluat, quaſi ſordium aliquid contraxerit, ea re conteſtãs, Chriſtianos reliquos eſſe peripſemata. Quod cùm à me illi fuiſſet obiectum, (ꝙ ex meis literis iſthuc miſſis liquidiùs cognoſci potuit) ac de ea re ſe vellet purgare,

non diluit tamen. Porrò, non ſinit Armenos in ſua templa ingredi, quos Neſtorij hæreſim ait eſſe ſequutos: Græcis autem id permittit; cùm Lutheranis, & alijs hęreticis neque pateat aditus, & quæ ſibi conſtruxerant templa, ab eo, concremata ſint.

QVAENAM SPES SIT DE MOſco, ac de eius promiſsis ad propagandum in Aſiam, & aliò ſanctiſsimum Chriſti nomen, & fidem.

IAM QVID ſperari poſsit à Moſco, ſi quod ille literis, ad B. V. atque ad alios Principes ſcriptis, prætexuiſſe videbatur, Chriſtianum nomen, latiùs eſſet propagandum, diſſerendum eſt hoc capite fuſiùs. Sic enim cerni poterit, quorſum eius promiſſa ſpectauerint; cuiúe vſui eſſet Chriſtianæ Reipub. ſi quãdo ea gens aut ad fidem Catholicam veniret; aut rebus conſtitutis mitiorem alium Principem nanciſceretur: quandoquidem breuiſsimè victurum hũc Principem certæ coniecturæ iam ſunt. Memini itaque priuſquàm in Moſcouiam irem, N. multa ea de re ſciſcitanti mihi reſpondiſſe. In primis Prouincias illius Principis longiſsimè diſtare ab ijs, qui fidei noſtræ iurati ſunt hoſtes. Vaſtam enim heremum versùs meridiem, ſolo nihil ferente, & arboribus nudam, ac plerunque inaquoſam intereſſe plus viginti dierum ſpacio, quæ expeditioni cuicunque maximum periculum crearet. Sequi Tauricam Cherſoneſum, in qua Tartari Pręcopenſes ſint capitales Moſcorum hoſtes; Turcaque ipſe arces habeat nec paucas, neque malè munitas. Quærenti verò, num qua Moſcus ad mare Caſpium pertingit, aditus pateret vlteriùs; affirmauit. Licèt enim vaſtitas ingens etiam in eo tractu intercedat, nauibus tamen haud difficilè per Volgam fluuium eam vniuerſam, certis anni mẽſibus, poſſe ſuperari. Addẽti, num per Tanaim, qui in Moſcouia oriens, in paludem Mæotidem influit, nauigari poſſet, illac nauigari poſſe aiebat. At arcem Aſophum ad oſtia Tanais ſitam eſſe, quæ ad Turcarum Imperatorem pertinet. Atquì ad ea, quæ de Præcopenſibus Tartaris dixerat, cùm reſponſum fuiſſet; Moſco, qui Aſtracanenſes, & Caſanenſes ſuo imperio ſubiecerat, non difficilè forſan fore, Præcopenſes quoque adiungere: aliam horum eſſe rationẽ oſtendit. Cùm enim (dicebat) Moſcus aduerſus illos, quos edomuit, Tartaros, maximis tormentis adductis, craſſos etiam aſſeres perforatos curribus præfigi iuſsiſſet, per quos Pyxidarij bombardas ſuas exonerabant, certa hoſtium pernicie, ipſi à nemine læſi: facilè fuit nouo armorum genere circumuentos opprimere; præter quàm quòd cùm vniuſcuiuſque Tartarorum Hordæ primaria vna (vt dixi) ciuitas ſit, ſeu conuentus, quo deuicto, reliqua omnia ſine difficultate in poteſtatem veniant. Ac cùm Caſanenſes Moſci ditioni finitimi eſſent, his verò ſuperatis, neceſſariò caſuri eſſent Aſtracanenſes (quippe quibus aliundè haud citò poterat ſubſidium mitti) vtrumque populum iam deuictum, eò faciliore negocio potuiſſe in officio contineri, quòd Moſcus arces aliquas excitauerat, in quas impoſiti Præſidiarij, regiones illas tutarentur. Denique percontanti, quî factum eſſet, vt tam inſignem Turcis, non ita multos ante annos cladem Moſcus intuliſſet, cùm Tanaim deriuari iuſiſſet in Volgam, reſpondit, hoc non à Moſcis, ſed à Tartaris Præcopenſibus, licèt Turcarum fœderatis, accidiſſe, ægrè ferentibus id fieri, vnde grauius ſibi iugum pendere proſpicerent. Quamobrem cùm ſeſe duces itineris Copijs Turcicis exhibuiſſent, per ingentes ſyluas, & loca commeatus egena, eas circumduxiſſe, vt fame, ac labore pleræq; omnes fermè interierint. His cognitis, atque interrogatꝰ, num à Perſico regno Moſcici imperij fines longè diſtarent, magnum ſanè (dixit) inter vtriuſq; ditionem eſſe interuallum. Neque verò Moſci prouincias Perſiam attingere, ſed priùs eſſe Georgianos & Circaſſos, qui dicuntur Quinquemontani, quorum linguam ab alijs omninò differre, & regionem, quæ longitudine itineris octidui extendatur, à ſeptem Ducibus ſeu pręfectis, non diſsimili Heluetiorum modo, adminiſtrari. Hoſce porrò interdum à Moſco, aliquando à Turcis, nonnunquam & ab ipſis Perſis accipere ſtipendia ſolitos, pro temporis, & rerum ſuarum ratione. Cæterùm per Moſcouiam ad Perſas longiore nunc itinere opus eſſe, quòd Porta ferrea, qua erat tranſitus, à Turca ſit capta. Quæ omnia N. ſibi aiebat eò eſſe certiora, quòd apud ſę Circaſſum habuerit, ſtrenuum, ac fidũ militem, cuius patruus in Perſia, qui eo in bello meruiſſet, inde nouiſsimè veniens, cuncta retulerat. Adiecit autem, Cham, Tartarorum in Aſia Imperatorem, non procul ab ea gente abeſſe, qui multum adhuc rituum Chriſtianorum retineat, cùm olim ad fidem noſtram acceſſerint. At Mehemetes, Selymi, parentis huius Turcarum Imperatoris, cõſiliarius (vt ex eminenti viro audiui) duram ſignificauit à Rege Polonię ſuſceptam eſſe prouinciam, qui Moſcum bello eſſet adortus: quandoquidem (aiebat) Turca ſuus Imperator, & Moſcus vnici eſſent in Mundo Principes, qui ſuos prorſus in poteſtate haberent, ac proinde eſſent poten-

tiſsimi. Qua ex re, quāti Moſcum æſtiment Turcæ, intelligi poteſt. Sed & eorum memoriæ fortaſsis adhuc hærent, quas à Moſcis quondam clades perpeſsi ſunt, ſi fides ijs habeatur, quæ Herbeſtanus ex eorum Chronicis, & alij quidam referunt. Et illud etiam animis Turcarum poteſt obuerſari: Græcos, niſi Principis Moſcouiæ nimiam dominationem pertimeſcerent, isque tam longè abeſſet, non abhorrere ab illius imperio, cuius eandē cum ſua eſſe religionem putent, atq; idcirco propenſiùs ad illum acceſſuros. Moſcus certè, cùm rebus cū Poloniȩ Rege compoſitis, de huiuſmodi reb⁹ ageretur, quæſiuit per Senatores ſuos, num ſi ſuas Regijs vires adderet, poſſet copias per Polonici Regni ditionem traducere, & quà iret, arces extruere. Quo in colloquio viſus eſt Ruſsiam Regis potiùs ſpectare, quàm Præcopenſes: id metuens, ne in reditu à Polonis intercluderetur. Quòd ſi vnquam aliò, quàm in Liuoniam, atq; Lituaniam è Moſcouia educti fuiſſent exercitus, quid ea gens valeret, conijci rectiùs poſſet. Et, vt vt hæc ſunt, illud pro certiſsimo habendum eſt, per Moſcouiam multò minore ſumptu atque periculo, quàm per omnes alias mundi plagas, patere viam in Aſiam, ad Chriſti Domini fidem propagandam: qui vnus piorum omnium ſcopus eſſe debet. Proinde in hoc eſſet præcipuè incumbendum (quod Moſco V.S. ſcripſit) vt vinculo religionis nobiſcum iungatur: ſine qua reliqui humani nexus facillimè diſſoluuntur. At verò, vt hoc fiat, nō eſt opus vnius diei, aut Legationis. Neq; ea arca, in qua pauci ſalui facti ſunt, ad Mundi totius poſteà inſtaurationem, non niſi centum annorum ſpacio, id eſt, longanimi, & nō intermiſſa perſeuerantia, perfici potuit. Temporis autem fortè breuioris hæc prouincia fuerit, quòd iam in Liuoniæ ac Moſcouiæ finibus, Stephanus Poloniæ Rex, Collegia, Seminariaq; Catholicorum Sacerdotū parat: atq; ad Regias alias, & bellicas dotes, hanc quoq; curam, tanquam primariam, adiungit. Præterea miracula accedunt, per noſtræ Societatis homines in ſimplici illa gente fieri à Deo cœpta. Quod verò Moſci non deſint, qui filios ſuos miſsis à Sede Apoſtolica Sacerdotibus offerant, hoc quoq; facit, vt de Domini bonitate aliquid non longiſſimum ſperem: cui nec difficile eſt in momēto ditare pauperem; ac notæ ſunt artes, quib⁹ agnus poſſit habitare cū Leone. Ipſa verò cū illo, atq; cum alijs Chriſtianis Principibus amicitiæ iungēdæ tractatio, ſi cōtinuetur (quanquā ſatanas ei euertendæ oēs machinas ſemper adhibiturus eſt) dici non poteſt, quantas ſecum ad id commoditates trahat: ſi præſertim, qui hæc egerint, ad vnam Dei gloriam colliment. Sic enim ad ſchiſmaticos, atque ad hæreticos peruenire licet; qui ſi initiò de religione ſecum eſſe agendum putarent, aditum impedirent, vel audita ſpernerent, aut ad reliqua progreſſum, vrgentibus eorum miniſtris, prȩciderent. Catholici verò Principes ſi quid habent, quod cum Sede Apoſtolica de politicis rebus agant; cùm, quȩ ſunt pacis, promoueri à V. Beatitudine ſentiūt, intelligunt hoc Paſtoris, Vicarij Chriſti, & Patris proprium eſſe. Quamobrē & Catholici, & hȩretici, atq; ſchiſmatici Principes, nō ſolùm aures libenter accōmodant, verùm etiam ipſo in colloquio, cùm difficultates ſiue ſuas, ſeu alienas proponunt, aperiunt ipſimet viam, qua reliqua complanentur: pluraque, quæ acerbiora eatenus viſa ſunt, mitiora reddūtur, ac ipſa animorum confidentia, quaſi rediuiua pietatem, & religionem in eorum cordibus aliquam exuſcitat. Quod cùm ita ſit, aut erubeſcunt ſi refugiant, aut excitantur ardentiùs, vt Sedis Apoſtolicæ monita ne detrectent, ad quam & Scythas, & Indos, atque efferas quaſq; gentes eo tempore vident accurrere, quo ſudauit humani generis hoſtis, vt inſtituta à Chriſto auctoritas in Eccleſia per hȩreticos tolleretur. Itaque qui iſthinc ad tantum negocium miſsi fuerint, optatiſsimum ijs eſſe debet, vt in propoſito perſtent, nectantque futurorum congreſſuum occaſiones, ac diſcedentes ita abeant, vt ſibi ad reditum eoſdem ad Principes portam (vt aiunt) relinquant apertam. Sic enim aut aliquid optimi denique fiet, aut pax redibit ad V. Beatitudinem, Diuinæque ſapientiȩ charitas iuſtificabitur; & (quod experti ſumus) aliæ ſe rationes offerent ad populos illos iuuandos, quas nunquam cogitaſſemus: cùm etiam, ſi tuta conſcientia, & ſaluis rebus, humanam ſaltem amicitiam cum aliquibus alijs, licet nondum Chriſtianis, colere poſſemus, aliquando crediderim id ſuppeditaturum modos, quibus in eorum Prouincijs propagari latiùs, quàm factum ſit hactenus, Chriſtiana religio poſſet. Quod an in ipſorum Principum animis ad veritatem altiùs inſinuandam, aliquid etiam eſſet effecturum, iudicent, qui meditantur attentiùs patientiam, & martyria Pontificum Romanorum, qui trecentis primis Eccleſiæ annis, clauum in turbulentiſsimis perſecutionum fluctibus tenentes, ſanguine ipſo penè omnes Chriſtianam rem auxerunt, & nauim onuſtam fidei (vt ſic dicam) ad Chriſtum Dominum cum pluribus barbaris gentibus, tanquàm ad portum intrepidi appulerunt.

OBSERVANDA, SI QVI A SEDE Apoſtolica, vel ab alijs Catholicis Principibus in Moſcouiam mittendi ſint.

CVM ei, ad quem delectus, & miſsio ſpectant, tria illa in primis neceſſaria ſint, quæ diſpiciat: nempè, vt Legatio ob Dei honorem ſinceriſsimè inſtituatur; vt opportunè; vtque ei deferatur, cuius interiores dotes, ac virtus ſolida, vnà cum rerum Græcarum cognitione coniūcta, exteriori quantocunq; ſplendori, aut dignitati præualeant. Tum illud permagni momenti eſt, vt quæ Legatio ad Moſcos ſuſcipienda fuerit, ea Polonis, Lituanis, ac Moſcis iuſtam ſuſpicionis anſam non præbeat. In Comitijs Ratiſponenſibus, cùm Moronus Cardinalis V.B. nomine egiſſet, vt Pontificius Nuncius ad Moſcum, vnà cum Moſci Legatis, qui eò venerant, in Moſcouiam poſſet proficiſci, Maximilianus Cæſar aſſenſit. Dum autem Legatio illa explicabatur, Germanusque, & probus Theologus, nec Ruthenȩ linguȩ ignarus, à V. Beatitudine ad eam rem literas accepiſſet, quibus Nūcij ad Moſcum munere fungeretur, diem nō ita multò poſt obijt. Tentata item fuerat à V.B. altera Legatio, cùm ex vrbe Alexander Canobius, qui nunc Epiſcopatui Foroliuiēſi præeſt, miſſus eſt, ſed neque Lituaniam ſuperare potuit; ac Vilnam rediens, Romam quoque infecta re, neceſſe fuit vt reuerteretur, aliquibus progreſſum illius prohibentibus. Iam verò anteà Vincentius, Porticus, qui poſteà fuit Archiepiſcop⁹ Rhaguſeus ad Moſcum inuiſendum à Pio Quinto Pontifice Max. Sanctæ memoriæ deſtinatus fuerat tum, cùm Apoſtolici Legati munere apud Sigiſmundum Poloniæ Regem, eo tempore fungebatur. Ac tamen poſteà idem Pontifex, audita Moſci crudelitate, ab eo propoſito auerſus eſt Sed denique, dum Septentrionalium iuuandorum Zelus V. B. vrgeret, eius nomine monuit me Nuncius Apoſtolicus, Epiſcopus Britonorienſis, qui erat apud Stephanum Poloniȩ Regem, viderem, an per Ioannē Tertium, Regem Sueciæ, apud quem V.B. mandante verſabar, literæ in Moſcouiam mitti poſſent. Re igitur, cum eo Rege collata, reſpondit fore, vt inſequenti anno id liceret. Nec igitur anteà maturum appetierat tempus: & tamen ſemina iſtorum conatuum, & patientiæ, quæ ſolet maximum quodque negocium perficere, Deus ipſe reſpiciebat, & incrementum dabat. Quare poſt paucifsimos menſes, ſuperuenit è Moſcouia Seuerigenus, Magni eius Ducis Internuncius, aliquem petens, qui V. Beatitudinis nomine pacem componeret inter eum, ac Poloniæ Regem. Opportuna igitur occaſio viſa eſt: decreta fuit miſsio: at deerant duo præcipua, rerum illarum interior notitia, quiq; mitteretur. Quòd ad me attinet, eò proficiſci iuſſum, certiſsimum eſt, reſpexiſſe Deum immenſam Charitatem ſuam, vt quæ V. B. animo deſideria inſtillauerat, ea ad aliquem effectum deducerentur. Iam verò cùm earum rerum, & itinerum ſatis perſpecta ſit ratio, non deerit cauſſæ ſuæ Deus, quin aliquando occaſiones alias offerat, quibus hæc lampas melioribus tradatur, & in vtramque Ruſsiam tam Poloniæ Regis, quàm Moſci ab ijs, qui ſeriò Chriſti gloriam ſitiant, Catholica religio inferatur.

MITTENDI CVM LEGATO.

MITTENDI verò pauci erunt, quòd tum fruſtra fierent immodici ſumptus, tum res magis innoteſceret, quæ alioquin ſuſpicioſioribus occaſionem daret impediendæ Legationis. Itaque neque vt in aulis Principum diù ſubſiſtant, ac niſi neceſſarium ſit, per illas tranſeant, magnoperè expediet. Cæterùm ſi plures eſſent, pl⁹ item faſtus & rumoris, quàm ſalutis ſequeretur: præter illa, quæ quotidie cernuntur; externa, videlicet, rerum ſpecie Legationes prodi; maleuolis aperiri viam, optima quȩque turbandi, Principesque ipſos, ad quos mittitur, varijs commentis & aſtu anteuertendi. Albertus Campenſis eò in libello, quem de huiuſmodi Legatione ad Clementem Septimum ſcripſit, quinque futuros ſatis initiò dixit. At ſi aurigas, & interpretes numeraſſet, plures dixiſſet. Itaque ex vrbe quinque vt exeant, vel minus item hominum, non improbauerim: verùm vbi ad Poloniam, aut Vilnam appropinquauerit, aliquos, itē inde ſibi adſciſcat neceſſe fuerit. Homines enim ferendæ cæli iniuriæ aptiores, & laboris patientiores, ac itinerum magis peritos ſine dubio ibi poterit nanciſci: quibus neque multum ſtipendij ſit dandum, ac recentes ad laborem plus auxilij ferent. Interpretes duo potiùs ſint, quàm vnus: ne ſi quis eorum aut in morbū incidat, aut moriatur, (vt alteri ex meis accidit) fidendum ſit Principis interpretibus: quod quidem magna ſecum trahit incommoda. Quòd ſi vterque valuerit, haud parum proderunt notandis actionibus, explorandis aliorū mentibus, ſcriptioni Ruthenicȩ conferēdæ, veritati & fidelitati mutuæ indicandȩ, vel cuſtodiendæ. Quòd ſi bellum eſſet inter Poloniȩ Regem, ac Moſcum, resq; aliquæ ijs de Principibus eſſent agendȩ; ſedulò perſpiciendum erit, qua religione, humanaq; item fide Rutheni interpretes fuerint. Cùm fidē dico, quantoperè

ijs fidere poſſit Legat⁹, intelligi velim: cùm religionē, ne Moſcus plus illis meritò fidat. Si.n. Regis Poloniç ſubditi fuerint, difficilior erit eorū vſus: ſin Ruthenico ſchiſmate impliciti, dubitandū eſt, ne aperiant, quod reticendum eſt, aut adeò ne fideliter interpretentur, quod referendum ſit. Hęc omnia expertus loquor. Accedit, quòd (vt Lituaniæ, Ruſsiæq́ue mos eſt) vltro citroq́; cōmeantes dant operam mercium permutationibus: quare præcauendum erit, ne interpretes plus in eo agendum aliunde, ob lucri cupiditatem ſuſcipiant, quàm tractandis poſteà negocijs conducat. Quid enim hinc damni, vel labis ſequi poſsit, prçſertim cùm Diuina aguntur, is, qui paulò fuerit oculatior, cernet. Quòd ſi Slauus, vel Bohemus fuerit interpres, non ſanè ſtatim principio Ruthenicā omnem linguam aſſequetur: verùm ſi longior fuerit commoratio, proximè ad eam accedet: id quod inter noſtros alteri, qui erat Slauus, ac duobus, qui Bohemicè nôrant, vſuuenit. Ij certè Moſcis gratiores fuerint, ob innatam de Poloniæ Regni ſubditis ſuſpicionem. Ad Moſci interpretes quod attinet, (niſi Catholicus aliquis ſit) vix fidendum eſt: eoq́ue minùs, ſi quid ijs ad religionem ſpectans, vertendum in eam linguam traderetur: quod etſi facerent, non audent tamen Principis terrore ꝑculſi. Rutheni ſi defuerint, quæ maioris momenti ſunt, curādum erit, vt vertantur in Ruſsia, quæ Regis eſt. Ad interpretes autem fidos, atque Catholicos inueniendos Collegia Societatis noſtræ, quæ ſunt Vilnæ, Polociæ, Derpati iuuabunt, apud quæ multi literarum ſtudijs excoluntur, qui etiam pietatis ſpecimen edidere. Cuiuſcunq; verò nationis fuerint interpretes, atque alij itineris comites, præſtabit eſſe ætate prouectos. Hoc enim maiorem Legato conciliabit auctoritatem: eosq́ue minus expoſitos fraudib⁹ habebit: occaſionem etiam ſiue ad maledicendum, ſiue ad malè agendum prçcidet: quç vna res in omnibus, ſed certè in eiuſmodi Legationibus ſummoperè cauenda eſt.

PRAETER interpretes, Sacerdotem omnino adducat vel Slauū, vel Bohemum, vel Ruthenū, vel Polonū. Quòd ſi Ruthenicè nôrit, iam pro interprete adhiberi quoque poterit: ſin verò ex ijs nationibus haberi non poſſet, eius ſaltem virtutis ſit, vt exemplo plus faciat, quàm loquatur. Hic & ea, quæ muneris ſui ſunt, noſcat, & curet, vt omnes frequentiùs Diuinam Euchariſtiam ſumant, & quç ad religionem Catholicam propugnandam aduerſùs Ruthenos attinent, in itinere addiſcat, & reliquos ingenioſiores doceat. Quæ ſanè tum ex altero meo de Moſcouia Commētario, tum ex eo ſcripto cognoſcere poterit, quod Moſco petenti tradidi, de diſcrimine inter Catholicam fidem, ac Ruthenicū, & Grçcum ſchiſma. Et Legatus quoque vnà cum Sacerdote, alios ea de re libros ſecum ferat, quos vbi in itinere legerint, relinquere poterunt ſiue in Moſcouia, ſiue in finibus, vbi diſceſſerint.

HI VERO LIBRI FVERINT.

D. Thomç opuſculum contra Grçcorum errores.

Libellus Leonis noni; cuius item aliquot epiſtolæ de tota hac re extāt, Coloniç pòſt editç. Sancti Anſelmi Epiſtola de proceſſione Spiritus ſancti, contra Grçcos. Ea inter eiusdem auctoris opuſcula reperitur.

Quç Nicolaus Primus, Grçcorum obiectis reſpondet.

Vmbertus Cenomanenſis Abbas Syluæ candidç, qui poſteà Cardinalis, & Legatus Leonis Noni ad Conſtantinopolitanos fuit. Hic enim de Azymo, deq́ue alijs reſpondit Nicetç Pectorato.

Synodus Florentina, quæúe pro ea ſcripſit Ioannes de Turre cremata.

Gennadius Scholarius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, de proceſsione Spiritus ſancti; De Sacrificio in azimo, vel fermento; De purgatorio; De fruitione Sanctorum; De primatu Pontificis Maximi.

Et Sacranus quoque Canonicus Cracouienſis, exeunte ſuperiore ſeculo, nec indoctè, nec indiligenter ſcripſit aduersùs Ruthenorū errores. Quéadmodùm & hoc ſeculo non defuere, qui manum ea de re calamo admouerunt: Sanderus de Monarchia Eccleſiç, Franciſcus Turrianus, contra Andream Freiubium, ſexto, & ſeptimo capite libri ſecundi. Cuius etiam Turriani libro, quo epiſtolas Pontificias defendit aduersùs Magdeburgenſes Centuriatores, & altero, qui Scholia in cōſtitutiones Apoſtolicas D. Clementis continet, valde iuuabitur, cui ocium, & animus fuerit ea diligenter euoluendi. Petrus item Scarga, homo (vt Turrianus) de Societate noſtra, librum Polonicè ſcripſit, de Schiſmate; cuius libri ſi quæ inferrentur exempla in Moſcouiam, non inutile fuerit.

Stapletoni ſanè de Eccleſia, & Socolouij cenſura Orientalis, ac potiſsimùm Roberti Belarmini de Societate noſtra, libri Cōtrouerſiarum, (quod ad Schiſmaticos confutandos pertinet,) ſummo vſui erunt, benè percepti.

Iam verò, quç Ioannes Faber Viennenſis Epiſcopus, Albertus Campenſis, Herbeſtanus, Guagnin⁹, de religione Ruthenorum attigere (cùm aut rē ſecus acceperint, quàm omninò ſit, aut cum eo ſtudio ipſi ad ſcribendum non ferrentur, vt oſtenſo veneno adhiberent antidotum) non tanti ſunt, vt inde colligi rationes queāt ad Moſcos refellendos, vel conuertendos. Mitto, quòd Herbeſtani libris in Germania editis hæretici plura addiderunt, quibus non ſchiſmata refellerentur, ſed fidei veritas conuelleretur. Quç tamen omnia alijs meis ſcriptis aut retecta ſunt, aut ſublata.

Cum his igitur libris, quos diximus, meminerit Sacerdos facultatis, in arca portatili celebrandi, & Caſuū reſeruatorum abſoluendorū, obtinendæ: deinde item olea benedicta ſecū ferat, & ferra ad hoſtias cōficiēdas, vnà cum ſacris veſtib⁹, & velis, vel tenuibus aulæis ex ſerico, quibus ſacellum exornet: quç omnia cum exiguo loco contineri poſsint, çxplicata rapiunt in admirationem, diſponuntq́; animos, ad Catholicos ritus.

AD Sacerdotem accedat medicus corporis, qui ſi Slauicam, vel Ruthenicam, vel Boemicam linguam nouerit, eò erit vtilior; cæteroquin perneceſſarius Legato, & eius familię, ſi in morbū inciderint. Nam ciborum varietas, hydromelis potus, quo ſemper vtuntur, cœlum non idem quod apud nos, itineris laſsitudo, quantumuis valentes fatigant homines, quibus in toto illo terrarū tractu nemo laturus ſit opem, niſi apud magnum Moſcouiæ Ducem: qui (vt dixi) ſi quis ad mortem laboraret, ne permittit quidem, vt è ſuis medicis aliquis ægrotum inuiſat: vel ſi ſemel permiſerit, vix vnquam reuerti ſinet. Pharmaca igitur, quæq́ue medicus vſui fore intelliget, ſecum ferat, quæ quidem in itinere, aut Vilnç coëmi poterunt. Quòd ſi medicus fuerit prudens, ac pius, ex facultatis ſuæ occaſione non minimùm Diuinç cauſſç in itinere commodabit, cùm quaſi aliud agens, quæ ad ſalutem æternam attinent, hæreticis & ſchiſmaticis poſsit opportunè proponere.

SATIVS verò fuerit, mercatores qui ſeſe aliquando ſocios eò in itinere offerunt, haud adducere; tum ob ea, quæ ſuprà attigi, tum vt Moſci ſeſe, non ſua, quæri intelligant. Sic enim faciliùs bonæ Legati voluntati occurret Deus: atque vt occaſiones rixarum, ſic & quæ illas non rarò conſequuntur, tollentur cædes: ne dicam, vix eiuſmodi homines eſſe Catholicos, aut in humanis quoq; rebus fideles. Quòd ſi habenda ratio ſit tuti comitatus, id à Rege, propè Regni, & Moſcouiæ fines, non fuerit difficile obtinere, aut ab ijſdem, quç diximus, Societatis noſtrç Collegijs lucem haurire, vt quidam homines fidi pecunia conduci queant. Quamuis ſi per Liuoniam eatur, ac Derpati, & Nouogrodeci (ea eſt vltima Liuonię arx) tantiſper ſubſiſtāt, dum fidei publicæ literæ, ac Priſtaui Nouogardia, Pleſcouiaúe appareant, tutius à Coſacis fuerit iter. Quòd ſi alterum inſtituatur, qua Smolencium Legati plerumq; ſolent proficiſci, Orſæ commorandum erit, donec à Smolecēſi Palatino cognoſcatur, Moſcos veniſſe ad fines, ne inter denſiſsimas illas ſyluas Coſacorū prçdæ expoſitis manendum ſit, quemadmodum ſummo periculo nobis accidit.

LITERAE A SVMMO PONTIFIce ad Moſcum, quales; dona item, quænam eſſe debeant.

QVAE poſtrema fuit literis V. Beatitudinis ad Moſcum inſcriptio, eadē vt ſeruetur, expediet. Ac quidem auro obſignatæ fuerunt; ſicut Veneti quoque fecerunt: quamuis neſciam, an id ſemper neçeſſarium erit.

Ex ijs autem, quæ ille ad Veſtram Beatitudinem, atque ad alios Principes ſcripſit, ſumi poteſt occaſio ad nouas literas dictandas, Legationemq́;, ſi quando occaſio ſe daret, mittendam.

PORRÒ in literis non fuerit ſatis, Legatum vocare Dilectum filium, niſi hæc vox Legati, (& quidem vel magni, vt ipſi ſcribunt, vel præcipui) adſcribatur. Nam hac voce Nuncij, vel Internūcij, vix quidquam apud eos acquiritur Legato auctoritatis.

DONA, quæ ad eum Principem afferātur, digna tanto Principe ſint, quorum aliqua nomine Sedis Apoſtolicæ, vel eius, à quo Legatus mitteretur; nonnulla item nomine ipſius Legati offerantur: ſine quibus iniuriam ſibi fieri Moſcus, ac cæteri Orientales Reges, iam inde ab antiquíſsimis temporibus, putant. Diſceſſuro tamen (vt diximus) ſæpe maioris pretij dona rependunt. Nos, Veſtra Beatitudine mādante, pretioſiſsimam è Chriſtallo crucem, cum ipſo crucifixo, eiuſq́ue paſsione tota affabrè inſculpta, addito Sāctiſsimo crucis ligno; cyphumq́ue eiuſdem materiæ, eximio opere, & auro circumdatum; roſaria item, ſiue (quas vocamus) coronas ex gemmis, & auro; Florentinā item Synodū Grçcè editam, ac pulcherrimè compactam, ac quædam alia pia, neque hæc mediocris pretij attulimus: quç quidem Principi placuerunt. Eiuſdem igitur generis res, ſeu vaſa aliqua magna argentea deaurata, quç in Germania plus habent operis, quàm materiæ; ſericum item, inſigni aliquo opere auro intextum; imaginesq́ue piæ gemmis, & vnionibus ornatæ (ſed quarum nudo corpore pictura non ſit) Grçcis verò litteris inſcriptæ, vt cuiuſnam imago ſit conſtet,

acpro more Græcorum depictæ, probabuntur, & libentißimè accipientur.

QVIBVS VESTIBVS, ET REBVS vti Legatus, & sui: ac quomodo in alijs quibusdam rebus sese gerere debeant.

VESTES (si Legatus sit Ecclesiasticus) quanto minùs fastum & delicias sapient, tanto maiore in honore habebitur. Cùm enim Episcopi apud Moscos è monachis deligantur (qui perpetuo à carnibus abstinent, castitatem colunt, & paupertatis speciem retinent, vestibus autem penè Religiosorum ad talos vsque vtūtur) mirum in modum in suo schismate confirmarentur, si ad pompam potiùs, quàm ad religionem indutum aliquem cernerent. Pileum nos quadratum, maiore cum illorum ædificatione, gestabamus, quàm galerum, siue pileolos, & eiusmodi alia; quæ, vbi ad arcendam pluuiam, aut frigus, & solē necessitas non ingruit, cùm nescio quid secularis vitæ prodant, ipsa quoque natura videtur eos docere, ea non sapere Ecclesiasticum. Magnoperè autem Mosci offendūtur Italicis, Gallicis, Hispanicis, Germanicis vestibus breuioribus, quòd eas partes aspectui exponant, quę magis tegi debuissent. Quin verò ipsi, totius Orientis morem sectati, duabus, ac sæpe tribus penè vsque ad talos vestibus induuntur, ad honestatem; manicas verò longiores gerunt, vt ne manus quidem penè extent, cùm ijs vtuntur. Itaque qui eò proficiscentur, longiores vestes induant, quales Poloni, & Græci consueuere. Quæ res sumptui, vecturæ, corporiq; commodior est: ne dicam id vicem habere stragulorum. Nam neque stragula, nec lectisternia vnquam (vbi quis in Poloniam ingreditur) in hospitijs reperiet, ni secum ferat: vt Legato maximè necessarius Lectus etiam futurus sit, qui explicari poßit, & totus corio, vel tela circumtegi, in quo dormiat, ne fuligine, quæ ex superiore cubiculorum parte in Moscouia, & Lituania in oculos decumbentis incidit, & ob acutum muscarum aculeum, quę contra aliarum morem in tenebris peruolant, & intra linteamina penetrant, vehementiùs crucietur. Iam & tentorium habeat, quod figi queat in campis, vbi hospitia nulla sunt. Simplices autem nigrę telæ, quę cubicula diuidere poßint in plures partes, si diducantur (quando præsertim idem omnibus hypocaustum aßignatur, in quo & reliqua familia, præsertim in Polonia, & Lituania, cum bestijs plerunq; , prȩsertim in hyeme, iacet) maiorem habent ad honestatem momentum, quàm facilè verbis expresserim.

PANNVM, & sericum si quis ob familiam secum ferat, quod in Lituania pro eo more aptetur ad vestes, faciliùs vehetur, ac minùs corrumpetur.

SI cruces de collo gerant, quas vnusquisque in Moscouia sub thorace habet, cauendum est, ne sub ima pectoris parte versus ventrem pendeant. Peßimè enim Mosci vident, Sanctißimum crucis signum versus pudenda deferri: quin verò, si de cingulis viderint rosaria pendentia, quibus cruces adiunctæ sint, haud leue scandalum patiuntur, quasi honesto loco non hȩreant.

ID porrò indignum arbitrantur, cùm imagines pię vnà cū alijs rebus prophanis, & vestibus confunduntur: si vel illæ, vel alia sputo mundentur, aut tergantur: si quis terram pede identidem presserit: si pectus apertum gestauerit: si denique incompositò, aut inusitato gressu incedat, pręsertim cùm ad Principem itur.

CAVTIO IN PROCVRANDIS (SI opus fuerit) literis, ab alijs Principibus, ad ad Magnum Moscouiæ Ducem.

SI ab alijs Principibus ad Moscum petendę fuerint literę, cauendum erit, ne qui eas scribent, si schismatici, & hæretici fuerint (vt plerique hoc tempore sunt, qui id operæ præstant) aut siccè (vt aiunt) aut etiam minùs ad dignitatem eas scribant. Vel enim de Summo Pōtifice frigidißimè loquuntur; vel ea reticent, quæ ad Reipublicè Christianæ commodum, Christique nomen veraci cultu insinuandum in Moscouiam, magnoperè facerent. Nos quid ea in re (in ipsa quoque pacis compositione) ab eiusmodi hominibus paßi simus, longū esset, si hic intersereremus. Tenor igitur literarum, quę petuntur, sic Principibus Latinè proponatur, vt posteà idem à fido aliquo Catholico vertatur, quem vt ijsdem penè verbis Secretarius exaret, iubeatur à Principibus.

QVID DANDVM PRISTAVIS, IN discessu à Principe.

SOLENT Pristaui aliqui (licèt non omnes) satis esse petaces, atque ita vix biduum, vbi obuiam venerint, sinūt elabi, quin per interpretem Legato insinuent, ecquid referre suo Principi poßint, q̃ dono acceperint. Eis igitur spē præbere, vbi sese rectè gesserint; aut si molestiores sint, aliquādo respōdere, nō decere āte oblata Principi donaaliquid alijs dare; vel deniq; dicere, vt referant, sese nihil accepisse, vix aliquid dāni afferet. Gēs.n. ea licèt beneficijs afficienda est: quousque tamen aliam naturam induat, magis æstimat, quem metuit, quàm qui prorsus eorum postulatis annuit. Discessurus tamen, viginti quinque, vel triginta aureos

aureos Pristauis, ac totidem famulis, qui in seruierint, aut dona à Principe attulerint, distribuere poterit, nisi quid aliud maioris momēti dare voluerit. Vbi verò è finib⁹ Moscouię excesserit, aut aureos annulos, & cruces, pro Ruthenorū more factas, aut pecuniam aliquā inter sese partiendam reliquis, qui se fuerint comitati, ne quid proloquantur, expediet, vt dari iubeat, vel adeò ipsemet tradat.

IN TOTA LEGATIONE EVNDO, manendo, redeundo, quanam ratione, vbere cum fructu, Legatus se gerere poterit.

QVOD reliquum est, Legati animo id altißimè sit fixum, non posse non vberem ex eiusmodi Legatione fructum referre, si virtutes eas in itinere toto adhibuerit, quæ sunt maximè necessariæ; modestiam, comitatem, sobrietatem, religiosamque, & Christiano dignam vitam; vt, in quibus à Catholico cultu non discedat, fiat omnibus omnia. Ieiunet cum ieiunantibus: Sabbatho verò (quod tamen Græci, & Rutheni solent) carnes ne comedat. Quarta feria à carnibus vnà cum illis abstineat, commendans, & probans, quæ quis ad pietatem deligit; imagines illorum veneratus, quæ Sanctorum ab Ecclesia celebratorum memoriam referant. Sic enim mihi Vestra Beatitudo significari ab Illustrißimo Cardinali Comensi iussit. Ipsa porrò balneorum, & eiusmodi rerum declinatio; sincerißimus in agendis negocijs Diuini honoris scopus; & animarum illarum è Schismate eruendarum vera sitis: oratio ad Deum frequens: ijsq; apud Christum precatores adhibiti, qui ab ijsdē Moscis in honore habentur, si Sanctos fuisse constet: Libri quoque Seruianis, sed & potiùs Ruthenicis characteribus editi (qui capita fidei Catholicæ, virtutesque, ac peccatorum fugam ostendant) & firma fides, qua credat, nullum hominem eo esse immanioré, qui se peccato subijcit, quodq; in eo est, sanguinem Christi in se ipso conculcat, optimum religionis nostræ, ac Sanctę Apostolicæ Sedis, seu cuiuscunque Catholici Principis odorem relinquent: qui vnus plurimis alijs fructibus debet anteponi. Cùm posteà, quod ad illud iter spectat (in quo libri pij in hospitijs, & piæ aliæ res vbique spargi possunt) id non tam difficile sit, quàm soleat prima cogitatione videri. Neque enim traijcienda sunt maria: non flumina, quæ alijs in Prouincijs sępe maiora sunt, nō excelsi montes transeundi, sed Roma vsque in ipsam Regiam Mosci, eodem curru vehi poterit Legatus.

LICET multa alia sint, quæ moribus, & cælo variarum regionum satis diuersa, hominem commodis suis assuetum terrere aliquatenus poßint; præsertim si aliud, quàm Dei gloriam, animarum salutem, ac publicum bonum spectet.

VLTIMA INSCRIPTIO LITERARVM S.mi D. N. Pont.tis Maximi ad Magnum Moscouiæ Ducem.

IOANNI Basilij, Domino Russię, Magno Duci Moscouię, Nouogardię, Smolēscię, Vlodimirię, Dño Casani, & Astracani multarumque aliarum Prouinciarum Principi Magno, & desideratißimo.

PRIMVM PVBLICVM COLLOQVIVM, DE RELIGIONE CATHOLICA, HABITVM DIE XXI. FEBRVARII 1582. CVM IOANNE BASILII, MAGNO MOSCOVIAE Duce, in eius Regia, Senatoribus eius, ac centum alijs Proceribus præsentibus.

VBI SENATORES Magni Ducis Antonio, varijs de rebus, quas ei ante triduū proposuerat, responderunt: addidere, Principē haud solitū esse priuatim agere quidquam de magnis rebus, quāta isthęc erat (erat autem de religione) quā ipse Antonius, Pontifice Max. mandante, Staricię quidem superiore æstate, sed & tum Moscuā veniens, Principem rogauerat. Adiecere, Principē vereri, ne qua ex colloquio de religione contentio, inter se, atq; Antonium orıretur, qua vel ipsum cum Stephano Rege cōpositæ pacis beneficium minueretur, aut molestiam Antonio facesseret. At Antonius cùm dixisset, sperare se nullā contētioni cum tāto Principe fore caussam prębiturū; idq; totum, quod proposuerat, spectare ad arctioré Christianorū Principū cum Principe cōiunctionem; nec verò se ab eodem colloquio cogitasse secernere Senatores, si ita Princeps expedire iudicasset. Re Principi à Senatoribus relata, accersitus est eum ad locū, in quo Princeps cum Senatoribus suis, centumq; alijs Proceribus, & primarijs aulicis consederat.

TVM rursus Princeps, & ijsdem verbis pronunciatis, quæ Antonio paullò anteà retulerant Senatores: Vides, inquit, mihi quinquagesimum iam annum agenti,

non adeò diuturnum vitæ spacium superfuturum: ea porrò in religione me educatum, quæ vera Christiana, quæque mihi mutanda non sit: Instare autem iudicij diem, in quo Deus iudicaturus sit, nostrane, an Latina fides veritate nitatur. Neque tamen, ait, improbo, quòd à Gregorio xiij. Pont. Maximo missus, officio isto fidei Romanæ tuendę fungaris; quamobrem ea dicere potes, quę libet.

Tvm Antonius, Serenissime Princeps, inquit, singularium beneficiorum, quæ erga me contulisti, pręcipuum hoc est, quo mihi concedis, vt de summa re colloquar hodie tecum. Scito autem, Pontificem Maximum, nequaquam tibi esse auctoré, antiquissimam vt Græcam religionem mutes, qualem Patres, ac legitimę Synodi docuerunt. Quin verò hortatur, ipsam vt quænam fuerit nôris, & amplectaris, atque adeò, quidquid ex ea in tuis ditionibus integrum est, retineas. Quod si feceris, iā non erit Occidentalis, & Orientalis Ecclesia, sed vnum omnes erimus in Christo: nec tua templa, nec sacra, nec Sacerdotes declinabimus, à quibus recta fide, & ritè mysteria Diuina administrabuntur.

Ceterum, quòd nunc id eius Sanctitas tibi proponat, ne mirère: nam & vrgetur à Christo, à quo sibi demandata est pascendi Christianā Ecclesiam cura, ac tuę in primis litteræ eū permouerunt, de fœdere inter Principes Christianos, per eius Sanctitatem procurando. Quæ item à te ad Stephanum Regem scriptæ sunt de fidei vnitate, quam Constātinopolitanus Imperator, vnà cum Oriēte, in Synodo Florentina agnouit, ac cui Moscouiæ Metropolita Isidorus, (sicut tu ipse scribebas) interfuit. Adiecisti, Catholicos, ac Romanæ fidei homines liberè in sua fide in Moscouia versari, ac viuere. Quę cùm tu nemine cogente scribebas, non potest Pontifex Max. non cogitare, quin è cādido pectore, quantum te istiusmodi tantum Principem decuit, profecta fuerint; ac verò te ad testimonium veritati perhibendum fuisse impulsum ab eo, in cuius manu corda sunt Regum, & sine cuius nutu ne folium quidem arboris mouetur.

Iam cùm aduersus perfidos, & paganos nullum fortius pręsidium comparari, vel arctiori vinculo cōstringi Christiani Principes queant, quàm fide ea, quæ esse nisi vna non potest, hinc fœderis fundamenta iaciēda sunt; sine quo reliqua humana tractatio, quantacunque esset, aut extrui non posset, aut extructa facili momento concideret. Itaque alterum è duobus cogita, aut apud omnes Christianos Principes, apudq; ipsum Orientem, cùm ad Synodum Florentinam conuenit, fuisse veram Christianam fidem: aut tuam, nisi eadem sit, ab illa sic discrepare, necesse vt sit, vt alterutrius partis fides errore non vacet: quo certè errore perniciosior nullus est. Quòd si is, de quo tute scripsisti, tantus Imperator Io. Emmanuelis, & quidem, vt iterum dicam, vnà cum tuo Metropolita reliqui Orientales, non temerè fuerunt permoti, cur in sola Ecclesia Romana veram esse fidem, & eam ipsam, quā vniuersa Gręcia, & Asia integram antiquissimè seruabat, agnoscerét: ecquid tibi reliquum est, vt agas, nisi vt vel eandem semitā teras; vel si dubitas, quin eadem, quæ acta sunt in Concilio Florentino, tibi proponantur, accerse Interpretes Græcos, atque ex ipso Byzantio libros ipsos Patrum Græcorū pete, nisi vel nostris Græcis, & ab ipsismet penè auctorib⁹ propria manu conscriptis, vel mihi ex ijsdem eadem tibi ostensuro fidem adhibes. At verò si ex eadem Synodo Florentina, quā tibi Græcè editam à Pontifice Max. attuli, præcipua quædam Patrum loca exponi volueris, id libentissimè faciam; eo apud Deum lucro, vt seriò sperare quoq; possis, fore vt certioribus, quàm hactenus factum est, insignibus, ac titulis, Orientis Imperator non ita multò post appelleris, si in Orientem Orthodoxam, & Catholicam fidem promoueris; ad quam rem non deerunt Principes Christiani, qui alijs ex partibus tibi opem sedulò ferant.

Ad ea Princeps respondit, Se Pontifici Maximo non scripsisse de fide, de qua nec modo loqui cogitaret, tum ne quid sibi excideret, quod ægrè deinde laturus esset Antonius; tum quia sui muneris esset, temporalia, non Spiritualia administrare: nec ad eam rem quidem se à suo Metropolita benedictionem accepisse. Ceterum se non in Græcos, sed in Christum credere. Ad Imperium Orientis quod attineret, Domini esse terram, quam pro sua voluntate, quibus illi placeret, esset daturus. De Florentina Synodo, deq; Moscouiæ Metropolita Isidoro, nihil omninò locutus; tacuit ad ea, quę ad religionis vinculū pertinebant, quo vno aduersus hostes Christi nominis, essent Christiani Principes obstringendi. Pollicitus autem iterum, se pręstiturum id, quod eàdem die per Senatores Antonio promiserat, vt Catholici Sacerdotes à mercatoribus cum Legatis liberè possent in Moscouiā adduci, in eaq; cōmorari, & Catholicis Sacramenta ministrare: negauit tamē se concessurū, vt publicos cōuentus, aut Ecclesias, ad quos Rutheni accederent, haberent publicas: porrò ea de re fidem, magno suo signo obsignatam, se Antonio, priusquam discederet, traditurum,

turum, quod quidem anteà is Stariciæ impetrare nequiuerat.

Tvm Antonius Principem rogauit, vt dignaretur aperire, quid de toto hoc religionis negocio sentiret: neq; enim quidquam à tanto Principe sibi molestum accidere posse. Quòd autem nō in Græcos, sed in Christum crederet, id optimum esse, ac propterea testimonium Græcorum Patrum ab Antonio afferri, vt ex ijs, quibus tanquam grauioribus testibus fidem haberet, intelligeret ipsam verissimā, & Orthodoxam fidem, qua in Christvm credimus, & tēdimus, à Summis Pontif. istis Romanis semper edoctam fuisse.

Nos, inquit Princeps, iam ab ineunte Christiana Ecclesia fidem Christianā hausimus, cùm Andreas, Petri Apostoli frater, in has regiones venisset, ac Romam profectus esset; deinde Volodimero ad fidem conuerso, religio latiùs propagata est. Itaque eodem tempore, quo vos in Italia, nos in Moscouia Christianā fidem accepimus, quam & integram seruauimus; cùm in Romana fide septuaginta fides sint, vel te Antonio teste, qui id mihi Stariciæ significasti.

Antonivs (qui intelligebat ea à Principe dici, quòd ipsemet Antonius, occasione oblata, non semel Senatoribus, atque alijs ostenderat, mille & ducentos fermè annos Christianam fidem in Italia fuisse, antequam Moscouia Christo nomen dedisset) de Sancto Andrea pauca locutus, ne quid grauius in Principem, quasi haud vera dicentem pronunciaret, adiecit: Inconcussa, & eadem fides semper Romæ stetit, quam Petrus, & Paulus initiò prędicārunt: pro ea sanguinē fudēre penè trecentos totos annos, qui Petro successēre Pōtifices: inde reliqui, pacatiora licèt tempora habuerint, eandē tamen varijs in fluctib⁹ sine naufragio illæsam seruarunt. Septuaginta, de quibus dicis, Romæ fides non sunt, sed vna est, quæ septuaginta, atque adeò plures ex Luthero enatas hæreses (quas isthic per mittis in paucis quibusdam Liuonum reliquijs, de quibus tibi Stariciæ scripseram) anathemate ferit, atque intrepida fronte persequitur; sicut & cum Orientis, atque Aphricæ hæresibus semper fecit.

Qvod dicis, Antoni, inquit Princeps, Pontifices Max. Sanguinem pro fide Christi fudisse, id bene habet. Dixit enim Saluator; Nolite timere eos, qui interficiunt corpus, animam autem non possunt interficere.

Et propterea, respondit Antonius, nos & in Moscouiam fidenter in Dei nomine venimus, & ad Indias, atque ad reliquum Orbem terrarum Pōtifex Max. alios mittit, qui omnia pro Christi nomine subeant, vt eius veritas innotescat, & crucis trophæum quàm latissimè excitetur.

At Princeps ista declinans, Scriptum est, inquit, Euntes ite, docete omnes gētes, prędicate Euangelium omni creaturæ, baptisantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Omnes id Apostoli cùm fecerint, nec alius alio maior fuerit; ab ijs profecti sunt Episcopi, Archiepiscopi, Metropolitæ, atque alij plures, ex quibus & nostri sunt in ditionibus nostris.

Qvoniam, Antonius ait, quod ex Euangelio citasti, Verbum Dei est, propterea id indubitanter credimus: at & eidem ipsi Christo, qui reliquos Apostolos pari auctoritate, sed tanquam delegata potestate misit in mundum (quia sic fidei vbique promulgandæ necessitas exigebat) credendum est, qui soli Petro, quod alijs Apostolis nunquam fecit, regni Cœlorū claues, fratrum confirmationem, ouium pascendarum curam demandauit. Quod si profecti à ceteris Apostolis Episcopi, potestatem suam retinent: quanto magis retineat Petri Sedes, aduersus quam (quod alijs Apostolorum Sedibus dictum non est, ac propterea in multis prouincijs eorū successio, & religio, aut variata est, aut interijt) nec inferi portas prævaliturās, & eam ad consummationem vsque sæculi duraturā, irreuocabili promisso testatus est is, qui veritas est, ac non mentitur Deus?

Tum Princeps: Nos Petrum, pluresque Pontifices Max. sanctos agnoscimus, Clementem, Syluestrum, Agathonēm, Vigilium, Leonem, Gregoriū, & alios. At verò, qui eos secuti sunt, quonam modo Petro successerunt; aut, cùm improbè vixerunt, eàdem cum auctoritate in Sede resident Petri?

Facile, inquit Antonius, pro tua sapientia, Princeps, intelligeres, eàdem cum auctoritate, qua Petrus, reliquos Pōtifices Max. vsque ad hæc tempora Ecclesiam administrasse, si, quod verissimum est, patereris ostendi tibi; eorundem, quos probas, antiquorum Pontificum libros, Canones, Doctrinam, atque in primis Diuini verbi expositionem constanter eos esse secutos. Quod ad probitatem, aut improbitatem vitæ spectat, non agam longiùs, tum quoniam virtus Sacramentorum, & Ecclesiæ administratio, delata Pontificibus, non ab hominum vita, sed ab immobili instituto Christi pendet; tū quoniam non omnia vera sunt, q̄ ij, qui abscissi à Christi corpore sunt, nimio ausu (cùm neq; ea viderint, de quibus affirmant, aut negant) pleraque solent licentiùs effutire, ne de sua ipsorum

vita

vita reliqui audeant proferre veriora. Obsecro autẽ te, Serenisſime Princeps, vt pro tua benignitate mihi reſpondeas, num tu, qui poſt quingentos annos Volodimero ſuccesſiſti, iſtius imperij legitim⁹ ſis hęres, atque ſucceſſor? Cui cùm Princeps annuiſſet, adiecit Antonius: Iam ſi quis de tui, vel maiorum tuorum auctoritate vellet obſtrepere, ſi qui pro humana fragilitate, aliquid commiſerunt, ecquis illum meritò redarguendum, ne dicam plectendum eſſe, non exiſtimaret?

Qvo Sermone cùm interius magis vrgeretur, quàm anteà oſtenderat (cum & ijs diebus quidam Angli hæreticisſimi, & Medicus Hollandus Anabaptiſta, multa Principi obtruſiſſent, aduerſus Pontificẽ Maximum) ferè aſſurgens; Scito, inquit, Pontificem Romanum non eſſe Paſtorem. Quam iniuriam cùm eò iniqui⁹ ferret Antonius, quod in tanto Procerum conſeſſu, aditum ea vox præcluderet ad fidem, adoleſcentem interpretem (ceteroquin fidum, & Catholicum, ſed quòd ſibi à Principe timeret, hæſitantem) animauit ad dicendum: Cur igitur ad eum de tuis rebus miſiſti; quem item Paſtorem Eccleſiæ tu, tuiq́ue præceſſores ſemper appellârunt?

Tvm Princeps excandeſcens, atq; omninò aſſurgens, cùm crederent omnes fore, vt pedo illo ſuo (quo tanquam Pontificio paſtorali vtitur, cuius extremę parti cuſpis ferrea infixa eſt) Antonium (vt & alios, atque adeò filium ipſum, ſolitus fuit) percuteret, atque interficeret; Fuere, inquit, in foro ruſtici, qui te docuerunt, vt mecum ęquè ac cum ruſtico loquereris. Quæ verba cùm æquabili facie Antonius excepiſſet. Scio, ait, Serenisſime Princeps, me cũ Principe prudente, ac bono loqui, erga quem non ſolùm ipſe fide, atque obſequio, quod in pace componenda expertus es, verùm etiam ipſemet Pontifex Max. paterno, ac ſingulari amore fertur: qui ſi quid dicimus, eò id meliorem in partem ſpero à te acceptum iri, quod & verba Christi, ſunt, quæ profero, & tu mihi, vt de his rebus liberè loquerer, concesſiſti. Sic complanato illius animo (vt mirarentur Senatores, ac reliqui Proceres) cùm iterum conſediſſet, quatuor identidem pergebat (pacatiorib. licèt verbis) obijcere, ab ijſdẽ hæreticis inſtillata: Quòd Pontifex in ſella geſtaretur: Quòd crucẽ in pedib⁹ ferret: Quòd ſibi raderet barbã: Quòd faceret ſe Deum. Ad quæ cùm Antonius obtinuiſſet, vt poſſet reſpondere, (videbat enim aſtantes, rebus exterioribus, falſisq; calumnijs, addita Principis auctoritate, ſic commoueri, vt quidam dicerent, Antonium illicò eſſe in aquam demergendũ) ita locutus eſt: Quòd Pontifex Max. aliquando in ſella geſtatur, id non ad faſtum, ſed ad benedicendũ frequentisſimo populo, ſolemnioribus diebus feſtis, in nomine non ſuo, ſed Sanctisſimę Trinitatis, fit. Porrò vnà cum alijs plerumq; familiarisſimè incedit; ac ſæpe pedibus, religionis gratia, pia loca obit. De cruce autem, quam gerit ad pedes, non te, ait, lateat Princeps, quòd cùm populi initiò ad pedes Apoſtolorum proſternerent ſeſe, idem ſucceſſoribus S. Petri frequentisſimè acciderit. Qui ne ſibi is honor omnino deferretur, crucem appoſuerunt, quam oſculantes agnoſcerent, ac venerarentur crucis Chriſti myſterium; quo quidquid Pontifices haberent, aut poſſent, id ſe Chriſti Domini merito, ac paſſione aſſecutos indicarent. Atqui (inquit Princeps) dedecus eſt geſtare crucem in pedibus, nam & ignominiæ loco habetur à noſtris, ſi ſub ipſum pectus ad ventrem crux aliqua dependeat. Videbat autem aliquibus eorum, qui Antonium in itinere erant comitati, paululùm ſub ipſo pectore, cruces de collo pendentes. Cùm Chriſtus (reſpondit Antonius) toto corpore crucifixus ſit, & nos toto corpore cum Chriſto cruci confixi eſſe debeamus, nihil piaculi committimus, ſi qua in corporis parte ad pietatem crux geratur: quam pietatem Diuina Sapientia de corde in primis, ac conſcientia pura potiùs, quàm de externa poſitione dijudicat. Ac quidem de pedum oſculatione (præter quam quod Pontifex Max. pauperum pedes lauat, & deoſculatur) certè nemo eſt, qui cùm illi pedes deoſculantur, Diuinum ſe putet honorem deferre. Cæterum id, ita prædicente per Eccleſiam DEO & aliâs, & per Eſaiam ſeptingentos ante annos, quàm CHRISTI Eccleſia fundaretur, neceſſariò futurum erat. Hæc dicit Dominus: (inquit Propheta) Ecce leuabo ad gentes manum meam, ad populos exaltabo ſignum meum, & afferẽt filios ſuos in vlnis, & filias ſuas ſuper humeros portabunt, & erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabũt te, & puluerem pedum tuorum lingent. Nunquid igitur, Princeps, quoniam Dominus Deus (cùm qui gentilibus Regibus honor deferebatur, eũ ſuis detulit ſeruis, quos lucem, petram, fundamenta, & proprijs ſibi Deo titulis decorauit) non debebat in rem conferre promiſſum ſuum, vt non ſolùm oſcularentur, ſed ad maiorem Diaboli confuſionem, lingerent eorum pedes, vt ait Scriptura, quos Chriſtus Eccleſiæ ſuæ pro tempore præfecit? Sed & priuatis iſtis Epiſcopis tuis populi ſeſe tui ad terrã proſternunt, & qua aqua ſibi in tẽplis abluunt

ma-

manus, ea, licèt ſordida, oculos, faciemq́ue reuerenter aſpergunt. Tu autem ſapiens es, qui non ignoras, ſi quis Legatis, ac Proregibus, aut Præfectis à populo, vel adeò à magnis Dominis honor defertur, eum in te redũdare: qui cùm à Deo auctoritatẽ acceperis, an Deo adimit honorem is, qui hunc honorẽ propter Devm tibi, tuiſúe tribuit?

Tvm Princeps: Et nos, inquit, vt ſumus Princeps Chriſtianus, quotiescunque ad nos venit Metropolita noſter, ei obuiam cum omnibus noſtris procedimus, manumq́ue illius oſculamur; at non facimus illum Devm.

Ergo & tu, ait Antonius, ob iſtam ſpeciem ſpiritualis auctoritatis, non ſubdito tuo tùm, ſed Deò putas honorem tribuere: quamuis multo maior ei debeatur, cui Deus vniuerſam Eccleſiam tradidit adminiſtrandam, quàm qui Metropolitæ alicui deferendus ſit, ſi tamen Canonicè electus, riteq́ue confirmatus ſit. Neque verò Deũ ipſe Pont. Max. ſe facit, qui pluribus omiſſis titulis, quos iuſtè poſſet adſciſcere, Seruum ſe Dei ſeruorum vocat. Ac cùm id re ipſa omnibus cùm nationibus, quæ ſub cœlo ſunt, vt tuus vidit Seuerigenus, exhibeat, tum in vniuerſum orbem terrarum, ad Dei, Chriſtiq́ue filij eius nomen prædicandum, continenter operarios mittit, quod quidem nemo vnquam Patriarcharum Orientis aut fecit, aut facere potuit.

Iam quod ad barbam attinet, ſanè eam ſibi radere non facit, quam ſatis prolixam habet; ac ſi radere iuberet, nihil proinde mali committeret, cùm qui id fecère ſancti, & priſci Pontifices, quorum effigies adhuc in antiquis numiſmatibus cernuntur, iuſtas & pias ob cauſſas facere pro varia temporum ratione potuerunt. Aliud enim eſt, quod in Apoſtolicis Conſtitutionibus à S. Clemente Laicis præſcriptũ eſt, ne raderent barbam, nempè vt & caput ſeſe vxorum ſuarum oſtenderent, nec porrò illam ſibi abſcinderent, quemadmodùm Turcę ad immundiciem, libidinemq́ue faciunt: aliud autem, quod Sacerdotibus licet, ſi qui ob myſteria corporis & ſanguinis Christi religiosè tractanda, fugiendamq; oſtentationem id faciunt.

Qvae cùm dixiſſet Antonius, ne quid offenſionis in animo Principis reſtaret, manum ipſius petijt vt oſcularetur: quam cùm ille benignè porrexiſſet, Non ſolùm, inquit, manum tibi tradam, verùm etiam te amplectar. Itaque aſſurgens, bis totis vlnis, magna cum aſtantium admiratione, amplexus Antonium, ac ſe excuſans, quòd agere de religione noluerat, ne quid ſibi grauius excideret, illũ amanter ab ſe dimiſit. A prandio verò tres Proceres ad Antonium cũ cibo, & potu; ac poſt horã alteram Aulicum cum vario potuum genere ad eundem miſit. Qua iterata beneuolentiæ ſignificatione, plerique omnes obſtupeſcebant, cùm id cum Legatis, aut Nuncijs Summorum Principum facere extraordinariè non conſueuiſſet, ac verò prorſus actum de Antonij capite paulò antè exiſtimaſſent. Ea verò, quæ ſecuta eſt, nocte, Princeps ad Antonium miſit, vt quem locum ſibi ex Eſaia recitauerat, eum mittere ſcripto ad ſe vellet, quod poſtridie eius diei addita Patrum expoſitione fecit; atque his quinq; Gennadij Patriarchæ Conſtantinopolitani Capita, de primatu Pontificis Max. adiunxit, quę Ruthenicè verti in itinere procurauerat, tum eandem ob cauſſam, tum vt aliquando Gennadius totus Ruthenicè prodiret in lucem.

ALTERVM DIE XXIII. FEBRVArij Colloquium Antonij Poſſeuini cum Magno Moſcouiæ Duce, ac cum Senatoribus eius.

Ea die frequentisſimo populo, aulaq́ue Principis pleniore, quàm antea, euocatus ad Principem Antonius acceſsit: cùm extraordinarijs illis beneuolentiæ argumentis, non ab omnibus in bonam partem acceptis, nonnulli vererentur; quin Antonio, ac ſuis aliquid grauisſimum accideret; cumq́ue præſertim Antonio ſignificatum fuiſſet, Principem ei velle publicè oſtendere librum, quod tum denique non fecit. Itaque Antonius ſocios, atque adeò omnes de ſuo comitatu animauit ad bonam fidei confesſionem re ipſa faciẽdam, ſi quid ab illa gente contigiſſet, eosq́ue proinde Sacramentis expiauit, & ſanctis reliquijs muniuit. Verumtamen, ſiue quoniã Principis animum Diuina ſapientia emolliuerat, ſiue quòd ſeruis Dei dignioribus eam pro Chriſto in Moſcouia patiẽdi palmam tempus in aliud ſeruabat, factum, eſt, vt Princeps, cùm primùm Antonium vidit, non ſolùm (vt ſolebat) iuſſerit eum ſedere medio in procerum conſeſſu, ſcamno è regione Principis locato, & tapete inſtrato, verumetiam omnibus ad ſe accerſitis Senatoribus ſuis, ſic ſatis alta voce locutus ſit: Antoni, ſi quid tibi heri dixi de Pontifice Max. quod tibi diſplicuerit, rogo te, vt mihi parcas, nec velis id eius Sanctitati referre. Volumus enim cum eo (quanquam inter nos, & vos nonnulla diuerſa ſunt in fide) ceterisq́ue cum Chriſtianis Principibus amicitiam, fraternitatem, atque vnionem habere. Itaque hac de re tecum ad Pontificem Legatum mittemus, noſtriq́ue Senatores reliqua noſtro nomine tibi ad ea, quæ nouisſimè nobis propoſuiſti, reſpõdebunt.

Anto-

ANTONIVS gratijs Principi actis, eiusque benignitate commendata, se non minus in reliquis eius negotijs procurandis fidelem forè dixit, quàm in pace cũ Stephano Rege componenda expertus fuisset, sicque cum Senatoribus ad solitum conclaue secedẽs, quod matutini temporis restabat, id per aliquot horas audiendis Senatorib⁹, & cum eis agendo de rebus grauissimis, impendit: quæ quidem spectabant ad res Persicas, iterque ad eum Regem liquidiùs intelligendũ; deindè ad Tartaros; ad Principum Christianorum fœdus; ad pacẽ cum Ioanne III. Sueciæ Rege tractandam, caussasq; vestigandas, cur Regis Sueciæ Legatis quõdam illata fuisset à Principe iniuria: inprimis autem ad religionem Catholicã, ac Ruthenã; de qua Principis nomine ab Antonio petierũt, vt scripto discrimẽ inter vtramq; tradere vellet, quandoquidem in Moscouia non esset, qui Synodum Florentinam Græcam posset interpretari. Quod cùm se facturum polliceretur Antonius, Gennadium integrum Latinum, quem secum attulerat, deprompsit, ac Senatoribus ad Principem dedit, ex quo posset primaria rerum capita, seu discrimina, à Latinis Interpretibus in Ruthenicam linguá verti iubere: Græcum enim eundem Gennadium anteà dederat.

TERTIVM DE RELIGIONE COLloquium Magni Moscouiæ Ducis cum Antonio Posseuino, eodem in procerum consessu, Senatoribus autem astantibus. Quid item post illud contigit ea ipsa die, quæ fuit quarta Martij, & Dominica prima Quadragesimæ, cùm Euangelium legitur: Ductus est Iesus in desertum, vt tentaretur à Diabolo.

ETSI quotiescunq; ad Principẽ adibat Antonius, præter Proceres eos, qui illũ deducturi ad sese frequentes in vehiculis, & in equis venire soliti erant, stipatores Principis longissima serie sese contingẽtes, & ferreis tormentis terræ innixis, ab vtraque viæ parte tam in secunda, vbi hospitium erat Antonij, quàm in prima Principis arce circiter mille quingenti stabant; Ciues autem, & reliqui scalas, atrium, fenestras, deãbulacra (vti & nobiles, ac Proceres primum, ac secundum Principis conclaue) replebant: id tamen, quod quarto Kal. Martij tentare Princeps decreuerat, fecit, vt frequentior populus in primam arcem, arcisque plateam cõuocaretur (ad quinq; enim hominum millia minimùm ęstimata sunt) Aedis autem D. Virginis, cuius septem pinnacula laminis aureis contecta sunt, itemque S. Ioannis fores sic panderẽtur, vt quod Antonio transeunte nunquam anteà factum fuerat, induti etiam sacris (si sacræ dicendæ sunt) vestibus Sacerdotes Coronã in medio templi facerẽt, & preces de more Ruthenicas funderent. Manserat verò Hebdomada ea Princeps in cubiculo, ieiunijs arctioribus, & orationibus plus solito vacans, q̃ Rutheni feria secunda (quod nos facimus quarta) suam, Græcorum more, Quadragesimam inchoent, licèt à Septuagesima carnibus (non item ouis & lacticinijs) ad id vsq; tempus abstineant. Ergo tanto apparatu euocatus Antoni⁹, vbi Principem conspexit, sedere iussus mox ab ipso ad se proximè vocatus, eum ita loquẽtem audiuit.

Antoni, relatum est nobis à Senatoribus nostris, cupere te Ecclesias nostras obire: qua in re tibi gratiam nostram (ea phrasi sæpè vtitur) ostendere volumus. Iussimus enim, vt te ad eas Proceres nostri deducerent, in quibus videbis, quanto cultu Sanctissimam Trinitatem adorantes, Beatissimam item Virginẽ, ac Sanctos veneramur, & inuocamus. Conspicies autem, qua pietate feramur erga pias imagines, cùm & Beatissimæ Virginis eam, quę à Sancto Luca depicta est, cernes. Nec tamẽ videbis nos, aut Metropolitam nostrũ in sella gestari.

ANTONIVS, cui nec opinanti ea verba dicebantur, cùm etiam paucos ante dies Princeps veniam ab eo de eiusmodi verbis petijsset, hortatus interpretem vt altius loqueretur, ita respondit. Quæ ad Diuinum honorem ritè, pieque fiunt, ea nos comprobamus, & extollimus: sed quod attinet ad meam templorum tuorum visitationem, scito me à nemine petijsse, vt Sacro, precibusue tuorũ Sacerdotũ interessem: noui enim, quæ in ijs apud vos agũtur. Quousque verò inter nos de fidei negocio conueniat, ac tuus Metropolita ab eo cõfirmetur, qui eius Sedem tenet, cui Dominus dixit: Cõfirma fratres tuos, non possumus istis eorum actionibus interesse. Ad Pontificis Max. gestationem quod attinet, dixi tibi, id ad benedictionem populo impertiendam fieri: quamuis ea dignitas tãta sit, vt ipsam CHRISTI Domini dignitatem, Apostolicæ Sedi collatam, expediat ita quoque monstrari. Plus verò est, quod populi isti deferunt honoris Episcopis tuis (si Episcopi sunt) cùm qua abluunt manus, eam suis oculis, alijsque corporis partibus inspergunt, sese autem ijs Episcopis persæpè ad terram inclinant, ac terram fronte percutiunt. Quæ verba cũ Princeps excepisset: hoc aquæ mysterio (inquit) CHRISTI resurrectio designatur.

NE tibi (respondit Antonius) negociũ hisce de rebus facessam, licebit Serenitati tuæ hæc perlegere, quæ tibi, mandato

tuo, de discrimine inter Catholicam, & Grçcam fidem conscripsi: ex ijs enim etiam intelliges, quæ de multis huiusmodi rebus, si velles, possent responderi. Quod scriptum cùm Princeps accepisset, iussit, vt Antonius adduceretur ad B. Virginis templum, sed ei iam ex cubiculo exeunti Princeps inclamauit: Vide Antoni, ne Lutheranum aliquem in Ecclesiam inducas. Cui Antonius: Nos, Princeps, Lutheranos, nisi resipiscant, non admittimus, neque nobis vlla cum eis coniunctio est. Sic igitur descendentes Proceres, Antonium ad dexteram partem ædis B. Virginis, vnà cum suis sistere conati sunt, expectaturum, quousq; Princeps veniret: ceterùm nulla de re eiusmodi præmonitum, atque eò minùs id cogitantem, quòd disertè Principi declarauerat, se nulli Sacro, aut precibus eorum publicis interfuturum. Itaque re animaduersa, se inde sensim (sed liberè) cum omnibus suis subduxit Antonius: cùm ei Proceres identidem protestarentur, eum, qui in reliquis rebus omnibus erga Principem suum rectè se gessisset, ea in re magnam iniuriã Principi inferre. Quibus cùm rationes sic afferret, vt frequens populus miraretur, ceterique nobiliores essent attoniti, diriorem aliquem casum aduersùs Antonium expectantes; ecce Senatores admoniti, qui iam cum Principe ipsam in plateam descẽderant, ad Antonium satis ab æde illa iam remotum accedũt; sciscitati, caussam Principi referunt, quem Sacerdotes quidam, prælata Beatissimæ Virginis imagine, prę cedebant.

TVM Princeps media in platea cum omnibus aulicis subsistens, manuque caput fricans, ambigens quid ageret, tandem Senatores remittit Antonio, dicentes, eum quidem descendisse, illique gratiam suam ostendere voluisse: verùm enimuerò cùm eam nollet admittere, integrum ei relinqui, vt in palatium ad solitum conclaue ascenderet, quò Senatores paulò pòst de negocijs, de quibus agebatur, essent venturi. Sic Principi ad ædem appropinquanti Metropolita, cum aliquibus Episcopis, & Sacerdotibus exiens, obuiam venit; salutatum, in ædem deducunt; crucem osculandam tradunt. Ea verò in æde suggestum, & Cathedram pro Antonio excitatam fuisse, vt omnia cerneret, ac deinde aliquid ei de fide obijceretur, à nobilibus posteà audiuit. Itaque vitata ab Antonio ea tempestate, & manus Metropolitæ deosculatione, quam Princeps optauerat, vbi in conclaue ascendit Antonius, hîc ex pectore plena reliquiarum cruce deprompta, cum suis omnibus, qui erãt quindecim, satis alta voce, genibus flexis, hymnum, Te Deũ laudamus recitauit. Id quod nobiles Antonium prosecuti, cùm perquirerent, quid id esset; cognouissent autem ab eo gratias Deo actas, quòd Christianam veram fidẽ cum suis cõstanter, ac publicè defendisset, mirificè affecti sunt, vt non solùm obmutescerent, verùm etiam expallescerent. Hanc enim à teneris annis Mosci opinionem imbuerunt, sese vt solos veros Christianos existiment, reliquos (licèt Catholicos) immundos, hæreticos, aut errantes putent. Sed & eius ingenij Principi res illa molestissimè accidit, cùm hominis à Pontifice Max. missi præsentia, & ergà Metropolitam suum demissione, gentem illam in schismate stabilire cogitasset, quasi Pontifex Max. Antonium, ad id officium præstandum, veritate agnita, misisset: quemadmodum anteà Smolencij per Episcopum, aut Vladicam illum, deindè verò Nouogardiæ magnę per Archiepiscopum frustrà tentauerat. Itaque astuto in astutia sua cõprehenso, facti illius publici testimoniũ in cordib⁹ Moscorum diù, vt sperandũ est, hærebit, cũ re ipsa coram Principe suo viderint, quam putant sese habere fidem, eam ab Orthodoxis & Catholicis ne dignã quidem æstimari, vt ipsorum ritibus pius aliquis intersit.

CVM itaque hęc acta fuissent, Senatoribus ad Antonium venientibus, rationes ab eo allatæ sunt, cur Princeps, si quid gratiæ (vt aiebant) Antonio ostendere voluisset, nec Pontificem Max. à Christo institutum carpere coram omnibus debuisset: nec cogitare eos, qui ab illo mitterentur, inferiores esse Metropolita, qui ne Metropolita quidem esset, cùm & alter, qui diceretur Metropolita, esset in Monasterio superstes; alius verò, quòd liberiùs Principis mores reprehendisset, vnà cum omnibus suis fuisset combustus, ac nemo eorum à CHRISTI Vicario fuisset confirmatus. Tum de veritate Catholicæ fidei plura locuto Antonio, cùm aures & animum Senatores adhibuissent, ipsi, cùm omnia Principi sese relaturos polliciti essent (sicuti ea ipsa die fecerunt) ad alia rerum capita ex scripto responderunt, quæ Antonius aliquos ante dies Principi proposuerat.

CAPITA, QVIBVS GRÆCI, ET RVTHENI A LATINIS IN REBVS FIDEI DISSENSERVNT, POST. QVAM AB ECCLESIA CATHOLICA GRAECI DESCIVERE,

Tradita in magno conſeſſu Procerum, Ioanni Baſilij, magno Moſcouiæ Duci, 3. Martij, 1582. in Ciuitate Moſcua: quibus breuis, dilucida, & ſolida errorum Græcorum, & Ruthenorum refutatio continetur.

QVOD tuo nomine ante biduum de me, Sereniſsime Princeps, à Senatoribus tuis quæſitum eſt, ſcripto vt exponerem, quid inter Catholicam Romanam fidem, atque Ruthenicam eſſet diſcriminis, id foret longius, quàm temporis adeò anguſti ratio patiatur; quod ad Sereniſsimum Poloniæ Regem in Liuoniam, atque inde ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, vnà cum Oratore tuo, eas ob cauſſas, quas nôſti, mihi præſcriptum eſt. Verumtamen, quoniam ex libro Gennadij Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ſanctæ Synodo Florentinæ interfuit (quem librum propterea Senatoribus tuis ad te dedi) præcipua huius diſcriminis capita dignoſcere poteris, agam breuiſsimè de ſumma rei: originem, ac tempus in primis attingens, quo Græci, à quibus Rutheni non integram, neque rectam Chriſtianæ fidei normam acceperunt, ſeſe à Catholica Romana Eccleſia præciderunt. Id enim ad totam rem liquidiùs intelligendam maximè faciet. Dum ſtetit in Oriente ſincerior fides, atque ſimplicitas, Græci Primatum viſibilis huius, ac militantis Eccleſiæ Petro Apoſtolo, eiuſq; ſucceſſoribus fuiſſe à CHRISTO Domino delatum credidere: ſicq; vel in Conciliorum confirmatione neceſſariã eſſe agnoſcebant Petri ſucceſſorum auctoritatem, ad quos illa vox Chriſti Domini

Luc. 22.

pertinebat; Petre, confirma fratres tuos: vel cùm à diuerſis hæreticis, & ab ipſis quoque Imperatoribus, Patriarchæ, ac reliqui Orientales Epiſcopi affligerentur, ad vnam ipſam Pontificis Romani Sedem confugiebant, vt defenderentur. Quemadmodum Sanctis, Ioanni Chryſoſtomo, Athanaſio, & plerisque alijs contigit. Quin verò ex toto orbe terrarum eandem ad Sedem Epiſcopi de quæſtionibus fidei, deque alijs grauiſsimis rebus ſcribebant, atque ad iuſſum Pontificis Maximi Concilia vel cogebant, vel coacta petebant vt confirmarentur. Et à Pontifice Maximo Archiepiſcopus Theſſalonicæ (quæ Græciæ ciuitas eſt) delegatam acceperat poteſtatem, qua cauſſas, & diſsidia, ſi qua enaſcerentur in Oriente, decideret: ac qui nominarẽtur in Eccleſijs Epiſcopi, eos auctoritate Pontificis Maximi confirmaret, ſi confirmandi viderentur.

Epiſt. 1. & 2. ad Inno. Sozomen. lib. 3. hiſto. cap. 7.

Quòd verò iſti Theſſalonicæ Archiepiſcopo ea poteſtas à ſummo Pontifice fuerit delegata, Leo primus, cui tui Rutheni fidẽ habent, ac qui tot ante ſecula fuit, teſtatur.

Epiſt. 84.

At verò cùm Conſtantinus magnus, Imperij ſui Sede Bizantio delecta, Roma Chriſti Vicarijs Diuino afflatus numine ceſsiſſet, Græci, qui tantò magis ea re Petri Sedem ſuſpicere, ac venerari debuiſſent, ſic terreni Imperatoris præſentia inflati ſunt, vt ab eo, potiùs, quàm ab inſtituto CHRISTI, quo Sedes Petri omnibus prælata fuerat, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ dignitatẽ æſtimare voluerint. Itaque anno Domini ſuper trecenteſimũ octogeſimo primo, Epiſcopum Conſtantinopolitanũ, qui antea ne Patriarcha quidem fuerat, tribus Orientis Patriarchis anteponere, & ſecundum à Romano Pontifice facere voluere, ſicut ex Concilij Conſtãtinopolitani primi, canone quinto patet. Deinde ne hoc quidem contenti, anno CCCCLI. eũdem Conſtantinopolitanum Epiſcopũ Romano Pontifici parem efficere conati ſunt, vt ex Synodi Chalcedonenſis actione ſextadecima conſtat. Sed neque inter hos terminos cõſtiterunt. Nam propè Sexcenteſimum à Chriſto nato annum, Epiſcopum Conſtantinopolitanũ Oecumenicum, id eſt, orbis terræ Epiſcopũ, ſiue vniuerſalẽ vocare ſunt auſi. Quod S. Gregorius primus pluribus Epiſtolis ad Ioannem Epiſcopũ Conſtantinopolitanũ, atq; ad Imperatorem Mauriciũ, & ad Imperatricem Conſtantiam, atque ad Patriarchas Orientis, planiſsimè tanquam blaſphemiã contra Chriſti Domini inſtitutum confutauit. Denique anno M.LIV. (vt ſuperbia ſemper aſcendit) varijs hæreſibus, & peccatis Oriens lucem veritatis amiſit. Epiſcopũ enim Cõſtantinopolitanum non ſolũ Petri ſucceſſoribus parem eſſe Græci dixerũt, ſed ementitis calumnijs eos anathemate ferire, ac Latinos ex Eccleſijs, quas Bizantij habebant, eijcere ſunt auſi.

Vide epiſto. Leo. 9. Anſelmũ li. de Spiritu S. Sigebert. in Chronicis. Antonin. lib. 3. hiſt. tit. 22. cap. 13. pag. 11.

QVIBVS ex rebus facilè intelligis, Græcos, cũ iſta Gregorio primo Pontifice Ma-

ximo

ximo (& quidẽ viro ſanctiſsimo) ſunt auſi, non ob peccata Pontificũ, quæ fallaciter à quibuſdam Græcis prætexuntur, ſed quia excæcauerat eos tumor, atq; mendacium, ordinem à Chriſto conſtitutũ, voluiſſe perturbare, atq; perrũpere. Sed (gratia Deo) ipſi perturbati ſunt, atq; perrupti: ipſi mancipia Turcarũ effecti: ijs libri, & ipſa Sanctorum Patrum corpora adempta, & ad vnam verã Eccleſiã Catholicam Romanam translata: ijs denique ſic ſublata auctoritas eſt, vt ne vnam quidẽ vnquam Synodum cogere potuerint, cũ tamen poſt ſeptimã Synodum plus quã decem Generalia Concilia coëgerit Sedes Apoſtolica. Quo temporis ſpacio quater & decies ſuos agnouit errores Græcia. Sed (vt S. inquit Iacobus

Iaco. 1.

Apoſtolus) cõſiderans ſe in ſpeculo, ac maculas ſuas videns, abiuit retrorſum, & ad vomitum redijt. Tandem cùm ſecurim ad radicem Deus iuſtus iudex apponere, ſterilemq; illam ficum vellet exſcindere,

Cõcilium Florentinum.

Synodum Florẽtinam cogi iuſsit, cui cùm Conſtantinopolitanus Imperator, cæterique Orientales interfuiſſent, veritate agnita, dedere dexteras Apoſtolicæ ſedi, & quos hauſerant errores, hos, Patribus Græcis publicè perlectis, quos ſanè ipſimet ex Aſia, & Græcia ſecum attulerant, eiurârũt. Quorum ij præcipui erant, quos Gennadius, qui poſteà eorum fuit Patriarcha, ijs in capitibus de Primatu Petri, refellit, quæ tibi Ruthenicè verſa tradenda curaui. At quoniam quam lucem hauſerant, eam paulò pòſt eorum plures depulêre, factum eſt Diuinitus, vt Conſtantinopolitani, & Græci, Imperium, fidem Orthodoxam, ac ſplẽdorem omnem amitterent: (dilexerant enim plus tenebras, quàm lucem) atque ita in tenebras interiores, & exteriores traditi ſunt; ſuper cordibus adhuc velamen habentes, vt in quo ſæpè conuicti ſunt, & iudicio ſuo ipſorum condemnati, id confiteri iam nolint.

Primũ caput diſſenſionis de proceſſione Spirit⁹ ſancti.

ET illud ſanè primarium inter Catholicos & Orientales erat diſcrimen, quòd hi putabant temerè, ac contra Concilia, quæ præceſſere, additum eſſe Symbolo, Spiritum ſanctum à Patre, & à Filio procedere. Verũ Orientales ex verbo Dei, & Patribus Græcis intellexerunt, à Latinis nõ duo, ſed vnum tantùm principium fieri, additaq; illa verba (ex Filio) ad quorundã hæreſim declinandam. Quæ declaratio neceſſaria anteà non erat, quòd error ille non apparuerat: Pontifices aũt Maximi, qui primas Synodos coëgerunt, & alij quoque ſanctiſsimi Patres Græci, qui ijſdem interfuere, eandem proceſsionem ex Patre, & Filio teſtati ſunt: vt ex Sanctis Athanaſio,

Lege Gennadium.

Baſilio, Gregorio Nyſſeno, Chryſoſtomo, Anaſtaſio, Concilio Epheſino, atque alijs oſtenſum eſt, cùm diſertiſsimè ſcripſerint à Patre & Filio mitti, procedere, prodire, profluere Spiritum ſanctum. Quamobrem etiam ex ſanctiſsimis Pontificibus, & Patribus Occidentalis Eccleſiæ hæc veritas comprobata eſt; cùm eorum Patrum ſententijs pro veritate fidei promulgatis, qui non crediderint, anathematis pœnæ à quinta, ſexta, & ſeptima Synodo, ſubijciantur.

PORRÒ quoniam quidam, neſcientes quid dicerent, audebant aſſerere, Latinos in excommunicationem incidiſſe, quòd in Conſtãtinopolitana Synodo anathema erat latum aduersùs eos, qui ſentirent, aut docerent aliter, quã illa in Synodo fuerat decretum, aut quàm Eccleſia eo tempore ſenſiſſet: edocti ſunt, nunquam aliter Eccleſiam Latinam ſenſiſſe, aut docuiſſe: verum enimuerò aliter ſenſiſſe Macedonium, & Eunomium, alioſque eiuſmodi hæreticos, ad quos anathema illud pertinuiſſet. Quamobrem cùm Græci ſæpiùs ſeſe erraſſe animaduertiſſent, ſæpiùs item (vti dictum eſt) cum Eccleſia Occidentali conſenſerunt, ſicuti & in Synodo Florentina, atque ante plus quàm Trecentos annos fecerant, in Generali Synodo Lugdunenſi, Gregorio decimo Pontifice Maximo, cùm Græci Epiſcopi eò venientes, tam reliquorum Orientalium, quàm Imperatoris Conſtantinopolitani nomine, publicè profeſsi ſunt, Spiritum ſanctum æternaliter ex Patre, & Filio non tanquam duobus principijs, ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedere. Hoc verò coram illa tota Synodo ter Græcè, ac ter Latinè cum ijs verbis, SECVNDVM SCRIPTVRAS, FILIOQVE, ſimiliter decantârunt.

De pane azymo.

ERAT deinde alterum diſcrimen de azymo pane, quo Latini in conficiendo Diuino Sacramento vtuntur. Sed Orientales item intellexere, hunc ritum, non ſine afflatu Spiritus ſancti, Occidentalibus Eccleſijs ab Apoſt. Petro, & Paulo fuiſſe traditum. Quod cùm optima ratione fieret, reliquerunt tamen Orientalibus integrum, vt ipſi in fermentato non ſine laudabili ratione conſecrarent. Dum enim (vt inquit eorum Patriarcha Gennadius) ab Euchariſtiæ conſecratione materia tritici, Sacerdos, locus, intentio, & verba non abſint, quæ quidem inſtituit Chriſtus, amplius requirendum non eſt. Sed & agnouere Orientales, Occidentis Eccleſiam bona, & laudabili ratione azymum in vſu habuiſſe, quòd Dominus ſine vlla commixtione ſuſceperit carnem: cùm qui fermen

 tatum

tatum offerunt, id ſpectent, quòd ex fermento farinæ commixto, verbum Patris indutum carne, verum Deum, & verum hominem fuiſſe deſignetur. Sed ſiue in azymo, ſiue in fermẽtato id fiat, Domini & Saluatoris corpus ſumimus: nec propterea duo Chriſti credendi ſunt, alter in Azymo, àlter, qui in fermentato conficiatur.

QVOD autem hoc non ſit Iudaizare, cùm CHRISTVS in agni cœna in azymo conſecrauerit, iuſſeritque idem facere, quod ipſe fecit, cumque non propterea Iudaizemus, ſi aqua in Baptiſmo vtamur, qua in ſuis baptiſmatibus Iudæi vtebantur: Sancta Synodus Florentina, & Gennadius ipſe, quem tibi Græcum & Latinum tradidi, ſolidiſsimis rationibus ex verbo Dei, & Patribus oſtendunt.

De Purgatorio, Beatitudine Sanctorũ, & Primatu.

PVRGATORIVM autem ignem eſſe, in quo animæ expiantur, ac poſt expiationem in cœlum ante extremum iudicij diem aſcendunt: animas item fidelium ante eundem iudicij diem cœleſti fælicitate perfrui: ac Pontificibus Romanis curam vniuerſalis Eccleſiæ vſque ad conſummationem ſæculi fuiſſe in Petro Apoſtolo delatam, ſic euidenter ex eodem verbo Dei, & antiquiſſimis Patribus oſtenſum eſt, vt certiſsimè ſperem de miſericordia Dei, ſi quis vel Synodum Florẽtinam, vel ipſum Gennadium Patriarcham Conſtantinopolitanum attentè legerit, eum cogniturum veriſſimam & vnicam fidem, ſine qua nemini vnquam ad cœleſtem gloriam aditus patebit.

VBI ergo Græci hæc didicerunt; & inde etiam intellexère Sanctam Petri Sedẽ, & quæ ab ea regitur, Catholicam Romanam Eccleſiam, neque poſſe errare, & verò ipſam à CHRISTO Domino, ad veram populis doctrinam tradendam, Spiritum ſanctum accepiſſe: facillimum fuit, reliquas nugas, & hiſtorias falſas, atque eas, quę Latinis obijciebantur, calumnias, vel mendacia diluere.

PRIMVM enim, quòd Græci aliqui obijcere auſi ſunt, poſt ſeptem prima Concilia Generalia, nullum aliud eſſe cogendum: Vbinam CHRISTVS hoc dixit? Ecquis alligauit verbum Dei? Quis Spiritum ſanctum obmuteſcere fecit, quin emergentibus erroribus, & hæreſibus, Eccleſia vſque ad extremum huius mũdi diem Chriſtianæ concordiæ conſuleret, ac per Concilia Generalia, generalibus morbis remedium adhiberet? Verùmtamen cùm Græci viderent, ſine vno Paſtore viſibili, quem vt neceſſariò, ita ſapientiſsimè, Chriſtus Dominus reliquit Eccleſię, ſeſe nunquam vlla poſſe legitima Concilia cogere (quam obrem varijs quoq; diſsidijs, & erroribus inter ſeſe diſſecti ſunt) Romanæ autem Catholicæ Eccleſiæ cernerent auctoritatem ſuam in cogendis ac confirmandis Concilijs Generalibus integram reſtare; ac inde factum fuiſſe, vt plures alias Synodos, ſicut dictum eſt, poſt ſeptem illas priores eadem Apoſtolica Romana Sedes indixerit, ac confirmârit, (quemadmodum item paucos ante annos Synodũ Tridentinam aduerſùs Lutheranam, & alias hęreſes) propterea ijdem Græci eo mendacio veritatem tegere voluerunt, quaſi ſeptima Synodus aliorum Conciliorũ ſuſtulerit, aut (ſi Deo placet) tollere potuerit facultatem eam, quam Chriſtus ipſe Eccleſię ſuæ in perpetuum tradidit.

De rituum diuerſitate.

QVÒD autem ob varios in Eccleſia ritus, quos prudenter, ratione diuerſarũ gentium, Apoſtoli inſtituerunt, religionẽ lædi, aut imminui Græci putaſſent, ſi alij in Occidente quàm in Oriente retinerentur (quamuis etiam in ipſo Oriente ſint plures, atq; diuerſi ritus inter Syros, Maronitas, Aethiopes, Armenos, Græcos) id facilè oſtenſum eſt Orthodoxę fidei obeſſe non poſſe, ſi vnaquæque Prouincia cum charitate, & vnione ſeruaret, quæ à ſuis Apoſtolis, vel legitimis eorum ſucceſſoribus accepiſſet.

De Baptiſmi ceremonijs.

ITAQVE quod ad Baptiſmum attinet, qui apud Græcos, & Ruthenos integra corporis immerſione, aut capitis perfuſione fit in Occidente, vtrobiq; idem re ipſa eſt. Corporis enim toti immerſiõi Sancti Dionyſius Areopagita, & Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus: capitis verò perfuſioni S. Clemens in Apoſtolicis conſtitutionibus teſtimonium reddunt. Itaq; ſi quis Latinus Gręcum infantem, Gręco ritu baptizatum, ſicut, & ſi quis Gręcus Latinum ritu Occidentalis Eccleſiæ baptizatum rebaptizaret; aut hunc, vel illum fuiſſe vero Chriſti baptiſmo baptizatum non crederet, peſsimè crederet, ac peſſimè faceret.

De Vnctione Chriſmatis Ecclesiaſt. hierar. cap. 4. Catecheſi 3. Myſtagog. Epiſt. ad Epiſcopos Hiſp.

NEGANT porrò reliqui Gręci eſſe plus quàm vnam Chriſmatis vnctionẽ, qui error maniſeſtiſsimus eſt contra verbũ Dei, & S. Clementem, ac conſtitutiones Apoſtolicas, & cõtra S. Dionyſium Areopagitam, Cyrillũ Hieroſolymitanũ, & S. Melchiadem Pontificem, & Martyrẽ. Proinde mirandũ non eſt, ſi Gręci vbi Sacramentum Confirmationis ritè non ſuſceperunt, infirmati ſunt in fide, & à Turcis perfidis Chriſti hoſtibus peſsima queq; adhuc patiantur.

De Diuortio.

MATRIMONIVM ex Chriſto, ſanctaque vniuerſali Eccleſia indiſſolubile ęſt, quamdiù alter coniugum vixerit: Græci autem diuortium ita permittunt, vt ſuperſtite altero coniugũ, alter vxorem ducere poſsit:

poſsit: quod mirum non eſt, cùm diuortiũ ab Eccleſia Catholica fecerint, cuius coniunctio indiſſolubilis cum Chriſto capite per matrimonium deſignatur, quod D. Apoſtolus Paulus propterea vocat magnum Sacramentum.

Epheſ. 5.

De Cœlibatu.

SACERDOTES Græci vxorem ante Sacerdotium ducunt, & in Sacerdotio ea vtuntur. Latini autem cœlibatum ſeruãt, quod quidem melius eſt, tum ad tractanda Diuina myſteria, vt ſint Sancti corpore & ſpiritu, tum quoniam negocijs temporalibus, & filiorum carnalium propagatione implicari non debent, qui ſpiritualibus rebus vacantes ſuperaccincti eſſe debent ad proximos adiuuãdos, Sacramẽtaq; dies & noctes, viuis, & moribũdus miniſtrãda.

De ieiunio Quadrageſimæ.

ALIQVI Orientales de ieiunio magno Catholicos abſcindere hebdomadam obijciebant, ſed facilè fuit illis oſtendere, Catholicos, à tempore Apoſtolorũ Petri, & Pauli, vnam integram Quadrageſimam accepiſſe, quam ieiunarent. Quæ quidẽ vitæ Chriſti imitationem habet, ſicut B. Ignatius ſcribit ad Philippẽſes, ſcilicet, quòd ad Chriſti Domini exemplum, quicunq; id præſtare poſſumus, totidem dies ieiunare debemus. Quòd ſi quis hebdomadam, & plures quoq; dies Quadrageſimæ velit adijcere, quibus ſe ad ieiunium illud melius præparet, id integrũ cuilibet relinquitur: ſicut & laudabile eſt (quod etiã plures faciunt apud nos religioſi viri) non vnam tantùm, ſed plures Quadrageſimas quoq; facere. Quòd verò Teleſphorus Pontifex Maximus ſuaſerit, vt (quod & ante illius tempora fiebat) ſeptem hebdomadas plenas ieiunaretur, id Clericis, & Monachis propoſuit: quod etiam pleriq; obſeruant, quanquam non fuerit, tanquam rigida lex omnibus impoſita. Porrò in Eccleſijs Catholicorum per totum Orientem & Occidentẽ, alij ſecunda, alij quarta feria ieiuniũ incipiunt: ac tamen nulli vis inferenda eſt, dum quadraginta dierum ieiuniũ expleat, ad Chriſti imitationem (quantùm hominibus licet) quibus exemplũ dedit, vt quẽadmodum ille fecit, ita & nos faciamus. Sic enim S. Ioannes Damaſcenus in libello, quẽ de ieiunijs ad Cometam ſcripſit, poſtquam de Orientalis ieiunij more, qui etiã in Occidẽte ex parte ſeruatur, locutus eſt: Hæc eſt, inquit, Regula, & lex Eccleſiæ, quam in ſancta Chriſti reſurrectione ſeruari ſcimus: ſed abundare in bono, & ἐπιδαψιλεύεσθαι τὴν ἀρετὴν, id eſt, & exuberare virtutem, nõ eſt improbandum, ſed potiùs Deo & hominibus prudentibus gratum: ita tamen, vt vis nulla fiat, nec imponatur neceſſitas, ſed ſuaſio adhibeatur: nunc præſertim in hac temporis difficultate. Vtrumque enim nunc vtile eſt, & neceſſariũ, addere ad bonũ, & à violentia abſtinere. Deinde ſubiungit: Quis iuberet, vt per vniuerſum vitæ tempus vnũ ieiunium eſſet? Verùm alius eſt modus admonitionis, alius legislationis: ſatis ſunt, quæ à Spiritu ſancto ſancita ſunt: ὑθετησθώτη προσθήκη τοῦ ἀγαθοῦ, id eſt, Admoneatur accretio, ſiue acceſsio boni. Hæc Damaſcenus.

Epiſt. ad vniuerſos d. 4. ca. ſtatuimus.

QVIN verò, cũ charitas ſit finis præcepti Domini, lexq; omnis ad eam referenda ſit, nec ieiunium ad deſtruendam naturam, ſed ad perturbationes animi domandas, & ad animũ ad cœleſtia excitandũ inſtitutum ſit: propterea ægrotis, & debilibus (ſi opus ſit) dare cibum, qui bene valentibus interdictus eſt, id nullo cum ſcrupulo faciendum eſt. Vt enim, inquit D. Paulus Apoſtolus, pietas ad omnia vtilis eſt. Tum autem ægrotis cibus non datur, vt cibus, ſed vt medicina, quoniã Deus ex altiſsimis (vt inquit Scriptura) creauit eam. Neq; verò Orientales à Latinis in fide diſcrepant, quòd non ſolùm ij longiorem Quadrageſimam, quã Latini ieiunant, verùmetiam alijs anni temporibus plura videantur habere ieiunia. Quæ enim erãt neceſſaria Eccleſiæ, pro ratione temporum & locorum, ſiue Apoſtoli, ſiue qui ijs ſucceſſerunt, Spiritu ſancto dictante, tradidere. Nec tamen Latini Græcorum ieiunia improbant, licèt Græci haud ſemper ea rectè præſtant; cùm ſæpiùs eo die ieiunij comedant, potationibuſque plus æquo, vt tua Serenitas ſcit, indulgeãt: ne quis iſta ſpecie, ac nomine potius quã re abſtinentiæ, ſe, atq; alios decipiat.

1. Tim. 4.

Eccleſi. 38.

Ieiunia Vigiliarum, et quatuor temporũ.

PORRÒ Latini in peruigilijs Apoſtolorum, aliorumq; aliquot feſtorum dierũ, vti præſertim Saluatoris noſtri, ac Beatiſsimæ Virginis, ieiunant, quò diẽ inſequentẽ vegetiores orando, pijſq; operibus faciendis, viſitandis carceribus, & noſodochijs, conſolãdis afflictis, inuiſendis ægrotis poſſint impendere. Duodecim præterea dies ſunt, qui in quatuor anni tempora diſtribuũtur (adnumeratis tamen tribus ijs diebus, qui in tempus incidunt Quadrageſimæ) quibus iuxta antiquiſſimũ Apoſtolorum exemplum ieiunant, vt ea fiat ab Epiſcopis recta ſpiritualiũ operariorum Ordinatio, quam ipſimet Apoſtoli ieiunantes, & orantes fecère, cũ Paulum, & Barnabam, impoſitis eis manibus, Sacerdotes creârunt.

Act. 13.

De ieiunio Sabbathi.

CVM aũt Græci, aut alij obijcerent, ex Epiſtola D. Ignatij ad Philippenſes, & ex Concilio Gangrenſi, atq; ex Apoſtolicis Canonibus, nõ eſſe Sabbatho, ac die Dominico ieiunandũ: Latini illis oſtenderunt, eum non ieiunandi Sabbatho ritum, Eccleſijs oriẽtis traditum fuiſſe, cũ ob Simoniacos in Oriente ortos (qui mundum, à cuius crea-

creatione Deus Sabbatho requieuit, opus eius esse negabant) tum quia diuinitus afflati Apostoli prænoscebant, futuros quoque hæreticos in Oriente Manichæos, Eustachianos, Marcionistas, Lampetianos, & Messalianos, qui in Paphlagonia apparuerunt; qui quidem Sabbatho simulatè ieiunabant in contumeliam Resurrectionis Christi, cui Resurrectioni à vespera Sabbathi (vt ait Magnus Leo Pontifex in epistola lxxxj. cap. *1.*) initium constat adscribi. Porrò eam fuisse caussam prohibendi ieiunium Sabbathi, Synodus Gangrensis ipsa, & S. Anastasius Patriarcha Antiochenus exponunt, cùm inquiunt, illos Sabbatho, & die Dominico ieiunare, πρὸς τὴν νομιζομένην ἄσκησιν, id est, ob simulatam abstinentiæ exercitationem. Porrò quia in Occidente eadem caussa non erat, nec illa hæresis vigebat, prohibitum non est, quin ipsa die Sabbathi aliū ad finem (de quo mox dicetur) ieiunare, siue à carnibus abstinere cum laude possent.

De abstinẽtia feriæ quartæ.

Cvm etiam aliqui mirarentur, quòd quarta feria Latini non ieiunarent, aut à carnibus non abstinerent; Latini illos docuére, non deesse apud sese, qui diem illū religiosa abstinentia obseruarent. Sed vt antiquitus quædam fuere indicta in commune ieiunia (quæ Synodus Gangrensis appellat εἰς τὸ κοινὸν tradita) sic fuisse alia non in commune tradita docuerunt, quæ pro ratione locorum, varijs obseruanda diebus, ab Apostolis relicta fuissent. Orienti enim ieiunium quartæ, & sextæ feriæ; Occidenti autem feriæ sextæ, ac Sabbathi; vtriq; verò Quadragesimam, seu ieiunium magnum in commune præscriptum. At verò, vt Orientalis, sic Occidentalis abstinentiæ consentanea rationi caussa est, & decorus in Ecclesia Dei cultus. Apud Græcos quidem quarta, & sexta ferijs, quòd ab latus eis fuerit sponsus: (Feria enim quarta, Domini proditionē pact⁹ est Iudas: Sexta verò crucifixus est pro nobis benignissimus Dominus) sed apud Occidētales feria sexta ob eādem, quæ dicta est, caussam: Sabbatho verò, quòd & in sepulchro latuit; & qui dies erat quietis Iudæis, nobis adhuc fuit doloris; vtq; reliquias illorum Sabbathismi iam Christiani nolle se indicarent; qui & ad diei insequentis Domini ci celebrandā festiuitatem, & ad communionē Eucharistiæ plerunq; se præparabāt, ac præparant. Porrò tantùm abest, vt ob hanc caussam Ecclesia Latina ritum illum Orientis damnet, vt etiam (quod quidem ad eas Ecclesias attinet) eum defenderit, sicut B. Augustinus contra Vrbicū, & Tertullianus Apologetico fecerunt. In quo sicut Ecclesiæ Catholicæ ingenuitatem agnoscere possunt, ita ijs esset faciendum, si ab eodem Capite, quod est Christus Dominus, eundem Christi Spiritum se accepisse possent ostendere. Illud verò discrimen in fide non est, quòd Monachi, & Episcopi Orientales à carnibus abstineant: quodque Occidentales Monachi (licèt complures eorum carnes non edant) & Episcopi Latini earundem carnium esum sibi non interdicant. Nam neque Apostoli omnes præter ieiuniorum dies, perpetuò à carnibus abstinuerūt, nec Christus perfectionis omnis auctor, & fons id fecit: quamuis integrum vnicuique reliquerit, vt pro arbitrio suo, dataque gratiæ cœlestis mensura, id genus vitæ eligeret, cui se idoneum fore censeret, & ad quam capescendam à Domino vocaretur. Quin verò si diuersitas hæc pertineret ad negocium fidei: pertineret item illud, quòd in Ecclesijs Catholicorum per Occidentem, & per Orientem alij in pane & aqua ieiunant, alij piscibus, alij solis herbis, & leguminibus, alij aridis tantùm (quod genus ieiunij Græci vocant ξηροφαγίαν) atque ex his alij plus, alij minus sumunt; alij rursus vsque ad vesperam, alij vsq; ad nonam prādium differunt, alij vsque ad meridiem tantùm & horum pars vsque ad posteram diem abstinet, pars paululum degustat.

De abstin tia Monachorum & Episcoporum.

Cvm quidam Græci obstreperent, quòd aduersùs Apostolorum decretum, à suffocato & sanguine non abstineamus; à Latinis edocti sunt, id aduersùs idolorum cultores latum fuisse, qui immolatum, & idolothytum edebant, aut calicem, quem Apostolus vocat Dæmoniorum, bibebant: seruandum autem esse, sicut & à Catholicis seruatur, decretum illud, vbicunque inter gentes, quæ idola adorant, immolatitia sint. Porrò eo decreto immolatitia, non autem reliqua fuisse prohibita, grauissimi testes sunt B. Cyrillus Hierosolymitanus in quarta Catechesi, Iustinus Martyr quæstione XLV. Gregorius Nazianzenus Sermone in sanctū Pascha, Origenes in lib. VIII. contra Celsum, & Magnetes antiquissimus auctor libr. III. Apologię pro Euangelio, contra Theosthenem Euangelia calūniantem. Qui omnes summæ auctoritatis Patres in Oriente vixerunt, nequid dicam de Tertulliano, qui fuit Aphricanus, idipsum in Apologetico antiquissimè comprobans.

De abstinẽtia à suffocato & sanguine.

1. Cor. 10.

De signo crucis, quòd Rutheni ad læuam finiunt, quoniā Filium ad Patris dexteram considentem ipsi putant ea consignatione designari, quam cùm Filium nominant, ad dexteram faciunt, non valdè laborabimus. Nos enim alteram piam, & mysterij plenam nobis sanctæ crucis signo

De signo Crucis.

no consignandi consuetudinem habemus: qui vt illorum non improbamus sensum, atq; pietatem (si alioquin absit ab errore) sic laudare non possumus, quòd cùm sese ad sinistram signo crucis muniunt, id propterea sese facere putent (sicut à tuis mihi relatum est) quòd ad sinistram Patris Spiritus sanctus assideat. Est enim, Serenissime Princeps, de Sanctissimæ Trinitatis mysterio multò altiùs, quàm pro humano captu, ac rebus, quæ sub sensum cadunt, credendum, & iudicandum. Ceterū nostræ consignationis hæc est ratio, vt cū eam à capite inchoamus, inde Patrē caput, & fontem omnium bonorū, atq; adeo primarium fontem reliquarum personarum sanctissimæ Trinitatis agnoscamus. Cùm verò tres primos digitos dexteræ demittētes, nomen Filij nominamus, tum eiusdē in ventre Beatissimæ Virginis incarnationem recordamur, qua recordatione testamur mysterium illud æternis temporibus tacitum, Angelis, & mūdo, (sicut testatur Apostolus) innotuisse; erga nos verò summum omnium beneficium fuisse collatū. Ad læuam porrò, ac dexteram pectoris partem Spiritus sancti nomen adsciscimus, vt eum à Patre & Filio procedentem, (sicut re vera procedit) ac contra impiam Eunomij hæresim, aliosq; hæreticos, vtriq; consubstantialem, & ab vtraq; distinctam personam confiteamur. Sic autem nos finimus eam consignationem ad dexteram, quòd in Diuinis Scripturis dextera perfectionē significat, nobis autem semper ad perfectionem tendendum sit. Nam & id Dominus Deus potissimùm vult, qui omnia, quantum in se est, perficit.

De ratiõe pingendi imagines.

Qvòd autem Rutheni tui mirentur, nos pijs imaginibus nomina eorum Sanctorum, quos repræsentant, non semper (vt ipsi faciunt) adscribere; scito si nominum illorū adscriptio ideò necessaria est, vt quos Sāctos repræsentēt, ex ea sancti illi viri agnoscātur, iam eā haud necessariā esse ijs, qui illas agnoscunt: Catholicis autem primo aspectu innotescere Christvm crucifixum, Beatissimam virginem & plerasque alias Sanctorum imagines, quis dubitet? Præterea, si nominis adscriptio necessaria sit, quid illa faciet idiotis legere nescientibus, quales plerique omnes sunt Rutheni, cùm potius ipsemet imagines locoliterarum, & scripti, idiotis adhibeantur? Quòd si dixeris (vt mihi tui dixere) in ipsa nominis adscriptione virtutem aliquam consistere, tu sapiens es, qui intelligas in notis eiusmodi nullam, sed in sensu ac viua fide sitam esse vim, atque virtutem. Ac tamen non improbamus eorum consuetudinem, qui pietate, non superstitione adducti, nomen imaginibus adscribunt, vt alij (cùm quòd ignorant, intelligant) ea etiam ratione, pias à prophanis imaginibus dignoscant: quòd sanè crebro Latini quoque Catholici faciunt.

ERRORES ALII RVTHENORVM, qui Orientale schisma sequuti sunt, postquam Græci ab Ecclesia sese præciderunt.

Errant Græci, cùm dicunt, simplicem fornicationem non esse peccatum. Dicunt enim contra illud Christi Domini Matthæi decimo quinto. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, & similia, quæ coinquinant hominem: ac contra illud Pauli 1. Corinth. capite sexto. Neque fornicarij, neque adulteri, & cæt. Regnum Dei possidebunt. Errant, cùm dicunt, præstantissimum Eucharistiæ Sacramentum in die cœnæ Domini, nempè quinta feria quinta maioris hebdomadæ confectum, excellentioris esse virtutis, & efficatiæ, quàm alio quolibet die consecratum. Eadem enim semper est virtus Diuini verbi, cùm à Sacerdote iuxta Domini præceptum profertur: Hoc est corpus meum. Neque enim vna plus quàm altera dies, sed instituti, ac voluntatis Dei ratio huic sancto Sacramento efficatiam, & vim suam tribuit, quocunque tempore id ritè celebretur.

De fornicatione.

De Eucharistia feriæ quintæ maioris hebdomadæ.

Matth. 26.

Errant, cùm dicunt, eos, qui sunt aliquibus peccatis inquinati, corpus Christi Domini nō recipere, cùm ad altare Domini accesserint. Verè enim illud sumūt, licèt indignè, & ad iudiciū accipiant, non dijudicantes corpus Domini, vt Apostolus ait.

De cōmunione peccatorum.

Errant, cùm primas nuptias admittunt; secundas damnant. Si enim alter coniugum mortuus sit, alter solutus est, vt iterum posit nubere: quod ex Christi Domini verbo manifestè colligitur.

1. Cor. 11.
De secundis nuptijs.
Matth. 10. & 19. cap.

Errant, cùm extremæ vnctionis Sacramentum ægrotantibus negant, aliquando ad salutem quoque corporis prodesse, quamuis semper ad salutem animę obicē non ponētis prosit. Id enim aperte Dei verbo, per Sanctum Iacobum Apostolum prolato, aduersatur, qui de hoc Sacramento loquens, ait: Et oratio fidei saluabit, vel (vt Græcus textus habet) sanabit infirmum; &, si fuerit in peccatis, remittentur ei.

De salute corporis à Sacramēto extremæ vnctionis.

Iacob. 5.

De Vſura.
Luc.6.
Pſalm. 14.

ERRANT, cùm peccatum cõmitti negant, ſi quis ad vſuram alicui det. Dictum eſt enim à Chriſto Domino; Mutuum date, nihil inde ſperantes: & à Dauide Propheta; Eum, qui pecuniam ſuam ad vſuram nõ dederit, in tabernaculo Dei habitaturum. Quamobrem qui dabit ad vſuram, nec reſipiſcet, is profectò in tabernaculo Dei nõ commorabitur.

De reſtitutione.
Exod.20.
Luc.3.
Lucæ 19.

ERRANT, cùm ad vitam æternã conſequendam, non credunt neceſſariam eſſe rei furto ſublatæ reſtitutionem. Scriptum eſt enim: Non furtum facies, &, Facite fructus dignos pœnitentiæ. Et Zachæus ait: Si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. At verò quonam modo fructus digni pœnitentię fient, niſi rei iniuſtè vſurpatæ fiat ipſius domino reſtitutio? Itaque peſsimè facit Sacerdos, qui pro vſura, furto, aut rapina manifeſta, ſatis eſſe putet, ſi oleo ſimplici raptorem inungens, quem ſibi aliquã pecuniæ malè partæ portionem cogat impertire, eundem abſoluat, qui tamen coram Deo abſolutus non eſt.

De ratiõe formandi imagines.
Exod. 20.

ERRANT, cũ putant, non licere Chriſti Domini imaginem ſculpi, non intelligentes ſculptilia à Deo fuiſſe prohibita, vt pronos ad idololatriã Iudæorum animos ab eadem auerteret? Verba enim hæc, Nõ facies tibi ſculptile, ad eos pertinebãt, qui idola Beelzebub, Dagon, & aliorũ dæmoniorum ſic adorabant, vt illis etiam immolarent, ac thus offerrent. Ac verò exoriente Chriſti luce ſic idololatria depulſa eſt, vt iã liceat veri Dei & hominis Chriſti Ieſu Sanctorumq́; ſeruorũ ſuorũ, memoriã omnibus pijs modis excitare, & ad mẽtem reuocare. Quin verò ſi illis verbis ſculptas Sanctorum imagines exiſtimant prohiberi: cur item picturam iſtarum, quales per multas Rutheni venerantur, non putant prohiberi ſequentibus verbis? Neq; omnẽ ſimilitudinem, quæ vel in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum. Cur item D. Nicolai ſculptam alicubi habent imaginem, ſicut ipſi tua in Ruſsia his oculis vidimus?

De perpetuitate Sacerdotij.

ERROR item fœdiſsimus eſt, cùm demortua Sacerdotis vxore, creditur Sacerdos (ſi ritè initiatus ſit) ampliùs non eſſe Sacerdos. Cùm enim ab Epiſcopo character indelebilis Sacerdoti imprimatur (quod omnium Patrum ſanctiſsimorum Occidentis, & Orientis vnanimi fide conſtat) cur pereũte vxore, ſuus indelebilis ordo Sacerdoti pereat? An ab vxore forſan Sacerdotium accepit, & non à CHRISTO per Epiſcopum? An non etiam inter Ruthenos plures Sacerdotes ſunt vel Epiſcopi, vel Monachi: qui cùm vxorem non habeant, grauiſsimi teſtes ſunt, Sacerdotium à CHRISTI inſtituto, non ab vxore pendere? Cùm etiam maximè deceat, vt cœlibatus Chriſtiano Sacerdotio ſit annexus.

De ſpe ſalutis in ſchiſmate.

PORRÒ omnium errorum is eſt tum certiſsimus, tum maximus, cùm extra Romanam Catholicam Eccleſiam Græci, & Rutheni æternam ſe poſſe ſalutem adipiſci opinentur. Neque enim verè Chriſtiana Eccleſia eſt, quæ inſtitutum à CHRISTO ordinem, aut poteſtatem non habet; nec, ſi quondam habuerit, adhuc retinet. Si autem quicunque totam ſeruauerit legem, offendat autem in vno (vt S. Iacobus ait) factus eſt omnium reus: ſanè qui traditam Petro à CHRISTO Domino poteſtatem, ac primatum in terris negauerit, aut fallaci fraude cogitauerit ipſam euanuiſſe, aduersùs quam portæ inferi nunquam erunt præualituræ, iam condemnatus eſt, etiamſi pleraque alia omnia credat. Quamobrem apud Deum neque Epiſcopi, neque Metropolitæ ij cenſentur, qui ab eius in terris Vicario Pontifice Maximo confirmati non ſunt: dictum eſt enim Petro à CHRISTO, Domino, qui veritas eſt, quiq́ue non mentitur Deus, Confirma fratres tuos. Atqui Eccleſia, quæ erat paſcenda, & Epiſcopi, qui erant ſicut fratres confirmandi à Petro, non tantummodò ad Petri, dum viueret, tempora, ſed vſque ad mundi conſummationem erant duraturi. Quod S. Ioãnes Chryſoſtomus LXXXIII. Hom. in Matthæum innuens, Non dixit (inquit) non negabis, ſed, Vt non deficiat fides tua. Cura enim ipſius, & fauore factũ eſt, ne omninò Petri fides euaneſceret. Theophylactus item in XX. caput Lucæ: Quamuis, (ait) breui tempore concutiendus ſis, habes recondita ſemina fidei: etiam ſi folia abiecerit ſpiritus inuadentis, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua. Et Pontifex Maximus Agatho in epiſtola ad Conſtantinopolitanum Imperatorẽ, quæ in ſextæ Synodi quarta actione lecta eſt, ac poſteà in octaua ab omnibus comprobata. Hæc (inquit) eſt veræ fidei regula, quã & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit Apoſtolica CHRISTI Eccleſia, quę per Dei gratiam Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus vnquam deprauata ſuccubuit. Quia dictum eſt Petro, Simon, Simon, ecce Satanas, &c. ego autem oraui pro te, vt non deficiat fides tua.

Iacob.2.
Lucæ 22.

IAM ex tam inſignibus Patribus cernis, ſed multò liquidiùs ex ſequẽtib⁹ agnoſces, iſtos tuos, Metropolitam, & Epiſcopos nõ legitimè, nec ritè ſacra adminiſtrare: tuumq́ue populum tantum ſatis procul à recto Apoſtolicæ fidei tramite deflexiſſe.

POR-

Neceſsitas ſummi Paſtoris.

PORRÒ ſi Occidens, aut Oriens, vllaúe alia Chriſtiana pars Orbis in aliquem errorem (vti ſæpè factum eſt) incideret; ecquis ſine viſibili vniuerſalis Eccleſiæ Præpoſito de fidei quæſtionib⁹ iudicabit? Quis delectos à clero, aut à Regibus nominatos confirmabit? Quis ſchiſmata tollet? Quis hæreſes damnabit? Quis (addo) Principes ipſos maiore cum dignitate ad cõcordiam rediget? Quod tu tanti æſtimaſti, vt ad Põtificem maximum mitteres, quo ille bellũ, quod inter te, ac Stephanum Poloniæ Sereniſſimum Regem ardebat, auctoritate, ac ſtudio ſuo interpoſito reſtingueret. Confirma (inquit CHRISTVS) fratres tuos. Quòd ſi ſine confirmatione tua, Senatores tui nec ferre iudicium, nec legitimè adminiſtrare attributas eis Prouincias poſſent: quis tam erit excors, vt ſpiritualis regni Chriſti, id eſt, Eccleſiæ Dei viuentis Epiſcopos exiſtimet, vel à terrenis Principibus poſſe confirmari, aut qualemcunq; eorum nominationem apud CHRISTVM valere? Sic verò, ne in vanum curreret, aut cucurriſſet, ipſemet Paulus Apoſtolus, aſcendit Hieroſolymam ad Petrum, & Iacobũ, vt ſuum cum eis conferret Euangelium: cũ tamen ille arcana Dei vidiſſet, quæ non licebat homini loqui; cumq́; nec ab homine, neque per hominem ſed à Deo electũ ſe fuiſſe, fidenter, ac verè teſtaretur.

Galat. 2.
2.Cor. 12.

Baſilius.

SIC B. Baſilius, epiſtola Sabino Diacono ad Pontificem Romanũm data, Re vera enim (inquit) dignum eſt excellentiſſima illa voce, qua te beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino eſt, ſcilicet, vt quod adulterinũ eſt, à legitimo & puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine vlla ſubtractione prædices. Sic Synodus Epheſina ducentorum ex multis, ac varijs Prouincijs Epiſcoporum, in Epiſtola ad Cœleſtinum Pontificem ait: Eſt enim nobis tam eximijs hoc in conſuetudine poſitum, vt fulcra στηρίγματα Eccleſiarum cõſtituatis.

Cyrillus.

SIC Cyrillus, qui poſteà eidem Synodo, loco ſummi Pontificis Romani, præfuit, ad eundem Cœleſtinum ſcripſit, cùm ad eum, tanquam ad caput Eccleſiæ, de hæreſi Neſtorij referre neceſſarium eſſe duceret. Quandoquidem (inquit) Deus à nobis in huiuſmodi cauſa vigilantiam noſtrã poſtulat, καὶ τὰ μακρὰ ἔθη τῶν ἐκκλησιῶν πείθουσιν ἀνακοινοῦσθαι τῇ σῇ ὁσιότητι, id eſt, & diuturnæ Eccleſiarum conſuetudines perſuadent, vt cum tua Sanctitate hæc communicentur.

Apoſtolicæ Conſtitutiones.
S. Leo.

SIC Apoſtolicam conſtitutionem quę in libr. VIII. Clementis cap. IIII. ſcripta eſt, ſecutus S. Leo Magnus ſeptimo ad Anaſtaſium epiſtolæ capite ſcripſit: De perſona autem cõſecrandi Epiſcopi, & de Cleri, plebiſq́ue conſenſu, Metropolitanus Epiſcopus ad fraternitatem tuam referat, quodq́ue in Prouincia benè placuit, ſcire te faciat, vt ordinationem ritè celebrandã tua quoque firmet auctoritas. Ac paulò pòſt in eodem Decreto præcepit, vt de electione Metropolitani referant Epiſcopi Prouinciales ad vicarium Pontificis Maximi; Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, vt auctoritate ſibi à Pontifice Maximo delegata firmetur. Ex ea enim epiſtola perſpici poteſt, ſummi Pontificis Romani in Eccleſijs Orientis Vicarium fuiſſe (vt ſuprà diximus) Archiepiſcopum Theſſalonicenſem, qui nomine Pontificis, tanquã vniuerſalis Paſtoris, tum Prouincias viſitaret longinquas, tum alia conficeret, quæ ratio & neceſſitas poſtulaſſent. Cuius etiã auctoritate, ne propter longinquitatem vrbis Romæ mora interponeretur, Epiſcoporum confirmarentur Ordinationes, quæ ſine auctoritate ſucceſſoris B. Petri, fieri non poterant, vt idem S. Clemens eodem in loco teſtatur. Cùm enim B. Petrus ſanciat, vt electionem Epiſcopi à Preſbyteris, & populo factam, Metropolitanus (quẽ vocat τὸν πρόκριτον) approbet, ſi nihil obſtet; & rurſum idem cum duobus Epiſcopis Epiſcopum ordinet: ſequitur, vt ex ipſius Petri, & eius ſucceſſoris auctoritate, confirmatio electionis factæ, & auctoritas Ordinationis faciẽdæ pendeat. Sic Sophronius Hieroſolymitanus Apoſtolicus vir, epiſtola ſua ad Honorium Pontificem Synodica, tempore Imperatoris Heraclij: Apoſtolica (inquit) & vetus traditio inualuit, vt qui ad hierarchiam eligũtur, (Epiſcopatum intelligit) ad eos, qui in hierarchijs capeſcendis, & adminiſtrandis maiores ſunt, omnino ſincerè referant, quid ſentiant, & qua fide ſint (vt Paulus illis tradidit) ἄγαν ἀσφαλῶς, id eſt, valdè cautè, ne in vanum currerẽt, aut cucurriſſent. Itaq; ſubiungit. Huic nos conſuetudini ſeruientes, ad vos θεοσόφους qualis ſit fides noſtra ſcribimus πρὸς δοκιμήν id eſt, vt probetur: Scribimus (inquam) ad vos, qui non ſolùm noſtis diſcernere ἀπὸ τῶν νόθων τὰ δόκιμα δόγματα, id eſt, legitima dogmata, ab adulterinis, ſed etiã πρὸς ἀναπληροῦντα ἐλλείποντα, id eſt, ſupplere, quę deſunt, poteſtis.

Sophronius.

SIC rogat idem Sophronius Pontificem Maximum, vt quàm primùm Synodicam de fide ſua acceperit, reſcribat literas, quibus exhilaretur ipſe Sophronius, euangelizaturus (vt ait) τὴν ἡμετέραν θεόσδοτον ῥῶσιν, id eſt, ſanitatem veſtram à Deo datã. Sanitatẽ fidei ſignificauit, imitatus Apoſtolũ, cũ ait, vt ſani ſint in fide.

Tit. 1.

SIC

Petrus Cõſtantinopolitanus.

SIC Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus idem exemplum imitatus,& Apoſtolicæ traditionis conſuetudinem ſecutus, de fide quoque ſua ante quingentos annos ad Leonem IX. per Synodicam retulit; petijtque vt in fide, & ſede ſua firmaretur, quod & ab eo obtinuit. Quæ loca ex plurimis affero, vt videas, nec CHRISTI auctoritatem & ordinem in ſucceſſoribus Petri deſijſſe: & intelligas (iterabo eadem, quæ attigi ſuprà) niſi tui iſti Metropolitæ,& Epiſcopi in fide & ſede ſua ab eodem Petri ſucceſſore confirmentur, eos apud Deum non haberi pro Metropolitis, & Epiſcopis legitimis, aut idoneis impertiendæ cœleſtis gratiæ diſpenſatoribus.

INDE autem factum eſt, vt cùm Patriarchæ Orientis firmitatem ſanitatis fidei ſuæ, à cœleſti ſanitate capitis ſui Petri; id eſt, fidem ſuam à fide Eccleſiæ Romanæ, tanquam regula, ac forma, Synodicis item literis deſcripta, accipere deſierunt, fidem, vt dictum eſt, ac ſedium auctoritatem, vitæque ipſius libertatem, facti infidelium mancipia, amiſerint.

HABES, Sereniſsime Princeps, præcipua quædam capita diſcriminis & errorum, quibus Græci, & iſti tui Rutheni inuoluuntur. Quoniam verò, vt dixi, ex quinque Gennadij Patriarchæ Conſtantinopolitani Tractatibus, quos tibi tradendos curaui, is, in quo de proceſsione Spiritus ſancti à Patre, & à Filio, vt ſummi momenti eſt, ita non facilè ab iſtis Epiſcopis tuis (quòd Theologi non ſint, neque Academias habes vbi iſta exponantur) intelligeretur, eum ipſe Tractatum in gratiam tuam, ad Dei gloriam, in eum modum & ordinem faciliorem redegi, quem tu huic ſcripto adiunctum videbis. Ipſe tibi Spiritus ſanctus illuceſcat, efficaciſsimaque deſideria ſuggerat, quibus tot populos, qui tuo imperio ſubiecti ſunt, ad Orthodoxæ Catholicæ fidei lumen adducas.

ANTONII POSSEVINI, SOCIETATIS IESV,

SCRIPTVM MAGNO MOSCOVIAE DVCI TRADITVM, CVM ANGLI MERCATORES EIDEM

obtuliſſent librum, quo hæreticus quidam oſtendere conabatur, Pontificem Maximum eſſe Antichriſtum.

AVDIO, Sereniſsime Princeps, non ita pridem, id eſt, poſt aduentum ad te meum, ab iſtis, qui Moſcuę ſunt, mercatoribus Anglis, traditum tibi fuiſſe librum, quo hæreticus aliquis Pontificem Max. eſſe Antechriſtum conatur oſtendere: te verò ſtatim iuſsiſſe, vt in Ruthenicam linguam verteretur. Quod etſi mihi nonnihil doloris attulit, inſidias Satanæ cogitanti; bonam tamen ſpem fecit fore, vt Diuina ſapientia ex Catholicæ veritatis cum hæreticis conatibus quaſi colliſione, ſcintillas aliquas excutiat, ex quibꝰ lux Ruſsiæ ſplendidior, quàm quãta nunc eſt, in Dei gloriam erumpat. Nec verò me fugit, quanto odio Lutheri hæreſes perſequâre, vnde iſtæ blaſphemiæ prodierunt, cùm & tu propter eas enatum fuiſſe Liuonicum bellum, Stephano I. Poloniæ Regi anno ſuperiore ſcripſeris; & hæ Liuonum reliquiæ, quæ hîc ſunt, vbi ſeſe à Sede B. Petri, atque ab Archiepiſcopo Rigenſi, legitimo eorum Paſtore diſiunxerunt, patriam, fidem, libertatem, templaque amiſerint: tuque iuſto Dei iudicio, quæ duo templa in hac ciuitate excitarânt, ea biennium antè, tuis, vt comburerent, imperaueris. Iam quòd Angli mercatores iſtas tibi merces obtrudant, ſapiens es, qui non ſolùm Lutherana, ſed & Caluiniana labe iſtos eſſe aſperſos agnoſcis. Itaque quã limpidam aquam ex lutulento illo hæreſum cœno poſsis haurire, iudicium tuum eſto. Quòd ſi antiquas Synodos, Patréſue integros tibi obtuliſſent, non eam tibi irrogaſſent iniuriam, quam intulêre, dum hac ratione iactare ſeſe, & Anglis ſuis venditare velint, vel à Caluinianis, vel ab Anabaptiſtis, & alijs, quorum hîc ſemina non deſunt, ingenium tuum facili momento poſſe circũferri; hęreticũq; potiùs audire, dicentẽ Sedem B. Petri commutatam fuiſſe in Antichriſti Sedem, quàm Chriſtum ipſum, eam voce & oratione in perpetuum firmantẽ, Synodoſque omnes, ac verè ſanctos Martyres, vt firmiſsimam petram eam agnoſcẽtes, & ſanguine ipſo teſtantes. Ac tamen, vt ne deſim officio meo, cùm non tantùm de pace, quæ diuina ope ſancita eſt, quã de meliore pace, qua cum Deo conſtringi debemus,

bemus, ad te à Pontifice Max. miſſus ſim: dicam breuiter, quæ cauſſæ Anglorum animos à Sede Apoſtolica auerterunt. Quamuis bona illius Inſulæ pars, ſic Catholicam retineat fidem, vt indies nõ deſint, qui pro ea martyrium libentes ſubeant: & verò collegia nobilium Anglorum alterum Rhemis in Gallijs, Romæ alterum ſint, ad quæ cùm confugiant continenter adoleſcentes, vt auitam fidem diſcant, & ſeruent, vtrumque Põtificijs ſumptibus alitur: ſicut id, ꝙ Romę eſt, Seuerigenus aulicus tuus vidit.

CVM igitur Henricus Octauus, Rex Angliæ, librum aduersùs Lutherum edidiſſet, quo eius væſaniam & hæreſim confutârat, & propterea à Pontifice Max. defenſor fidei Catholicæ fuiſſet appellatus, factum eſt, vt cor illius tanquã Salomonis immutatum ſit propter mulieres, ob quas deſerta fide Catholica ſenſim in hęreſes delaberetur, & manus deniq; cruentaret ſanguine innoxiorum, Monachorum item, & aliorum, ac præcipuè Roffenſis, & Thomæ Mori, in fide, ac doctrina, & rebus agendis illuſtriũ. Nam cùm amore mulieris captus, eam in vxorem ducere, ac Caroli V. ſororem repudiare auſus, id à Clemente VII. & à ſancta Sede Apoſtolica ratum haberi vellet: nec verò hoc (quoniam Diuino pręcepto aduerſabatur) obtineret, ſeceſsit ab Eccleſia, ſeq; ipſum deniq;, re à ſeculo inaudita, caput Eccleſiæ Angliæ cõnſtituit. At Deus iuſtus & verax, quã ementito vxoris nomine in thalamum ſuum ſuperinduxerat, non multò pòſt adulterij conuictam, quanquã & in primis erat adultera, quod cũ ipſo Rege adultero concũbebat, qui caſtã & propriam vxorem deſeruerat, capite plecti iuſsit. Quid verò inde in Inſula illa ſecutum ſit, ſuperuacaneũ eſt dicere, cùm ea ad aures tuas ſciam perueniſſe.

SATIS illud fuerit: mulierẽ, quę nunc Angliæ præeſt, caput & primatũ Eccleſiæ in Anglia vſurpâſſe, hûcq; cęteris titulũ nouo prodigio adſciuiſſe, vt cũ Angli Petrũ, Petriq; ſucceſſorẽ conſtitutum à Chriſto Domino reſpuiſſent, tãdẽ mulieris, qualis deniq; illa eſt, imperio, etiã in ijs, quæ ad religionẽ attinent (infauſto omine, vt pręcipiti conſilio, ſed ſapientiſsimo Dei iudicio qui ſuperbos & aſtutos cõprehendit, in ſuperbia, & aſtutia ſua) ſeſe ſubdidêre. Habeant igitur illi ſuã fœminã pro Paſtore vniuerſali Eccleſiæ Anglicanę. Nos Petri ſucceſſorem, qui à Chriſto inſtitutus eſt ouiũ & agnorũ Chriſti Paſtor, Paſtorẽ viſibilem retinebimus. Iam verò ꝙ ex iſto Anglorũ libro colligere poteris, id primũ cogites neceſſe eſt (vt pleraq; alia omittã) Antichriſti aduentũ certis ſex ſignis à Spiritu ſancto Diuinis in literis fuiſſe præmõſtratũ: Prædicatione Euangelij in toto terrarũ orbe: Romani Imperij defectione, ac deſolatione: Enochi, atq; Eliæ aduẽtu: maxima, eaq; euidentiſsima perſecutione, vt iuge altaris Sacrificiũ etiam ceſſet: Antichriſti poſt tres annos cũ dimidio morte, ac mundi totius fine. At verò nec dũ plenitudo gentiũ intrauit, vt reliquię ſaluæ fierent, quãuis in Indias quã latiſsimè à Catholicis tantùm lux Euangelij inferatur; & ipſe adhuc Reges omnes, & Principes, Rom. Imperij dignitate, Chriſtianus, & Catholicus Cæſar antecellit. Nõ ceſſauit Miſſæ Sacrificiũ: Non apparuere Enoch & Elias, quos ipſos venturos, & ab Antichriſto interficiẽdos, vt alij, ita Græci Patres diſertiſsimè dicunt: Origenes, S. Chryſoſtomus in caput decimum ſeptimũ Matthæi, Theodoretus in caput vltimum Malachiæ, S. Ioannes Damaſcenus, lib. 4. capite vigeſimo octauo. S. Irenæus lib. quinto. Præterea Pontificis Max. Spirituale regnum iam per ſexdecim fermè ſecula durauit, nec verò præcisè poteſt oſtendi, qui tres annos cum medio regnauerit, & pro Antichriſto ſit habitus, quiq; Chriſtum negans fuiſſe verum filium Dei, ſeipſum verum Chriſtum, in lege & Prophetis promiſſum, haberi voluerit, ſeque Deum eſſe affirmauerit. Id enim ipſum facturum, ac propterea falſa editurum miracula, cùm Diuinũ verbum, tum Patres antiquiſsimi Græci, præter Latinos teſtantur: Irenæus libro quinto, B. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 5. Theodoretus in 2. ad Theſſalonicenſes Epiſtola, & alij plerique. Sed & vbi nam tria illa extitêre miracula, quæ in eius aduentu futura prædixit S. Ioannes Euangeliſta, Apocalip. 13. Ignis de cœlo deſcenſus: Imago beſtiæ loquens: Mortis & reſurrectionis illius effictio, qua plurimi populi decepti in eum ſunt credituri?

PORRÒ, quonam tempore Romanus Pont. Aegypti, Lybiæ, atque Aethiopiæ Regna inuaſit, occupauit, ſibi vendicauit, eorumque Reges interfecit: quæ omnia ab Antichriſto facienda, Daniel capite ſeptimo prænũciârat? Quibuſúe copijs aut Angliam S. Gregorius Magnus Pont. Max. Chriſto acquiſiuit: alijúe Pontifices Romani trophęum crucis in gentilium intulêre prouincias: aut etiamnum in Orientis, Meridionales, atque Occidentis Indias, niſi Chriſti verbo, interimque eò miſsis operarijs inferunt? Quòd ſi hæretici iſti, quorum ingenium eſt, mendaciſsima comminiſci mendacia, Pontificem Roma. etiam hoc nomine vocant Antichriſtũ, quòd Imperatores, ac Reges aliquos de throno depoſuerit, fateâtur neceſſe eſt, hîc digitum Chriſti fuiſſe: cui cum data fuiſſet à Patre poteſtas

poteſtas in cœlo & in terra, is item illam, quãta ſatis erat Eccleſiæ adminiſtrãdæ, & de Tyrannorum iugo in libertatem Catholicæ fidei aſſerendæ, Diuina liberalitate transfudit. Sed neq; propterea Romani Pontifices ea ſibi Imperia, aut Regna vendicârunt, in quę deiectis peſsimis Principibus, Chriſtianos & pios Principes ſuffecerunt. Sic enim Leonem III. Græcorum Imperatorem Iconomachum, & hęreticũ Gregorius Secundus; Childericum Galliæ Regem Zacharias; Henricum IIII. Roman. Imperatorem Gregorius Septimus; Othonem IIII. Innocentius Tertius; Fridericum II. Innocentius IIII. depoſuerunt: ac non mentiente eo, qui dixit: Quæ ligaueritis in terra, erunt ligata in cœlo, re ipſa omnes imperiũ amiſerunt. Ac ſi quis alius non amiſit, alijs tamen rationib' egregiè pœnas perſoluit. At & (vt Gennadius inquit Patriarcha Conſtantinopolitanus, vtque ante illum Nicephorus teſtatus eſt) Nicolaus primus temporibus Photij Græcos excommunicauit, & excommunicationi illi non defuit iota vnũ: ſed facti ſunt captiui (vt is in excommunicatione dixit) inter omnes gentes, tanquam Iudæi. Innocentius item primus ante hunc, Eudoxiam Imperatricem ob S. Chryſoſtomi exilium, excõmunicauit, & intremuit eius ſepulchrum, donec eo reuocato, excõmunicatione à Pont. Max. remiſſa, conſtitit tremor ille. Denique Nicolaus quintus cũ Legatis à Conſtantino Imperatore, qui vocabatur Dragaſes, ad ſe miſsis, literas plenas timoris & horroris dediſſet, num vera non protulit? Cum enim anno M.CCCC.LI. eam Pontifex Max. conſcripſiſſet epiſtolam, M.CCCC.LIII. capta eſt Conſtantinopolis. Et in ea quidem epiſto-
" la hæc erant verba: Neque verò Græci arbi-
" trentur, Romanum Pontificem ita eſſe
" mente deſtitutum, omnemque Occiden-
" talem Eccleſiam, vt non intelligat, quæ in
" ſingulis dilationibus reſpondendo nugan-
" tur: optimè cuncta nouimus. Sed tolera-
" mus, in Ieſum reſpicientes, ſempiternum
" Sacerdotem, & Dominum, qui ſterilem
" illam ficum vſque ad annum tertium iuſ-
" ſit aſſeruari, agricola ad excindendam ar-
" borem ſe accingente, quia nullum fructũ
" ferebat: ſicut & tertio anno pòſt, imperiũ
" ipſum concidit.

HAEC cùm ita fuerint, Princeps, vides quibus armis Sedes Apoſtolica pertinaces deuicerit, aut correxerit: quamq; cohæreãt iſta cum hæreticorum impoſturis, ignorãtium, de quibus loquuntur, aut affirmant? Ceterùm quòd eo in Anglorum libro carpitur Pontifex Max. quaſi aut Romæ ſedeat (quę Babylon, dũ olim omnium gẽtiũ erroribus ſub perfidis Impp. ſeruiebat, iure vocabatur) aut Dei verbum non prędicet, cũ tamen de ſummis Chriſtianæ Reipublicæ negocijs quotidie cum Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijsq; innumerabilibus, ac tecum ipſo per me, vel loquendo, vel ſcribendo, vel ipſo pietatis exemplo continenter veritatẽ annunciet: aut mandata Dei non ſeruet (ſic enim tui claues Regnorum Petro traditas, ob peccatũ fuiſſe amiſſas, imperitè reſpõderunt) cùm, ſi peccato (quod tamen ſcire ſeſe, iuſtè dicere nequeunt, an Põtifex Max. committat) Principes autoritatem adminiſtrandi perderent, nemo eſſet, qui in ſolijs iſtis iure cõſidëret: aut quòd ſibi nimiũ patiatur honorem deferri: cùm, qui politicis Principibus defertur (quia gladium à Deo portãt, ſuaque pro menſura temporariam facultatẽ in ſubditos exercent) is lõgè maximus ſit: ac tuo nomini neceſſe ſit ſexcenties aſſurgere, multaq; alia præſtare, quæ nobis quidem incognita pridem, ſed & alijs incredibilia videri poſsint: hæc, inquam, omnia commenta ſunt Satanæ, qui mendax fuit ab initio, quiq; eò ſpectauit ſemper, vt Sedem Apoſtolicam conuelleret, quòd per eam, & non per hæreſes, vnitatem in Eccleſia ſeruari, & myſteria Dei ritè diſpenſari, moleſtiſsimè ferat.

NAM & propterea non ſolũ hæretici recentiores, verùm etiã Græci, ante aliquot ſecula nullum non mouebant lapidem, quamobrem Diuina hęc lux veritatis Orienti non affulgeret.

RESTARET, vt diluerẽ ea, quæ ab iſtis hęreticis, aut à ſchiſmaticis, falsò Romanis Pont. aſcribuntur, quaſi hi aliquando contraria fidei ex ipſa Apoſtolica Sede docuerint, niſi apud verè doctos luce clarius eſſet, & ab hæreticis habita fuiſſe pro hæreſibus, quæ Catholica atq; Orthodoxa ſunt: ac ſæpè Antipapis, vel ijs, qui nondũ erant Pontifices Max. vel qui adeò nunquã Pontifices Max. fuere, varias calumnias aſperſas fuiſſe, cùm tamen à veræ fidei Chriſtianę tramite Rom. Eccleſia nunquam deflexerit. Itaq; Agatho Pontifex Max. quem tu, tuiq; meritò ſuſpiciunt, in epiſtola ad Conſtantinũ Imp. quæ in *6*. Synodo Conſtãtinopolitana Act. *4*. perlecta eſt, & poſteà *8*. Act. ab omnib' approbata: Hęc eſt, in- ,,
quit, veræ fidei regula, quã & in proſperis, ,,
& in aduerſis viuaciter tenuit, & defendit ,,
hęc ſpiritualis mater, veſtri trãquilliſsimi ,,
Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia, q̃ per ,,
Dei omnipotẽtis gratiã à tramite Apoſto- ,,
licę traditiõis nunquã erràſſe probabitur, ,,
nec hęreticis nouitatibus deprauata ſuccu- ,,
buit: ſed, vt ab exordio fidei Chriſtianæ ,,
percepit ab autoribus ſuis, Apoſtolorum ,,

,, Chriſti Principibus, illibata fine tenus per-
,, manſit, ſecundum ipſius Domini Saluato-
,, ris Diuinam pollicitationem, quam ſuorũ
,, diſcipulorum Principi in ſacris Eccleſijs fa-
,, tus eſt. Petre, Petre, inquiens, ecce Satanas
,, expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum:
,, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fi-
,, des tua, & tu aliquando conuerſus confir-
,, ma fratres tuos. Conſideret igitur veſtra
,, tranquilla clementia, quoniam Dominus
,, & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fi-
,, dem Petri non defecturam promiſit, con-
,, firmare eum fratres ſuos admonuit: quod
,, Apoſtolicos põtifices, meæ exiguitatis prę-
,, deceſſores feciſſe, ſemper cunctis eſt agni-
,, tum. Sic Nicolaus primus in Epiſtola ad
,, Michaelem: Priuilegia, inquit, iſtius Sedis
,, perpetua ſunt, Diuinitus radicata atq; plan-
,, tata, impingi poſſunt, transferri non poſ-
,, ſunt. Quæ ante imperium veſtrum fuerũt,
,, permanent, Deo gratias, hactenus illibata:
,, manebuntque poſt nos, & quouſque Chri-
,, ſtianum nomen prædicatũ fuerit, illa ſub-
,, ſiſtere non ceſſabunt. Ac paulò poſt: Nam
,, & inter cętera is, per quem nobis præcipuè
,, priuilegia iſta ſunt collata, aliquando con-
,, uerſus audiuit à Domino: Confirma fra-
,, tres tuos. In quem locum longior eſſem, ſi
,, quæ Origenes, Cyrillus, Græciue alij Pa-
,, tres vnanimi conſenſu ſcripſerunt, adferre
,, vellem. Nam & propterea Theodoretus in
,, Epiſtola ad Renatum presbyterum Ro-
,, manum: Tenet, inquit, ſancta iſta Sedes gu-
,, bernacula regendarum cuncti orbis Eccle-
,, ſiarum, cùm propter alia, tum quia ſemper
,, hæretici fœtoris expers permanſit. Atque

ea cauſſa fuit, cur Orientales Epiſcopi, ſanctiores in rebus fidei, atque in perſecutionibus, quas ab Impp. & à Græcis patiebantur, ad Rom. pontifices confugerunt: S. Athanaſius ad Iulium, S. Ioannes Chryſoſtom' ad Innocentium primum, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum, & cæteri. Quamobrem litteris à Rom. Pontificibus acceptis, ſuas Sedes recepère, & quãta eſſet à Chriſto ſucceſſoribus Petri collata poteſtas, re ipſa monſtratum eſt.

VERVM enimuerò cæteræ Sedes ac Patriarchatus Orientales non manſerunt in fide, quod & Græci ipſi non diffitentur, & Synodi legitimæ planè manifeſtârunt. In Hieroſolymitano enim Patriarchatu Eutychius, Irenæus, Hilarius, Ariani, & Ioannes Origeniſta, Patriarchæ ſederunt. In Antiocheno, Paulus Samoſatenus hæreſiarcha, Petrus Gnaphæus, Eutychianus, Macharius Monothelita, & alij. In Alexandrino Georgius, & Lucius Ariani, Dioſcorus, Eutychianus, Cyrus Monothelita, & alij. In Conſtantinopolitano Macedonius, Neſtorius, Sergius, hæreſiarchæ, & plerique alij, qui vſque ad hæc tempora, vbi à ſanctæ Romanę Eccleſiæ gremio ſeſe ſubduxère, iugo denique Turcico ſubiecti, nec libertatem, nec fidem Orthodoxam retinent.

CETERVM quod vel in iſto Anglorũ libro, vel in Chronicis, aut Hiſtorijs veſtris aduerſus Pontifices Rom. ſcriptum eſt ſcio Serenitatem tuam cordatam eſſe: cuius aures, aut animus non debet facilè patere obſtrepentium calumnijs: cùm neque hiſtorias antiquas Græcas, & ab authoribus legitimis conſcriptas perlegere potuerint tui, quorum nemo Græcè nouit: nec Latinorũ rationes audierint: atq; adeò nec ad Synodos ipſas, quaſi ad totius mũdi theatrum, Chriſti verò Domini tribunal, conuenerint, vnde haurirent ea, quæ Iſidorus Moſcouiæ Metropolita, quoniam ad Florẽtinam Synodum profectus eſt, vera eſſe cognouit, & credidit. Scilicet Græcorum mos fuit, hiſtorias, Synodos, & Epiſtolas Rom. Pontificum corrumpere. In quinta enim Synodo generali adiunctas ab hęreticis epiſtolas fuiſſe fictitias Vigilij Pontificis Max. & Mennæ Patriarchę Conſtantinopolitani, deprehenſum eſt in ſexta Synodo, Act. *12*. & *14*. dum acta quintæ Synodi relegerentur, & inuenti tres quaterniones, ab ijſdem hæreticis inſerti: ſicut & in *6*. Synodo ab æmulis Roman. Eccleſiæ quidquid dicitur aduerſus Honorium põtificem Max. vt teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius in hiſtoria ſua ex Theophane Iſauro Græco. Itaque S. Leo primus, Epiſtola *83*. ad Palæſtinos queritur, à Græcis Epiſtolam ad Flauianum ſuam, ſe adhuc ſuperſtite, fuiſſe corruptam. Et S. Gregorius Papa lib. 5. Epiſtola 15. ad Narſen aſſerit, Conſtantinopolitanos corrupiſſe Synodum Chalcedonenſem: idemque ait, ſe ſuſpicari de Epheſina: Codices autem Romanorum longè veraciores eſſe, quàm Gręcorum: Quoniam, inquit, Romani ſicut nõ acumina, ita nec impoſturas habent. Denique Nicolaus I. in Epiſtola ad Michaelem Imp. cùm eum ad Epiſtolam Adriani I. remitteret: Si tamen, inquit, non falſata, more Græcorum, ſed ſicut à Sede Apoſtolica miſſa eſt, penes Eccleſiam Conſtantinopolitanam hactenus conſeruatur.

ATQVI conſtat, Sexta quoque Synodo abſoluta, plures Epiſcopos iterum aſcendiſſe Conſtantinopolim, ibique Trullanos canones ediidiſſe, vt præcipuè Rõ. Eccleſiam carperent. Quamobrem ex his colligere poteris, ſi quid tibi à tuis, aut ab iſtis hæreticis obtruditur, eos, cum puros ac liquidos fontes Patrum antiquorum non aſſerunt, ſic tibi debere eſſe ſuſpectos, vt in

ordinem ipſum à Chriſto Domino inſtitutum intuens, aliquando ſeriò animum appellas ad veras Academias fundãdas, in quibus iſtæ errorum tenebrę, à cordibus ſubditorum tuorum melioribus diſciplinis diſpellantur. Alioquin AEgyptus fiet Moſcouia, nec vnquam feritas iſtorum populorum manſuefiet, niſi ſolida fides, & pietas in eam inuehantur.

SED vt ad Anglos redeam, bene habet, quòd (qui ſecuti imperitos & mendaces hiſtoriographos, Anglicam mulierem quandam, Ioannis nomine ementito, quæ nunquam fuit, Pontificem Max. fuiſſe dixere) nunc veram fœminam pro Papa in Anglia colant. Qui ſi S. Gregorij Magni, à quo fidem Chriſtianam accepere, libros tibi obtuliſſent, rem Chriſtianam verè feciſſent, tuque (vt quondam Mauritius Conſtantinopolitanus Imp.) ex eius Pontificis literis, Apoſtolicæ Sedis, in æternum permanſuræ, veritatem liquidiùs cognouiſſes. Nunc verò cùm ij intelligant, à Põt. Max. Principes ſemper ad fœdus aduerſus perpetuos Chriſti hoſtes ſanciendum, teque adeò nũc animari, quod ipſum quoq; argumento eſt, Pontificem Max. non eſſe Antichriſtum: viderint autem, quinquaginta ſex ante annos, Baſilio patre tuo regnante, per Clementis VII. Legatum, pacem inter ipſum, & Sigiſmundum I. Poloniæ Regem fuiſſe compoſitam: nunc autem iterum non ſine Pontificis Max. Gregorij XIII. ſtudio & opera, quam tu ipſe, Internuncio tuo ad eius Sanctitatem miſſo, procuraueras, inter te, ac Stephanũ Poloniæ Regem in plures annos difficillimum bellum eſſe ſopitum: Chriſtianique ſanguinis effuſionem, qui viginti duos totos annos fundebatur, non p̃ Antichriſtũ, ſed per Vicarium Chriſti curatum eſſe, vt ceſſaret: diſrumpuntur Satanas, quique ſub eo militant, quod per Sedem Apoſtolicam D. Petri id tibi officium præſtitum ſit, quodque Pontificis Max. nomen in Scythia, Tartaroſque iſtos inter tuos, non ſine laude audiri, atq; pronunciari intelligant: cùm neq; vnquam ab hęreticis, & eorum ſimilibus pax vlla inter Chriſtianos aut verè procurata, aut potius impedita fuerit. Ac verò Satanas, qui modicum tempus ſibi ad illaqueandas animas ſupereſſe ſentit, intelligit implendam eſſe Chriſti Domini prophetiam, vt fiat vnũ ouile & vnus Paſtor. Sic enim & tu, ſi reliquis Chriſtianis Principibus ad hoc ipſum ouile te adiungeres, ſeriò Diuinæ gloriæ & Eccleſiæ Chriſti propagandæ æterna cum dignitate fortiſſimam operam dares.

INTERROGATIONES ET RESPONSIONES DE PROCESSIONE SPIRITVS SANCTI A' PATRE ET FILIO, DESVMPTAE, AC BREVIORE ET DILVCIDIORE ordine digeſtæ, ex libro GENNADII SCHOLARII *Patriachæ Conſtantinopolitani: In gratiam & vtilitatem Ruthenorum.*

DISCIPVLVS.

EX SCRIPTVRA NE diuina poteſt oſtendi, Spiritum ſanctum mitti à Patre & Filio, hoc eſt, ab vtroque procedere?

MAGISTER.

Ioan. 15. POTEST: DOMINVS enim IESVS dixit: Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre: Et; Si abiero, mittam eum ad vos: Et; Quæcunque audiet loquetur: Et; Quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis: Et; Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt: Et; Pater, mea omnia tua ſunt. Præterea, Spiritus ſanctus, Spiritus (Rom. 6.) Chriſti dicitur, ac Spiritus veritatis. Et; (Galat. 4.) Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt eius: Et; Miſit Pater Spiritum Filij ſui in corda noſtra clamantem Abba Pater.

DISCIPVLVS.

Sanctine Patres Græci, ex iſtis S. Scripturæ locis proceſſionem Spiritus S. ex Patre & Filio crediderunt, & ſcriptis ſuis teſtati ſunt?

MAGISTER.

Sanctus Athanaſius ait: Spiritus ſanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. (In Symbolo S. Athanaſij.)

Sanctus Cyrillus Alexandrinus: Quoniam conſubſtantialis eſt Filio, & ex eo, vt Deũ decet, procedit, omnem ſuam in omnibus perfectiſſimam operationem habẽs: ideo dicit: De meo accipiet. (In 17. Ioan.)

Et

(In Epiſtola aduerſus Neſtorium.) Et rurſus: Nam Spiritus veritatis nominatur: & Chriſtus eſt veritas, & ab eo profluit, quemadmodum vtique à Deo Patre.

(In 2. Theſaurorum.) Et alibi: Quod igitur Spiritus ſanctus qui in nobis eſt, nos eſſe Dei conformes oſtendit, procedit autem ex Patre & Filio: apertum eſt diuinæ eſſe eſſentiæ, eſſentialiter in ea, & ex ea procedentem.

(In 7. aduer. Her. & in Ioann. 17.) Ac rurſus alibi ait: Infundi, & ex propria nobis ſcaturire natura à Filio.

(Vide etiã in 5. aduerſ. Herme. S. Baſil. in 3 aduerſ. Eunom. & 17. ca. ad Amphilochi.) Sanctus Baſilius: Quæ neceſſitas vrget, ſi autoritate, & ordine tertius eſt Spiritus; eũ natura etiam tertium eſſe? Quod autoritate quidem ſecundus à Filio ſit, & ab eo habeat eſſe, & ab eo accipiat & annuntiet nobis, & in ſumma, ab ea dependeat cauſſa religionis ratio tradit.

(Gregorius Niſſenus Hom. 3. ſuper Pater noſter. Vide etenim in 1. li. cõt. Euno.) Gregorius Niſſenus: Filius neque Spiritus eſt, neque dicitur, neque hæc relatiua conſequentia conuertitur: ſed ſpiritus Filij dicitur, quia ab eo accipit, ab eoque procedit, & ex eo eſt, quemadmodũ ex Patre Spiritum ſuſcepit.

(Et in ſer. ad Ablabium. S. Chryſ. Hõ. de incarn. Dom.) Sanctus Ioannes Chryſoſtomus: Venit Chriſtus ad nos, dedit nobis deſcendentem ex eo Spiritum, & corpus noſtrum ſuſcepit.

(Epiphanius in Ancora.) Epiphanius: Si Chriſtus ex Patre creditur Deus ex Deo; & Spiritus ex Chriſto, vel ab vtroque: vt Chriſtus dicit: Qui à Patre procedit: Et, hic, de meo accipiet. At dicet quis: Ergo duos dicimus eſſe Filios: & quomodo vnigenitus? Sanè quidem, tu quis es, qui Deo contradicis? Nam vocat ex eo Filium, Spiritum verò ſanctum ex vtroque, quæ fide tantum à luce data, lucidam vim habeat.

(In eodem Ancora.) Et rurſus: Spiritus ſanctus, Spiritus veritatis eſt, lumen tertium, à Patre & Filio eſt, nũ intellexiſti illud ab vtroque? Spiritus veritatis eſt à Patre & Filio, quid demonſtrat? Animaduerte diligenter: & intellige: Nã nihil fortuitum, & eorum, quæ ſunt in continuo fluxu, circa hæc verſatur, ſed anima.

(Ibidem.) Et rurſus: Quomodo nemo nouit Patrem, niſi Filius, neque Filium, niſi Pater: ſic audeo dicere, quod neque Spiritum, niſi Pater & Filius, ex quo procedit, & à quo accipit: neq; Filium & Patrem, niſi Spiritus ſanctus qui verè glorificat, qui docet õnia, qui ex Patre & Filio eſt, & à quo procedit, & à quo accipit. Cùm autẽ dicit, quòd eſt à Patre & Filio, nondum intelligitis verbũ, Eſt, quod eſt ſubſtantiuum, & eſſe ſignificat illius, de quo dicitur, quod eſt.

Et in eodem libro: Ergo Pater ſemper fuit, & Filius ſemper fuit, & Spiritus ex Patre & Filio ſpirat, id eſt, iuxta modũ Spiritui conuenientem procedit.

Quinetiam Spiritus ſanctus non conſubſtãtia, Patris & Filij; nam & ipſe vnigenitus dicit: Spiritus Patris, & qui ex patre procedit. Et: de meo accipiet: ne diuerſum à Patre putaretur, neq; à Filio.

(S. Hilar. q. fuit vnus ex 318. Patribus in Nicen. Cõcil. in Ser. poſt Pente. in feſto ſãctæ Trinitatis.) S. Hilarius: Credimus in ſanctam Trinitatem, id eſt, Patrem, Filium & Spiritum ſanctum, vnum Deum omnipotentẽ, vnius eſſentiæ, vnius ſubſtantiæ, vnius poteſtatis, omnium creaturarum opificem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia: Patrem à ſe, non ab alio, Filium ex Patre genitum: Deum verum, de Deo vero Lumen verum de lumine vero: non tamen duo lumina, ſed vnum lumen Spiritum S. æqualiter à Patre & Filio procedentem.

Sanctus Ioannes Damaſcenus: Omnia quæcunq; habet Pater, in generando tradidit Filio, præterquam eſſe Patrem.

(Cap. Theologicarum rerũ. 13.) Et rurſus: Ipſe quidem mens eſt, Pater videlicet Filij abyſſus, Filij genitor, & per Filium manifeſtatur Spiritus productor. Et paulò pòſt: Spiritus verò ſanctus, manifeſtatiua occultæ diuinitatis potentia Patris, ex Patre per Filium procedit, vt ipſe ſcit. Et in hiſtoria Barlaam, & Ioſaphat: vnum ſcias Spiritum ſanctum ex Patre Filioque procedentem: Deum perfectum & viuificantem, & ſanctificationis largitorem.

(Hic ille eſt qui à S. mõte Synai dicitur. Vide orat. de rectis dogmat. veritatis ad nos pertinen.) Magnus Anaſtaſius Antiochiæ Patriarcha: Sic & Spiritus oris eius, id eſt, Dei, Spiritus ſanctus dicitur, cùm os ſit vnigenitus, & Spiritus rurſus ex eo procedens: nec ſolũ à Patre, ſed & à Filio miſſus. Ac paulò pòſt: Atqui Dominus à ſemet eſſe oſtendens, diſcipulis inſufflans dicebat: Accipite Spiritum ſanctum.

(Ad Mari. Cypr. Presbyterum.) S. Maximus: Synodalium Actorum ſanctiſſimi Papæ noſtri, non in tot, quot ſcripſiſtis capitibus Regiæ vrbis homines comprehenderunt, ſed duobus tantùm: quorum alterum eſt de Theologia, quia dicit: & ex Filio Spiritum ſanctum procedere: alterum de diuina incarnatione: vbi ſcripſit Dominum ſine originali peccato eſſe, vt hominem. Et in hoc Romanorum Patrum expoſitiones conſentire demonſtrârunt. Quinetiam & Cyrillum Alexandriæ Epiſcopum, & eius ſacro tractatu compoſito in S. Ioannem Euangeliſtam: ex quibus ſe non facere Filium principium Spiritus oſtenderunt. Nam vnum tantùm Filij & Spiritus principium nouerunt, illius ſecundum generationem, huius ſecundum proceſſionem, ſed vt proceſſionem per eum declararent, & hac ratione coniunctionem, & identitatem eſſentiæ comprobarent.

 Diſci-

DISCIPVLVS.

Ergo etiam Patres antiqui Græci, qui ſacris Concilijs interfuerunt, idem ſenſerunt?

MAGISTER.

Vbi ſup.

In actis 1. Synodi.

Vtique, nam S. Athanaſius, & Hilarius Nicenæ, & D. Cyrillus Epheſinæ Synodis intererant. Atque in Actis primæ Synodi ſcriptum eſt: Spiritum ſanctum ex Patre procedere, proprium autem eũ eſſe Filij & ab eo ſcaturire:

6. & 7. Synod.

Et ſexta & ſeptima Oecumenicæ Synodi, anathemati ſubijciunt reijcientes ſanctorum Patrum, non ſolùm Græcorum, verùmetiam Latinorum ſententias, pro dogmatibus DEI Eccleſiæ conſtituendis, promulgatas, Athanaſij, Hilarij, Baſilij, Cyrilli, Auguſtini, Theophili, Ioannis Conſtantinopolitani, Leonis ſanctiſſimi Pontificis, Procli, Amphilochij, Magni Anaſtaſij Antiochiæ Patriarchæ, ac ſimilium.

DISCIPVLVS.

Cùm Patres Latini Occidentis, & Africæ idem ipſum ſenſerint, loca ſaltem aliquorum, ad hanc veritatem ſpectantia, noſſe deſidero.

MAGISTER.

Primùm quatuor ſanctiſſimorum Pontificum, quos vel ipſi Græci venerantur, deinde aliquorum aliorum loca breuiſſimè indicabo.

S. Dam. in confeſ. Cathol. fidei ad Paul. Epiſ. Antioch.

S. Damaſus is, qui Conſtantinopolitanam Synodum ſecundam indixit, ac confirmauit, ſic ait: Spiritum verò Paracletum neque Patrem eſſe, neque Filium, ſed ex Patre procedentem & Filio: eſt igitur ingenitus Pater, genitus Filius, non genitus Paracletus, ſed ex Patre procedẽs & Filio.

S. Hormiſda in Epiſt. ad Iuſti. Imp. ad Neſtor. & Eutychis blaſphe.

S. Hormiſda: Certum eſt, proprium Patris eſſe, Filium generare; proprium Filij Dei, æqualem Patri generari: proprium Spiritus ſancti, ex Patre procedere & Filio, ſub vna Deitatis eſſentia.

S. Leo P. Sermone in Pẽtecoſt.

S. Leo qui Chalcedonenſem Synodum indixit, & confirmauit, inquit: Cumque in perſonarum proprietatibus alius ſit Pater, alius ſit Filius, alius ſit Spiritus ſanctus: non tamen alia Deitas, neque diuerſa natura eſt: ſiquidem; cùm de Patre ſit Filius vnigenitus, & Spiritus ſanctus Patris Filijque ſit Spiritus: non ſicut quæcunque creatura, quæ & Patris, & Filij eſt, ſed ſicut cum vtroque viuens & potens, & ſempiternus, & ex eo, quod eſt Pater, Filiusq; ſubſiſtit.

S. Gregori⁹ in fi. 2. Dialogi.

S. Gregorius Magnus, qui & à Græcis Dialogus dicitur: cùm enim conſtet, quia Paracletus Spiritus à Patre ſemper procedat & Filio: cur ſe Filius receſſurum dicit, vt ille veniat, qui à Filio nunquam recedit? Sed quia diſcipuli Dominũ in carne cernentes, ſpiritualiter quoq; videre ſitiebant, rectè eis dicitur: Si ego non abiero, Paracletus non veniet: ac ſi apertè diceretur: Si corpus non ſubtraho, quis ſit amor Spiritus non oſtẽdo: & niſi me deſieritis carnaliter cernere, nunquam ſcietis me ſpiritualiter amare.

Vide item lib. 30. Moral. c. 8. & in ſua confeſ. fidei & hõ. 26.

S. Amb. ad Gratia. Imp 1. li. c. 10. de Spiritu S.

S. Ambroſius: Spiritus quoq; ſanctus, cùm ex Patre procedit, & Filio, non ſeparatur à Patre, non ſeparatur à Filio, quomodo enim ſeparari poteſt à Patre, qui Spiritus eius oris eſt?

S. Aug. l. 4. c 20. de Tr. & l. 5. c. 14. Vide & l. 15. c. 17. de Trinit. & c. 26. eiuſdem li. Ac de fide ad Pet. c. 2.

S. Auguſtinus: Et ſicut Spiritui ſancto donum Dei eſſe, eſt à Patre procedere: ita mitti, eſt cognoſci quod ab illo procedat: nec poſſumus dicere, quòd Spiritus ſanctus non & à Filio procedat: neque fruſtra idem Spiritus, & Patris, & Filij Spiritus dicitur: nec video, quid aliud ſignificare voluerit, cùm ſufflans in faciem Diſcipulorum ait: Accipite Spiritum ſanctum. Neque enim flatus ille corporeus cum ſenſu corporaliter tangendi, procedens ex corpore, ſubſtantia Spiritus ſancti fuit: ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed & à Filio procedere Spiritum ſanctum. Quis enim dementiſſimus dixerit, alium fuiſſe Spiritum, quem ſufflans dedit: & alium quem poſt aſcenſionem ſuam miſit?

& li. ſoliloq. c. 32. & ad Oroſium & aduerſus Maxim. li. 3. & 13. c. 14. vbi pulcherrimè de hac veritate diſſeruit.

DISCIPVLVS.

Sed num ſequentibus ſeculis poſtea vnquam conuenere cum Occidentalibus Orientales, aut hanc veritatem ex eadem diuina Scriptura & Patribus antiquis vnanimi conſenſu admiſerunt?

MAGISTER.

Sanè. Nam & ſuperiore ſeculo ante annos centum quadraginta Conſtantinopolitanus Patriarcha cum ipſo Græcorum Imperatore Ioanne Paleologo, cumque reliquis Orientis Epiſcopis, & præſtantiſſimis Theologis, in Florentina Synodo ſub Eugenio IIII. Pont. Max. eandem veritatem, ijſdem Patrum autoritatibus, & verbo Dei, atque alijs efficacibus argumentis coacti agnouerunt, ac teſtati ſunt. Quamobrem & vnio inter Græcos, atque Occidentales eſt conſecuta.

DISCIPVLVS.

Quænam illa alia fuëre argumenta quibus coacti ſunt?

Ma-

MAGISTER.

Primùm, quod nullibi apud ſacram Scripturam, neque apud Doctores dictum inuenitur, ex ſolo Patre procedere Spiritum ſanctum.

Deinde, cùm producere Spiritum ſanctum, Patris operatio notionalis ſit, eaque non origine prima & immediata, ſed per primam quæ generatio vocatur, neceſſe eſt etiam Filium, qui per generationem producitur, huius productionis eſſe conſortem, & per eum Spiritum ſanctum procedere.

Præterea, cùm apud omnes Doctores in confeſſo ſit, Spiritum ſanctum prodire ex Filio, omnino prodeat naturaliter neceſſe eſt. Nihil enim in Deo aut præter naturam, aut aduentitium eſt. Nam creaturarum eſt, non prodire ex Deo natura. Si ergo ſecundum naturam ex Filio prodit Spiritus, proceſſionem verò ſecundum naturam in diuinis dupliciter oportet eſſe, vel per generationem, vel per proceſſionem: per generationem autem non prodit ex eo (profectò enim eſſet Filius Filij etiam Spiritus) prodit ergo per proceſſionẽ: itaq; Spiritus ex Filio proceſſio erit, tanquam eius, qui procedit ex eo.

Amplius, Spiritum ſanctum ex ſubſtantia Patris eſſe, & Filij omnes Doctores orientales pariter & occidentales clamant: ſed quod in Trinitate ex eſſentia alicuius eſt, etiam ex hypoſtaſi eius eſt. Cùm ergo Spiritus ſanctus dicatur eſſe ex ſubſtantia Filij, eſt etiam ex ipſius hypoſtaſi. Quod ſi quis dicere audeat ea propter eſſe conſubſtantiale prolata fuiſſe, ac vt Spiritus eiuſdem eſſentiæ oſtendatur eſſe cum Patre & Filio, id quidem verum eſt, tanto magis adiuuat nos: Nam ſic magis eſt conſubſtantialis Patri & Filio Spiritus, quaſi ex eorum eſſentia, & ex ijs prodiens, ſiue procedens: quaſi ſi conſubſtantialitatem ſimpliciter denotat, vt ipſi volunt, neceſſe eſſet etiam Patrem ex eſſentia Filij, & Spiritus, & Filium ex eſſentia Spiritus dici. Sed id hucuſque nemo dicere auſus eſt, neque audebit, ſi Chriſtianus eſſe voluerit.

Adhuc, à magno Baſilio & pleriſque Sanctis dicitur Filius imago Patris, Spiritus imago Filij, & Filius operatio Patris, Spiritus operatio Filij: & Filius Patris verbum, Spiritus Filij eloquium: & Filius fragantia Patris, Spiritus fragantia Filij: Sed Filius dicitur eſſe hæc omnia Patris, quia ex eo procedit. Ergo & Spiritus ſanctus dicetur eſſe hæc omnia Filij, eo quod ex illo procedat.

Accedit, Quod ſi Spiritus ex Filio non eſſet, ab eo nunquam perſonaliter diſtingueretur. Cùm enim perſonæ diuinæ non diſtinguantur per abſolutas proprietates, ſed per relationes originis, certè ſi Spiritus ſanctus non oriretur à Filio, non haberet relationem originis ad illum, atque adeò neque ab eo diſtingueretur, quod abſurdiſſimum dictu eſt. Trinitas enim ita in dualitatem verteretur.

Item: Dicit Chriſtus diſcipulis: Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis: Et ſi abiero mittam eum ad vos: quare mitti in Deo, à cauſſa eſſe demonſtrat, vt Græci loquuntur, vel à principio, vt Latini. Teſtis eſt D. Chryſoſtomus ad Arianos, qui dubitabant, quomodo eiuſdem eſſentiæ ſit qui mittit, & qui mittitur. Is enim 29. Hom. dicit: Rurſus ad humana orationem traducis, nec intelligis omnia hæc ob nihil aliud dicta eſſe, niſi vt cauſſam ſciamus, neque in Sabellij morbũ incidamus: Sed Spiritus à Filio mittitur: ex eo ergo eſt.

Ad hæc, In Deo illa perſona, quæ eſt eiuſdem naturæ cum altera, & inſuper dicitur eſſe illius, neceſſe eſt, vt ab illa procedat: vt Pater in Filio, reſpectu Patris: ſed Spiritus ſanctus, eſt perſona eiuſdẽ ſubſtantiæ cum illo, & inſuper in ſcripturis dicitur eſſe Spiritus Filij; igitur neceſſario ab illo procedit.

Item: Spiritus ſanctus eſt relatiuum ad Filium, ſicut ad Patrem: vnde & dicitur Spiritus Filij ſicut & Patris: ergo refertur ad Filium tanquam ad ſpirantem & producentem, ſicut & refertur ad Patrem. Eſt ergo Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tanquam ſpirantibus & producentibus eum. Denique Spiritus ſanctus à Filio accipit: is enim dicit, de meo accipiet. Quod autem accipit, eſſentia eius eſt, neque aliud eſt eſſẽtia eius, aliud quod accipit: eſſet enim ſanè compoſitum, ſed eſt in ſummo ſimplicitatis exceſſu tanquam Deus. Eſſentiã ergo ſuam, & eſſe accipit etiam ex Filio.

DISCIPVLVS.

Quid ergo tam expreſſo Dei verbo, tot ſanctiſſimis Patribus, tam efficacibus argumentis, habẽt Orientales, quod obijciant?

MAGISTER.

Nihil ſanè habent veri, ſed quemadmodum Hæretici (vt inquit D. Chryſoſtomus) conuincuntur, ſed non ſanantur, ita Schiſmatici refelluntur quidem, & ſuperantur ab Eccleſia Catholica, ſed quandiu à radice, ſiue ab arbore præciſi manent, nec ſpiritum vitalem, nec veritatem percipiunt.

DISCIPVLVS.

Quid? ſi qui ex ſimplicitate, igno-

rátiaue,aut quoniam iſtam veritatem nun quam à Catholicis edocti fuerunt,vellent eam addiſcere,nonnè operæpretium eſſet illos docere?

MAGISTER.

Non ſolùm eſſet operæpretium,ſed operæprɇmium ɇternum. Nihil autem efficacius orauit Dominus IESVS, quàm vt eſſemus vnum, ſicut & Pater, & ille vnum ſunt. Quamobrem qui hæc docuerit, ſentiet à Spiritu ſancto maxima dona ſibi impartiri.

DISCIPVLVS.

Doce igitur me, quibus rationibus eorum obiectiones dilui poſſent,qui veritatem adeò lucidam obducere errorum tenebris in ſuam perniciem tentârunt?

MAGISTER.

Faciam, ſi tu ordine ipſas obiectiones propoſueris.

DISCIPVLVS.

In ſcriptura diuina non eſt expreſſum, Spiritum ſanctum à Filio procedere, ſed mitti.

MAGISTER.

Cùm quoties in eadem ſcriptura legimus Spiritum ſanctum à Patre mitti,nihil ambigimus, quin id ſignificet à Patre procedere: cur cùm legimus à Filio eundem mitti,non intelligimus id ipſum eſſe,quod procedere?

Gal.4. Ioan.16. 1.Ioan.4. Præterea cùm de Filio dicatur, Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere. Et ipſe Saluator: Ego à Patre exiui, & veni. Ac rurſus alibi: Pater miſit Filium Saluatorem mundi: quɇ omnia generationem Filij ex Patre demonſtrant: ſic & de Spiritu ſancto, quoniam Spiritum Patris audimus, Spiritum ex patre intelligimus: Et Spiritum Filij, Spiritum ex Filio percipimus. (Galat.4.)

DISCIPVLVS.

At dicunt Spiritum ſanctum,non quia à Filio procedit, ſed quoniam conſubſtantialis eſt Filio,dici Spiritum Filij.

MAGISTER.

Supra reſponſum eſt,ſed & iterum reſpondeo, ſi res vt iſti volunt,ita ſe haberet, ſequeretur, Filium quoque dici Spiritus ſancti: Patremque Filij quoque ac Spiritus ſancti Filium, propter conſubſtantialitatê. Verùm hoc nunquam reperietur,ac vel cogitatu eſt perabſurdum.

DISCIPVLVS.

Cur Dominus dicens Spiritum veritatis,qui ex Patre procedit,non addidit item ſeipſum?

MAGISTER.

Satis quidem addidit ſeipſum,vt ex diuinæ Scripturɇ locis initio citatis conſtat: veruntamen & illud addo,nec negâſſe de ſe,quin à ſe ipſo procederet Spiritus ſanctus: licet ita loqueretur, vt Patrem ſui, & Spiritus ſancti ingenitum, ac primarium fontem indicaret. Sed neque ſatis id eſt, quod obijciunt ad ſuum errorem comprobandum. Nam de die & hora illa (inquit Dominus) nemo ſcit,neque Angeli,neque Filius,niſi ſolus Pater. Ac rurſus: Mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me Patris. Et tamen nos recta ratione contrarium credimus, diemque illum & horam ſic apertè ab eo ſciri,ſicut à Patre: doctrinâ que eius ſuper omnia eſſe, cumque ipſum immenſam eſſe ſapientiam non dubitamus. Si ergo quæ manifeſtè (vt videtur) negauit, nos cum laude contraria credimus: qui non item hic,quɇ non negauit,piè credemus?

DISCIPVLVS.

A Græcis Patribus interdum dicitur Spiritus ſanctus per Filium produci: non autem ex eo procedere?

MAGISTER.

A Græcis item Patribus (vti oſtenſum eſt ſupra) dicitur Spiritus S. ex Patre & Filio prodire, procedere, profluere, &c. ſed & dictio illa, per, ſignificat ſæpe cauſſam, ſeu principium, ita vt tantundem deſignet, ac ſi diceretur: Ex * Filio. Iam cùm ſcriptum ſit, omnia per ipſum facta ſunt, nemo non intelligit, Filium creaturæ cauſſam fuiſſe. Et alibi, cùm ab Eua dictum ſit. Poſſedi hominem per Deum, idẽ vtique eſt, ac ſi diceretur, ex Deo: ſicut Diuus Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus, obſeruarunt.

(* Ioan.1. — Geneſ.1. — Baſil.in exponen.Gē. & ad Amphiloc. — Chryſo. in ca. 53. in Matt. — Cyril.in Epiſt.ad Neſtor.)

DISCIPVLVS.

Sed Damaſceni verba ſunt hæc: Ex Filio Spiritum non dicimus.

MAGISTER.

Non dixit, non eſſe,ſed non dici, vt vitaretur eo tempore impia hæreſis Eunomij aſſerentis, ex ſolo Filio Spiritum eſſe. Ex Filio (inquit) Spiritum non dicimus, neque ex Spiritu; ſic idem ipſe Damaſcenus Chriſti genitricem (ait) Virginem ſanctam non dicimus. Et alibi: Ideo Dei genitricem Virginem ſanctam prædicamus, perinde ac Deum propriè, & verè incarnatum

natum ex eo genuerit: Nam Chriſtum peperiſſe non ignoramus, quia Chriſtum genuit: ſed quia impius Neſtorius ad euertendum id verbum, quo etiam Deum peperiſſe exprimimus, ea dictione abuſus eſt. Porrò Damaſcenus in eo loco præpoſitionem (ex) ſoli Patri attribuit: vt ſignificaret illum eſſe primam in Trinitate perſonam, & qui à nullo producendi virtutem accipiat: præpoſitionem verò (per) Filio accommodauit: vt oſtenderet, illum eſſe ordine originis ſecundam in Trinitate perſonam, & quæ vim ſpirandi à Patre accipiat. Adde, quod, vt ſupradiximus, Damaſcenus in Hiſtoria Barlaam apertè dicit Spiritum ſanctum à Patre procedere.

DISCIPVLVS.

At nonne etiam Patres aliqui nonnunquam vitârunt illam dictionem, ex, ne Filium principiũ facerẽt, ſicque non crederetur Spiritus S. duo eſſe principia?

MAGISTER.

Cyrillus Alexandrinus dixit, ſe vnum tantum Filij & Spiritus S. principium facere, ad identitatẽ eſſentiæ comprobandam. Quod verò dixit, ſe non facere Filium principium, minimè, quod nõ ſit ex eo, ſed eſſe magis oſtẽdit. Dicit enim, ſe nõ facere principium, videlicet principale, vt illa impia hæreſis vitaretur, aſſerens Filium ex ſolo Patre, Spiritum ſanctum ex ſolo Filio procedere. Idcirco ſancti illi Patres ex Patre, vel Filio dicere interdum cauerunt: id eſt, neque ex Patre ſolo, neque ex Filio ſolo, ſed ex Patre per Filium: Et tamen per eum, & ex eo dicunt Spiritum ſanctum prodire profluere, producere.

DISCIPVLVS.

Verùm obijciunt rurſus dicentes, ſi quis ex ambabus perſonis, Spiritum ſanctum dixerit procedere, nonne coniungentur in vnam perſonam Pater & Filius?

MAGISTER.

Quia perſonæ Patris conſtitutiua proprietas dicta eſt eſſe paternitas, & generatio: ſpirare verò proprietas eſt, ſiue notio, quæ ſequitur perſonam conſtitutam ipſius, nulla neceſſitas eſt eum, qui communem cum illo habet eã proprietatem, quæ perſonæ eius conſtitutiua non eſt, vnam eſſe cum eo perſonam. Nam ſicuti communicans cum Patre Filius, in eo ſcilicet, quod eſt, Spiritum eius eſſe, quemadmodũ & Patris, & mitti ab eo, quemadmodum & à Patre, tamen non cum eo perſona communicat, quia ſpiritum dici Patris, vel ab eo mitti, non eſt paternæ perſonæ conſtitutiuum; ſic neque qui ſpirationem cum Patre communem habet, in vnam perſonam coniungitur, quia ſpirare non eſt perſonæ paternæ conſtitutiuum, quamobrem quouſque oſtenſum non fuerit ſpirare eſſe perſonæ paternæ conſtitutiuum; neque coniunctionem perſonarum poterit demonſtrare.

DISCIPVLVS.

Et tamen illis, qui diuina myſteria ſenſu carnali metiebantur, mirum videbatur duo principia, vel duas cauſſas non conſtitui, cùm Spiritus S. ex Patre, & Filio procedere diceretur?

MAGISTER.

Si mirum videbatur duas perſonas vnum eſſe principium, ac non coniungi; magis debebat mirum videri, tres perſonas vnum eſſe rerum creatarum principium, neque coniungi. Nec latini vnquam duo principia dixerunt, vel primum, vel ſecundum principium; vel vnum ex duobus conſtans principium, imò qui ita ſenſerũt, hos anathemati ſubiecerunt. Sicut autem cùm Gregorius Theologus dixit, principium de principio, ac Deum de Deo, non duos propterea Deos intelligimus, ſic neque duo principia, cùm Spiritum ſanctum ex vtroque procedere aſſerimus.

DISCIPVLVS.

Cùm Latinorum Patrum mentionem feceris, dic obſecro, quibus vicibus ipſi iſta pronuntiant?

MAGISTER.

D. Auguſtinus, Patrem & Filium oſtendit non duo eſſe principia Spiritus ſancti, ſed ambo vnum principium eius, neque quatenus duo, producunt Spiritum ſanctum, nec quatenus duo, Spiritus S. principia ſunt: ſicuti creaturæ non tria principia, Pater, Filius & Spiritus S. ſed vnũ eius principium Trinitas Deus eſt. (Vide l.5. de Trinit.c.14)

Præterea quia vna, & eadem numero virtute ipſi creant, & vna, & eadem communiter Deitate producunt, idcirco iure vnus Deus, & autor dicitur vnus non tres. Quia ergo vna & eadem virtute ſimul Pater & Filius, Spiritum producunt, & quia à Patre accipit Filius hanc virtutem proceſsionis cauſſatiuam, ideo propriè, & verè vna cauſſa, ſeu vnum principium eſt proceſsionis Spiritus ſancti.

DISCIPVLVS.

Vtinam iſta errantes audire, aut diſcere voluiſſent. Sed age, quonam modo reſpon-

reſpondendum eſt ijs,qui alio illo argumẽto fidem oppugnant,dicentes: vel perfecta eſt ex Patre proceſſio,& inanis ea , quæ eſt ex Filio, vel ſi neceſſaria ea eſt,quæ ex Filio imperfecta ea quæ eſt ex Patre?

MAGISTER.

Sicut perfecta eſt ex Patre mundi creatio , entiumque productio , & ſi eadem numero Filij,& Spiritus ſancti ad ea producenda operatio ſit. Nec alia illius eſt, alia horum:ſic perfecta eſt, & magis quàm perfecta , ex Patre Spiritus ſancti proceſſio , etiamſi vna & eadem numero ſit cũ ea ,quæ eſt ex Filio proceſſio ,non alia,& alia:Nec interdum ea,quæ eſt ex Filio,interdum ea , quæ eſt ex Patre,ſed ſimul,& eadem æquè,cum vna,& eadẽ numero poteſtate,vterque producat.

DISCIPVLVS.

Sed & ex D. Dionyſio illud objiciunt: ſolus fons ſupereſſentialis Deitatis Pater eſt:Itaque(aiunt)ex eo ſolo procedit Spiritus ſanctus.

MAGISTER.

S.Athanaſ in l. aduer. Arian. S. Athanaſius enarrans illud Pſalmi: Apud te eſt fons vitæ: ſciebat(inquit) Pater, videlicet apud ſe habens filium fontem Spiritus.

S.Baſilius 2.l. aduerſ. Eunom. S. Baſilius:Quid igitur (inquit) nos, quomodo ingenitum Patrem , genitum Filium confitendo ſecundùm ipſum eſſe contradictionem vitabimus ? Quid dicemus ? Quod boni Patris bonus eſt Filius , ex lumine verò ingenito lumen effulſit ſempiternum: & ex verè vita, viuificans profluxit fons: & ex virtute,quæ per ſe eſt, Dei virtus deſumpta eſt. Ac rurſus: Idem fons vitæ Filius inquit. Nam & Patrem dicit Dauid : apud te eſt fons vitæ:Et rurſus alter *Propheta de Iudæis dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Viua verò aqua Spiritus ſanctus appellatur.

*Ierẽ.2.

Vide pulcherrima de hoc fonte vitæ apud D.Au. ad Maxi.libro 3. ca.14 Deinde neque nos Filium dicimus fontem eſſe principalem vel ex ſe ipſo habere , vt fons ſit , ſed ex Patre. Pater enim fons eſt ſupereſſentialis Deitatis, quia ex alio fonte non profluit , quippe q ex alio non habet,vt fons ſit: quia prima ei nulla cauſſa eſt, vt fons ſit : ſed Filio Pater eſt, ac Pater fons eſt , vt genitor,& vt productor.Inde Pater ſimpliciter emanantis Deitatis fons eſt: Filius ipſius Spiritus ſancti tantùm.

DISCIPVLVS.

Sed nunquam illud audiſti , quod dicunt, vt adhuc ſemetipſos fallant ? ſic enim aiunt: Ioannes Baptiſta myſteriorum peritus conſpexit Spiritum , quaſi columbam in Chriſtum deſcendentẽ, ergo quod non habuit, accipiebat , tantum abeſt, vt Spritus ſanctus eo procedere dici debeat?

MAGISTER.

S. Atha. ſerm. de incarnationis diſpenſatione. Reſpondeat iſti cœcitati ne dicam ineptiæ S. Athanaſius. Ne credat quis, inquit , quod nõ habebat, accipiebat: is enim ſupernè demittebat, vt Deus : & infernè eum ſuſcipiebat, vt homo. Ex eo igitur in eum deſcendebat, ex eius Deitate in humanitatem ipſius. Hæc ille . Qui igitur in Iordane baptizabatur, verè Filius Dei erat, & omnia quæcunque habet Pater, vt Deus habebat, & habet: & quanquam vt homo in Iordane conſiſteret, paternum tamen thronum non reliquerat.

DISCIPVLVS.

Cùm Græci dicant, nos in anathema incurriſſe , quod ſymbolum fidei immutauerimus , verba illa addentes Conſtantinopolitanæ,aliarumúe Synodorum quarundam ſymbolo , ſecundum ſcripturas, & ,Filioque, quid iſtis reſpondendum eſt?

MAGISTER.

Si quid veritati in illis Synodis edoctæ iudicaſſent eam verborum declarationem , ſiue additionem aduerſari :. nunquam illi ipſi Pontifices Maximi , vel alij quoq; ſanctiſs. Patres Græci, qui Synodos illas approbarunt, aut ijſdem interfuerunt, eandem in ſuis ſcriptis inſeruiſſẽt. Et quidem Anathemati ſubijciuntur , qui aliter ſentiant, aut doceant, quàm ſenſerit Eccleſia illa , quæ eadem eſt cum præſente Catholica . Aliter autem ſenſerunt Macedonius , & Eunomius, alijque eiuſmodi, aduersùs quos anathema illud eſt latum. Quin verò non ipſi tantum ijmet Patres, verùm & Concilium ipſum Epheſinum , vnum è quatuor illis celeberrimis habitum apud Græcos diſertè teſtatur, Spiritum ſanctum à Filio quoque procedere. Quamobrem Græci cùm ſeſe ſæpius erraſſe animaduertiſſent: ſæpius item ,hoc eſt, quater decies, varijs temporibus cum Eccleſia occidentali conſenſerunt , ſicuti etiam ante pluſquam trecentos annos in œcumenica ſeu generali Synodo Lugdunenſi ſub Gregorio X. factum eſt , Cùm Græci Epiſcopi eò venientes , tam reliquorum Orientalium, quàm Imperatoris nomine publicè profeſſi ſunt , Spiritum ſanctum æternaliter ex Patre,& Filio, non tamquam ex duobus principijs ſed tanquam ex vno principio, non duabus ſpirationibus, ſed vna ſpiratione procedere: idq; coram toto Concilio illo ter Græcè , ac ter Latinè

Extra de sũma Trinita. & fide Catholica.

Latinè ,cùm ijs verbis,ſecundum ſcripturas,Filioq; ſimiliter decantarunt.

Porrò cùm , ſicut S. Auguſtinus dixit , ſaluberrima ſemper fuerit vniuerſalium Conciliorum autoritas : malè cum ſequentibus ſeculorum Chriſtianis actum fuiſſet , ſi quæ priores Synodi docuerunt, ea poſteriores Synodi , aut qui Eccleſiæ prę̄ſunt , nouis erroribus emergentibus declarare non potuiſſent . Quod quidem cùm fiat in verbo Dei, quotieſcunque opus eſt, nec tamen aliter, quàm Spiritus ſanctus ſentiat , Catholici Doctores illud exponant, cur non fiet in, ijſdẽ Concilijs, quę ab eodem Spiritu ſancto proficiſcuntur?

Imò in hac ipſa ſecunda Synodo, quam nobis objiciunt , hoc ipſum factum videmus : ſiquidem Patres huius Synodi addiderunt Niceno Symbolo verba illa, Spiritum ſanctum Dominum & viuificantem , &c. Cùm tamen in Nicena Synodo ſtatutũ fuerit, ne quid vltra adderetur Symbolo, quod ibi editum fuit.

DISCIPVLVS

O Catholicæ Eccleſiæ veritatem immobilem . Et ô miſerrimam ſchiſmaticorum cœcitatem, blaſphemantium quæ nũquam didicerunt, nec diſcere voluerunt

MAGISTER.

Ergo diuinæ bonitati , quæ te iſta docuit , non verbis tantùm , ſed & moribus Chriſtiano dignis , gratias age : Deinde verò cogita , id quod te Spiritus ſanctus docuit , hunc à te requirere , vt etiam idem alios doceas : ſic enim facilè intelligent ex hoc vno, maximis rationibus, ac ipſa veritate Catholicos ad credenda reliqua adduci , ſicque & ipſi fortaſſis æterna Catholica dogmata veriſſima eſſe credent & amplectentur.

INTERROGATIONES & Reſponſiones haſce de Proceſſione Spirit⁹ ſancti à Patre & Filio,&c. tanquam eruditas , orthodoxas & vtiles ad euincendam ac confundendam Schiſmaticorum à priſca Apoſtolica atque Catholica doctrina defectionẽ typis digniſſimas iudico.

EGO CASPAR FRANCVS
S.Theol. Profeſſor ordinarius, & facultatis Theologicæ pro tempore Decanus in Academia Ingolſtadienſi.

PRÆCEDENTIVM INTERROGATIONVM AC RESPONSIONUM *ſeries ac ſumma.*

EPISTOLAE GREGORII XIII. PONT. MAX. STEPHANI PRIMI POLONIAE REGIS, IOANNIS BASILII, MAGNI MOSCOVIAE DVCIS, ET ALIORVM,

Quæ citro, vltroq; commeârunt, dum Antonius Poſſeuinus Legationes ad eos obibat.

GREGORIVS XIII. PONT. MAX. *Stephano Primo, Poloniæ Regi.*

CHariſſime in Chriſto fili noſter, ſalutẽ, & Apoſtolicam benedictionẽ. Miſit ꝓpriũ ad nos legatum Moſcorum Dux cum litteris , & mandatis, qua de re curauimus Maieſt. tuã certiorẽ fieri, per Nuncium noſtrũ. Remittimus Legatũ, cumq; eo dilectum filiũ Antoniũ Poſſeuinũ, Theologum, & Sacerdotẽ Sodalitatis Ieſu prudẽtia, & fide ſpectatiſſima, multiſq; in rebus nobis probatũ atq; ad grauiſſima quæq;, Dei gloriæ, & communis boni cauſa, tractanda paratiſſimũ, aptiſſimũque & tuæ Maieſt. optimè cognitũ , qua etiã de cauſa, ipſius opera ad hoc negociũ libentiſſimè vtimur. Cupimus igitur, vt eius verbis omnẽ fidem tribuas, ſuper negocio pacificationis, tantopere à Moſco expetitæ: ſuperq; fide, quã idẽ Moſcus poſtulat Legato ſuo cõcedi, ſecurè ad ſe redeũdi; qua etiã fide idem Poſſeuinus indigebit: deniq; ſuper omnibus reb⁹ , de quibus tecũ aget noſtro nõmine. Datũ Romæ, apud Sanctũ Petrũ, ſub annulo Piſcatoris , die XV. Martij, *1581.* Pontificatus noſtri, anno nono.

Gre-

GREGORIVS XIII. PONT. MAXIMVS

Ioanni Baſilij, Magno Moſcouiæ Duci.

DILECTE fili,&c.Salutem,& Apoſtolicam benedictionem.Ex litteris Nobilitatis tuæ, quas nobis reddidit Thomas Seuerigenus, Orator tuus, atque ex ipſius ſermone cognouimus ea,quæ nobis ſignificare voluiſti.Lætati ſumus,gratiasque egimus Deo,cuius impulſu factũ eſt,vt Princeps tam magnus,ex regionibus tam remotis,& per litteras,& per Legatum nos ſalutaret,maiorumq; ſuorum ,clariſſimæ memoriæ Principum conſuetudinem referret.Extant enim apud nos multæ illorum litteræ, atque vtrinque reſponſa, ſumma vtriuſq; partis cum voluptate,& officiorũ commemoratione, reddita. Quæ poſtulas (quantum quidem auctoritate,atq; opera efficere poterimus)erunt ſemper tuæ Nobilitati à nobis paratiſſima. De fœdere eò libentius agimus, quò magis agnoſcimus noſtri officij,ac muneris eſſe,curare,vt Chriſtianorum Principum vires quàm coniunctiſſimæ ſint.Mittemus etiam,vt poſtulas, aliquem ex noſtris cũ Thoma: curabimuſque vt poſſint quàm breuiſſimo itinere illæſi,atque ab omni viæ iniuria tuti,ad te peruenire.Quod autem attinet ad Poloniæ Regem,vt eum à Turcarum, Tartarorũq; aduerſus Chriſtianos fœdere deterreamus, nihil opus eſſe arbitramur: nũquam enim de tali fœdere aliquid audiuimus,aut coniectura ſuſpicari potuimus. Et quanquam hoc tempore nullum gerit cum perfidis bellum, tamen hoc illi cum ceteris Chriſtianis Principibus commune eſt:quos conſtat eſſe animo erga Chriſtianam Rẽpub. optimo:multis autem,grauiſſimiſque neceſſitatib⁹ impediri,quò minus poſſint ſuo ſummo deſiderio ſatisfacere. De præſenti bello nihil certum iudicare poſſumus:iam enim bienniũ eſt,cùm ipſe quoq; Rex publico ſcripto teſtat⁹ fuit,ſumma ſeſe neceſſitate coactum,id ſuſcepiſſe,cauſſasq; permultas attulit. Quia verò nullo noſtro merito, ſumma autem Dei benignitate,impoſitum Vniuerſalis Eccleſię paſtoris,Chriſtique Vicarij munus ſuſtinemus ,mittemus ad Regem,vt omnia comperta habeamus:quæ verò cognouerimus,ea omnia per eum ipſum,quem ad tuam Nobilitatẽ mittemus,tibi ſignificari curabimus.Offerim⁹ autem vtrique veſtrûm noſtram auctoritatem,atq; operam,ſi ea vti volueritis in veſtris diſsidijs componendis,vnde etiam ceſſet tanta Chriſtianorum ſtrages. Sic enim exiſtimamus,vos minimè recuſaturos rectum:æquumq; veſtris priuatis rationibus anteponere:&,ſi qua iniuria occupata ſunt reſtituere . Rebus autem inter vos compoſitis,tum verò poſſent Chriſtianorũ arma omnia in cõmunes hoſtes cõuerti:quod quidem,dum inter vos dimicatis,neq; cõmuni cauſſæ ſuccurritis , ſperare non licet. Sed nulla poteſt eſſe maior,quã fidei,& religionis cõiunctio:hæc enim non humana continetur charitate(quæ quidem tenuis, mutabiliſque eſt)ſed Diuina. Vna autẽ Eccleſia eſt:vnus Chriſti grex:vnus,poſt Chriſtum, in terris eius Vicarius, & Paſtor vniuerſalis . Hunc verò ſancti Patres, & Eccleſiæ Doctores, œcumenicaque Concilia omnia,Romanum Pontificem eſſe agnoſcunt,&prædicant,idque etiam in Concilio Florentino(iam ſunt anni centum ferè,& quinquaginta)totius Græciæ Epiſcopi,cumque ijs vnà Palæologus Imperator Conſtantinopolitanus,qui tum ei cõcilio interfuit,apertiſſimè,libentiſſimeq;profeſſi fuerunt.Qua in ſententia vtinam permanere voluiſſent:nunquam enim in tam graues miſerias incidiſſent:Nunc autem ,dum ſeſe Romanæ Eccleſiæ,ac Pontificis cõplexibus ſubtrahere voluerunt ,intolerabile immanis Tyranni iugum ſubierunt. Hoc igitur firmiſſimo ſanctæ religionis vinculo dirempto,neceſſe eſt,ceteras coniunctiones tenuiſſimo,atq; ad diuturnitatem breuiſſimo humanarum rationum nexu contineri.Hoc vt tecum diligẽtiſſimè cogites, noſtramq; in hac cohortatione charitatem & tuæ,tuarumque Prouinciarum(quas permultas,& populorum refertas eſſe non ignoramus)ſalutis ſtudium agnoſcas,Deum aſſiduè precamur,tuamq; nobilitatẽ,quantum poſſumus, rogamus. Hæc vna ratio eſt Chriſtianorum omnium vires,atq; animos tibi in perpetuum deuinciendi: certiſſimas,& clariſſimas ex Chriſtianorum hoſtibus victorias,ac ſempiternas à Deo coronas in cœlo referendi. Mittimus ad Nobilitatem tuam Volumen Concilij Florentini ex Archetypo ipſo , quod apud nos eſt,fideliſſimè exſcriptum:rogamus, vt id legas à tuisq; Doctoribus quàm diligentiſſimè legi mandes:magnũ hinc Diuinæ erga te gratiæ fructum ſperamus.Hoc enim vnum cupimus, vt cum hac ſancta, & Apoſtolica ſede quàm coniunctiſſimus ſis religione, & charitate. Cetera omnia erunt tuæ amplitudini à nobis,atque ab omnibus Chriſtianis Principibus paratiſſima. Omnia fuſius cognoſces ex dilecto filio Antonio Poſſeuino,Theologo inſigni ,& Sodalitatis Ieſu Sacerdote:nobis, magniſque Chriſtianorum Principibus(apud quos eius opera prudẽtiſſima multis,maximiſq; in rebus ingẽti cũ fructu vſi ſumus),ꝓbatiſsimo,nobiſq; in primis charo,quẽ ad te mittimus.Cupimus,vt eum libenter videas, audiaſque,& commendatiſſimum habeas:id enim pollicetur humanitas tua.Quod ſi ea,quam diximus,quamque incredibiliter optamus, religionis coniunctio,Deo adiuuante, fuerit inter nos conſtituta, hacque ipſa de cauſa Legationem ad nos miſeris,dignã hoc negotio tam graui,tam neceſſario, tamque à nobis,atq; ab vniuerſa Eccleſia exoptato: nos quoque clariſſima legatione, & omni honore,quo magnos Chriſtianæ Reipublicæ Principes amplecti conſueuimus,noſtrã paternam erga te charitatem teſtificabimur. Datum Romæ,apud ſanctum Petrũ, ſub annulo Piſcatoris,die xv.Martij,1581. Pontificatus noſtri anno Nono.

GREGORIVS XIII. PONT. MAXIMVS.

Ioanni, Ioannis Magni Moſcouiæ Ducis filio primogenito.

DILECTE fili,&c. Salutem ,& Apoſtolicam benedictionem . Libentiſſimè amplexi ſumus hanc opportunitatem ad tuam Nobilitatem ſcribendi, teque ſalutandi,per dilectum filium Antoniũ Poſſeuinum,Theologum inſignem,ac Sodalitatis IESV Sacerdotem ,ac prudentia ſpectatiſſima,quem ad clariſſimum,& potentiſſimum virum,Patrem tuum mittimus. Speramus has litteras,& ſalutationem non ingratam tuæ Nobilitati futuram : proficiſcitur enim à charitate paterna ,atque ab optimo deſiderio ſalutis tuæ , & gratiæ, quam tibi à Domino precamur toto pectore . Hæc enim ſola expetenda eſt:humanæ enim res omnes,quamuis maximæ,fluxæ ſunt , & caducæ, breuiſſimoque momento conuertuntur,atque intereunt:ſola Diuina autem gratia , eſt fons ille aquæ viuæ,ſalientis in vitam æternam,quam pollicetur Dominus ſe tributurum ijs,qui eũ agnoſcunt,atque vt oportet colunt. Hanc igitur tuæ Nobilitati optamus, & precamur,qua nihil amplius,&præſtantius optare,& precari poſſumus . Speramus etiam te, pro tua humanitate libenter Poſſeuinum viſurum,eiuſque verbis omnem fidem tributurum . Erit id nobis gratiſſimum. Datum Romæ,apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris,die xv. Martij, 1581. Pontificatus noſtri anno 9.

(·:·)

GREGORIVS XIII. PONT. MAXIMVS

Theodoro, Ioannis Magni Moſcouiæ Ducis filio.

DILECTE fili, &c. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Mittimus ad virum clariſſimum,& potentiſſimum, Patrem tuum ,dilectum filium Antonium Poſſeuinum, Theologum , & Sacerdotem Sodalitatis Ieſu ,doctrina , fide, prudentia, integritate ſpectatiſſima, nobiſque his nominibus in primis charum . Mandauimus ei, vt has noſtras litteras tuæ Nobilitati redderet,eamque quam aſcribimus, & à Domino precamur , ſalutem , & benedictionem ,coram etiam diceret noſtris verbis. Debemus nos quidẽ amplecti paterna charitate omnes Chriſtianos , inprimis verò principes potentiſſimos,poſſunt enim multis, maximiſque in rebus prodeſſe Eccleſię Dei. Huius verò charitatis nullum poſſumus aliud certius argumentum afferre, quàm in optandis Nobilitati tuæ non his terrenis,& caducis bonis,quæ neminẽ poſſunt beatum reddere ,ſed permanentibus, & ſempiternis illis,quæ nos efficiunt filios Dei,& cohęredes Domini noſtri Ieſu Chriſti.Speramus has litteras atq; aduentũ Poſſeuini tibi non ingratum futurum,quęq;ex Poſſeuino cognoſces,te libenter auditurũ: omnia enim exponet mandato noſtro. De⁹ benedictus adſit Nobilitati tuæ ſua gratia. Datum Romę,apud Sanctum Petrum,ſub annulo Piſcatoris,die xv.Martij, 1581. Pontificatus noſtri,anno nono.

GREGORIVS XIII. PONT. MAXIMVS

Magnæ Duciſſæ Moſcouiæ.

DILECTA in Chriſto filia,&c. Salutem,& Apoſtolicam benedictionẽ. Non putauimus omittendam eſſe hanc opportunitatẽ ſcribendi ad Nobilitatem tuã per dilectum filium Antonium Poſſeuinũ, Theologum eximium, & Sodalitatis Ieſu Sacerdotem integerrimum , nobiſque in primis charum : teque & per has litteras,& per ipſum etiam ſalutandi. Hanc ipſam verò,quam aſcribimus ſalutem ,& benedictionem,tibi,viro tuo , filijs,vniuerſæque ditioni tuæ à Domino Deo noſtro precamur. Nihil enim eſt,in quo meliùs poſſimus noſtram paternam erga vos charitatem ſignificare. Humana enim omnia,quãuis ampliſſima,caduca , & fugacia ſunt: ſola Diuina gratia, & charitas poteſt nos ad eam beatitudinem perducere,ad quam facti ſumus . Speramus hunc noſtrum ani-

animum tibi gratum futurum. Cætera exponet Nobilitati tuæ Possevinus noster; cupimus, vt eius verbis omnem fidem tribuas. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XV. Martij, *1581*, Pontificatus nostri anno nono.

IOANNI BASILII MAGNO MOSCOVIAE DVCI *Antonius Possevinus.*

CREDO iam Serenitati tuę innotuisse, Pontificem Maximum Sanctæ Catholicæ Romanæ Ecclesiæ Pastorem, Gregorium tertiumdecimum omni humanitate excepisse Romæ Thomam Seuerigenum aulicum tuum, quē cum litteris tuis ad eum misisti, vnà cum tribus, vel quattuor famulis tuis: inter quos erat ille, qui illhic vocatur Theodorus Popler. Scribebat autem Serenitas tua Summo Pōtifici inter alia, vt ipse ad Poloniæ Regem, & ad Serenitatem tuam aliquem mitteret, qui & cum illo ageret de vitanda Christiani sanguinis effusione: ac tecum posteà (sicuti & cum alijs maximis Principibus Christianis) de fœdere aliquo tractaret, ad infensissimos Christi Domini hostes expugnandos. Quę omnia, cùm Summo Pontifici semper cordi fuerint, libenter aggressus est, quæcunque tua Serenitas cupiebat: meque ad Rodulphum Romanorum Imperatorem, atque ad Polonię Regem misit, vt ab hoc intellectis rebus, quæ ad mutuam conciliandam pacem, ac beneuolētiam facerent, properarem ad Serenitatem tuam: cum qua, si tibi placuerit, habeo etiam alias res, quas eiusdem Pontificis Maximi, & aliorum Principum nomine agam, quæ quidem ad propagandam Dei gloriam, celebrādamq; perpetuò pietatem tuam pertinent. Cùm autē Vilnam peruenissem, audiui ad Serenitatē tuam à Rege Poloniæ missum fuisse Internunciū de pace, qui qdem esset quàm primum rediturus. Itaque dum ego cum Rege Poloniæ cœpi agere de ijs, quæ ad dignitatem tuam spectant: dumque iste Internuncius expectatur, veni Dzisnam (quo ipse etiam Rex præcesserat) vt ad Serenitatē tuam has statim litteras mitterem: quibus reuerenter (vt facio) te rogarem, vt mihi Serenitas tua fidem publicam pro me, & vndecim alijs itineris mei comitibus, mittere subitò dignaretur. Cùm enim tu, pro tua sapientia, in tam longo itinere cogitaueris eundem Thomam Seuerigenum vnà cum alijs quattuor tantùm, ad Summum Pontificem mittere: ne scilicet, si multò plures fuissent, suspicionem aliquibus Principibus, & Prouincijs iniecissent, aut impediti fuissent: ita Pontifex Maximus me cum paucis, easdem ob caussas, ad tuam Serenitatem mittendum existimauit: sperans, compositis rebus, quæ inter Serenitatem tuam, & Poloniæ Regem controuertūtur, fore, vt tua Serenitas ad ipsum Pontificem Legationem ampliorem, & Pontifex ad te honorificentissimam possit mittere. Ceterum habeo à Rodulpho Romanorum Imperatore fratre tuo litteras testes mei (nec enim semel à Summo Pontifice ad eum missus sum) vt possit Serenitas tua cognoscere, me in tuis rebus omnem fidelissimam operam præstiturum: qualem decet esse, qui Diuini nominis propagationem cupit, per tam potentem Principem, quantus es tu, & à Principibus Christianis haberis. Habeo etiam quædam pia dona, quæ tuę Serenitati Pontifex Maximus amoris erga te sui caussa mittit. Sed & quot vel donis, vel officijs prosecutus sit ipsum Thomam Seuerigenum, ex ipso cognoscere poteris, q. Praga ad mare discessit, priusquam ego illhinc proficiscerer, quòd nondum venerant litteræ fidei publicæ à Rege Polonię, quibus posset mecum per Poloniam in Moscouiam venire. Litteras autē, quas ille idem Thomas Venetijs Serenitati tuæ scripsit, ad te mitto, cū alteras, quas mihi Pragæ dedit, sim ipse, Deo adiuuante, allaturus. Rogo igitur iterum Serenitatem tuam, vt Orsam quàm primum iubeas ad me eandem fidem publicam pro me, & meis vndecim mitti: Diuinamq; maiestatem precor, vt te omni cœlesti misericordia cumulet, atque diutissimè ad sui sanctissimi nominis gloriam imperantem faciat. Dzisnæ in Russia, die ix. Iulij. Anno à Christo nato 1581.

STEPHANO I. POLONIAE REGI, *Antonius Possevinus.*

IS, qui Regiæ Maiestati Vestræ has litteras reddet, nobilis est Ruthenus, quē, apud nostros Vilnæ litteris operam dantem, in Moscouiam adduxi, vt præter alterum hoc quoque interprete vterer. Qui cùm mihi fidelem prę stiterit operam, peneque omnibus rebus interfuerit, eum Vestrę Maiestati præmitto. Quam demisse rogo, vt per ipsummet, atq; per eos, quos meæ, ac meorum, inter equites quoquouersum discurrentes, tutelæ Vestra Maiestas, isto in statu rerum, putabit esse necessarios, dignetur iubere, vt litteræ tuti commeatus afferantur: quibus etiam alter Moscus nobilis, qui à meo Pristauo ad D. Palatinum Vilnensem mittitur, ac ceteri qui me deducūt, venire, ac statim tuto redire possint ad suos. Ceterum quæ pluribus scriptis, nec vno colloquio, cum Magno Moscouiæ Duce, eiusque Senatoribus egi, ea referā V.

Maiestati. Quod vt faciliùs, præter alia ad meæ missionis rationem spectantia, efficere possim, dignabitur dispicere, quinam mihi locus, nec incommodior, nec valde procul à tentorijs M. V. erit assignandus. Hoc enim præter alia pro singulari beneficio agnoscam. Reliqui autem Magnum Ducem xiiij. die huius mensis, in oppido Staricia ad Volgam, plùs minus quadringentis passuum millibus hinc distante; qui mihi discessum paranti, assurgens, in suo illo procerum, & aulicorum consessū, alta voce dixit: Tu Antoni, qui à Pontifice Maximo de pace missus es, quemque redeuntem ad nos expectabimus, nostro nomine te inclinabis Stephano Polonię Regi. Posteà cū iam Staricia *150.* milliaribus Italicis processissem, misit ad me magnis itineribus volumē haud breue, quo mihi præter illa, quæ præsenti exposuerat, scribebat alia, quæ cupiebat vt scirem; ac præsertim quædam, quibus ad aliqua possem respondere V. Maiestatis epistolæ, quam à Matthæo Prevvorski allatam, mihi Latinè descriptam per Senatores anteà iusserat tradi. Sed & alia non pauca mihi, tum eius nomine, tum alias ob caussas, referenda sunt Maiestati V. Hoc vnum addo; Magnum Moscouiæ Ducē, triduò postquā ab eo discessi, ad Trinitatis Monasteriū, celebre apud hanc gentē, religionis (vt aiebāt) caussa, inde Lobodā parasse profectionē: inde verò paulò pòst Moscuā Regiam suā petiturum, quæ duodecim tantùm leucis ab oppido Loboda abest. Maiestati V. Regiæ omnia prospera, & fausta ex animo à Deo Opt. Max. precor. Ex Bor pago, ad fluuium Szolonam, Plescouia distante (vt incolæ referunt) paulò plùs centum milliaribus Italicis, die XXVI. Septemb. *1581.*

STEPHANVS I. POLONIAE REX, *Antonio Possevino.*

PERGRATVM nobis fuit, de reditu ad nos P. Vestræ cognoscere, quæ vt quanto ociùs properet accedere, etiam atq; etiam hortamur. Coràm omnia, quæ erunt cognoscemus. Litteras passus mittimus Vestræ Paternitati, quibus cautū est vniuerso P. V. comitatui, atq; ipsis etiā Moscis, qui vnà veniunt. Cū ad primas custodias Paternitas V. accesserit, poterit eos Moscos, qui redire volent, tutò à se dimittere: qui volent vnà accedere, id etiā summa cum securitate facient. Nos cū in propinquo Paternitatem V. intelligemus, ei nostros, qui eam pro dignitate accipiant, obuiam mittemus, ac vicinum Pat. Vestræ locum diuertendi apud nos, sponte nostra concedemus. Bene valeat Pat. Vestra, ac salua veniat. Datum ex castris nostris ad Plescouiam, die XXIX. Septembris, Anno Domini *1581.* Regni verò nostri anno sexto.

IOANNI BASILII, MAGNO DVCI Moscouiæ, Antonius Possevinus.

CVM Dei clementia saluus ad exercitum Stephani Poloniæ Regis peruenissem, nihil mihi potiùs fuit, quàm vt de ratione omni pacis conficiendæ cum eo agerem, qui diù me de rebus, quas tua Serenitas cupiebat, loquentem, & in frequenti suo Senatu, & priuatim audiuit. Primùm autē, etsi grata fuit illi inclinatio, qua mihi discedēti significasti, vt tuo eum nomine salutarem: miratus est tamen cum suis Senatoribus vehementer, eas te arces nolle in Liuonia dedere, quas tui ipsius Legati, tuo nomine, Vilnæ promisissent. Cū verò quascunq; poterā, rationes attulissem, quibus à fundendo Christiano sanguine desisteretur, non solū Rex ipse Stephanus, verùm sanè (vt tibi sincerè omnia dicā) omnes ita mihi responderunt, vt nihil mihi restare aliud agēdum existimauerim, quàm, vt ipsum Deum enixè orarem, deinde verò, vt domesticum hunc nostrum hominē ad te quā citissimè allegarem, qui te de omnibus sincerè faceret certiorem. Summa igitur earum rerum, quas mihi Stephanus Rex ostendit, hæc fuit: se (quod antea tibi ipse indicauerā, quodq; ille postrema sua epistola declarauit) nullis vnquā pacis conditionibus, nisi prioribus, quas tibi indicauerat, assensurum. Quod quidem eò tibi magis faciendū esse dicunt, quò vides; quāto plus restitutionem illarū Arcium distulisti, tantò faciliùs magnam earum partem venisse in manus Stephani Regis. Regē autem Sueciæ Naruam (de qua penè sola erat in pace absoluenda cum tuis Legatis controuersia) & Iuanohorod, Lapidē album, aliasq; munitas arces cepisse; qui dum tu à Poloniæ Regis exercitu, ex multis certè nationibus instructo, in hac regione oppugnaris, in tuas quoq; ille, alia ex parte, interiores regiones sit progressurus, nisi cū Stephano Rege quàm primùm pacem firmaueris. Prætereà intelligunt, videre te Plescouiam peramplam, & inter omnes ciuitates tuas præcipuā in summo periculo versari, cui nisi pacis beneficium ijs conditionibus admiseris, quæ tibi proponuntur, grauissimum aliquod damnū sit euenturum: cùm præter trucidata præsidia, quæ in eandem ciuitatem immittebas, captumque insignem Ducem Mikitā Chrostouiū (quē ego his oculis vidi, ac de quo egi, vt in honestiore custodia vnà cum famulo liberiùs tractaretur) hac quoq; nocte, dum hæc scribo, milites tui, qui Nouogardia venientes

in eam ingredi tentârunt, fuerint profligati, ac multi capti. Populus autem ipſe Pleſcouienſis, vt multus eſt, ac circumquaq; ab Regis exercitu obſeſſus, ea patitur, quæ pro ſapiētia tua potes intelligere. Et ſanè multos quotidie diſploſionibus tormentorū Regiorum, & morbis, animiq́; mœrore in Ciuitate mori, relatum eſt mihi, ſicut & plures in agris hoſtilem gladium expertos fuiſſe, his oculis vidi. Qui, quoniam ſubditi tui ſunt, eorumq́; tibi ratio reddenda eſt Deo, vide, an facili negocio velis eorū ſaluti conſulere; nempè, ſi Stephano Regi ea, quæ à te petit, tradas. Quod quidem nunquam tibi, vt faceres, proponerem, ſi alias rationes perſpicere potuiſſem, quibus in tuo propoſito, cum tuorum incolumitate, tuaq́; cum nominis exiſtimatione, ſtares. Veruntamen etiam id te mouere maximè debet, quòd, quantum ex amicis meis, Pontifici Maximo fideliſsimis, intelligere potui, Stephanus Rex in Moſcouia, tuaq́; reliqua ditiōe & hyemare, & bellū quoquouersùm inferre ſtatuerit. Qui propterea ex ciuitate Riga, magnā vim tormentarij pulueris, & globorum aduehi huc iuſsit, ac ſupplementa alia militū externorum ante quartum abhinc diem expectat. Illud certè veriſsimum eſt, non ſolùm Regem cum primarijs penè omnib⁹ domos ſibi ligneas in caſtris excitaſſe; quibus aiunt, totam hic hyemem (ſi opus ſit) ſeſe traducturos, & in tuas vlteriores regiones excurſuros: verùm etiam militem reliquum, foſſas ſibi excauaſſe, quo frigus noctu ſuſtineat, diem autem bello faciendo inſumat. Iam verò & illud addunt, te pro tua prudentia intelligere, quid tantus Regis Stephani exercitus triennio, iam omnibus belli laboribus, & victorijs aſſuetus, efficere poſsit, cū præſertim difficiliores omnes vias ſuperauerit, tormenta maxima inuexerit, arceſq́ue in ditione tua tot ceperit, vt vndequaq; cómeatus, militemque recentem ad ſe queat adſciſcere: ſoluto verò gelu non iam mēſe Iulio, vel Auguſto anni inſequentis, ex Polonia, Lituaniaúe ſit caſtra aduersùs te moturus, ſed ex Imperij tui viſceribus. In ꝙ cùm ſine vllo impedimento peruaſerit, quid facturum inquiunt, ſi iam in patentes, & vltra ipſos Moſcuæ campos expediti equitatus bonam partem educere voluerit? Quod illum ſanè facturum inaudiui, etiamſi Pleſcouiæ obſidio protraheretur, quam propugnaculis quibuſdam, cingere decreuit: quanquam & eam omnibus viribus expugnare nitetur, niſi de tota re deliberaueris, mihiq́; reſponſum citiſsimum miſeris. Nam vt Rex hinc priùs deducat exercitum, quàm tu aliunde præſidia re ipſa deduxeris, nulla ratione ei potui perſuadere. Quin verò, cū illum heri diligenter rogaſſem, vt à tanti populi, quantus Pleſcouiæ eſt, cæde abſtinere iuberet, ſi ad Ciuitatis expugnationē veniretur (quod innocenti populo eſſet parcendum) id ſe quidem percupere ſignificauit, ſed (quod res eſt) futurum eſſe difficillimum, dixit; qđ miles ipſo oppugnationis ardore inflammatus, ne ſibi quidem, ſi velit, queat temperare. Quamobrem, obſecro te, Sereniſſime Princeps, vt cogites, num propter illa, quæ iam ampliùs non habes, expediat, vt reliqua in diſcrimen voces. Quæ quidem (cùm in tua manu poſitum ſit, vt illa integra ſerues) ſi eadem, qua vſus es, cunctatione in hoſtium tuorum manus peruenirent; audent iſti Regij ſibi polliceri futurum, vt populi tui non ſolū animis, ac voluntate, verùm etiam rebus, ac corporibus ipſis à te ad iſtos alios Reges dilabantur. Quæ omnia cū cognouiſſem, cœpi alijs pluribus rationibus Stephanum Regem vrgere, vt ſaltem ad te, quemadmodum cupiebas, vel Legatos ſuos magnos, vel internuncium aliquem mitteret, vnde pacis tractatio feruorem hunc bellicum mitigaret. Sed cū nihil aſſequi poſſem; quòd eximendo gerendi belli tempori hæc diceret à te requiri, ſicut triennij ſuperioris tractatio docuit: tandem Deo adiuuante, animum illius, auctoritate Pontificis Maximi, permotum, inflexi, vt ſi tuos Legatos aliquē ad locum, non adeò procul hinc diſsitum, ſed vel in Regione Nouogardienſi, aut alibi ſitū, quàm primùm mitteres, ille ſuos ſtatim ſit miſſurus. Sed id petit omninò, vt quàmprimùm abſolutiſsimam ijſdem Legatis tuis facultatem conferas tranſigendi, paciſcendi, ac quæcunque alia decidendi, præſidiaq́ue ex arcibus ſtatim deducendi: quam ipſam facultatem, quod ad Stephanum Regem attinet, curabo, vt primarijs quoque Legatis ſuis ille impertiat. Ego verò, pro eo amore, quo te ſummus Pontifex proſequitur (quā tibi fidem ad hæc iterum tractanda pollicitus ſum) præſtabo, vt eundem ad locum cum Legatis tuis me conferam, rebuſq́; conſtitutis ad te reuertar: cetera acturus, quæ ad Dei gloriā propagandam, tuūq; decus amplificandū maximè ſpectant. Ceterū quod ad commercium & negociationes pertinet, quas, ſi tibi Liuonia eſſet cedendum, putabas à Stephano Rege poſſe prohiberi; nec verò cū Chriſtianis Principibus, ac Pontifice Maximo eam amicitiam, quam optas, coli: ego, Deo ipſo aſpirāte, quā firmiſsimis conditionib⁹ potero, curabo, vt cum tuis Legatis caueatur, ne vnquā ad te Principibus illis, vel itē quibuſuis mercatoribus, à te, atque à tuis ad illos, tutus per Lituaniam, Poloniam,

eamq́;

eamq́; Liuoniæ partem, quæ ad Stephanū Regem attineat, non pateat aditus. Quod ipſum ij quoq; Principes Chriſtiani, ac præcipuè Pontifex Max. vt ſanctum, illibatumq́; ſit, facilè à Poloniæ Regibus obtinebunt. Quin verò, cū (Narua, & alijs arcibus, atq; adeò VVica ſatis magno Liuonicæ oræ maritimæ, Pernauiā vſq;, tractu, vnà cū arcibus Lode, Leal, Fekel, & Hapſel, à Sereniſsimo Sueciæ Rege captis) hi videant, penè omnem tibi cómeandi, vel merces importandi in Moſcouiam aditum eſſe terra, mariq́; interclūſum; in ipſis aūt oculis tuis victorem Stephani Regis exercitum cernant, qui iam Pleſcouiæ, & Nouogardiæ itinera & vias omnes præcludit: cōijcere potes, quantum tibi, ac tuis omnibus rebus accedet, ſi eoſdem eâdē, quam dixi, facultate abſoluta Legatos citiſsimè miſeris (quod vtinam & cū Sueciæ Rege quāprimùm faceres) meum verò hunc hominem ſtatim remiſeris; quaſq́ue mihi literas ſcribes, eaſdem etiam per alterum tuum afferri mihi curaueris, vt ſi quid alterutri in itinere contingeret, tanti boni confectio ne differretur.

QVOD autem attinet ad reliquas arces, quas extra Liuoniam Stephanus Rex in ditione tua cepit, itidemq́; bellicos ſumptus, quorum Vilnæ cum tuis Legatis mētio facta eſt, ac de quibus tibi Stephanus Rex vltimis ſuis literis ſcripſit, non deſinam cum illo agere, nec de ſpe decidi, quin, ob Pontificis Maximi auctoritatem, & gratiam, aliqua de illis ſit remiſſurus. Sed & poſt octo dies, ſi potero, mittam ad Palatinū Nouogardienſem alias ad te literas, quibus intelligas, quid mihi à Stephano Rege reſpōſum erit ad illa, quæ ex arce Staricia mihi ad illius literas ſcripſiſti. Intereà ſcito, me poſt biduum hinc dimittere P. Paulum noſtrum cum ijs literis, quas mihi ad Pontificem Maximum, alioſq́ue dediſti: nec deſinam hîc captiuos Moſcos officijs Chriſtianis, pecunia, ac quibuſuis potero ſolatijs iuuare. Quod vt perpetuò facerem, & Chriſtiana charitas, & benignitas erga me tua continēter impellit. Ex caſtris ad Pleſcouiam, menſe octobri, 1581.

IOANNI III. SVECIAE REGI, Antonius Poſſeuinus.

QVÒD ex Magni Moſcouię Ducis ditione Maieſt. V. me nunquā poſſe literas mittere exiſtimaui, ac tamen nunc facio; eò mihi iucundiùs eſt, quòd V. Maieſt. intelliget, quacunque in regione ſim, in ea me operā dare, vt benignitatis V. Maieſt. erga me ſæpiùs collatæ memoriam gratiſſimam ſeruem. Nam & apud ipſum Magnum Ducē, cùm Stariciæ, (quæ ipſius arx eſt) Moſcua ipſius Regia triginta ſex milliaribus germanicis diſtantis, menſem cōmoratus fuiſſem, ſępeq́; cū eo, eiuſq́; conſiliarijs egiſſem, incidi peropportunè in ſermonē eum, qui mihi à ſummo Pontifice, atq; adeò ab hoc Sereniſs. Poloniæ Rege anteà iniūctus, ſpectabat ad pacē ſtatuendā. Quam Princeps ille non tam cum hoc Sereniſs. Rege, quā cum V. Maieſt. cupere quidem viſus eſt, ac tamen ſi pacis aliqua inter V. Maieſt. & ipſum Principem tractatio eſſet futura, ea vt per Legatos V. Maieſt. cum illo ageretur; quibus fidem omnem publicam, tutiq́;, atque honorifici commeatus, ſiue paſſus literas ſe traditurum pollicitus eſt. Ego verò, qui probè nôram, quid ille V. Maieſt. Legatis intulerat: quodq́; ſæpè de eodē Principe; V. mihi Maieſt. referre dignata fuerat; reſpōdi, mihi nunquā credibile videri, vt priùs V. Maieſt. Legatos ad illum ſuos allegaret, quin ſuos ipſe pręmiſiſſet iſthuc, quos tutò & clementer acceptū iri pro certo habebā. Quippè, qui pro Pontifice Max. Regis autem Catholici, atque adeò Rodulphi Cæſaris rebus (qui ſororē nuptui cupiebat V. Maieſt. filio tradere) cū nō ſemel legatione functus iſthuc fuiſſem, eram expertus, qua fide nō ipſos tantū Pontificis aliorūq́; Principum Legatos, verū etiam ipſos Tartaros Maieſt. V. ſolebat excipere. Sed cùm ille tū per Conſiliarios ſuos, tum per Michaelem Andreæ Beginum, Senatorem inter præcipuos ſuum, hac de pace agi ſe velle, mihi quinquies indicaſſet: ac propterea de me quæreret, num ego iuſſu, vel impulſu V. Maieſt. pacis aliquas cōditiones afferrem, reſpondi (id quod res erat) nihil prorſus à V. Maieſt. mihi mandatum fuiſſe: Pontificem verò Max. quî cum ſumma V. Maieſt. intercedit neceſsitudo, mandaſſe, vt cùm mihi de pace inter Sereniſs. Polonię Regem, atq; ipſum Magnum Moſcouiæ Ducem eſſet agendum, V. Maieſt. non prætermitteretur, ſed ea, quæ decet, dignitatis, & quietis Regnorum iſtorū ratio haberetur. Acceſsiſſe Sereniſs. Poloniæ Reginæ preces, Sereniſs. eius coniugi Regi ea de re oblatas, ne ſi pax inter eius Maieſt. & Moſcū ſanciretur, V. Maieſt. excluderetur: ſicq́; eadē pace tres inter Potentiſsimos Principes, ac Reges ſtabilita, V. Maieſt. pietatē latiùs reſtitueret: Chriſtiani autem reliqui Principes, ipſorum exemplo aduersùs Chriſtiani nominis hoſtes arma conuerterēt. Quod quidē à Summo Pontifice rogauerat Moſc⁹, ac poſtremò eius Sanctit. idipſum literis ſuis teſtatus eſt, ſe quā primū pace abſoluta confecturū. Ergo cū hæc acta eſſent, quęſiuit de me Moſcus, ecquid ipſe de tota re cogitarem: an verò, ſi quas cepiſſet V. Maieſt. arces, eaſdē reſti-

tuere

tuere vellet?Fore enim,vt ita cũ V.Maieſt. pacem veram coleret. Tum ego; Quoniam mihi rationes Sereniſs. Regis Sueciæ ignotæ ſunt; audio verò eum ſub ſignis copias habere victrices, ſi quid mihi tu,Princeps, propoſueris,vnde tractationẽ iſtã ordiar, id perſequar,nec eum Regem pacẽ detrectaturũ ſpero, ſi ad iuſtas conditiones veniatur. Ad hæc idẽ ipſe Michael Andreæ Beginus,Moſci Conſiliarius, ad me cõfeſtim à Principe remiſſus: Vide, inquit, Antoni, quanã hoc ratione effici poſſit. Nã vt Princeps meus ad Sueciæ Regem mittat Legatos, id nequaquam decet. Soliti enim erant aliquando Sueciæ Reges,aut ipſa Finlandia Pleſcouienſibus,aut Nouogardienſibus,qui ſunt imperio noſtri Principis ſubiecti,tributũ pendere. Ego verò,inquam, id neſcio:hoc vnum ſcio, me duorum millium annorũ hiſtorias legiſſe, quibus conſtat, Regnũ illud ſemper habuiſſe Reges, qui nemini ſubderentur. Scio item Catholicum Regem ac Cæſarem, vti & Summũ Pontificem, non ita multò anteà ad eũ miſiſſe Legatos:præterquàm,quòd ſi ratio habenda eſt Sereniſsimi Regis Sueciæ,vxoris, & filij,& illa ex Regio ſtemmate orta eſt, & Princeps iam grandis natu eſt,cui,qui inter Chriſtianos Principes primarij ſunt,virgines ſuas non detrectant nuptui dare. Itaque,quando nec Sereniſs. Sueciæ Rex fortaſsis huc miſſurus eſt Legatos ſuos, nec tu videris in id propendere, vt mittas tuos: ſcribã ego per me ipſe eidem Regi,cui Summus Pontifex non ſemel literas miſit,quibus eum rogabat, (quod hactenus benigniſsimè fecit) mihi vt omnem in omnibus fidem adhiberet. Quod cũ Moſcus non ſolùm non abnuiſſet,ſed vt animi ſui propenſionem oſtenderet,addidiſſet, Mihi,quidquid pro eiuſmodi rebus tractãdis,aut hominibus mittendis expendiſſem, ſe libentiſsimè repenſurũ: exiſtimaui mihi faciendum,pro eo ac debeo,vt V. Maieſt.quã primùm de omnibus certiorem facerem,tentaturus quacunq; ratione poſſem, vt hæ literæ ad V. Maieſt. manus, quàm citiſsimè hoc anni tempore fieri poterit, perueniãt. Cùm autem ipſius Moſci rogatu ex Staricia ad hunc Sereniſsimum Poloniæ Regem in caſtra venirem,nũcius mihi allatus fuit, de Narua ab exercitu Maieſt. V. capta,tùm de Iuanohorod, Albo lapide, totaq́ue Vica,quæ ferè Pernauiam cũ alijs arcibus attingit,eadem fœlicitate in poteſtatem Veſtræ Maieſtatis redactis. Quæ omnia ad eã pacis tranquillitatem in iſtis V.Maieſt. Regnis comparandam, non mediocre eſſe allatura momentum putantur: cùm vel ipſe Moſcus ad æquiores conditiones deſcenſurus ſit; & quòd ad Sereniſs. Poloniæ Regem attinet,faciliùs cum eo,ſumma animi in gerendis negocijs moderatione fertur, res illas veteres, & ſi quę reſtãt adhuc,quas mihi V. Maieſt. olim referre dignata eſt, vel forſan alia, quæ nouà tractatione egebunt, tranſigere poterit. Quod cũ factum fuerit,videor mihi intueri animo igniculos illos pietatis, qui à Spiritu ſancto,in V. Maieſt.corde nõ ſemel excitati ſunt,in flãmam ingentẽ erupturos,quæ tenebras iſtas errorũ diſpellat,pietatiq́; locum auitũ,gratiſsimi erga Deum animi ergò,reſtituat;ſicq́ue Regnũ illud,quod eſt omnium maximum (nempè,ſempiternũ) V. Maieſt.ſibi, ac populis ſuis comparet. Ceterũ,cũ apud eundem Magnũ Moſcouiæ Ducem duos Ordinis noſtri reliquiſſem, pollicitus ei ſum,me quam primùm,(ſicut Deo volente faciam) ad eum rediturum,vt reliqua ad bonum cõmune, religionemq́ue Catholicam ſpectantia,ſi non abſoluero,ſaltem firmiùs inſinuem. Nam & pro externis,atque pro ijs,quos Summus Pontifex, Venetique mittent in Moſcouiam,fidem publicã,mihi dedit,quibus in eius ditione Catholicã religionem colere, & Sacerdotes habere Catholicos poſſint. Dona item Sebellinarum pellium Summo Pontifici, per hominem è noſtris miſit:meq́ue à finibus regionum ſuarum vſq; ad eius aulam,honorificentiſsimè in Pontificis Maximi gratiã deduci iuſsit:cõuiuioq́; ſplendidiſsimo,omnibusq́; humanitatis officijs accepit. Quæ vti vera ſunt, ita nolui non ea ſcribere V. Maieſt. vt intelligat,potentem eſſe Deum, qui inflectere animos quantumuis duros queat,quiq́ue ſoleat in multa patientia expectare etiam Moſcos, vt reſipiſcant. Quod autem ad hoc negocium ſpectat,diſpiciet Maieſt. V. nunquid mihi,ſi quid aliud effici anteà nõ poſſet, mandare velit, quod ſinceriſsimè, & fideliſsimè agã:num verò aliquem vtriuſque ditionis finitimũ locum deſignari expediret, vt communicato cum hoc Rege negocio, Legati, & Moſci,& qui à V. Maieſt. mitterentur,ſic conuenirent,vt pax inter omnes ſtatui poſſet. In qua ſi quid Pontificis Max. auctoritas vſui eſſe V. Maieſt.cõmodis poterit,video,non minimum pondus apud eũ Principem hanc eſſe habituram. Quoniam verò credo poſt duos menſes fore, vt ad Regem Poloniæ Sereniſs. reuertar,ſummoperè autem cupio pro eo, quod mihi Pontifex Maximus mandauit,toti huic negocio coronidẽ imponere: obſecro V.Maieſt. vt mihi animum ſuum per literas quàm primùm aperiat. Ad eas verò literas, quas per Sacerdotem è noſtris à Pontifice Maximo, & à Sereniſs. Poloniæ Rege de menſe Iunio Vilna V. Maieſt. miſi, non dubito,

quin

quin reſponderit,quinúe paullò pòſt de ijs aliquid ſim accepturus, quod eius Sanctitati quàm primùm mittere poſsim. Ex caſtris ad Pleſcouiam, die XX. Octobris 1581.

IOANNES BASILII MAGNVS Dux Moſcouiæ.

MISERICORDIA, & benigna clementia Dei noſtri,qui nos in Oriente ex altiſsimis præfecit, quiq́; dirigit greſſus noſtros in viã pacis, eius Dei noſtri in Trinitate benedicti gratia, à Magno Principe,Imperatore,& Magno Duce Ioan. Baſilij VVlodimiriæ, Moſcouiæ,Nouogardiæ, Imperatore Caſanico, Aſtracanico, Principe Pleſcouienſi, Magno Duce Smolenſcenſi, Tuerienſi, Tuchorienſi, Piermienſi, VViatcienſi, Bulgarienſi,&c. Domino & Magno Duce Nouogardienſi,terræ Niſouienſis, Czernouienſis,Rezanienſis,Roſtouienſis,Iaroslauienſis,Bialoiezorienſis, & Domino hæreditario terræ Liuonicæ, Vdoricæ, Obdoricæ,Condinicæ, & totius terræ Seuerienſis, & Seberſcienſis terræ Principe, & aliarum multarum terrarum Domino.

GREGORII XIII. PONTIFIcis Max. Nuncio, Antonio Poſſeuino.

SCRIPSISTI ad nos literis tuis per hominem tuum Andreã, veniſſe te in caſtra Stephani Regis incolumem, & cum Stephano Rege, ac Senatoribus, quæ noſtra Maieſtas præſcripſit; locutum fuiſſe, ac priuatim ab eis interrogatum, atque auditum: Stephanum autem Regem reſpondiſſe, & omnes Senatores dixiſſe, aliud tibi non eſſe in primis faciendum, quàm vt Andream Apollonium tuum ad nos mitteres qui nos de omnibus rebus certiores faceret, quas tibi Rex Stephanus reſpondendo dixiſſet. Te autem de Legatis Lituanicis Regi Stephano perſuaſiſſe, vt eos ad nos Stephanus Rex mitteret,vel Internuncium: quòd cùm aſſequi non potuiſſes,Regem Stephanum, in gratiam Pontificis Maximi Gregorij XIII. tibi acceſsiſſe, vt nobis Legatos ſuos ad aliquem locum (nobis idipſum facientibus) mitteret. Quam ad rem,tibi à Gregorio XIII. Pontifice Maximo mandatam,nos quoq; hortaris: vt,ſcilicet, propter pacem Chriſtianã noſtros Legatos mittamus,nõ procul à nobis,in terram Nouogardienſem, aut aliò, data illis plena inſtructione: Rex verò Stephanus ad eundem locum mittat Legatos ſuos,pacis ſtatuendæ gratia: tu autem ad eundem locum ad Legatos noſtros cum Legatis Regijs venias, & agas nobiſcum de omni bono Chriſtiano, ac de pacis compoſitione. Quamobrem tuum Andream Apolloniũ miſiſti,vt eum audiamus. Nos igitur,vt ſumus Princeps Chriſtianus, ſemper optauimus,vt inter nos, & Stephanum Regem,ſanguinis ceſſaret effuſio, & initiò id voluimus: qua de re tibi, Antoni,omnia diſertè expoſuimus, ac poſteà vberrimas literas dedimus: cur,ſcilicet, inter nos,& Stephanũ Regẽ ſanguinis copioſior facta ſit effuſio. Propter pacem aũt Chriſtianã, & tuam admonitionem, & iniunctum tibi munus à Pontifice Maximo, & nunc,& poſteà volumus, vt Chriſtiani ſanguinis effuſio inter nos,& Stephanum Regem ceſſet. Quare, & ad conuentum,quà Velicolucũ Nouogardia eſt iter, inter Porcouiã, & Zauolociam, ad Iamũ Zapolſcij pagum, Legatos noſtros mittimus: data illis plena inſtructione de omnibus ijs rebus, de quibus ad nos ſcripſiſti,loquendi,ac loquẽdo, & tractando ea cõfirmandi, quæ inter nos, & Stephanum Regem ęquum eſt conſtituere. Tu verò, Antoni, Stephano Regi loquere,ac perſuade,vt Pleſcouia diſcedat,& exercitum ſuum vbique prohibeat ſanguinem Chriſtianũ effundere. Nos etiam exercitum noſtrum per omnia loca idem facere iubebimus,& ne pręlium committatur vllum,præcipiemus, quamdiù noſtri Legati cũ Legatis Stephani Regis in conuẽtu mutuo aliquid rectè cõſtituerint, vt ex vtraq; parte effuſio ſanguinis Chriſtiani ceſſet. Miſimus autẽ per Zachariam Boltinum,antequam Legatos noſtros mitteremus,ad Stephanum Regem fidei publicæ literas, propter Legatos Stephani Regis. Tu itaque, Antoni,iuxta præceptum Pontificis Maximi, cum Legatis Stephani Regis venias ad eundem locum, inter nos,& Stephanum Regem, cum noſtris Legatis pacem compoſiturus: & cogites, quanam ratione tuis cõſilijs,effuſio ſanguinis Chriſtiani inter nos in Chriſtianitate ceſſet,reſq́ue ad pacem deducatur, & in poſterum quoque fiat immobilis. Ac quàm primũ noſter prodromus,cum noſtris fidei publicæ literis, ad Regem Stephanum venerit, Rex quoq; Stephanus eundẽ prodromum, cum literis publicæ fidei pro Legatis noſtris,quàm primùm remittat, quas literas noſtri ſequentur Legati: & cum Stephani Regis Legatis,ac noſtris, inter Porcouiam & Zauolociam, concurras ibidem,negocia pacis tractaturus,& cõſtituturus. Interim noſtri Legati cũ noſtra inſtructione,& plena præceptiõe,eunt celeriter Nouogardiã, expectaturi Nouogardiæ Stephani Regis literas paſſus: literas autẽ fidei nos per Legatos noſtros mittimus, vt ſciatur,ea,quæ in conuentu illo egerint Legati noſtri, cum Legatis Stephani Regis, eſſe volun-

tatis

tatis nostræ. Stephanus quoque Rex Legatis suis similes fidei literas tradat, quibus liqueat, ea, quæ egerint Legati eius, cum Legatis nostris, esse volũtatis Stephani Regis: vt & nostris, & Stephani Regis Legatis tecũ, qui Legatus es Pontificis, in conuentu illo, de omnibus negocijs statuere, & confirmare liceat, quò inter nos in posterum firma, fraterna amicitia, & societas cum Stephano Rege stabiliatur immobiliter. Scriptæ in Imperio nostro, in aula Slobodiensi, anno 7090. Mensis Octobris die 23.

IOANNI BASILIO, MAGNO Moscouiæ Duci. Antonius Posseuinus.

MISI Serenit. tuæ, cùm primùm ad Stephanum Regem perueni, Andream Apollonium nostrum, cum literis meis, quibus significabam, quãtoperè tuis rationibus consulturus esses, si quàm citissimè ad propiorem locum, quàm Moscua sit, Legatos mitteres tuos. Quem ad locum darẽ operã diligenter, vt suos item Legatos Stephanus Rex mitteret: cum quibus omnib9 ipse quoq;, Deo iuuãte, ad pacis tractationem absoluendam conuenirem. Verùm, quoniam pollicebar etiam Serenit. tuæ, me quàm primùm aliquid responsi à Stephano Rege elicere potuissẽ, ad ea, quę mihi in itinere ad eius epistolam rescripsisti, id ad te missurum: literarum autem earundem alterum exemplar statuebam ad te mittere, quas per Andream Apollonium misi, vt si quid illi, vel inter militum excursiones, vel in reliquo itinere accidisset, ad te tamen meę peruenirent: neutrum sanè præstare potui, quamuis id sedulò curauerim. Nec enim Stephanus Rex respõdere aliquid voluit responsioni tuæ, inquiens, ista terendo tempori inseruire: cũ bellum re ipsa, non verbis, sit omninò cõtinuandum; aut si ad iustas pacis conditiones descenderis, pacem ipse stabilem, ac firmissimam, non vllam autem aliam amplecti velit. Intereà verò, dum hæc agerẽ, superuenerunt in hæc castra noui milites, atq; alius puluis, & globi tormentarij: quare in Ciuitatem ipsam Plescouiam iterum summo conatu irrumpere statutum fuerat. Sed pro viribus egi, ne id hactenus fieret: Summi primùm Pontificis vsus auctoritate: deinde sistens me quasi Vadem ipsi Stephano Regi, te ea, quæ mihi à te, ac tuo nomine à Senatoribus tuis promissa sunt, nulla arte, vel cunctatione, sed Christiana sinceritate sic esse præstiturum, vt reliquis omnibus Christianis Principibus nulla vnquam fidei, vel promissionum tuarum suspicio inijci possit; mihi autem Tabellarium meum cum celeri respõso te remissurum. Qui quoniam ad hanc vsque diem non venit (quæ quidem dies isti itineri faciendo, homini præsertim currenti, satis ipsis esse futura putabatur) angor animi vehementer, quòd cùm me non satis veracem suspicari possint, fortassis iam minorem in ipsa pacis tractatione fidem adhibebunt, quæ tamen tuis rebus non inutilis futura videbatur. Quòd si tu ea respondisti, quæ maximè ad tranquillitatem rerum tuarum comparandam respondisse te credo; meus verò Tabellarius quàmprimùm redierit, enitar id, quod Summo Pontifici, ac mihi optatissimum est, ne Christianus sanguis ampli9 effundatur. Sin minus, audio, non solùm, vel nunc, vel primo Vere maximam stragem hominum futuram, verùm etiam, quod anteà tibi scripsi, huius exercitus latissimam in tuas pacatas regiones excursionem ac vastationem. Quod rursus prædictum tuæ Serenit. volui, ne Pontificis Maximi studium, aut operam meam tibi vnquã defuisse, (si quid secus acciderit) intelligas. Scito autem, me certè difficillimè consequi potuisse, vt has tibi literas mitterem: misisse autem in Sueciam alias literas, vt ordiri ex me pacis illam tractationem possem, quæ dignitati & quieti tuæ sit, (vt spero) commodatura. Deus te sua gratia, & cœlestibus donis vberrimè cumulet. Ex castris Stephani Regis; ad Plescouiam, die *22.* Octobris, *1581.*

IOANNI BASILII, MAGNO Moscouiæ Duci, Antonius Posseuinus.

ANDREAS Apollonius, quem Serenit. tuæ cum meis literis miseram, heri cum Zacharia Boltino Internuncio tuo redijt, quorum vterque mihi literas tuas, pietatis, ac pacis desiderij plenas reddidit, quæ me in Christo Iesu magna lætitia affecerũt: cùm tu ob Dei honorem (sicuti Christianum Principem decet) Christianorum Pastoris Gregorij XIII. auctoritatem magnifacias, & consilium de pace, ac fœdere cum Christianis Principibus incundo libẽter sequaris. Ego verò ipsas Serenit. tuæ literas statim perlegendas Stephano Regi curaui: quem, antea pluribus rationibus, & ipsa Pontificis Maximi auctoritate permotum, ne ampliùs sanguinem funderet, nec maiore hominũ cæde expugnationẽ Plescouiæ tentaret, nunc Boltini tui aduentu, ac reditu ipsius Apollonij mei, faciliùs adduxi, vt ad omnia quæ æquissima futura sint, se attemperet. Quamuis nulla ei ratione persuaderi potuerit, vt exercitum ex

tua ditione deducat, priusquam sincera, & immobilis pax fiat. Sæpè enim pro certo mihi affirmauit; nisi pax fiat, se hac hyeme in istis prouincijs exercitum, cum generali eius Duce Ioanne Zamoscio, magno Regni Poloniæ Cãcellario, relicturũ: Philonem autem Velicoluci cum magna militum manu, ceterosq; Præfectos alias in arces, vicinas impositurum: se verò, excursurum in Lituaniam ad maiores copias comparandas, quas primo vere in regiones tuas interiores inducat. Quamobrem quantò maturiùs accedent Legati tui magni ad locum, à te conuentui Legatorum, & mihi assignatum, & ad proponendas eas, quæ sperantur, pacis conditiones, tantò minùs vastationis fiet, aut sanguinis fundetur: restituetsq; his omnib9 regionib9 tuis optatã, ac certè necessariam tranquillitatem. Vt verò Legati tui magni Zapolsciam tutiùs veniant, curaui, vt statim Boltinus tuus vnà cum fidei publicæ literis, Stephani Regis remitteretur. Ego verò Nouogardiam vnà cum Boltino mitto Basilium Zamoscium, quem Senatores tui nouerunt, vt quã citissimè ad me literas à Palatino Nouogardiensi, vel à Legatis tuis magnis afferat: quibus certior fiam, quo loco & die eos in itinere conuenire potero, ac cum ijs agere de ratione, qua ipsi quoque Stephani Regis Legati, sine impedimento, aut damno, cum ijs quàmprimùm conueniãt, cum quibus ipse operam, & officium meum omnibus (vt mihi scribis) cõsilijs ad pacificationem sedulò interponã. Quapropter vbi Basilius meus redierit, statim me dabo in viam Porcouiam versùs, vlteriusq́ue progrediar, vbicunque intelligam, id pacis celeriùs conficiendæ negocio magis expedire. Intereà tuam Serenit. precor, vt sibi persuadeat, me nullum fidelissimæ, ac Christianæ sinceritatis officium prætermissurum, quod huic Rei statuendæ, ac Christianæ paci confirmandæ conducere posse existimabo. Dominus Iesus Serenit. tuam, cum omnibus tuis fœlicissimam reddat. Ex castris ad Plescouiã die XVI. Nouembris *1581.*

STEPHANVS POLONIAE REX, IO. Basilij, Magno Duci Moscouiæ. Ex Rutheno idiomate.

A Magno Principe, Dei gratia, Stephano Rege Poloniæ, & Magno Duce Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masouiæ, Samogitię, Liuoniæ, & Principe Transsyluaniæ, &c. Ioanni Basilij Principi Russiæ, & Magno Duci VVlodimiriensi, Moscouiensi, Nouogardiensi, Casanensi, Astracanensi, Plescouiensi, Tueriensi, Permsciensi, VViatsciensi, Bolchariensi, &c.

DEDISTI ad nos literas per Prodromum tuum Zachariam Boltinum, significans, misisse ad te Sanctissimũ, & Maximũ Pastorem Gregorium XIII. Pontificem Romanum, Nuncium suum, Antonium Posseuinum, qui certiorem te per literas fecerit de ijs rebus, de quibus ad pacẽ nobiscum statuendam est locutus. Te verò pacis Christianę gratia tuos Legatos allegasse, ad conuentum habendum inter Porcouiam, & Sauolociam, via Velicolucensi, ad Iamũ Zapolscij, data plena illis instructione, de omnibus rebus statuendi, & confirmandi. Literas quoq; fidei per eosdem mittis, tuæ voluntatis illa esse declarans, quæ tui Legati cum nostris egerint in eo conuẽtu. Nos verò hortaris, vt ad eundem locum cum eiusmodi literis nostros mittamus Legatos: quo & nostris, & tuis Legatis cum Nuncio Sanctissimi, & Maximi Pastoris Pontificis Romani P. Antonio Posseuino, in conuentu illo de omnibus rebus loqui, & confirmare liceat: vtq́ue nos Plescouia discedamus, & exercitum nostrum ab effusiõe sanguinis Christiani prohibeamus; id quod fieri non potest, antequàm inter nos, & te confirmatio fraterni amoris, & amicitiæ sanciatur. Nos autem vt semper, ita & nunc animum nostrũ voluntate Dei omnia scientis obfirmamus, vt cum Principibus Christianis, ac tecum, ob Reipub. Christianæ bonum, amicè, ac tranquillè viuamus, & effusionem sanguinis Christiani vitemus: quã ad rem nunquã, sine iusta causa, accedere voluimus. Quare & sæpiùs tibi disertè declarauimus propensionem nostram ad pacem, propter Christianam tranquillitatem; siquidem tu, quod ad te attinet, sincerè ac iustè accesseris. Iã verò, post tuam ad nos Internuncij allegationẽ, eâdem erga pacem Christianam propensione nostra, mittimus Legatos nostros eum ad locum, quem tu designasti, Iamũ Zapolscij, inter Porcouiam, & Zauolociam, dedimusq́ue ijsdem integram instructionem, ac facultatem de omnibus rebus, quibus pacem statuere, & reliqua omnia componere, atque ad exitum perfectum deducere, ac concludere, ita vt par erit, valeant. Literas quoque fidei publicæ, Legatis tuis, per eundem Internuncium tuum Zachariam Boltinũ, mittemus, quales habere voluisti, quibus liberè eò veniant, atque inde redeant, vnde voluerint. Quod autem scripsisti, vt Plescouiam discedamus, & exercitum nostrum ab effusione sanguinis prohibeamus, id quod etiam à nobis P. Antonius Posseuinus nomine Summi Pontificis diligenter petijt (vt scilicet in gratiam eiusdem Summi Pastoris Romani Pontificis id faciamus) nos id, quemadmodum

decet, maximi facientes respondimus, &
indicauimus, quid in hac re præstare pote-
rimus: illud intereà curantes, ne nobis ip-
sis, & actionibus nostris detrimentum ali-
quod conciliemus. Ac tamen hoc in eo
præcipuè situm est, vt tui Legati quàm pri-
mùm ad locum à te assignatum, cum ple-
na facultate, & instructione approperent,
cum ijs conditionibus, quibus acquiescere
possimus: cùm & nos nulla mora interpo-
sita, Legatos nostros eodem mittamus: di-
mittamus autem illicò tuum istum cele-
rem Internuncium. Ex Castris nostris
ad Plescouiam, Anno à Christo nato 1581.
mensis Nouembris, die XVI.

*IOANNI ZAMOSCIO ANTO-
nius Posseuinus.*

QVATRIDVÒ postquàm è castris di-
scessimus, huc venimus: cùm is, qui co
mes itineris fuerat nobis adiunctus, impe-
ritus harum viarum, per flumina pericu-
losa, diuersasque vias nos circumduxisset.
Præierat enim D. Zebridouius, vt equita-
tum obuiam Moscis Legatis præmitten-
dum cogeret. Sicque Diuina prouidentia
eò nos tutiùs deduxit, quàm si eos equi-
tes habuissemus, qui nobis fuerant attribu
ti. Sed bene habet, quòd Cosaci longiùs ab-
erant. Postridie eius diei, quàm huc veni-
mus, superuenêre Legati Regij, heri verò,
inclinata iam die, D. Zebridouius Opacã
versus ad Soletz equitatum præmisit: cùm
per varios tabellarios, ne aliquam Mosci
suspicionem conciperent, eos admonuis-
sem, vt propè Biscouicium nos esse intelli-
gerent: quo in loco ne soli commorare-
mur, ac verò tantisper hîc maneremus, se-
cuti sumus Illustris Palatini Braslauiensis
consilium: qui cùm isthuc tabellarium
mitteret, nolui non pauca hæc scribere: si-
mul rogans, V.D.M. vt iubeat eum Cosa-
cum (quem Nouogardiam à me missum,
Mosci suspicati sunt falsò, auctorem fuisse
Psagæ comburendæ, & cædis ingentis pa-
trandæ) ad nos Zapolsciam mitti, quemad
modum Serenis. Rex mihi se facturũ pol-
licitus est. Neq; enim ipsi causæ, de qua con
ueniemus, parum commodabitur. Cæterũ
non despero bonũ futuræ tractationis no-
stræ exitum, quod etiam istis in castris hæ-
retici Ministri, quos summoperè odit De⁹,
non ampliùs perstrepent: qui neque à Deo
sunt missi, nec vllam verbi Dei prædican-
di auctoritatem habent. Quod si effecerit
V.D.M. sciat eum, qui finxit oculum, qui-
que nostras actiones, & cogitationes intue-
tur, atque altissimè considerat, non defutu
rum ijs cœptis, quæ ad ipsius gloriam sin-
cerissimè referentur. Vt verò semper de sa
lute V.D.M. sollicitus sum, ita obsecro eã
enixè, vt sibi non tam forsan ab hostibus,
quàm ab alijs caueat. Quid me ita scribere
faciat, si quærat, equidem neminẽ possem
prodere, sed res est plena timoris amor, &
reuerentia, quã interiore eam in Domino
prosequor. Vtinam Deus illam omnibus
veris donis, & solidissimo honore cumula
tam diutissimè seruet incolumem. Amen.
Ex Monasterio B. Virginis, quod iam Mo-
nasterium non est ampliùs, in Koroczinit-
zi die V. Decembris 1581.

*IOANNI BASILII, MAGNO
Moscouiæ Duci, Antonius
Posseuinus.*

MAGNI Serenit. tuæ Legati, qui huc
in Pagum Biscouicium heri perue-
nerunt, in quo eos expectabam, tibi signi-
ficabũt, quid satis lõgi inter nos colloquij
hesterna die fuerit. Ego verò, vt debito Le
gationis & officij erga te mei satisfacerem,
antequàm hinc longiùs discederem, existi-
maui mihi faciendum, vt non solùm me
tibi reuerenter inclinarem, omniaq; à Deo
bona Serenit. tuæ precarer, verũ etiam in-
structionis eius exemplum ad te mitterẽ,
quam mihi Stephanus Rex suo chirogra-
pho, signoq; munitam tradidit, cùm ab eo
nouissimè discessissem ex castris. Ex hac e-
nim, quínam sit eiusdem Regis de pace a-
nimus propemodùm intelliges, facileque
cognosces, nihil à me prętermissum fuisse,
quo illi suaderem, vt exercitũ ex regione
tua, pace quã primùm composita, deduce-
ret. Verũ enimuerò, vt dubito, vel pecca-
ta hominũ, diuturnius, & grauius flagellũ
cõmerita, bellum producent: aut nisi pro
ea, quę in pectore tuo residet pietas, delibe
res de aliquibus rationibus tuis adhuc po-
tiùs remittere, quã vt Christiani sanguinis
plus effundatur; vel deniq;, nisi Deus ipse,
multiformi sua sapientia, Stephano Regi
liquidiùs declaret, nolle se, vt hoc bellum
continuetur: erit mihi, ceterisq; fidelibus
tuis plùs quã putabatur laborandum; præ-
sertim si Stephanus Rex primo vere exer-
citu aucto, Regeque Seciæ altera ex parte
eodem tempore bellum gerente, pergat in
incepto. In quo, si nihil aliud promouere
tur, certè miserandũ, & horribile spectacu
lum erit, quidquid vbique Nouogardiam
vsque (ne dicam vlteriùs) cernitur. Tem-
pla enim diruta, vel in equorum stabula
conuersa sunt, vbi saltem Diuini nominis
laudes exaudiebantur. Imagines piæ in ig-
nẽ impiè proiectę, vel scõmatis, & ludibrio
ab ijs habitæ, qui Cœlites ipsos vix mem-
bra esse Christi agnoscunt. Hominum &
puerorum cadauera passim iacent, & ab ip-
sis iam equis in itinere atteruntur. Nec de-
sunt vtriusq; sexus imbellium rusticorum
cædes,

cædes, & raptus, ad quos rusticos in syluis
venandos, relicta ferarum venatione aui-
dissimè discurritur. Virgines stuprantur,
& turpius etiam violantur. Incendia verò
latissima visuntur, incredibili cum tuę di-
tionis vastatione, quæ vbiq; agricolarum,
& iumentorũ defectu iam syluescit, nullo
cũ fructu: difficiliore autem ad multos añ
nos aduenarũ commercio cum tuis. Quæ
quãuis ipsi Stephano Regi summoperè di-
spliceant, nec propterea cum ijs, quos co-
pijs præfecit, desistat, his rebus omnia, quæ
potest adhibere remedia: difficillimum ta-
mẽ est, tam ingentẽ exercitũ, ad quẽ pluri-
mi concurrerunt externi, ac voluntarij mi
lites, in vastitatibus istis in officio contine
re. Sed & ego eadem, quæ Magni tui Lega-
ti, Serenit. tuæ nomine, mihi narrârunt, ac
multò quidẽ plura, voce ac scripto retuli.
Verùm quod ante triennium in Comitijs
Regni Varsauiæ de obtinenda Liuonia de-
cretum est, promissæq; à tuis Legatis mag-
nis postremæ conditiones, Vilnæ: sumptus
quoq; bellici, quos propterea hoc etiã an-
no fecisse, Stephanus mihi Rex obiecit: ex-
pugnatæ verò à Seciæ Rege non paucæ ar
ces, quas tu obtinebas: copijs aũt, quas Ste-
phanus Rex in Castris ad Plescouiam reli-
quit, stipẽdium persolutum, & ad annum
vsq; assignatum ad bellum continuãdum:
dubium porrò, in quo animus Regis ver-
satur, ne semper noua belli materia præbe
atur, nisi Liuonia tota cesseris: ac iusiuran-
dum ab eo, cum Regno inauguraretur, prę
stitutũ, de Liuonibus in libertatem asserẽ-
dis: quodq; tu (vt dicunt) fœderis tempo-
re, anteà quidem Sigismundo Augusto Re
ge, Polociam; deinde Henrico Rege, Per-
nouiam inuaseris: nec verò videatur futu-
rum, vt data occasione conquiescas, & à bel
lo abstineas: rationes illæ sunt, quibus sibi
in proposito omninò perstandum Stepha-
nus Rex dicit: asserens, quamuis hactenus
Plescouia à se capta nõ sit, obsidione tamẽ
ita se illam pręssurum, vt in suas manus ve
niat, nisi quàmprimùm pax componatur.
Scire enim se magnas Ciuitates, vt sangui-
nis effusioni parcatur, hac ratione esse ex-
pugnãdas: cũ & fęlicis memoriæ auus tuus,
ipso quidem (vt aiunt) fœdere vigẽte, No-
uogardiam non vnius anni, sed septennij
obsidione redegerit in suam potestatem.
Quamobrem si post omnem diligentiam,
& fidelissimam certè sinceritatem à me ad
hibitam, Stephani Regis Legati magni ad
eas conditiones non poterunt descendere,
quas tu cuperes: vel tui Legati magni à te
non attulerunt ampliora mandata, quàm
ex eorum sermone hactenus videor mihi
potuisse colligere: ipse, tua cum gratia &
voluntate, Deo iuuante, excurram ad te,
vt si quid aliud iniri consilij queat ad re-
liqua absoluenda, id eodem volente Deo,
fiat. Idcirco tuam Serenit. rogo, vt vbi a-
pud nos actum de tota re fuerit, digneris
iubere, mihi vt ad Serenit. tuam redeunti
benignus, ac tutus ille aditus pateat,
quem fidei publicæ literis Pontificis Ma-
ximi Legatis, ac Nuncijs pollicitus es. Iesus
tuam Serenit. omni gratia, & benedictio-
nibus cumulet. Ex Biscouicio pago, du-
obus milliaribus Germanicis prope Por-
couiam tuam, die VII. Decembris,
1581.

*STEPHANO POLONIAE RE-
gi, Antonius Posseuino.*

EX Corocinicio, vbi Monasterium e-
rat, scripsi ante quatriduum Maiest.
Vestræ: deinde in Biscouicium pagum,
Mosci Legatis, & mihi assignatum, me cõ-
tuli, cùm ex itinere Percouienses egregiè
nos ferreis globis ex turribus salutassent.
Postridie verò, cùm eò perueni, Legati
Mosci satis maturè, ne expectato quidem
Opocæ Regio Maiest. V. equitatu, super-
uenere. Qui me Magni Ducis nomine
(vt solent) pluribus verbis consalutantes,
accuratè interrogârũt, ecquid à V. Maiest.
de pacis conditionibus deliberatum fuis-
set. Ad quæ, cùm id, quod res esset, respon-
dissem: ceterùm præter Liuoniæ restituti-
onem, ac quędam alia, arces nempè captas
esse retinendas, ob bellicos sumptus: ne-
scire me si quid aliud V. Maiest. Legati
haberent in mandatis: interdum identi-
dem vnum illud verbum proferebant.
Veliki, Veliki, magna sunt hæc. Cùm
verò paulò pòst sese venisse ea cum pote-
state referrent, vt eadem, quæ Maiest. V.
attuleram, firmarent, & ad effectum addu
cerẽt: ego autẽ dixissem, nisi Liuonia cede
rent, nulla me ratiõe intelligere, quorsum
vtrisq; Legatis, ac mihi aliquò esset conue-
niendum: illicò Beginus, Andreæ Begini
frater, secundus Legatus subdidit: Et est
quiddam aliud, quod afferimus, quod cùm
à me petijssent, vt reticerem, nec verò præ
illo, quod à V. Maiest. petitur, magni mo-
menti sit, spero Maiest. V. in bonam partẽ
accepturam, si tantisper illud reticuero,
dum in conuentu proponetur. Sic enim
expedit, vt fidem meam illis præstem, quã
illibatam Vest. quoque R. Maiestati ser-
uabo. Præscriptos autem illis in pro-
ponendo gradus, (ne dicam terminos)
fuisse, ex eo etiam intellexi, quòd nun-
quam ijs exciderunt hæc verba, suo more
loquentibus: Quandoquidem, Antoni,
Princeps noster demissior factus est; elatos
autem deprimit Deus: æquũ est, vt Stepha-
nus Rex modũ imponat suis petitionibus:
tu ve-

tu verò,ſi qua in re videris hærere nos pertinaciùs,de ea nos admoneas. Sed vt prorſus Liuonia Magnus Dux cedat,cui & commercia cum alienis gentibus , ac præcipuè amicitia cum Summo Pontifice,& Chriſtianis Principibus colẽda ſit, fieri nõ poteſt. Sed Stephanus Rex contentus ſit ea, quæ tradetur,parte,ne, cùm totum voluerit,ne partem quidem illã fortaſſis poſteà conſequi poſſit.Quid verò ad hęc reſponderim, quidq́; conſilij in re præſenti ceperim , cũ illi Tabellarium de ſuo in Biſcouicium aduentu, Magni Ducis mandato,in Moſcouiam eſſent miſſuri: cognoſcet V. Maieſt. ex adiunɠto literarum exemplo,quas eidẽ Magno Duci miſi:vt ſi longior noſter Legatorum conuentus haberetur, ipſe adhuc ad alias conditiones Legatis ſuis proponendas adigeretur,paxq́ue Deo iuuante,quàm primùm fieret. Poſtridie autem eius diei, cũ ad hunc pagum veniremus,malè habebat illos,quòd neque in Porcouiam arcem ingredi , neque neceſſaria capere poſſent. Verùm denique rationibus, ac neceſsitati paruerunt: quòd nec dum pax eſſet,nec fidei publicæ literæ à Veſtra Maieſtate acceptę,quibus illi nitebantur,eò ſpectarent, vt eo prætextu obſeſsis aut opem, aut conſilium aliquod afferrent. Cùm verò de ijs quæſiuiſſem, num ſi paucorũ dierum ipſe inducias inter exercitũ V.Maieſt.& obſeſſos tentaſſem, id ipſi Magni Ducis nomine ratum habere poſſent:ſic quidẽ,vt interim nemo ex obſeſsis arcibus egredi, nemo eas ingredi poſſet: ſe eiuſmodi facultatem non habere dixerũt. Quãobrem poſteà nihil mihi negocij ampliùs faceſsiuere,cũ ſępè viderentur anteà mirari, cur V.Maieſt. exercitus tempore tractandæ pacis aliò non deduceretur. Sed & cùm occaſione oblata innuiſſem,inaudiuiſſe me,à V.Maieſt. propoſitum fuiſſe , vt Sereniſsimus Sueciæ Rex inter ipſas pacis conditiones admitteretur, haud commodè reſpõderunt. Quamobrem credo vix eam rem habiturum inter reliqua locum . Porrò hîc biduum ſubſtitimus,quòd Legati V.Maieſt. antequam huc perueniſſemus, literas mihi ſcripſiſſent, quibus Iamum in Zapolſcia combuſtum fuiſſe, cœnobium autem eſſe in ditione V.Maieſt. ſignificabant,cui ruſtici iſti iam iureiurando erant obſtricti:in quo niſi Moſci vellent conuenire,Paderouiciũ ſaltem pagum deligerẽt, procul hinc tredecim paſſuum millibus,quem ad locũ omnes conuenturos dicerent,licèt octo,decemúe tantùm domus in eo extarent. Cui rei cũ Legati Moſci ſtatim aſſenſiſſent,qui in ditionem V.Maieſt.ſe ingredi non poſſe affirmaſſent, admoniti à Ducibus, ſeu pręfectis quibuſdam equitum Polonis,qui huc nos adduxerãt: Bolcinũ hinc quatuor Verſtis abeſſe,cõmodum, & cuius in vicinia non rari ſunt pagi, propoſuère Legatis V.Maieſt.locũ illum:ſi vellẽt,eò ſe ituros, ſin minus Paderouiciũ ab illis propoſitum ſe petituros.Quorũ dum reſponſum expectamus, ꝙ hodie ad priores meas literas miſerunt:immutata eorum conſilij ratio eſt, vt ſcilicet in Iamũ eamus : quò quidẽ licèt ſtatim Moſci me audito ſtatuerint ſummo mane craſtina die proficiſci,nõ potui tamẽ non dolere, vel immaturè res prouideri, vel alijs tribui, quod in eoſdem aptiùs cadit.Mitto autem V. Maieſt.& eorum Legatorum V.Maieſt. ſchedam, ac quidquid illis reſpondi. Quòd ſi fortaſſis illi dubitàrunt,iſtos Magni Ducis Legatos,propiùs quàm par erat futuros eſſe Porcouiæ , id proſpectum(antequam ipſimet aliud proponerent)oportuit. Sed fortaſſis poſthac iſta melius prænoſcent, atque in rem conferent.

Iam cũ nobis craſtina die, vel perendie cum Legatis V.Maieſt.conueniendum ſit: poſsimq́; vereri, Liuonia vniuerſa Moſcũ non ceſſurũ:obſecro V. Maieſt. vt me quã citiſsimè certiorem faciat , num ſi ſoluto conuentu Liuonia cedere noluerint. ego in Moſcouiam rediens ex me agere debeã, vt Moſcus vel hos , vel alios Legatos Comitiorum tempore Varſauiam ad V.Maieſt.remittat; an verò hinc id ipſum Moſcoà me ſcribendũ ſit,vt hoſce Nouogardię tantiſper detineri iubeat, dum tempus veniendi appetat.Negocium enim hoc,quod ad Decretũ Reipublicæ de obtinenda Liuonia pertinet, priuſquã arma deponãtur, aut tum habebit liquidiorẽ declarationẽ, aut Moſcos Varſauiæ præſentes ad ſolidiorem deliberationem adiget,ſi Ordines Regni in eodem perſtantes viderint. Veſtra porrò Maieſt.ſapiens eſt,quæ nouit momẽta temporum, quæq́ue cernit,quantam in Regno ſuo molem habeat rerum aliarum explicandarum , quibus ſtatuendis nõ minore iureiurando obſtricta eſt, quàm Liuonię obtinendæ:quã tamen fortaſsè Deus ijs tradere totam non vult,qui ſeſe tradere totos in eius obſequiũ nolunt. Ipſe V.Maieſt.vberrimam ſuam gratiam, ac denique cæleſtem gloriam impertiat,quæ plus omnibus Regnis, ac Mundo ipſo exoptanda eſt. Ex Cziſſenka pago,die X I. Decembris, *1581.*

LEGATIS REGIIS POLONIAE,
Antonius Poſſeuinus.

Ante horam accepi ſchedulã Veſtrarum ILL.DD.qua mihi ſignificant, ſeſe omninò ſtatuiſſe non progredi vltra Iamum Zapolciæ pagum, quidquid anteà ſecus deliberaſſent,atq; ideò ipſæ nobis diligenter eò iter facientibus propoſuiſſent, de Paderouicio pago potiùs deligẽdo:quãdoquidem,vt ſcribebant, Iamum à Coſacis ſic erat combuſtũ,vt ne ſtipes quidem equis alligandis circumquaq; reperiretur; nec verò in tota illa vicinia,quidquã eſſet, quod hoc mẽſe Decembri nobis tegendis, hominibus verò, & equis ſuſtentandis haberi poſſet ad manũ. Quæ noua DD.VV. Illuſtrium deliberatio licèt viſa ſit non vſquequaq; commoda, facillimè tamen Magnis Moſci Legatis perſuaſi,vt craſtina die ſummo manè cũ hac hora iam aduesperaſcat,Paderouicium versùs vnà mecum ſe in viam dent,eò verò vlterius proficiſcantur, quò magis VV.DD.Ill. collibebit.Nam ꝙ ad me attinet, in cuius gratiam ſe Paderouicium, ne mihi deeſſet hoſpitiũ, delegiſſe nunc deniq; ſcribunt; non eſt quòd valdè doleant,cui & reliqua, & bonus itineris Dux ſic penè hactenus inter medios exercitus,& globorum ferreorum eiaculatiões defuerũt,vt niſi in vnã ipſius Dei voluntatem inſpicerẽ, mentemq́; Pontificis Maximi optimã præ oculis haberem, quæ tota nulliũ ad priuatum cõmodum, ſed ad Chriſtianã pacẽ ſpectat , alia quoq; mihi iuſtior immutandi conſilij ratio ſubeunda erat. Quòd verò VV.DD Ill.pertinacia horum Moſci Legatorum fieri putant, quò minùs in Iamũ recta proceſſerint,certè,vt ne quidem pro ſexcentis Poloniæ Regnis mẽtiar, ita fateor in hac eorum bidui cõmoratione nullam noxam, ac ne minimam quidẽ pertinaciæ ſuſpicionem me in illis agnouiſſe:cùm neq; in Spaga, vel Solctz expectato Regio equitatu(qui per duos Tabellarios illis fuerat promiſſus)ſtatim acceptis literis meis in Biſcouicium magnis itineribus Nouogardia accurrerint; nec ipſi quidq́, niſi ex literis,ac propoſito VV.Ill.DD.decreuerint. Quantoperè vero Iuri gentium (ne dicam, pietati Chriſtianæ, ac Regiæ) conſulatur, quòd illi mecum inter Coſacorum ſtationes, & militum aliorum , à quibus ſemper aliquid illis adimitur,relinquuntur,nullo cũ pręſidio,nullo item pro equis ſaltem collecto pabulo, quod ſaltem pecunia poſſet comparari,cũ nulla eis facultas danda ſit,vt ſibi neceſſaria excurrendo conquirãt,iudicium eſto VV.DD. Ill. Pręterquam , quòd ſi vera ſunt,quæ nobis de Iamo ipſęmet à nemine requiſitę ſcripſerunt,nõ video, quantoperè ad rem faciet,vt ſub dio maneamus diem ac noctem equites penè ſexcenti:vel ſi Legati procul ab ſe aberunt,quantum temporis breuiſſimis hiſce diebus deteretur, antequã ſimul ad me cõuenianti:cùm vt celerrimè res expediretur,& Sereniſs. Rex,& ratio temporis, & reliqua omnia poſtulare videantur. Vt vt igitur res habeat, venimus Deo Duce, qui iam vnicus(vt ita dicã)Priſtauus eſt noſter,cùm interim nihil amiſſum temporis ſit eliciendis ijs rebus,quas paci tractandæ non incommodas fore, VV.DD.Ill. intelligent. Iesvs VV. DD.Ill. ſua ſapientia,& deſiderio ſincero ſuæ ſanctiſsimæ voluntatis impleat. Amen.Ex Cziſſenka pago, die XI. Decembris, *1581.* Ad veſperam.

IOANNI ZAMOSCIO,ANTOnius Poſſeuinus.

Pavcas ante horas accepi literas V. D.M.octauo huius menſis datas , quibus eò breuiùs reſpondebo , quòd quæcunq; Sereniſs.Regi ſcribo,ſic mitto ad V. D.M.manus, vt & ea perlegere; ac ſi quid ei venit in mentẽ,proponere eius Maieſtati queat:ad quam non dubito,quin ſtatim eaſdem omnes meas obſignatas proprio in faſciculo ſit miſſura.Quæ autem mihi ſcribit V.D. M de cæſis quibuſdam ſub ipſis Pleſcouiæ mœnibus, & captis decem nobilibus,quorũ primarius Petrus Koltovvski aiebat,copias cogi ad Nouogardiam, ferendæ opis Pleſcouiæ cauſſa, eadem Legatis Moſci legenda curaui . Ipſi verò mirari, quid iſtud eſſet de copijs, quæ cogerentur. Quicquid autem id ſit , certè huiuſmodi literæ, ſi identidem ad me mittantur,quæ vera contineant, incommodæ non ſunt eliciendis hominum ſenſibus, ſi qui latent adhuc interiùs, vt tãdem pax Christo Domino,qui noſtra pax eſt,adiuuante conſtituatur.

Rogo autem V. D. Mag. vt per D. Schortium iubeat quæri,quænam ſpes valetudinis ſit in meo Andrea Apollonio, quem iſthic ſub patrocinio Magnific. V. reliqui iacentem. Qui ſi ſine magno ſalutis diſcrimine ad me mitti poſſet , is mihi perneceſſarius eſſet. Sin ille attritis adhuc eſt viribus, obſecro V. Magnific. vel adoleſcentem illum ad me quàm primùm mittat,qui literas Moſci mihi ſcriptas in itinere ex Ruthenico idiomate in Polonicum vertit,vel aliquem alium fidum tractandis,& Ruthenicè interpretandis rebus. Vnus enim Baſilius ſi in morbum incideret, quo interdum laborat,non haberem,qua ratione negocia promouerem . De quibus ſi quid ſtatuetur,certè allato mihi iſto ſubſidio,neq; à Deo pręmium V.Magnific.deerit,nec ego iſtius beneficij memoriam vnquam deponam.Deus interim cor,ac dexteram V.M.Illuſt. ſemper muniat cœleſti ſuo præſidio. Ex Ciſſenka pago,propè Porcouiam tribus milliaribus, ad noctem die XI.menſis Decembris, *1581.*

STEPHA-

STEPHANO POLONIAE REGI, Antonius Possevinus.

SECVNDAS heri ante diē literas meas, postquàm ex castris discesseram, misi V.Maiest.Regię.quib⁹quicquid vel Mosci Legati mecū egissent, vel ipse Magno Duci Moscouiæ scripsissem, vel deniq; quid V.Maiest.Legati subinde mihi significassent, continebatur. At cùm heri quatuor fermè milliaria processissemus, Legati Mosci ad hospitium meum conuenerunt, de tota ratione tractandæ pacis quæsituri, cum quibus ad multam noctem colloquio producto, eiusdē capita summatim V.Maiest.scribam, cùm & eadem (vti quoq; omnia alia) V. Maiest. Legatis hodie sim ostensurus. Sic enim paratiores erunt, ac breuiore cōpendio tractatio absoluetur. Porrò summa hæc fuit, vt Deo se ex animo commendarent, in tanto negocio ad exitum promouendo: quod vt fieret, comitatui meo, præter reliqua, orationes & Sacramenta hodie indixi. Qui sinceriùs agerent, Diuinamque voluntatem rectiùs spectarent, ijs tandem à Deo vel pacem, vel victoriam dixi adiudicatū iri. Me à V. Maiest. discedentem habuisse Instructionem quandā, quam Ruthenicè versam eis non minùs ostendere volebam, quā feci cum V.Maiest. de literis ijs, quas mihi Staricia profecto Magnus Dux in itinere misit. Ex ea illos posse cognoscere (ne tēpus frustra teratur) quorsum V.Maiest.spectet. Itaq; & ipsi sua sic compararēt, vt ne in disceptationibus vel altercationib⁹ dies cōsumantur. Tū illi altiùs ordiri sua: Liuoniā ab origine Mundi pertinuisse ad magnos Moscouiæ Duces: Principē suū abstinuisse à cōmittendo pręlio his annis, atque adeò nunc abstinere, ne sanguine populi sui: & subditorum V.Maiest. fuso, Turca se ad Moscouiā, Poloniāque capiendam facilè insinuaret: viginti annis non expugnaturā V. Maiest. arces, quas petit, si singulas copijs obeat suis. Vidisse V.Maiest. aliam in alijs arcibus, aliā in Plescouia, & eiusmodi ciuitatibus expugnandis rationem esse: Plescouiæ ad quindecim annos esse cibum, & commeatum: Habere V.Maiest. exercitum ex varijs nationibus conflatum, qui cùm stipendio, non voluntariè seruiat, Reipublicæ istius ea ratione exhauriri ærarium. Quod vbi prorsus exhaustum sit, scire Magnum Ducem, quàm facilè illi esset victorias suas cumulare, nisi mallet fundendo sanguini parcere. Ad extremum, se rogare, vt æquus velim esse iudex, ac si cui rei pertinatiùs inhæserint, eos vt dimoueam, paratos se ad ea omnia, quæ æquissima sint, dū V.Maiest. æquitate contenta sit; vtq; Mosco reliqua sint, quibus amicitiam cum Principibus Christianis foueat. Respondi autorem illis me esse, ne quid de Liuonia, ab origine mundi Moscis subiecta, Legatis V.Maiest. dicerēt: ne Moscorum quidem imperium fuisse ab origine mundi. Liuoniam Catholicam fuisse, ac proinde ad Principes Catholicos initiò semper attinuisse: vbi hæresibus discerpta est, discerptam item iustissimo Dei iudicio fuisse, vt nemo hactenus gloriari potuerit, eam se totam obtinuisse: obtenturum denique eam totam, cui in oculis Dei cor sit, illam seriò ad auitam, & vnam fidem redigere. Magnum Ducē rationes omnes mihi suas scripto, penitioresque formulas, ex Regestis deprompsisse, quibus putabat sibi summum in ea ius esse; sed reuera vix aliquid solidi compertum fuisse, quod validis rationibus V.Maiest. nō euicerit. Quod à pręlio abstineat, vt sanguini parcatur, id esse pium, sed secus Polonos illam abstinentiā interpretari. Tot enim Moscis cæsis superioribus annis, arcibusque & captiuis in V. Maiest. manus redactis, nō restare Magno Duci, quibus vel exercitum audeat credere, vel adeo iustum exercitum possit conscribere. Liuoniam verò difficilem expugnatu non videri, cū Serenissimus Sueciæ Rex, Dux item Magnus, atq; adeò vel vnus nescio quis Buringus, arces illas quotidie capiāt. Quòd si V. Maiest. Plescouiam caperet, quam re vera generali irruptione, vel assultu non tentauerit quidem adhuc, futuram denique difficillimam omnem pacis tractationem. Alias, quas dicerent arces esse captas, eiusmodi fuisse plerasq;, vt fortissimè dimicauerint Mosci milites; nec verò, vt dicebant, consederent, sed vel in medijs flammis, ad extremum vsq; spiritum, vel à globis tormentorum frustillatim discerpti, illas tuerētur. Quod Plescouiæ tantus esset commeatus, aliud Plescouienses ipsos dicere. Quòd variarum nationum exercitum V. Maiest. cōparauerit, id studio fecisse, vt Regni sui vires semper integras retineret. Polonicum autem, ac Lituanum equitatum, cū in Moscouia æstatem & hyemem ex hostico viuat, relinquere vberiores, & intactos agros suos, sicque nihil roboris ex hoc bello Reipublicę Polonicæ decedere. Quod ęrarium exhauriatur, id tota re perpensa secùs accidere. Quod enim in ocio Poloni nobiles expendunt, id libentiùs vtiliusq; propagandis Reipub. terminis velle eos impendere: cū etiam, qui sumptus in res alias fiunt, ij in mercatorum externorum cedāt vtilitatē; qui verò in ipsos milites vel Polonos, aut Lituanos fiūt, hi in propriam domū & Reipublicę ipsius vsum cōuertantur. Quòd de

meo iudicio requirūt, si liberrimus essem iudex, faciliùs rem confici posse. Sed quando V. Maiest. victorem in hostico habet exercitum; nec vult semina serendi belli restare: nescire me, quantum mihi efficere liceat præter ea, quæ fortassis alijs quibusdam in rebus auctoritate Pontificis Maximi complanari poterunt. Hoc vnum scire me, neutri parti, nisi quæ optima esse intellexero, me esse adiudicaturum. Deniq; Magnum Ducem per suos Legatos Liuoniam promisisse; quam si seriò promittebat, cur promissum non præstat? Quòd nisi seriò, sed arte ad tempus eximendum, pollicebatur; ne mirentur, si Deus, quod sincerè non agitur, id sincera iustitia puniat. Hic nocturni huius colloquij exitus fuit, mirantibus Legatis, in rationum istarum angustias sic sese fuisse coniectos, vt sanè vix responderint. Intereà, cùm media nox appeteret, Legati V.Maie. mihi scripserūt, num velim, vt huc ad nos duobus milliaribus procul Zapolscia, venirent: cupere se ordiri hodie tractationem pacis. Qui litteras mihi attulerunt, dixere, in agris, si procedamus, vtrisque Legatis esse hoc tempore manendum. Quid ipsis Legatis responderim, quos hoc diluculo expecto, cognoscet ex litterarum mearum exemplo, quas ad illos ea ipsa huius noctis hora misi.

Reliquū quod agetur, accuratè, ac singillatim V. Maiest. significabo, sperans eā mihi sensum animi sui exposituram, si quid erit aliud mihi in Moscouia tentandum, cùm illuc, Deo dante, rediero. Deus V. M. omnia faustissima concedat. Ex itinere versùs Iamum Zapolsciæ, die XII. Decembris. 1581.

IOANNI ZAMOSCIO ANTONIVS Possevinus.

QVAE, antequàm omnes Legati conuenerunt, mecum iterum egere, cognoscet V. D. M. ex ijs litteris, quas huic adiunctas fasciculo mitto Regi Serenis. Quæ verò posteà sunt hoc biduo inter Legatos, me præsente, consecuta, ea pertinēt, ad duo capita: quorum alterum spectat ad Plenipotentiam vtriusq; Legationis; alterum ad ea, quæ vtriq; Legati hodie proposuerunt. Plenipotentia Moscorum simplicissima visa est, ac præ Regia satis infirma, ne dicam, suspicionis plena. Hæc enim verba continet: Misisse Magnum Ducem Legatos suos, vt, pacis statuendæ causa, cum Legatis Regijs colloquantur in conuentu; & illas res, esse res Magni Ducis. Auctor igitur fui, vt quas Regi, mihique, per Boltinū Magnus Dux litteras scripserat, eæ ipsis perlegerentur; quibus significabat, Legatos mitti plenissima cum potestate ad omnia transigenda, conficiendaùe. Vbi res diu disceptata est, Regijq; Legati hærerent (quòd super infirmo fundamento tractatio hæc pacis nec niti, neq; extrui debebat) dixi, restare duo, quæ essent facienda, tum vt coram me de tota re protestarentur; tum vt mihi vtraque pars Legatorum exempla suarum Plenipotentiarum traderet: noctem insequentem, re Deo commendanda, & consultanda: denique Legatis Mosci interrogandis accuratiùs, num aliquam alteram Plenipotentiam solidiorē haberent, me insumpturum. Quod vbi factum est, præsentibusque Regijs Legatis singillatim vnumquemque Moscorū Legatorum quærerem, num semper eiusmodi patentes solitæ sint à Magno Duce tradi, idq; vellent iureiurando affirmare: Zacharias Vicenotarius se id facturū, inquit; qui cùm Mosci Secretariæ Acta centum annorum legerit, alias nunquam Plenipotentiarum formulas se, quàm istas, legisse, affirmauit. Mikita autem notarius, vnus è Legatis, idem asseruit: quod & posteà Romanus Basilij, qui aliquando ante viginti annos ad Sigismundum Augustum fuerat missus: ac deniq; Demetrius Dux, Legationis Princeps, testatus est, addens, sese vt Christianos Legatos venire ad hoc negocium integerrimè conficiendum; nihil opus fore ad Magnum Ducem aliorum internūciorum remissione; In litteris Magni Ducis ad Regem, & ad me scriptis, extare suæ Plenipotentiæ expositionem; Visuros nos, si pax conficiatur, ad effectum omnia deduci. Ego, qui viderem multum teri temporis, nec præsentius aliquod, ipsa protestatione Legatorum Regiorum, esse remedium; testatus ipse Moscis, perpetuo illis dedecori hanc rem, si qua subesset calliditas, futuram, quippe, quæ innotescere omnibus Principibus Christianis debebat, nisi ad rem veniretur. Nihil enim vel induciarum, quæ nondum essent, rationi, vel exercitus deductioni Serenissimo Regi ex hac tractatione perire: quæ alioquin, si bonum haberet exitū multa bona parere possetsin in irritū caderet, ius Regium apud omnes esset roboratura. Sic Regijs Legatis fatentibus, se Pontificis Max. authoritate, meoq; consilio ita moueri, vt tamen vellent, antequàm ab hac tractatione discederent, certò sibi, quæ de Plenipotentia Mosci pollicebātur, in rem conferri; ad alterū, de quo dixi caput, ventum est.

INfuit de Liuonia tota, quæ erat in manibus Mosci, petenda, de arcibus superiorib⁹ annis captis, de Rege Sueciæ Ser. inter con-

ditiones pacis admittendo. Quæ cùm prudenter Palatinus Braslauienſis,ac cum dignitate propoſuiſſet, multaq́; vltro citroq́; dicta fuiſſent; Moſcis præſertim vrgentibus,neque ſe poſſe tota Liuonia cedere,nec verò,ſi poſſent, debere Legatos Regios ea reticere,quæ ipſi contrà vellēt Magno Duci reddere,aut tradere,dies integra his colloquijs exempta eſt:cùm Regij Legati reſpondiſſent,Arces,quę ad Pleſcouiam pertinerent quattuor, iam captas, ſe tradituros,ſi tota Liuonia cederetur. Tum in eo perſtare Moſci,ſi Regij Legati dicerēt, an reliquas omnes arces à Rege Ser.mo ſuperioribus annis captas reddere poſſent, ſe hac nocte cogitaturos,quid reſponſuri craſtina die eſſent. Addidi ipſe Ser.mum Regem non parum eſſe traditurum, qui Pleſcouiam,& Nouogardiam, non ſine magna ſpe earum potiēdi, eſſet relicturus: qui vnà cum Pleſcouienſibus arcibus, triginta miliaria Germanica ditionis Moſci, in quā hoc anno proceſſum erat,(ab exercitu Regio finibus, vſq; penè Pleſcouiam, propagatis) ſi exercitus deduceretur,reſtituturus eſſet. In qua vbere regione ſi Coſacis varia loca diſtribueret,eorumq́; quaſi Colonijs deductis varias arces excitandas traderet,ab ijs perpetuò omnem interiorem Moſci regionem turbatum iri. At,vt Velicolucum,Veliſia,& aliæ arces traderētur, id eſſe pene plus,quā ipſum, quod Magno Duci Liuonię reſtat in Manib⁹. Cùm ergo Legati Regij diſcederent,(me eos orante, ne diſcederent;quod ita factum oportuit) in diem craſtinum ea lege huc redituri ad me,vt liquidiſsimè, quid vnaquæq; Legatorum pars haberet in mandatis, exponeret:detinui Moſcos apud me,re cum Legatis Regijs communicata, vt aliquid certi V.M.D. ſcriberem, quandoquidem nec Moſci Regijs omnino ſeſe volebant aperire,& Regij Moſcis teſtabantur,ſibi non eſſe mandatum, vt arces ſuperioribus annis captas vlla ratione redderent. Cùm verò mihi dixiſſent,Ser.mum Regem iam Vilnę fortaſsis eſſe: Veſtræ autem M.D. pleniſsimam eſſe relictam harum rerum deliberationem,ſcribendum de tota re liquidiùs mihi ad ipſam per certum Tabellariū exiſtimaui.

SCIAT autem me ex ipſis Moſcis, qui Regijs Legatis abeuntibus,apud me fuerunt,hæc cognouiſſe. Magnum Ducē, nempe,illis mandaſſe, vt nulla ratione arces,ſuperioribus annis captas,Regi Ser.mo relinquerent, ſi Liuonia tota eſſet ijs cedendum,hoc eſt,arcibus,quæ in Moſci ditione ſunt. Ac ne Neueliam quidē ſe R.M.ti relicturos;de qua difficillimum eſſe dixi, vt vnquam Rex ei reſtituendæ aſſentiatur. Tum verò me enixè, identidemq́; rogârunt,vt quatuor, ſexúe arces, ſaltem ad titulum in Liuonia retinendum,omnino relinqui Magno Duci procurarē: tum enim me poſſe pacis ſpem Regi Ser.mo dare. Denique petierunt à me,vt eorum diligentię, ac quanto ſtudio rem ſui Principis agant, Magno ipſorum Duci,non ſolùm ſcripto, verùm etiam ipſo in reditu meo, velim teſtimonium reddere. Quę ſi ſeriò dicunt,vt mihi (neſcio,an fallor) veriſimile ſit, obſecro V.D.M. vt non minorem mihi, quàm Moſci faciūt, adhibeat fidem, quò tota res ad DEI gloriam quàm primùm confici poſſit.

DE arcibus autem,quæ ſuperioribus annis captæ ſunt,vt aliquæ in Regis poteſtate maneant, curatur. At verò niſi omnino poſſent retineri,quæſo V.M.D. per ſanguinem Chriſti, ne nimium volendo, cuncta amittamus; præclariſsimaque occaſio elabatur è manibus, ſtatuendæ Reipublicæ, ac tot Liuoniæ arcium aſſequendarum, & alia meliora aggrediendi: Exercitum verò non ſolùm victorem,ſed ſapientis Imperatoris exercitū in arces Liuonicas ſic deducendi, vt Diuinum eò nomen, cultuſq́ue Catholicus,duplici,cùm Regiæ M.tis,ac V.M.D. laude inferatur. Ceterum,quæ arces in Liuonia à Moſcis petantur, ex ſchedula, quam modò mihi Moſci Legati per Vicenotarium Zachariam miſerunt, nocte ad gallicinium inclināte, videbit; quam ſchedulam mitto, ab eis Ruthenicè ſcriptam, ad V.M.D. Ad quę omnia celerrimo, ac planiſsimo reſponſo opus eſt, ſi citò in meliora hyberna exercitum ſuum cum gloria deduci velit.

SED eſt quiddam non magni momenti, de quo V.M.D. rogatā in Domino velim. Andreas Apollonius,poſt reditum ex Moſcouia ſuum, incidit in febrim, ex eaq́ue iſthic in caſtris, antequàm diſcederē, ſanctiſsimis omnibus Sacramentis expiatus, ad Chriſtum poſt meum diſceſſum abijt; adoleſcens optimè de Repub. meritus, proq́ue ipſa,& pro perhonorifica pacis tractatione, tanto itinere ter confecto, perfunctus. Quòd igitur ille præmium à R.M.te ſperabat,id non dubito, opera & ſtudio V.M.D. aliquibus, qui eum proximè conſanguinitate contingunt, cùm non adeò diuites ſint, datum iri. Id quod enixè V.D.M. rogo. Quod ſi fidum alterum Interpretem Ruthenum, ob reditum in Moſcouiam meum,ſicut anteà ſcripſi,aſſequi potero,maximam habebo gratiā V.M.D. quę nouit,hæc me nō niſi ad Dei gloriā propagādam, Remq́ue iſtam publicam, ſi quo poſsim officio,cum Diuina gratia demerendam expetere. Hæc verò omnia vti Ser. Regi ſcio eſſe mittenda à V.M.D. ita nō dubito,quin me apud ipſam Maieſt. R. excuſatura ſit,ſi minus alias meas ad has litteras adiunxero. Approperat enim Tabellarius,& hęc ſatis futura videntur. Deus V.D.M. ſua gratia cœleſti impleat. Ex Kiuerouа Horca pago, prope Paderouiciū,et Zapolſciam,nocte diei inſequentis XV. Decembris. 1581.

STEPHANO POLONIAE REGI,

Antonius Poſſeuinus.

QVARTAE hæ ſunt litteræ,quas poſt diſceſſum è caſtris meum, ſcribo R. Maieſt. V. minus vberes futuras,quod alijs litteris omnia ferè perſcripſerim, ac præſertim ante triduum ijs,quas Magnifico D. Cancellario ſcripſi. Quas omnes peruenturas ad manum V. Maieſt. puto,antequā hæ reddantur. Colloquij porrò Legatorum, quod ab huius menſis XIII. vſque in hanc diem quotidie penè apud me eſt habitum,nondum is fuit exitus, qui optandus eſt. Moſci enim perſtant in eo, vt arces, à V. Maieſt. ſuperioribus annis captæ (Polocenſis,& quæ ad eam attinent, haud petuntur) omninò eorum Magno Duci reddantur. Reliquas Liuoniæ omnes, quæ ſunt in poteſtate Magni Ducis,etſi ita ſe tradituros aſſerunt,vt aliquas ſibi cupiant retinere,bona tamē ſpe ſum,V. Maieſt. deditum iri. Sibi autem (me quærente) reſponderunt mandatum fuiſſe,nulla vt interpoſita mora reddant. De Neuelia quantumcunq; difficultatis,ac deinceps de Veliſio, Velicoluco,& Zauolocia priuatim illis obiecerim,quod nulla ratione reſtituēdas credam: nunquam tamen quantalibet induſtria vſus,potui elicere,vt eas eſſe V. Maieſt. relicturos dicerent: præſertim ſi arcibus omnibus, quas habent in Liuonia, ceſſerint. Hæc res fecit,vt Legati V. Maieſt. alterum, alterum ego vnà, Tabellarios ad Magnificum D. Cancellarium miſerimus,à quo planiſsimè de V. Maieſt. animo certiores fiamus. Quòd autē tractationis huius abſolutionem vrgeant Moſci Legati,quodq́; nulla fore opus ad Magnū Ducem remiſsione, mihi ſæpe aſſeuerauerint, non omnino circuitionis, aut calliditatis ſigna eſſe videntur. Sed craſtina die, vel perēdie,omnia erunt (Deo dante) liquidiora, quæ forſan, priuſquā hæ iſthuc veniāt,à D. Cācellario citatis equis mittētur. Ego huic aurigæ diſcedenti nolui nihil litterarū dare ad V. Maieſt. quam Deus omnibus bonis & æterna fælicitate cumulet. Ex Kiueroua Horca,prope Zapolſciam pago, die XVII. Decembris. 1581.

IOANNI BASILII, MAGNO MOSCOVIAE DVCI,

Antonius Poſſeuinus.

SCRIPSI Ser. tuæ ex Biſcouicio: poſteà vnà cum Magnis Legatis tuis huc in Kiuerouam Horcam venimus propè Zapolſciam, cùm Iamum à te Legatorum conuentui aſſignatum à Coſacis, ita combuſtum fuiſſet, vt ne lignum quidē ſupereſſet,cui equi alligari poſſent. Incepimus, Deo adiuuante,de pace agere, in qua licet magna à Magnis Legatis tuis diligentia adhibeatur, vt quàm primùm abſoluatur, Legatiq́; Magni Stephani Regis varias rationes afferant,cur ea, quæ petunt, obtineant, nondum tamen potuit ſtatui aliquid certi. Quod tamen intra biduum,vel triduū ſpero Dei gratia futurum, nō ſine aliqua ſpe pacis. Tunc verò tuæ Ser. ſcribam fuſius ipſeq́ue omnia fideliſsimè ſcripta feram, quæcunque acta ſunt: ſperans Deū, qui percutit & ſanat, ex hoc tam diuturno bello, multò diuturniorem, ac trāquilliorem pacem pariturum, pietatiq́ue tuæ occaſionē præbiturum, quò multò latius Imperij tui terminos propages, quàm fortaſſè nunquā potuiſſes, niſi iſta vexatione Diuina prouidentia oſtium tibi ad meliora aperuiſſet. Ceterum cùm Magni Legati tui omnē mihi, ac meis in hac vaſtitate, atq; omnium rerum penuria, humanitatem, ex tuæ Ser. mādato,& benignitate exhibeant, ſummas tibi nomine Summi Pontificis, & meo gratias ago; petoq́ue tuæ Ser. à Sanctiſsima Trinitate perpetuam remunerationem, & ad omnia bona feliciſſimum exitum. Ex Kiueroua Horca pago tuo, propè Zapolſciā, die XVIII. Decembris, 1581. media nocte.

IOANNI BASILII, MAGNO MOSCOVIAE DVCI,

Antonius Poſſeuinus.

GEORGIVS Puzik, Tabellarius Serē. tuæ heri huc peruenit, litteraſq́; mihi reddidit tuas, quibus ſignificabas, epiſtolam illam tibi meam redditam fuiſſe, quā per Baſilium Zamaſcium ad te Nouogardiam miſeram. Cùm verò mihi iubeas, vt firmam inter te,& Stephanum Regem pacem efficiam, cognoſces, vt ſpero, poſteà, quantoperè in id omnibus viribus, Deo iuuante, intenderim. Iā verò apud me vtriq; Legati Magni tū Stephani Regis tū tui, quinquies cōuenere, totos integros penè dies ſingulis tractationibus impendentes: cùm quotidiè non deſinant Legati tui priuatim ad me adire, deq́; omnibus ijs ratio-

tionibus agere,quibus cesset Christiani san
guinis effusio. Cùm autem triplicem,eum
quedifficillimum nodũ Legati Regis pro-
posuissent,do operam ,Deo iuuante,vt dis
soluatur.Nam Sueciæ Rex,quem inter pa-
cis cõditiones Summus Pont.& Stephanus
Rex cupiebant admittere,cùm ab illo Re-
ge nemo conuentui ablegatus esset, nec ve
rò Stephani Regis Legati à Sueciæ Rege qd
quam in mandatis habere sese respondissẽt
factum est,vt tractandum inter te,& Regẽ
illum,negocium hoc sic differretur, ne ta-
men pacis confectio impediretur. Accede-
bat Stephani Regis altera conditio,vt titu
lo,iureque Liuoniæ cederes vniuersæ: qua
de re egi diligenter ,vt Regij Legati aut rẽ
meo iudicio differrent,aut si nollent,non
propterea tamen reliqua pacis tractatio nõ
procederet. Mouebo autem ,Deo adspi-
rante,omnem lapidem,ne rebus alijs com-
planatis,hic nodus aut paci explicandæ im
pedimentum,aut adeò tibi afferat damnũ.
Sed & tertius reliquus est ,isq; perdifficilis,
in quo versamur , non solùm de tota Li-
uonia,quam nunc obtines,Stephano Regi
tradenda,sed de ijs quoque eidem arcibus
relinquendis,quas hoc biennio superiore
cepit,Velicolucum ,Neueliam ,Velisium,
Zauolociam.Ac quidem reliquas iam,quæ
ad Plescouiæ ditionem attinent,Chelmã-
que arcem,cum eo,qui ad has spectat,agro
vniuerso,cuius tractus est multarum leu-
carum , tradere Ser. tuæ contenti sunt.
Veruntamen quòd ad illas alias pertinet,
cùm Legati tui Magni affirmarent,nulla si
bi ratione licere absque ijs arcibus pacem
facere,misi ad Poloniæ Regni Cancellariũ,
cui à Stephano Rege, summa de his rebus
facultas relicta est,vt Regios Legatos litte-
ris suis vrgeret , ad eas vel omnes,vel ali-
quas,aut eam saltem arcem restituendam,
quæ mihi videretur rationibus tuis aptiùs
conuenire . Quod extremum , cùm diffi-
cillimè obtinuissem,se quidem è quatuor
illis vnam,pro meo iudicio,reddituros di-
xerunt,sed ita,vt Sebesium arx in agro Po-
locensi à te Stephano Regi traderetur , in
quo cùm perstitissent,atque à conuẽtu qua
si non amplius redituri discessissent , misi
ad eos hac media nocte , qua hæc tuæ Ser.
scribo,vt nulla ratione ex pago discederẽt,
vbi duabus abhinc leucis commorantur in
Zapolscia, verùm ad me cras saltem redi-
rent ,quod eos quidem propter Sũmi Põt.
auctoritatem spero esse facturos. Etsi au-
tem intelligo Satanæ,totius boni perturba
toris,antiquissimum esse,vt qui homicida
fuit ab initio , is Christianum sanguinem
maximè sitiat:de immensa tamen Christi
Iesu bonitate spero eum non præualiturũ.
Interea ego alterum in castra ad Cancella-
rium Regni Poloniæ misi tentatum ,num
aliquam aliam arcem Stephanus Rex red-
dere decreuisset,mihi verò quam planissi-
mè sensum Regis aperiret : ac,si opus es-
set , vt citatis equis ad Stephanum Regem
litteræ mitterentur,id fieret;ne amplius in
summis hisce ærumnis , quas ipsi passim
conspicimus, populi tui penitus confice-
rentur. Quòd si post triduum,quo is,qui
in castra missus est,redibit,& afferet ea,quæ
Magni Legati tui cupiunt,ac diligenter cu
rant,gratias agemus Deo, in cuius nomine
pax fiet.Sin verò absque ijs arcibus Liuo-
niam tradere tui Legati non poterunt ,e-
nitar, quoad eius fieri poterit , vt quem-
admodùm mihi scribis, responsum à tua
Ser.expectetur. Quanquam vereor,quin-
si res longior fiat,Stephanus Rex,qui iam
ad nouas copias comparandas Vilnam pro
fectus,quique nouissimè commeatum Ri-
ga vehi in castra propè Plescouiam iussit,
vbi viderit Ianuarium, & Februarium mẽ
ses elabi,spe noui belli nullis,nisi tibi sem
per iniquioribus conditionibus,pacem am
plius nolit. At & Legati eius frequenter ob
ijciunt,plures ab alijs iam Liuoniæ arces es
se captas, quas modò tua culpa,cùm supe-
riore anno tradere noluisses,assequi neque
ant:se verò,si captas à Stephano Rege arces
omnes tibi reddant,id plus regionis,com-
plecti , quàm quidquid eis ex Liuonia tra-
diturus sis.Quamobrem vt tibi (quod sem
per feci) animum meum ingenuè aperiam,
si spẽ aliquam concipere potuissem, vnam
vel alteram quantulascunq; arces in Liuo-
nia me à Stephano Rege pro te posse obtine
re,quibus recta liber tibi ad Liuonicũ ma-
re aditus patuisset,eas maluissem ,quã om-
nes penè reliquas illas,quas Stephanus Rex
superiore biennio cepit. Ita enim è Liuo-
nia pedem prorsus haud extulisses: præter-
que aliquem Liuoniæ titulum , Liuonicũ
littus , fouendæ Christianorum Principũ,
ac præcipuè Summi Pont.amicitiæ ,exter-
nisque mercatoribus , qui tuæ sunt ditioni
haud inutiles , tibi non fuisset ademptum.
Sed quando hactenus Legati tui mihi non
indicarunt , aliquam eiusmodi à te fuisse
concessam potestatem, vt ipse hanc rem cũ
Legatis Stephani Regis tentarem ;nempe,
an Liuonicam Nouogardiam, quam petis,
atque alteram similem (Derpatum exci-
pio,de qua tibi relinquenda nunquam Ste-
phanus Rex ,eiusque Senatores quidquam
voluerunt audire) tu verò earum loco ar-
ces,quas Rex cepit ,Sauolociam, Velisiam,
Neueliam etiam ipsi Stephano Regi relin-
queres: propterea nescio ,quid de pace spe-
rem: etsi id sincerè testari possum , me vs-
que ad mortem, Deo miserante, laboratu-
rum, vt ea firmissima fiat. Sed & cùm Ste-
pha-

phanus Rex Sebesium petat,id si tui Lega-
ti dare noluerint,erit certè, vt mihi videor
inaudire ,pernecessarium ,vt eo deleto,a-
ger qui ad eam arcem pertinet , Stephano
Regi,si pacem volueris,tradatur. Porrò ad
hæc omnia,petunt Regij Legati,vt rusti-
cis,qui Regi ob belli metum,tantamq; stra
gem iurârunt,ex tua ditione,ea cùm ad te
ob arces Plescouienses,siue ob aliquam ali-
am redibit,omnino parcas. Quod etsi non
dubito Ser. tuam facturam, obsecro te ta-
men ,vt ei , quod ego hac in re tuo nomine
cum Legatis tuis,Stephano Regi sponde-
bo,acquiescas . Quod & vt faceres de ca-
ptiuis tam Liuonibus, quàm alijs, quos i-
dem Stephanus Rex petit, vehemẽter opto:
cũ idẽ Rex,præter alios plures,habere se ad
Ducentos Moscos nobiles captiuos mihi
dixerit,ex quibus iure plus quàm Ducenta
florenorum millia petere possit. Et sanè ex
illorum captiuitate putat accidisse, vt iu-
stas tu copias bellumue instituere nequeas:
cùm etiam multos Rex Sueciæ ceperit,pau
cosque ante dies Ioannes Zamoscius alios
in paratas equitum insidias ex ipsa Ciuita
te Plescouiensi pertraxerit,atque vnà cum
Petro Koltovvski in potestatem redegerit.
Caput igitur hoc est , me fidelissima sin-
ceritate huic negocio non defuturum.Ita-
que & tu,cùm mihi respondebis,nisi com
posita pax erit, amplissimam Legatis tuis,
mihique eius statuendæ facultatem mitte.
Cæterum scito , Pontificem Max. Grego-
rium XIII.te ex animo,ac omni paterni a-
moris officio salutare. Te verò etiam atq;
etiam rogo,vt Sacerdos, quem apud te re-
liqui,mihi de statu suo quàm primùm scri
bat , quem tuæ pietati cum altero nostro
Michaele commendo. Sanctissima Trini-
tas omnibus te bonis cumulet . Ex Kiue-
roua Horca,die XXI.Decembris,1581.

IOANNI ZAMOSCIO,
Antonius Posseuinus.

D.Petrouius cum litteris V.D. M. hu-
ius mensis Decima nona die scriptis,
peruenit ad nos nudiustertius, atque pau-
lo post à Regijs Legatis ad pagum vbi dele
gerunt hospitium ,abductus, rediijt heri ad
me post meridiem: inquiens,se ab ipsis Le-
gatis responso ad V. D. M.accepto,in ca-
stra properare: si quid vellem,darem,se re-
ctè redditurum.Miratus sum nonnihil,ne-
que mihi chirographum V. D. M. de ar-
cibus Magno Duci in Liuonia relinquẽdis
traditum: nec aliquid communicatum ea-
rum rerum fuisse,quas V. D. M. scrip-
sit Legatis ,eos inprimis esse mecum com-
municaturos.Itaq; cùm ijdem Regij Lega-
ti superuenissent, rationibus ijs adducti,
quas D.Petrouius audiuit,tandem chiro-
grapha duo deprõpsêre de sinu,mihiq;,ad
quẽ mittebantur , reddidêre. Tum auditis
ijs,quæ à Moscis elicueram,meq; nõ medio
criter affectum animaduertẽtes,quòd præ-
ter quædam alia,triduum Mosci Tabella-
rius non sine leui totius causæ incommo-
do detentus fuisset,antequam Magni Du-
cis litteræ,& eæ,quas mihi V.D M.xiij.De
cembris scripserat,redderentur ,ad pagum
suum reuersi sunt,aliquid (vt puto) ad reli
quas litteras adiecturi,quas pridie eius diei
scripserant. Ac certè, quod ignorat me-
dicina, non sanat: neque vnquam peperit
aliquid boni mixta suspiciõe diffisio eorũ;
qui trepidant, vbi non solùm timendum
non est, verùm adeò, vbi sincerissimam o-
peram non sine fructu experiuntur. Cete-
rum ,quod ad rem attinet, vt illi consilio
meo Moscis heri dixerunt , denique nihil
de Liuonia sibi agendum amplius esse, nisi
prorsus totam redderent: ego verò commu
ni consilio, Moscis Lucum obtulissem: ad
Moscum autem cùm adiunctas huic episto
læ litteras scripsissem ,quàm primùm V.
D.M. animum mihi D.Zolkeuius aperu-
isset: idq; propterea fecissem , ne quid mo-
ræ negocio absoluendo adderetur,quòd Le
gati Mosci arces à Rege captas cum aliqui-
bus Liuoniæ arcibus permutandi manda-
tum habere se,noluerunt vnquam (vt fecẽ
re postea) mihi indicare: aduocaui eos dilu
culo,quo hæc scribo,ad me,quantaque po-
tui industria ostendi, si vnguem tãtummo-
dò terræ possem ijs in Liuonia obtinere,de
bere illos optatissimè arces illas Regi Ser.
relinquere Sauolociam,Neueliam , Velisi-
um , Lucum , me tantũ apud Deum,& V.
D. M. egisse, vt denique nonnihil illis Li-
uoniæ possem offerre. Quod tamen sen-
sim,ac tanquam meo ipsius tantummodo
iudicio proponens, neque hæc scire,quæ
ageremus, Regios Legatos dicẽs: insinuaui,
quid mihi videretur ad rem Magni Ducis
valde attinere: nempe, vt si Mosci Nouo-
gardiam Liuonicam,& Serenescum obtine
rent ,ij de illis arcibus Sauolocia , Velisia,
Neuelia, Luco nil amplius peterent. Deni-
que item Lais adieci, vltimam inquiens hãc
esse rationẽ,quam pacis conficiendæ cerne
rem: itaq; aperirent candidissimè animum.
Quòd si tantam gratiã abnuerẽt,testari me
coram Deo, hac ipsa hora, Deum ipsum
omnem gratiam in Regis exercitum con-
uersurum,qui facilè,quæ Magnus Dux ha
beret in Liuonia,esset (vt alij iam faciunt)
capturus: Plescouiã autẽ obsessam ad se re-
dacturus,atque in Moscouiam copias indu
cturus,quæ sunt sub signis: Legatos porrò
Mosci,qui mihi vulnus haud ostendissent,
cui medicinam potuissem afferre,rationẽ
effusi sanguinis esse Christo Iudici reddi-
turos.

turos. Conſternati, atque identidem me rogantes, vt tantiſper vellem adhuc paucis eos audire, ſeſe mihi vel iuramento, & crucis oſculo nihil celaturos, hæc addiderunt. Primò, ſi eorum ſingulis Decem capita eſſent, ea ſibi amputatum iri, ſi quid Principis ſui prætergreſsi fuiſſent, quod in mandatis non haberent: ſe mihi hodie ſuam oſtenſuros Inſtructionem fidentiſsimè. Tria ſe coram Deo videre, quibus pax, quam vel ſuo ſanguine expetunt, coire poſsit. Inprimis, ſi tota prorſus Liuonia, quam habent in manibus, cedendum ſit, id ſe illicò, ne ſpithamam quidem retinentes, facturos; ſi quas Stephanus Rex arces cepit, Lucum, Veliſium, Sauolociam, Neueliam, cum Pleſcouienſibus, Magno Duci reſtituerit. Si velit hoc Rex; ſeſe, ſi ipſi Sauolociam, & Lucum atque item Nouogardiam Liuonicam, & Kerepecium obtineant, ceſſuros reliqua Liuonia, & Neueliam, atque Veliſium Regi relicturos, Sebeſium verò habere in mandatis, vt comburatur, ſi Rex Driſſam combuſſerit: fines verò Pleſcouienſes, & Polocenſes antiquum in ſtatum redeant. Sic & Derpato, de quo ſæpiſsimè, & efficaciſsimè me vrſerant, cedunt. Niſi Rex his conditionibus aſſentiat, nullam ſibi reſtare rationem aliam, quàm vt ad ipſum Magnum Moſcouiæ Ducem ſcribatur, à quo decem dierum ſpacio reſpõſum pollicentur. Ad extremum contendere, vt omnino pacis abſolutionem procurem. Inter loquendum autem dixere, Sereneſcum in Sueciæ Regis manibus omninò eſſe: Lais arcem eſſe in media Liuonia, circũquaque alijs arcibus ſeptum: Kerepecium eſſe arcem haud munitam, ſed tamen audio à D. Petrouio, in poteſtate eſſe eam Ducis Magni, Regis Daniæ fratris: de qua reſtituẽda diſpiciet, quid effici queat: vt ꝓmiſſum præſtemus. Itaque hoc illud eſt, quod ad hanc vſque horam, Deo iuuante, efficere potui. Reſtat autem, vt quàm planiſsimè ad omnia, & quàm citiſsimè V. D. M. nobis reſcribat, ac tandem aliquos ex his admoneat, vt vel ſeriò, & in tempore mecum agant, aut liberaliter ipſimet per ſe tentent, quæ effici poſſint. Petij verò à Legatis Moſci, mihi vt ſub iureiurando fiderent, num vna arce denique Sauolocia, vel Luco futuri eſſent contenti, ſi reliqua fierent, non autem duas illas omnino acciperent: reſponderunt, ſe certiſſimè nequaquam poſſe: eſſe ea extrema, quæ haberent in mandatis. Itaq; & eadem itero, vt enixè à V. D. M. contendam, vt ita ſcribat, vt non reſtet ambigendi locus, vel de Sebeſio (ſiue ager, necne eius reddatur) ſiue Driſſa, necne comburenda ſit. De captiuis, ſi qui in manibus Regijs ſuperfuerint, qua ratione illi vel redimendi, vel reddendi ſint, deq́ue alijs, liberrima, & pleniſſima Legatis facultas tradatur. Tùm de modo reſtituendarum arcium, aliaq́ue faciendi, quorum hac nocte hanc formulam concepi, vt V. D. M. eam in tempore perpendens, liquidò mihi animum ſuum aperiat. Offero V. D. M. mea officia, precatus à Diuina bonitate ſalutem, & omnem fælicitatem. Ex Kiueroua Horca, die XXIIII. Decembris, 1581.

IOANNI ZAMOSCIO,

Antonius Poſſeuinus.

NVDIVS tertius ſcripſimus omnes V. Magnificentiæ per D Petrouiũ. Et erat meridies, cùm hinc Regij Legati diſcedẽtes, iudicârunt haud expedire, vt Moſcos alloquerentur, poſtquàm vnam tantùm ante horam tertias pacis conditiones à puero V. Magnificentiæ accepiſſemus. Dilata igitur in heſternam diem res eſt, eo cõſilio, vt ſi quid ex Moſcis interim elici potuiſſet, fieret: heri verò res ipſa liquidius illis declararetur. Vſus ipſe induſtria, vt Moſcorum conſilium reſcirem, vt quàm minima diſficultas conficiendo negocio reſtaret, ſcripto (ad vitanda poſtremò ſubterfugia) petij ea, de quibus omninò ſe deliberaſſe, ac poſſe conficere dixerant. Cùm autem heri manè hæc Regijs Legatis innuiſſem, ipſi hodie ſeſe diſceſſuros dixerunt, nec penè, quod aliud dicerent, habere. Quod fieri benè reſpondi, ſi quidquid XXII. die huius menſis V. D. M. ad nos ſcripſerat, vel totum, vel ex parte, (ſicut polliciti fuerant) Legatis Moſci propoſuiſſent. Cùm dicerent Regij Legati, ſe à mandato Regis pendere, nec ijs conditionibus ſeſe permoueri, quas V. D. M. ſcripſerat, reſpondi, credere me, à V. D. M. ſciri, & ſinceriſſimè proponi Regiam voluntatem: negocium, quod cœpimus, nequaquam variationibus poſſe pertexi. Adieci, me pro certo habere, ipſos, qui iam tertiò hiſce de rebus ad exquirendam Regis voluntatem, quæ ſoli V. D. M. perſpecta, & credita erat, in caſtra miſsiſſent, conqueſtos, plenã ſibi re ipſa potentiam non fuiſſe traditam: non poſſe nõ adhibere fidem V. M.tiæ ſed id vel aliunde (quia nouas ſe ex caſtris litteras accepiſſe dicerent) vel ex ſeipſis aliquã ob cauſſam id modo cõſilij in mutãdo propoſito, ſiue ad rem, ſiue ad ſpeciem, cepiſſe. Quaſi hoc cauſæ conduceret, aut mecum, ſi Deo placet, eſſet neceſſarium: qui ſi aliud egiſſem, quàm quod ſummo conatu promotum eſt hactenus, non eò forſan redacta res eſſet, vt proximam (ſi vellemus) pacẽ haberemus. Niſi adhuc altiores in Moſcis latebræ ſint, quàm quantacunq; circũſpectione veſtigare potuerim. Porrò non Moſcos, ſed ipſos Legatos Regios hactenus mea opera vſos, vt diem de die cum aliqua dignitate ducerent, donec à V. D. M. liquidiora ſubinde reſponſa accepiſſent. Sic denique eos rogans obnixè, ne tantę rei honorificum exitum impatientia deſererent, aut ſi diſcedere ſtatuiſſent, non id toties Moſcis, ſine effectu comminarentur: qui forſan ea de cauſſa ſuſpicabantur, Regijs licere aliquid, vltra id, quod obtulerant, concedere, dixerunt, meo ſeſe heri vſuros conſilio, hodieq́ue Rzouam, & arcem vnam è duabus, Neuelia, & Sauolocia Moſcis ad meum arbitrium propoſituros, ſicut & fecêre. At Moſci mirati, Rzouam ſeiungi à Zauolocia, eamq́; diuiſionẽ maiori oſtentationi tribuentes, non abnuerunt tamen, vt ſententiam meam de alterutra illarum arcium in hodiernum diem (quod Regijs Legatis à me petentibus feci) reijcerem Moſci autem cùm mihi Inſtructionis ſuæ capita oſtendiſſent, atq; aliarum forſan mitiorum pro Rege conditionum tanquam extremã ſchedam tradidiſſent, quidquid voluerunt Legati Regis ea de re à me audire, id omne illis retuli. Schedæ verò ipſius exemplum vnà cum eius verſione mitto V. D. M. Nunc ſi à Moſcis amplius aliquid extorqueri poterit, quod ego etiam hac nocte (nulla re adhuc de ſola Veliſia Regi relinquẽda illis à me communicata) ſummo ſtudio tentaui: hodie ſciemus, ſi hodierna tantùm dies diſſoluendo conuentui reſtat, vt Legati Regis dixerunt. Qui ſi ob vnam arcem vel Nouogardiam Liuonicam Moſco, vel Veliſiam à Moſcis liberè Regi relinquendam, paci nuncium remittere cogantur: ibo, quò Sereniſſ. Rex mihi conceſsit, in Moſcouiam alijs de rebus: mihi certiſſimè perſuadens, Diuinum oculũ multò meliora, quàm nos multò antea proſpexiſſe, alterutri autem Principi (ne dicã vtriq;) ex belli continuatione, immẽſæ ſuę ſapientiæ, atque iuſtitiæ vias, facto potiùs, quàm dicto oſtenſurum. Itaq; fiat ſinceriſſimè ſola eius voluntas, & gloria.

INTEREA verò non mentiar, ſi dixero, nonnihil me ęgrè ſenſiſſe variationes iſtas, quas etiam Moſci poſsint vereri, habere ſpeciem licitationis. Sed vt iſta minimi momenti ſunt, niſi cauſſa Reip. non mediocriter lædatur, facilè fero, & feram omnia. Vtinam verò fuiſſet hic V. D. M. vnica die: pacẽ habuiſſemus. Ac tamen ſiue hoc, ſiue alio tempore (quidquid Satanas ſanguinis humani ſitiat, & oblatam Regi præclariſsimam occaſionem bene merendi, ſuosq́ue cum ipſa Repub. promouendi ad multò maiora, inuideat) non deſinam ſperare meliora: licèt intereà videam, pro vna arce, quæ alterutri negatur, plures indies in Liuonia cadere in alienas manus: reliquis autem conſilijs non defuturas graues difficultates.

Quod ſi pax componi hodie aut cras poſſet, duo mihi venerant in mentem, alterum vt elimandam pacis cõditionum, quę ſcripto prodire debent, formulam V. D. M. proponeremus, ne quid in ipſo rerum exitu moræ interponeretur. Quam quidem formulam cum Regijs Legatis tentaui conferre, ſed mirum diſcedendi deſideriũ oſtenderunt. Quamobrem vt debito meæ conſcientiæ ſatisfaciam, eam mitto V. M.tiæ cùm antequam cum Legatis conuenturus ſim, dixerit mihi D. Palatinus, vt V. M. ſcriberem, ad quem puer confeſtim approperet. Alterum autem eſt de D. Varſeuicio à V. M.tia ad Sereniſſ. Reginam mittendo, qui illam faciat certiorem, quanta à Sereniſſ. Rege in hoc conuentu ratio habita ſit Sereniſſ. Sueciæ Regis, atque eam animaret ad ſcribendum de tota re Sereniſſ. Sueciæ Reginæ, tum nomini item Ser. Regis noſtri conſuleret. Sed & eidem D. Varſeuicio, vt poſt Suetica iſta negocia maturius à Rege, ac Senatu tractata, forſan erit in Sueciam traijciendũ: quod aliquam gratiã & auctoritatem eo ab Rege, non incommodam celeriori expeditioni, conciliaret.

SIN autẽ pacem haud aſſecuti fuerimus, videat, ſi quid mihi in itinere ſcribere voluerit, in quo meæ fidei ſatis probatæ nunquam deero, tùm erga Regem Sereniſſ. tũ certè erga V. D. M. cui fauſtiſsima futuri anni initia, & progreſſus exopto. Ex Kiueroua Horca, die XXVI. Decembris, 1581.

IOANNI ZAMOSCIO,

Antonius Poſſeuinus.

QVOD mihi in ſcribendis alijs exciderat hoc erat. Moſci, cùm heri ad multam noctem à me ſæpiſsimè, quod anteà fecerant, petijſſent, vt ſi nulla pacis alia ratio eſſet, decem dies, de quibus anteà V. Magnificentiæ ſcripſi, aſſequi poſſent, vt ad Magnum Ducem reſcribere poſſent, ac reſponſum habere: cumq́; eam ſpem prorſus illis ademiſſem, quin verò item adieciſſem, paratos eſſe equites, qui eos craſtina die reducant in Moſcouiam, ſæpe ingemiſcentes, ſe Deum teſtari dixerunt, per ſe non ſtare, quin plus quàm æquis conditionibus pax coiuiſſet: ſperare ſe, eiuſdẽ patrocinio Virginis Mariæ, ob cuius honorem, & templũ ipſam tantùm in Liuonia Nouogardiam Liuonicam peterent, Deum non minus pro Moſcis pugnaturum, quàm ex arce Petzuri fecerat, vbi eadem B.ma Virgo magna habetur in veneratione. Doluiſſe autẽ vehe-

menter, Magnũ eorum Dominum, quòd Derpatum ſibi eſſet reſtituendum, in quo cùm cultum Diuinum inſtituiſſet, Vladicam, Poppos, & Archipoppos conſtituiſſet, videbat fore, vt ſtatim Lutherani, & alij hęretici ibi pedem eſſent fixuri: & templa, piasq́ue imagines, vt paſsim fecerant, demoliturі. Verũtamen, ne ſanguis Chriſtianus funderetur, ceſsiſſe Magnum Dominum ei deſiderio: ſed Deum iuſtum Iudicem, qui aufert, & ſtatuit Regna, eſſe iſta vlturum, in quem cauſſam ſuam omnino reiecerant: cùm tandem non minus futurus eſſet in armis Magnus Dux, quàm Stephanus Rex fuiſſet. Reſpondi, Stephanum Regem, & V. D. M. plurimosq́ue Polonos eſſe Catholicos, ſtare ſententiam Regni, ne quid eiuſmodi aduerſus templa Sanctorumq́ue debitam venerationem conſequatur, ſed rectiorem adhuc cultum, id eſt, Catholicum in Liuonia eſſe ſtatuendum. Quæ cùm dixiſſem, ſubijt animum meum cogitatio, nũ inter pacis conditiones ea inſerenda eſſet, tum ad indicãdam mundo Ser. Regis pietatem tum vt milites, in præſidia imponendi, ab eo cohiberentur, quod certè Chriſtianos, atq; adeò Ethnicos haud decet. Ceterum, cùm illos acriter admonerem, ne ſinerent item ipſi vnam ob arcem occaſionem ſibi adeò commodã elabi, mitius reſponderunt. Quare in negocium incumbẽdum ea ratione, qua ſcripſi omninò eſt, ac omnis cunctatio, rebus iam ſatis cõplanatis, tollenda eſt.

IOANNI ZAMOSCIO

Antonius Poſſeuinus.

D. Thomas reddidit mihi litteras V. D.M. eò iucundiores, quòd intellexi Nouogardiæ Liuonicæ, cæteriſquę in arcibus non periturum cultum Deo debitum, ac B.mæ Virginis venerationem fore cordi V.D.M. cùm primùm Liuonicæ illæ arces R. Maieſt. tradentur. Ceterum de Veliſio caput meum Legatis Moſci obtuli, vt illam arcem Regi relinquerent, me inquiens, vel ipſo vitæ meæ diſcrimine Moſco purgaturũm illos, ſi quid hac in re mandatum Principis ſui prætergrederentur. Poſt multa eò ventum eſt, vt Veliſium integrũ maneat Regi: ſed, vt Sebeſium ſtet itẽ integrum Magno Duci, niſi Veliſium habeant, aut euertatur. Iam cùm ego mentem Ser.mi Regis hac de re perſpectam nonnunquam habuerim, ſpero id negociũ nobis non exhibiturum, ſi alia ſucceſſerint, vt cras fortaſsis in nomine Ieſu abſoluentur. Stet Regi Driſſa, Sebeſium Magno Duci, de quibus, Deo dante, in reditu in Moſcouiã meo agam, ſi qua ratione potuero euincere, vt viua voce, rationes illum meæ ad vtramque arcem ſolo æquandam permoueant. Quòd ſi pax fiet, illico Porcouienſis Palatinus Porcouia, & quinque alij Nouogardia magna, vnius diei, ac noctis ſpacio, accerſentur, vt arces Liuoniæ dedant, captas autem à Rege accipiant, datis à V. D.M. fidelibus viris, per quos iſta peragantur. Aiunt autem Moſci diſtare Sebeſium Driſſa centum Verſtis. Si ſtetiſſet iis Derpatum, conceſſuros fuiſſe, vt Sebeſium ſolo æquaretur. Quod ſi quid lucis amplioris ad ea, formulamq́ue conditionum, à me miſſam, à V. D. M. accepiſſem, aliqua forſan, ad expediendum celeriùs totum negocium, his litteris addere potuiſſem. Sed non dubito, quin omnia Legatis perſcripta ſint: Hoc vnum dicam, ſperare me de M.tia V. eam iuſſuram, vt maturè Coſaci, & reliqui illi ad ſanguinem fundendum proniores, ſi cibum, & alia velint, iam à pueris, & innoxijs, nec militaribus hominibus manus abſtineant: ne dum putant incutere hoſti terrorem, deſperationem inferant, læſaq́ue patientia, fiat furor. Quod ſi V M.tiæ viſum fuerit, vt hinc in caſtra nobilis aliquis Moſcus mittatur, qui, poſt iuramento Legatorum ſancitam pacem, Pleſcouienſem Palatinum de tota re, euocato ex ipſa ciuitate aliquo, coram V.D.M certiorem faciat, id forſan rationibus ipſius exercitus non erit incommodum. Cùm verò Moſci inſtent, vt captiui liberaliter omnes tradantur, eaq́ue res ad me à Legatis Regijs relata adhuc habeat difficultatem, quod Moſci diſertè, ac planè in litteris velint, ſine alia dilatione fieri: videat V. D. M. quid Chriſtianam pietatem deceat. Equidem, puto, præſtaret, vt qui ſunt in caſtris captiui, vel mecum venirent, vel certè candidè efficeretur, ne aliquò ab militibus ablegarentur. Sic fideliùs cumulabit victorias Deus ijs, qui fidem ſinceriorem ſeruabunt. Ac quidem hoc anni initio conclamata pace, partium V.D. M. eſſet, vt in die Epiphaniæ iam appropinquantis, plurimi ad gratias Deo agendas, Sanctiſſimumq́ue Sacramentum ſumendum adducerentur: vt iam Polonicum Regnum, noui anni & exitus incremento, maiora benedictionum cœleſtium, percipiat incrementa. Ieſus V.D.M. cor, & dexteram Diuinis numeribus ditet. Ex Kiueroua Horca, vltima die Anni, 1581.

STEPHANO POLONIAE REGI,

Antonius Poſſeuinus.

QVAS mihi Regia Maieſt. V. Duneburgo litteras ſcripſit, eas heri accepi cùm non ita multò pòſt, alias à Magno Moſcouiæ Duce accepiſſem, quas hac nocte, ſicuti reliquas omnes, (ternas enim hic accepi) Legatis V. Maieſt. legẽdas miſi. Ex ijs autem, quarum exemplum ad V. Maieſt. mitto, cognoſcet, quantum mihi pergat Princeps ille calcar addere, vt pacis compoſitionem procurem: quæ (niſi aliud latet, quod mihi ignotum ſit) intra biduum triduumúe certis conditionibus ſtatuetur, ita vt Maieſt. V. Moſcus tota, quam habet in manibus, Liuonia cedat, Veliſiũ item relinquat, tormentorum partem ijs in arcibus quõdã de Polonis captorum reſtituat; intra octo hebdomadas arces illas omnes Liuonicas dedat, quæ in eius poteſtate ſunt; ab ipſaq; Ciuitate Derpatenſi incipiat. V. verò Maieſt. Lucum, Sauolociam, Neueliam, Chelmam, quasq́ue Pleſcouienſes arces ſuperiore anno cepit, cum ijs tormentis, quæ erant Moſci, Moſco reſtituat: exercitum Pleſcouia deducat, atque ad nouem annos pax vtrinque ſit: quamuis vt hæc ſit longior (cũ dixi, à Magno Duce litteras accepero) tentaturus ſim. Reſtat nodus de captiuis. Secus enim, quàm in caſtris ſtatutum fuerat, nobiſq́ue V. Maieſt. dictauerat, Legati Regij dicunt fieri (nouo mandato accepto) oportere. Hodie verò altera, in Legatorũ conuentu, Plenipotentia lecta eſt, quam Moſcus miſit: admonitus, primam inualidam eſſe. Miſſum eſt enim hinc ad ipſum Plenipotentiæ V. Maieſt exemplum, quod ego tradideram Moſcis. Cùm verò ex aliarum litterarum exemplo, quas mihi Moſcus paucos ante dies miſit, ſit adhuc V. Maieſt. planius intellectura, quod ipſi ex Biſcouicio ſcripſeram, propterea non eſt, quod longius reſpõdeam litteris V. Maieſt. quibus dignatur me vrgere, vt curem à Moſco, quidquid habet in Liuonia, liberè tradi. Exemplum verò nouiſsimæ Plenipotentiæ, quam Moſcus miſit, niſi Magnifici Cancellarij puer, qui in Caſtra approperat, poterit expectare, per alterum iſthuc rectà venturum confeſtim, Deo iuuante, mittam. Nunc, quod ad ipſam tantæ victoriæ abſolutionem ſpectat, fortiſsimo, & Chriſtiano Regi fidenter proponã. Derpatum primaria ciuitatum Epiſcopalium eſt, quam Deus V. Maieſt. tradidit, earum inquam, quæ nunquam in Regũ Poloniæ poteſtate fuerunt. In ea iam intellexi, quodnam V.M.tis conſilium fuit; quasq́ue litteras ad Pont. Max. ſcripſit: quidq́ue mihi identidem dicere dignata eſt, cũ & Epiſcopum Catholicum, & Collegium, atque eius generis pleraque omnia Derpati, & alibi ſtatuiſſet imponi. Id igitur eo erit faciliùs V. Maieſt. quod, è quibus reditibus Vladica, Poppi, atq; Archipoppi à Moſco attributis alebantur, ex ijs, cùm illi nũc reuocentur in Moſcouiam, Diuinus cultus ritè reſtitui poterit. Verùm quoniã N. hæretico ad ſua redeũte, nouit Maieſt. V. quãtum non alteri modo Collegio noſtro, ſed vniuerſæ Catholicæ religioni impedimenti illatum ſit: obſecro V. Maieſt. per miſericordiam Chriſti, per quem Reges regnant, vt cùm ſincerum, neque nutantem Catholicum toti Liuoniæ præfecerit, tùm arcibus eos præficiat, à quibus nomen, Eccleſiaq́ue Dei non blaſphemetur. At verò Derpati nemo (quod ſciam) aptior videretur, quàm D. Zebridouius, qui ſexennium, magno animo, magnis ſumptibus, ſumma fide Catholica V. Maieſt. inſeruiuit, pręter eius patris antiquiora erga Rẽp. merita. Quẽ Zebridouium etſi in caſtris noueram, quòd Lublini Collegium de Societate noſtra cùm inſtituiſſet, in ipſa pene acie diligentiſſimè me vrgebat, vt in eam vineã ſatis incultam operarios quàm primùm mitti curarẽ: interius tamẽ eius pietatem cognoui, cùm mihi adhibitus eſt in hoc itinere comes, & dux; tempore autem huius conuentus fidiſſimam Reip. ac verè Chriſtianam operam præſtitit. Hunc ergo de Chriſtiana nota V. Maieſt. commendo, teſtatus Deum, neminem hac de re mecum eſſe locutum, priuſquam me rem Deo commendante, id mihi ipſi veniſſet in mẽtem. Quod ſi V. Maieſt. id effecerit, paxq́ue hæc videbitur non infirmis fundamentis niti, audebo in reditu ex Moſcouia meo, rogare V. M.tem R. vt Ill.mum D. Andreã Batoriũ paret ad eam vel legationem, vel miſſionem, quã in caſtris V. Maieſt. ſcripto, ac voce, ppoſui. Id enim quantæ Dei gloriæ, dignitatiq́; Ill.mi illius Principis, & Liuoniæ firmitati futurũ ſit, non dubito, quin optimè V.M. intelligat. Quam hoc noui anni initio, omnibus Diuinæ ſapientiæ donis augeri percupio, atq; à Deo contendo. Ex Kiueroua Horca die S. Epiphaniæ aduesperaſcente.

1582.

ACTA

ACTA IN CONVENTU LEGATORVM SER.mi POLONIAE REGIS STEPHANI, HVIVS NOMINIS PRIMI, ET IOANNIS BASILII, MAGNI MOSCOVIAE DVCIS, PRAESENTE

Antonio Possеuino, de Societate IESV, nomine Gregorij XIII. Pont. Max. M. D. LXXXI. Mense Decembri, in Chiueroua Horca, ad Iamum Zapolsciæ, in Moscouia.

CVM Antonius Posseuinus cum Stephano Poloniæ Rege, & Magno Moscouiæ Duce egisset, de mittendis aliquem ad locum Legatis, de pace tractanda, delectus est à Magno Duce Iamus in Zapolscia pagus, Velicoluco viginti milliaribus Germanicis, totidem à Plescouia distans. Qui pagus cùm à Cosacis militibus Regis fuisset anteà combustus, alter pagus habendo Conuentui delectus est, duobus inde miliarib⁹ Germanicis, propior Porcouiam, inter Paderouicium, atq; zapolsciam, vocatus ab incolis Chiueroua Horca, quæ postrema vox monticulum, sicut altera, id est, Chiueroua Nobilis cuiusdam familiam designat.

AD eundem locum in hospitium Antonij Posseuini conuenère vtriusque Principis Legati, die XIII. Decembris M.D. LXXXI. qui dies B. Luciæ Virgini, & Martyri est sacer.

LEGATORVM Regiorum nomina fuère Ianusius Nicolai Sbaraski Palatinus Braslauiensis, Albertus Radiuilius Dux in Olika, & Niesvviz, Curiæ Regis in Lituania Marssalcus, & Capitaneus Caunensis, vterque Catholicus, prętereà Michael Haraburda Regi⁹ Secretarius, Ruthenę fidei, si fides dicenda sit, quæ à fide Catholica aliena est. Hic autem sæpè Legatione ad Moscos, & nonnunquam ad Tartaros functus, valebat vsu rerum, filiumque Collegio nostræ Societatis, quod est Vilnę, tradiderat instituendum. Accedebat Christophorus Varsauicius, quem Antonius Posseuinus procurauerat à Rege ad conuentum mitti, tum vt Summo Pontifici satisfieret, cupienti, vt in ea pacis tractatione Sueciæ Regis ratio haberetur: tum, vt idem Christophorus tota re cognita, si deinde appetente Vere in Sueciam mitteretur, de Liuonicis arcibus, eo cum Rege, nomine Poloniæ Regis, acturus, non solùm ea componeret, quæ inter Reges illos controuertuntur, verùm etiam Catholicæ religionis negocium promoueret vir nobilis, & Catholicus; ac tum ab Antonio Posseuino de toto hoc Suetico religionis negocio diligenter edoctus, tùm à Stanislao Varseuicio de Societate IESV, apud Sueciæ Reginam iam biennium commorante, eiusdem autem Christophori fratre, docendus.

MOSCI autem Legatorum nomina fuère, Dux Demetrius Petri Ieletski, Pręfectus Casinensis, & aulicus Magni Ducis; Romanus Basilij Olpherius, Præfectus Coselnensis, & aulicus Magni Ducis, ac frater Michaelis Begini; Mikita Basonka, filius Nicephori Veresczahina, Basonka, Basenka, Secretarius Mosci, quem illi Notarium vocant; Zacharias Suiaseua, Vicenotarius.

FECERAT Sacrum Antonius Posseuinus, atq; aliquos de suo comitatu Sanctissima Eucharistia pauerat, cùm illicò vtriq; Legati ad eum venère: quibus consedentibus, & altero è duobus interpretibus, quos secum ille in Moscouiam adduxerat, stante, pauca præfatus Antonius de sinceritate, qua in tanto negocio esset agendum, quamque simplici oculo in ipsum Christum esset inspiciendum, qui est vera pax nostra, Plenipotentiam vtriusq; Legationis, siue mandata, quæ vocant, Procurationis depromi, ac legi fecit. Primi Mosci suam legerũt, cuius verba sunt hæc.

PLENIPOTENTIA LEGATORUM Mosci, quæ Ruthenicè, id est, Moscouiticè fuit scripta.

DIVINA misericordia & clementia, quæ nos præfecit in Oriente ex altissimis, quæq; dirigit pedes nostros in viam pacis. Huius ergo Dei nostri in Trinitate adorandi clementia, Nos Magnus Dominus Czarius (siue Rex, aut Imperator) ac Magnus Dux Ioannes Basilij totius Russię, Volodimeriæ, Moscouię, Nouogardiæ, Imperator Casani, & Imperator Astracani, Dominus Plescouiæ, & Magnus Dux Smolenscij, Tuerię, Permiæ, Viatciæ, Bulgariæ, & aliorum locorum, ac Dominus hæreditarius terræ Liuonię, Stephano Dei gratia, Regi Poloniæ, ac Magno Duci Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Samogitiæ, Masouiæ, Principi Transsyluanię, & aliorum locorum, misimus Legatos nostros Magnos, aulicum nostrum, & Præfectum Casinensem Ducẽ Demetrium Petri Ieletzki, aulicum nostrũ & Pręfectum Coselnensem Romanum Basilij Olpherium, & Notarium nostrum Mikitam Basenka, filium Nicephori Vereczahina, & Vicenotarium nostrum Zachariam Suiaseua, ad conuentum pacis statuendæ gratia, cum Legatis tuis loqui. Et quæcunque illi incipient de rebus nostris dicere cum tuis Legatis in conuentu, eæ res nostræ sunt. Scriptum in Dominio nostro, in aula Slobodæ arcis, Anno à creato mundo Septimo millesimo, Nongentesimo, Mense Nouembri, Indictione Decima, Dominij nostri 47. & imperiorum nostrorũ Rosensis 35. Casanensis 29. Astracanẽsis 28.

CVM hæc Plenipotentia fuisset perlecta, visa est infirma, nec sine iusta suspicione fuere Legati Regij, qui propterea, quas Moscus ad Poloniæ Regem in castra per Zachariam Boltinum literas miserat, legi iusserunt. His significabatur, non defuturum Moscum, quin Legatos, cũ integra potestate omnia transigendi, quemadmodùm de Mosco Antonius Posseuinus quæsiuerat, esset missurus. Tum Antoni⁹ litteras item, quas tum per eundem Boltinum, tum per Andream Apollonium Moscus ea de re sibi scripserat, cùm legi iussisset, eodem illæ tenore, quo Regiæ, inuentæ sunt. Prętereà, quò Plenipotentiæ Mosci infirmitas dilucidiùs agnosceretur, Plenipotentia Regis à Michaele Haraburda perlecta est, cuius verba hæc sunt.

PLENIPOTENTIA REGIS POLONIÆ, quæ Polonicè fuit scripta, vtroque signo Poloniæ Regni, & Lituaniæ Ducatus, obsignata.

NOS Magnus Dominus Stephanus, DEI gratia Rex Polonię, Magnus Dux Lituanię, Russię, Prussię, Samogitię, Masouiæ, Liuonię, Princeps Transsyluaniæ, & aliorum locorum. Notum facimus, his litteris, Magnum Dominum Ioannem Basilij, Dei gratia Dominum Russiæ, & Magnum Ducem Volodimerię, Moscouiæ, Nouogardiæ, Casani, Astracani, Plescouię, Tuerię, Iuerię, Permię, Viatcię, Bulgariæ, & aliorum locorum scripsisse nobis per tabellarium suum Zachariam Boltinum, significando, à Legato Sanctissimi Pastoris Gregorij xiij. Pontificis Max. Romani, Reuerendo Antonio Posseuino scriptum ad se nomine Domini sui, hortante Sanctissimę Apostolicę ac pastoralis Sedis auctoritate ad concordiam & pacificationem inter vtrumque nostrum; vtque ex vtraque parte Legatos vnũ ad locum mitteremus, qui, eodem Summi Pontificis Legato pręsente, pacem inter nos possint constituere. Iuxta quas Legati Pontificis literas, Magnus Dux Legatos suos ad locum certum mittit inter Porcouiam, & Sauolociam, via Velicolucensi à Porcouia ad Iamum Zapolscię. Ideò & nos, sanguinis Christiani effusionẽ nolentes videre, misimus ad eundem locũ Iamũ Zapolscię Legatos nostros, Palatinũ Braslauiẽsem, Capitaneum Kremenecẽsem, & Pinscensem, Ducẽ Ianusium Nicolai Sbaraski; & Marssalcum nostrum aulę Magni Ducatus Lituanię, Capitaneum Caunensem, Dominum Albertum Radiuilium, Ducem in Olika, & in Niesvviz; & Notarium nostrum Magni Ducatus Lituanię Michaelem Haraburdam. Ac dedimus illis & his litteris nostris plenipotentiam, vt conuenientes cum Legatis Magni Ducis Moscouię, inter nos, & Magnum Ducem Moscouię, & Dominia nostra de amicitia & concordia colloquantur, & res constitutas litteris, ac iuramẽtis suis coram Legato Reuerendo Posseuino confirment, & ad effectum, certamque confectionem, & constitutionem suam adducant. Quę omnia sumus admissuri, contentiq; futuri, & inuiolabiliter pręstituri, queadmodùm iuxta Senatorum nostrorum consilium, qui eo tempore apud nos fuerunt, Regni Polonię, ac Magni Ducat⁹ Lituanię, verbo nostro Regio pollicemur, & promittimus etiam pro Successoribus nostris in istis Dominijs, totaque Repub. hęc omnia iuxta constitutionem, & litteras Legatorum nostrorum firmè, inuiolabiliterq; nos pręstituros. Cùm autem ad nos Magnus Moscouię Dux Legatos suos allegabit, tum nos Legatorum nostrorum litteris nomen nostrum Regium adscribere, ac signo nostro obsignare, Regioque iureiurãdo confirmare, easdemq; litteras cum ijsdem Legatis ad magnũ Moscouiæ Ducem remittere debemus. Eodem modo erga nos, & Successores nostros, atque erga nostra Dominia Magnus Moscouię Dux, successores, atque illius Dominia se gerere debẽt. Propterea memoratis Legatis nostris hasce litteras nostras manu Regia nostra subscriptas, & obsignatas Sigillis nostris Maiestatis Regni Polonię, & Magni ducatus Lituanię dedimus. Datum in castris nostris ad Plescouiam, Anno Domini 1581. mensis Nouembris die XXX. Regni verò nostri anno Sexto.

QVAE omnia cùm essent perlecta, Legati Regij acriùs vrgebant, vt Mosci pleniora mandata depromerent, ac scirent, sese super fundamẽto tam infirmo reliquam tractationem non extructuros: atque ad id Instructionis suę caput ea de re adhuc perlegerunt. Mosci autem excusare se, quòd is Magnorum Moscouię Ducum scribendarum Plenipotẽtiarum mos semper fuerit: quòdque litteris Magni Ducis ad Regem, & ad

& ad'Antonium Poſſeuinum ſcriptis ſatis intelligi poterat, ſibi plenam poteſtatem ad omnia conficienda tributã fuiſſe. Addidere, cùm res ipſæ. de quibus eſſet agendũ, ſtatim eſſent ad effectum adducendæ, fruſtra Regios de plenipotentiæ verbis queri, quam re ipſa, & facto ipſi Moſci eſſent præſtituri.

C V M lites ex litibus ſererentur, nec præsẽs aliquod remedium cerneretur, Antonius Poſſeuinus Regios monuit, vt ea de re proteſtationem facerent; ſic enim ſe eam eſſe admiſſurum. Deinde vt in diem ſequentẽ quæſtio illa ſic differretur, vt tamen nocte ea, quæ primæ diei Seſſionem conſequebatur, vtriq; Legati ſuarum Plenipotentiarũ exempla confeſtim ad ſe mitterẽt; ſe Deo re cõmendanda, Moſcis priuatim alloquendis, ſi quam alterã Plenipotentiã haberent, examinandiſque ipſarum Plenipotentiarum exemplis impenſurum. Quòd cùm factum eſſet, neque Moſci aliam haberent Plenipotentiam, die ſequenti Legatis vtriſque ſic locutus eſt.

DIE XIIII. DECEMBRIS SEcunda Legatorum ſeßio.

QVANDOQVIDEM Moſci Legati nullam ſe aliam habere Plenipotentiam dicunt, nec credendum ſit, Magnum Ducem non agere ſincerè, quippe qui ſciat fore, vt vniuerſus hic tractationis contextus Deo, ac Chriſtianis omnibus innoteſcat: dicant, num iurabunt, ſcire ſeſe alias Plenipotentiarum formulas hiſce de rebus à Magnis Moſcouiæ Ducibus ſcribi ſolitas eſſe. Cumq; ab extremo, qui erat Zacharias Vicenotarius, fuiſſet interrogationem orſus, ſe ille iuraturum reſpondit; qui cùm Acta Moſci Secretariæ ad centum annos legiſſet, nunquam ſe alias formulas legiſſe dixit. Quod cúm poſteà ſingillatim reliqui aſſererent, adiecit Romanus Baſilij, ſe ante XX. annos ad Sigiſmundum Auguſtũ Regem Internuncium veniſſe, pacẽque quinquennij deinde (eiuſmodi litteris patentibus à Moſco Magnis Legatis traditis) fuiſſe conſecutam. Quærenti autem Antonio de Michaele Haraburda, num aliquam earum formularum, vel litterarum vnquam vidiſſet (expediuiſſe enim, vt eiuſmodi aliquid Magni Ducatus Lituaniæ Secretarius ſecum attuliſſet) cùm Haraburda reſpõdiſſet, nunquam talibus tractationibus, qualis erat hæc, ſe interfuiſſe, nec proinde Plenipotẽtias vidiſſe: interrogauit Regios Antonius, numquid aliud vellent dicere, antequam, ipſe, quid ſentiret, exponeret. Perſtare ſe quidem in incepto dixerunt, ſed auctoritate Pontificis Max. moueri, vt & tractationem inchoarẽt, ac verò poteſtarẽtur, ſe priùs hinc non eſſe diſceſſuros, quàm res ipſæ, quas Moſci eſſent præſtituri, efficerentur. Antonius autem, Cùm, inquit, nihil alterutri parti ex hac tractatione pereat, q̃ ſi in rem conferatur, maxima bona paritura ſit; ſin dolo malo fiat, in eos perpetuo cũ dedecore ſit caſura, qui erunt in noxa: ac proinde alterutrius Principis ſinceriorem agendi rationem maximè ſit roboratura, ad rem ipſam iudico eſſe veniẽdum, ſic, ne ipſa actio iuri alicuius Regiorum Legatorum (quod ad Plenipotẽtiam attinet) poſſit eſſe damno. Intereà verò Legati Moſci ſciant à Chriſtianis alijs Principibus nullas eiuſmodi formulas Plenipotentiarum ſolitas eſſe conſcribi. Tùm conuerſus ad Legatos Regios, cùm eos admonuiſſet, vt cogitarent, num cùm in Iamo Zapolſciȩ pacis iſta tractatio haud fiebat, præbitura fuiſſet alicuius turbationis materiam; alterq́; ex Legatis Albertus Radiuilius reſpondiſſet, nihil inde oriri poſſe quæſtionis, quin & eodem in pago Iamo pacem poſſe confici, aut promulgari dixiſſet, perrexit Antonius: Quando ad victores pertinet legem victis imponere, poterunt Regij Legati cõditiones pacis, quam Moſci iam tertio per tres Legationes petierunt, primò proponere. Ad ea Palatinus Braslauienſis (gratijs actis Summo Pontifici, atque Antonio, quem eius Sanctitas miſerat, quòd laborem hunc pacificandi vtriuſque Principis tàm paternum ſuſcepiſſet) Liuoniam totam, eam ſcilicet, quȩ in manu eſſet Moſci, diſertè, & grauiter petijt, quæ niſi concederetur, neutiquam ſe progreſſuros, nec adeò reliquæ tractationi interfuturos.

C V M Moſci nimium hoc eſſe dicerent, multaq́ue interſererent, quibus Regijs perſuaderent, ne ſanguis funderetur, & fieret æqualitas, ſi vellent, vt vera pax, fraternitaſq́ue conſequeretur: ad earum autem Liuoniæ Arcium numerum, quas per Antonium Poſſeuinum ſe traditurum Magnus Dux tres ante mẽſes promiſerat, Gouiam addidiſſent: ad eaq́ue omnia rurſus Palatinus commodè reſpondiſſet: Legati Moſci vrſerunt, vt Regij item dicerent, ecquid ſeſe Magno Duci daturos haberent in mandatis. Moſcum enim petere Pleſcouienſes Arces, ac reliquas, quæ ſuperioribus annis à Stephano Rege fuerãt captæ, Lucũ, Veliſiam, Sauolociam, Neueliam, Chelmam, & ſi quæ eſſent eiuſmodi aliæ.

R E G I I ſe multum dare dixerũt, qui certam ſpem Pleſcouiæ, ac Nouogardiæ potiundȩ eſſent relicturi: qui 40. milliaria ditionis Moſci, quam hoc anno occupaſſent, in ditionẽ Magni Moſcouiæ Ducis redire permitterent: qui victorem eſſent exercitum deducturi: qui tot ſumptus feciſſent,

cùm

cùm Moſcus, quæ per ſuos Legatos Vilnæ promiſiſſet, non præſtiterit, ac tamen ipſi Quatuor arces Pleſcouienſes ſe Moſco reſtituturos pollicerentur.

C O N T R A Moſci, niſi de reliquis arcibus in Liuonia Moſco relinquẽdis agatur, nihil effici poſſe: tot Liuoniæ arces non parum conſtitiſſe Magno Duci, vt gratis eas dedat: Pleſcouiam ita eſſe munitam, vti Regij erant experti, qui ſi arces illas alias expugnaſſent, iſtam nondum cepiſſe, nec adeò poſthac (vt neque aliâs) expugnaturos. Quæ cùm varijs colloquijs totam penè diẽ vſq; ad noctẽ adduxiſſent, inſtarent autem Regij, vt Antonius illos prorſus in caſtra, vel ad Regem vellet dimittere, poſt quàm Moſci de Liuonia tradẽda nihil certi aperirent: id verò quoq; ſtudio Regij facerent, vt negocium citiùs conficeretur, ſe quidem (ait Antonius) illos nocte dimittere, verùm ita, vt omninò poſtridiè manè redirent, quemadmodùm factum eſt.

DIEI XV. DECEMBRIS SESſio Legatorum tertia.

CVM Regij Legati ex eo Zapolſciæ pago aduenissent, in quo duobus circiter Leucis à Chiueroua Horca commorabantur, Moſci item ſtatim, quia in Chiueroua manebant, adfuiſſent, tota penè dies tribus capitibus rerum agitandis inſumpta eſt. Propoſuère non ſine querela Regij, Moſcos tempus eximere, ne Liuoniam totam traderent. Adiecerunt petere ſe, vt Magnus Dux titulo, iureq; Liuoniæ cederet: denique, vt Sueciæ Rex inter pacis conditiones adnumeraretur. Tùm dixerunt, ſe præter eà, quæ de Pleſcouiẽſibus arcibus, Moſciq́; ditione hoc anno occupata promiſiſſent, Chelmam item arcẽ, ſuperiore anno captam, reddituros, ſatis autem multũ hoc eſſe, cùm Regi Poloniæ plures Liuoniȩ arces, quas alij cepiſſent, iſta Magni Ducis cunctatione, deceſsiſſent. Ceterùm habere ſe in mandatis à Rege, vt quàm citiſsimè tractationem iſtam abſoluant: ſe Antonio Poſſeuino proteſtari, diuturniores moras pati non poſſe, quibus etiam omninò vltra triduum, vel quatriduum eo in loco non ſit commorandum.

A D ea Legati Magni Ducis cùm pleraque reſpondiſſent, quæ ſuperioribus dieb⁹ de æquitate ſeruanda, de elatione animi vitanda, deque ſanguinis effuſione declinanda dixiſſent, quodq́; Regij viſuri deniq; eſſent, ſuper quos tantus ſanguis eſſet caſurus. De Sueciæ autem Rege ſe nihil habere in mandatis, quod agerent; cum, ſi velit ad Magnum Ducem mittere de pace Legatos, non fruſtrà miſſurum. Haraburda autem, qui vnà cum Hornoſtaio quódam in Legatione ad Magnũ Ducem iuerat, cũ nil præter illa, quæ habuiſſet in mãdatis egiſſet; cogitandũ eſſe ſibi quoq; Magni Ducis Legatis, intra fines muneris ſibi præſcripti manendum, Liuoniæ igitur arces Regijs promiſerunt, Pernauiam, Paidanũ, Korſtinum, Hunteсz, kurslouum, Porcholiam.

S E D cũ Regij totius Liuoniæ reſtitutionem, tituliq́; & iuris ipſius ceſsionẽ iterum vrgerent, Antonius Poſſeuinus, qui anteà nouerat, Legatis Regijs eam nõ fuiſſe pleniſsimã facultatẽ traditam, de arcibus à Rege captis reſtituendis, quȩ videbatur fuiſſe peropportuna, quãq́; Antonius, antequã è caſtris diſcederet, à Rege petierat; vtriſque aũt Legatis de Sueciæ Rege, ac de iuris & tituli Liuoniæ ceſsione, ſuæ eſſent rationes, precatus Legatos per Chriſti ſanguinẽ, perq́ue id, ꝗ erga Sanctam Apoſtolicã Sedem obſequium oſtendebant, vt in tanta re nihil præcipitis deliberationis adhiberetur: petijt, num tantiſper ijs de rebus ſibi cogitare liceret, dum ad rem aptiùs, atq; ad pacis ſolidioris cõpoſitionem expeditiùs poſſet reſpondere. Cui cũ annuiſſent, tum ille, craſtina dies Seſsione vacabit. De Liuonia verò tota reddenda, cùm Magni Ducis Legati iam ſex alias arces obtulerint, dicant autem Regij, nil ſe aliud dicturos, niſi arces reliquas tradant; cũq́; vtriq; non ſatis ſe aperiant: ſuas excutiant Inſtructiones, & videant, quid, & quantum poſsint præſtare, vt ad ſequentem ſeſsionem parati, ac ſine vlla tergiuerſatione ab eo, quod æquiſsimum eſt, accedant.

D I S C E D E N T I B V S Regijs, cùm Magni Ducis Legati ad multã noctem (quod ſæpè faciebant) apud Antoniũ manſiſſent, deq́; Liuonia quid in mandatis haberent, liquidiùs, ac fidenter ei roganti (quantum ad pacẽ citiùs faciendã expediret) aperuiſſent, data ei facultate, vt ad Ioannẽ Zamoſcium Regni Poloniæ ſupremum Cancellarium, & generalẽ Capitaneum de tota re citatis equis perſcriberet, cui integerrimã rei conficiendæ poteſtatem Rex tradidiſſet, miſſæ eâdem nocte literæ ſunt in caſtra: ad quas cũ tardiùs reſponſum perueniſſet (quatriduum enim effluxit) multum fuit Antonio, quod ageret in eximenda Moſcis ſuſpicione de Regijs, hiſq́ue vix excuſandis, quòd qui ſcripto pleniſsimam ſe poteſtatem ad omnia habere dixiſſent, inde plenior Moſcorum eſſe illa videretur, quæ paucioribus verbis eſſet compræhenſa. Biduo itaque dilato, cùm Regios monuiſſet Antonius, vt colloquio intereſſent, in quo ſaltem de Rege Sueciæ agi poſſet, die *14.* omnes apud eundem de more conuenerunt.

DIEI XVIII. DECEMbris Seſsio quarta.

ANTONIVS Poſſeuinus, cui à Legatis ad cogitandum delata res erat, fateri ſe, inquit, maioris id eſſe momenti, quàm fortaſſe putaretur, quòd de Sueciæ Rege, deq; ceſsione tituli, iuriſq; Liuoniæ petebatur à Regijs. Et à Pontifice quidem Max. ſe habuiſſe in mandatis, vt ea de re Sueciæ Regis, tanquam Sanctæ Sedis amici, ageret: quod quidem Stariciæ cum Magno Duce tàm eius Sanctit. quàm Stephani Regis nomine quinquies diligenter egiſſet, nec Magno Duci diſplicuiſſe, vt in Sueciam (quemadmodum fecerat) literas de tota re mitteret. Nūc videri ſibi Stephanum Regem nulla ratione poſſe iſtud officium pro affine, ac fratre ſuo deſerere; cùm etiam occaſionibus futuri belli præcidendis, valdè id eſſet commodaturum. Proinde ſi quid Magni Ducis Legati haberent, quod reſponderent, ſe, priuſquam aliud aliquid diceret, libenter auditurum.

MOSCI reſponderunt, ſe nihil (vt dixerant) à magno Duce ea de re in mandatis habuiſſe, id autem per Legatos Suecos agi poſſe: quærere verò ſe de Regijs, num haberent à Sueciç Rege Plenipotentiam vllam. Quòd cùm negaſſent, Quid (aiunt) igitur vultis agi de negocio hoc, in quo etiāſi nobis aliquid agere licuiſſet, nihil tamen ſolidi confici poſſet, præſertim quòd & alia inter noſtrum magnum Dominum, ac Sueciç Regem controuertuntur? Nam præter Liuoniæ arces, Coreliamq;, & Iuanohorod, Iamam, ac forſan alia, hoc biennio occupauit. Tùm Antonius Regiorum erga Sueciç Regem ſtudio commendato, Moſcorum item reſponſo audito, cui nō facilè poterát Regij reſpondere, id vnum reſtare dixit, vt tempus ſaltē intercederet, quo inter Sueciæ Regē, & magnum Ducem per Legatos (ſi ij noluiſsēt) inuicē agi de tota re poſſet. Cùm verò Moſci ad ea nihil reſpondiſſent, quippè quibus neque hoc fuiſſet à magno Duce mandatum, ad alia vt progreſſus fieret (ijs modò negocijs omiſsis) vnanimes omnes Legati conſenſerunt. Atq; eò magis Regij, quod in mandatis habuerant, ne ſi Suecus excluderetur, propterea à pace facienda deſiſterent. Cùm verò de titulo & iure Liuoniæ tradendo, Moſci Legati dicerent, ſe nihil prorſus habere, quod agerent; nec videri æquum, vt ex Liuonia prorſus eorum Princeps eijceretur; nec dū verò è caſtris aduenißent à Zamoſcio literæ, quas Antonius, Legatique Regij expectabant, vt de primario negocio aliquid ſtatuerent, finis ei Seſsioni impoſitus eſt.

DIEI XX. DECEMBRIS V. Seſsio.

CVM poſt ſuperiorem Seſsionem, Stanislaum Zolkeuium Palatini Belzenſis filium, & conſanguineum ſuum Zamoſcius ad Antonium cum literis credititijs miſiſſet, perque eundem ſignificaſſet, ob bonū pacis poſſe magni Ducis Legatis tradi Nouogardiam Liuonicam, duaſque alias Liuoniæ arces, quibus verſus Naruam, & mare Moſcis liber aditus pateret, dū arces à Rege captas, Velicolucum, Zauolociam, Neuelam, Veliſiam in Regis poteſtate ſinerent. Quin item Velicolucū reſtitui poſſe (niſi omninò ſecus fieri pax poſſet) dū tamen nihil in Liuonia daretur Moſcis; ſperare enim ſe, quamuis ea de re mandatum à Rege non haberet, Ordinibus tamen, ac Regi id omne probatum iri. Antonius nouo hoc conſilio non mediocriter ſolicitus fuit, tum quia Zamoſcius chirographum nullum miſerat, quo chirographo (cùm ſe rè ad Antonij fidem, atque iudicium, vt dicebat Zolkeuius, ea vel arcium in Liuonia traditio, vel reſtitutio Velicoluci referretur) aut ritè in rem cōferri negocium poſſet, vel ſi Regno Poloniæ aliquando iſtius rei reddenda ratio fuiſſet, id liquidò fieri poſſet. Quòd ſi poſteà id conſiliū aut mutatum (quod non ſemel alijs in rebus Antonius erat expertus) aut à Regijs Legatis fuiſſet non leues ob cauſas impeditum (neque enim ſibi quicquam à Rege ea de re præſcriptum eſſe dicebant) Antonius inani promiſſo lactaſſe, aut adeò decepiſſe magni Ducis Legatos videretur; quod quidem Diuino in Moſcouia cultui promouēdo admodum eſſet incommodaturum. Accedebat iterata ſæpiſsimè à Rege petitio vniuerſæ Liuoniæ, cuius ne ſpithama quidem cedere poſſet, licèt vellet. Ad quod Decreto ordinum Regni, & iureiurando Regem teneri, cùm alias, tùm diſertiſſimè Regijs Legatis identidem dictum fuit.

AC Antonius quidem à Rege, Zamoſcioque paucos ante dies per literas petierat, num ſi tota Liuonia Moſcus cedere nollet, ſibi in Moſcouiam redituro procurandum eſſet, vt magni Ducis Legati Varſauiam ad futura Martij menſis Comitia venirent: ſic enim rectiùs ab Ordinibus Regni aut ei Decreto poſſe derogari (quatenus Liuoniç nonnihil magno Duci concederetur) aut ſi è Repub. iudicaretur, vt in belli continuandi propoſito perſtaretur, tū Legati Moſci, conſenſum Regni ipſis oculis cernentes, faciliùs ad propoſitas pacis conditiones deſcenderent; hyeme interim bellici negocij inchoati perſecutionem haud eximēte. Verùm

Verùm Zamoſcius literas idibus Decembris datas, & cādem ipſa die per alterum tabellarium redditas, qua idem Zolkeuius cum breuibus illis alteris credititijs venerat è caſtris, Antonio ſcripſit, nihil opus eſſe, vt de mutando Decreto ageretur. Stare enim Regis, & Ordinum ſententiam: ſi nolit Moſcus aſſentiri toti Liuoniæ tradēdæ, rem armis eſſe decernendam. Itaque tota re cum Legatis Regijs communicata, hi iudicârunt, à ſe de Liuoniæ arcibus nihil agi, atque adeò omninò proponi debere: Legatos enim Moſci, quibus ſatis erat perſuaſum, Stephanum Regē integram Liuoniam velle, quiq; iam non minima præbuerant argumenta eius reſtituendæ, in ſpē venturos, alia quoq; magno Duci à Stephano Rege relictum iri; reſq; Regias proinde peiore eſſe in ſtatu, quā anteà. Vnde pacis cōpoſitio extrahi poſſet; præterquā quòd, cùm eas arces voce tantùm Zolkeuij Zamoſcius offerret, tutum Regijs non eſſet, vt eas nomine Regis Moſco pollicerentur. Itaque cùm Zamoſcio reſcribendum eſſe exiſtimaſſent, Antonius quoq; ſequentes literas ad eum miſit: multa, quæ maximè ad celerem, & honorificam pacis confectionē ſpectabant, ſi ad rem, non amiſſa tanta occaſione, veniretur, per eūdem Zolkeuium ſignificans, quæ literis non erant committenda. Sic igitur Seſsionis illius pars priuatæ huic tractationi, antequam Legati Moſci aduocarentur, extracta eſt.

EPISTOLA IO. ZAMOSCII, SVpremi Cancellarij Regni Poloniæ, & generalis Capitanei, ad Antonium Poſſeuinum.

QVAE D. Veſtræ de eruptione Moſcorum, deque illorum caſtigatione ſcripſi, vera ſunt. Quæ verò de indicio Petri Koltovvski verè ſcripta ſignificātur, vera vt ſint, magis opto, quàm arbitror. Nam niſi pax coibit, hoſtem ego quæram, niſi me ipſe quęſiuerit. Sed hæc ſatis. Literas D. Veſtræ ſumma celeritate mitto ad Regiā Maieſtatem. Fruſtra tamen, vt ego iudico, de cedendo aliqua Liuoniæ parte in Comitijs deliberaretur. Nemo enim patriæ benè in futurum proſpiciens, vel in Conuentu etiam ipſo Regni, de ea decedere ſuadebit; re iam ad extremum adducta, vt aut nobiſcum hoſtis pugnare neceſſe habeat, aut de hac vrbe periclitari, & vnà de tota Liuonia, occupante etiam illam altera ex parte Sueco; Album lapidem oppugnante; premente Pernauiam, & Felinum; ita vt vix illa iam Moſcus non amiſerit, ſed de Derpato ſaltem laborare videatur. Ordines verò quid? Vel ad educendum in poſterum militē plus ſumptuum impenderēt, quàm in hunc deductum iam, & in ſupplementum inde vel ad Auguſti. At quæ interim tentari poſſunt? Hoſtis verò inſtructus omni apparatu ex commercijs marinis, quā erit poſteà potentior? Audio iſtos bonos Legatos Moſcorum cunctari. Si expectant nouam informationem, iam illam habebunt per tabellarium hunc, quem eò iuſsi deduci. Quàm grauiter verò rem gerentem? Cùm diceret ire ſe Porchouiam, & inde Zapolſciam cum literis ad D. Veſtram, iam tamen tandem verſus Pleſcouiam, deflectens de itinere Porchouienſi, cùm ductores Nouogardia haberet, proceſſerat, vt octo ſaltem milliaribus à Pleſcouia abeſſet, noctuque, non die, iter faceret, & cùm in noſtros incidiſſet, & in viam Porchouiēſem reduceretur, vnum ex ſuis, dato illi equo, ſub cuius ſella ad Legatos à Principe inſutas literas habebat, fugere iuſſerit, inde etiam alios tres comites contra fidem datam fugere iuſſerit. Hæc certè inquirenda & dijudicanda diligenter erant priùs, quā ꝑ nuncio, non pro perduelle haberetur. Veruntamen apud me vel vmbra Iuris gentium plus valuit. Itaque vel adhibitis ductoribus, à me ad locum conuentus mittitur. Ex nouis iſtis literis, quas affert, & præſertim tam diligenter occultatis, credo quòd ad exitum quemuis iſti tractatus faciliùs deducentur. Apollonius iam fœliciorem quā nos vitam viuit. Scribā Ruſſicum vnum tantùm in caſtris habeo. Cōmendo me fauori D. Veſtræ. Datum ex caſtris ad Pleſcouiam, die xiij. Decembris. Anno Domini, 1581.

ALIA EPISTOLA ZAMOSCII SVpremi Cancellarij Regni Poloniæ, & generalis Capitanei ad Antonium Poſſeuinum.

MITTO ad D. Veſtram conſanguineum meum D. Stanislaum Zolkievvski, Palatini Belſenſis filium. Ex eo D. Veſtra de eo, quod à me ſcire vult, cognoſcet. Ei verò non ſolùm dicenti fidem adhibere debet, ſed etiam, ſi quæ cum illo communicabit, prorſus tacita fore pro certo confidat. Hoc illi ita prorſus futurum eſſe ſpondeo. Commendo me D. Veſtræ. Datū ex caſtris ad Pleſcouiam, die 17. Decembris. Anno 1581.

ANTONII POSSEVINI RESPONſio ad eundem Io. Zamoſcium.

HAC ipſa die binas à V. D. Mag. literas accepi, alteras ab eo, qui tabellarium ad me Magni Ducis adduxit, commoratū in itinere, ſeu alibi, integros octo dies, alteras à D. Stanislao Zolkievvski cōſanguineo V. Magnific. qui ea, quæ Legatis Regijs, ac mihi vidētur expedire, fuſiùs

referat.

referat. Ad quæ si V. Magnifi. scriptū, chirographo, signoq́; suo obsignatum, nobis miserit, progrediemur in incepto, nō sine spe perhonorificæ pacis. Sin minùs, in optimam partem accipiet, quicquid erit deliberādum à nobis, cū etiam nobis ratio reddenda sit actionum nostrarū Reipub. isti, Pontifici Max. magno ipsi Moscouiæ Duci, ceterisq́; forsan Principibus: ne quid dicā de nostro ordine, cuius tot certè pignora, & obsides habet Polonia, vt etiā ijs, eorūq́; bono nomini maximè consulendū sit.

PORRÒ scio V. Magnifi. pro sua perspicaci prudentia, optimè iam intellexisse, quantoperè expediebat, vt quā instructionem manu sua scriptam Legatis Rex pollicitus fuerat, ea vt ipsis traderetur; sic verò reliqua discuterentur, vt hoc rigidissimo tempore tanti boni confectio nulla cūctatione interturbaretur. Meam fidē probari V. Magnifi. sic gaudeo, vt sperem, nūquam illi iure improbatum iri. IESVS dexteram, & cor V. M. Illustrissimæ cœlesti præsidio muniat. Ex Kiueroua Horca, die XX. Decembris, nocte, 1581.

PORRÒ euocati ad conuentum Mosci, grauissimè conquesti sunt (id quod sæpè alijs quoq; in rebus fecerant) quòd in ipsa pacis tractatione tanquam captiui tenerentur; sanguis passim funderetur; sibi bona, hominesq́; raperentur: quodq́; magni Ducis tabellarius, qui literas ad Antoniū, & ad eos attulisset, in castra ductus: eius verò comites passim interfecti; itineris autē ductoris eorum, rustici cuiusdam, lateribus (vt solent) faces ad confessionem extorquendam admotæ fuissent: deinde, cū è castris huc ad Antonium recta à Zamoscio missus & scriberetur, & diceretur, triduum tamen apud Præfectum equitum Zebridouium valde nobilem, ac probum, & fortem Polonum, mandato Legatorum Regiorum, fuisse detentum: denique post tot dies, literas magni Ducis vix redditas esse. Itaq;, cùm nunquam se ad conuentum ex Moscouia venturos fuisse dicerent, nisi Pontificis Max. eiusq́;, quem miserat, Antonij fidei magnus Dux credidisset, cupere se aiebant potiùs discedere, quàm ista indignitate, hostilibusque modis rem ampliùs agere. Cùm autem Regij rem excusare, rationesque eas afferre incepissent, quas Zamoscius ad Antonium scripserat: Antonius, qui & tabellarium priùs interrogasset, & octiduum in itinere detentum (causa nescitur) cognouisset: videret autem, ex dilatione reddendarum literarū, cùm vel Rex, vel Moscus aliquid essent scripturi, magnum negocio conficiendo incōmodū posse creari: se iam, inquit, Legatos vtrosq; non tantū ob Pontificis Max. auctoritatē (cui quicquid se deferre sæpiùs dicebant, id quidem Deo acceptum esse, à quo eam auctoritatem accepisset) verùm in primis ob Christi sanguinem obnixè rogare, ne varijs euentibus, quos subinde Satanas esset excitaturus, rem ipsam expositam deferrent: quæ quanto magis protraheretur, tanto plus Christiani sanguinis effunderetur: porrò in se ipsum totum id, quod acciderat (si quid eiusmodi fuisset, quale Mosci dicebant) sic suscipere, vt vel cum Rege, vel cum magno Duce debitum omne officium, si necesse fuisset, in tempore esset præstiturus.

TVM pacatioribus animis ad rem ventum est, cuius ea summa fuit, Legatos Regios vnica, & extrema propositionē (vt Mosci cognoscerent, quantoperè à fundendo sanguine Rex abhorreret) è quatuor arcibus, quæ superiore biennio de Mosco fuerant captæ, vnam adhuc, quam iudicasset Antonius, sese tradituros; dùm illi tota Liuonia cederent, Sebiessumq́; arcem, Polonicæ propinquam, traderent. Cui de Sebiesso petitioni cùm se Mosci non assensuros dicerent, quòd arx ea non spectaret ad Liuoniam: cumq́; omnes arces à Rege captas repeterent, ac se quidem etiam vnam aliam Liuoniæ arcem addituros dicerent, quæ Lais vocaretur: Regij eam in manibus Sueci esse asserentes, ne verbo quidem addito, surgentes discesserunt, eiusque diei Sessio soluta est.

DIEI XXII DECEMBRIS, Sessio VI.

CVM eiusdem generis pleraque fuissent dicta, quæ superioribus diebus Legati inuicem obiecerāt; nec semel Mosci Liuoniam non à Regibus Poloniæ, sed ab Episcopis, & ordine Teutonico cepisse eorum Principem, dixissent: Regij verò (quod & Mosci faciebant) ipsam ob Sedis Apostolicæ, Pontificisque Max. reuerentiā, iam multis rebus cessisse dicerēt; Antonij iudicio se staturos, vt vna è duabus arcibus Velicoluco, & Sauolocia, adhuc magno Duci redderetur, superuenit Petronius nobilis Polonus, missus à Zamoscio ex castris, hisce cum literis, quas Antonio scribebat.

IO. ZAMOSCIVS CANCELLARIVS Regni, & Capitaneus generalis Antonio Posseuino.

ETSI iam anteà miserim ad D. Vestram Zolkeuiū, per quem illi aperui, quid id sit, q̃ in Liuonia concedi possit Mosco, & quib⁹ modis cōcedi possit: tamē posteà venit mihi in mentem scripto cōprehensum D. Vestrę mittere, quemadmodum mitto. Reliqua D. Vestra cùm ex eodem Zolkeuio, tùm verò in primis ex Dominis Legatis cognoscet. Benè valeat D. Vestra. Datum

tum ex castris ad Plescouiam, die 19. Decembris Anno Domini, 1581.

CONDITIONES PRIMAE.

SI maneat penes Regiam maiestatem Velicolucum cum arcibus Zauolocia, Neuela: siq́; Sebiessum Regi à mosco traditum fuerit, Velisiū item penes Regiā maiestatē relictū fuerit, de quo nunc moueri quæstio à Legatis mosci nō debet, cū in antecedentibus tractatibus non repetitū fuerit, sique eius rei concludendæ statim, nō mittendo pro alia informatione ad Principem suum (atq; hoc propterea, ne interim Pernauia pereat, quod D. Vestræ saltē scriptum velim) Legati Moscouitici facultatē habuerint, audebo illi cōcedere in Liuonia arces Nouogrodecā Liuonicam, Serenescum, atque etiā arcem Lais cum arcibus Ostroro, Chelm, Crasnohorodek, Voronetz, Vielia.

CONDITIONES SECVNDAE, ET vltimæ.

SI non habuerint facultatē Moscorum Legati, statim (nō mittendo pro alia instructione ad Principē suum) acceptis arcibus Nouogrodeca Liuonica, Serenesco, & Lais, cedere Regiæ Maiestati, Lucū, Zauolociam, Neuelā, Velisium; dare Sebiessum, vel saltē demoliri: neq; etiā à Reg. Maiest. illis per me concedi possunt Arces, Nouogrodeca Liuonica, Lais, & Serenescū; sed retenta tota Liuonia pro Regia Maiestate, & tradito, vel demolito Sebiesso, retētisq́; Zauolocia, Neuela, & Velisia (id q̃ Reg. Maiestas D. Vestræ, & mihi crediderat) adijciat Mosco Velicolucum ad Arces Chelmam, Ostrouiā, Crasnohorodkū, Voroneciū, Vieliam, vt hæ arces cū Velicoluco ipsi reddātur, retenta pro parte Regis omni Liuonia cū Nouogrodek, Sereneskac Lais, & supra, scriptis arcibus, Zauolocia, Neuela, Velisio, traditoq́; vel demolito Sebiesso.

QVAE conditiones, quoniam Antonio non reddebantur à Legatis Regijs, videbat ille sibi dari tempus, quo de ipsa restitutione Velicoluci, & Sauolociæ cogitaret: ij verò paratiores ad conuentum postridie redirent, perlectis ijs literis, quas ad eos idem scripserat Zamoscius.

DIE XXIII. DECEMBRIS, Sessio VII.

REDDITIS Antonio conditionibus de pace à Legatis, etsi posteà neque ad respondendum Zamoscio videbat sibi spaciū dari, quod Petrouij discessum ipso in momento temporis, quo conditiones tradiderant, vrgebant; tùm ne dies illa frustra efflueret, actum est cum Moscis, num Sebiessi (quæ in agro Polocensi arx est) restituendi, numúe permutandi cum arcibus quibusdam Liuonicis, quas Regis nomine Zamoscius offerebat, potestatē haberēt. At illi, cùm q̃ ad Sebiessum pertinet, dicerēt, denique illam se combusturos, si Stephanus Rex Drissam combureret: reliquas verò à Rege captas arces non posse non haberi: ab Antonio (comprobantibus Regijs, nec improbantibus Moscis) dicta sententia est, vt Velicolucum magno Duci redderetur, si tota ille Liuonia cederet, Sauolocia verò Regi relinqueretur. Nec penè aliud quidquā ea in sessione actum est, nisi quòd ex tribus arcibus, quas in Liuonia Regij offerebant, Serenescum dicebant esse in manu Sueci; & Michael Haraburda Moscis ostendit, quāta ex Liuonia, quā cessuri essent, commoda ad Magnum Ducem essent peruentura, si pax componeretur.

EADEM die, cùm Mosci priuatim se contentos esse Nouogradia Liuonica, & Kerepecio, si reliquæ tres arces Sauolocia, Neuelia, Velisium sibi traderentur: ac deniq; ijsdem, si tantùm Nouogardia, & Kerepecium Magno Duci relinqueretur: venit alter à Cancellario Zamoscio cum literis, ac tertijs conditionibus, quarum exemplum hoc est.

IO. ZAMOSCIVS ANTONIO Posseuino.

DE ijs rebus, de quibus ad me retulit D. Vestra per Dominum Zolkiowski, scripsi D. D. Legatis, vt cum D. Vestra communicent. Difficultatum, quæ de ijs intercesserunt, explicatio tanto magis impedita est, quòd quarundam earum Moscus in prioribus tractationibus (vt Velisij) nullam mentionem fecisset. Sed hæc pleniùs D. V. ex D. D. Legatis intelligat, quibus etiam chirographa mea, vt voluerunt, misi de ijs, quæ concedenda putaui. Commendo me amori D. V. Datum ex Castris ad Plescouiam, die 22. mensis Decembris. 1581.

CONDITIONES POSTREMAE.

AD extremum audebo & hoc, propter bonum pacis, & ne labor D. V. præsertim cùm nomine summi Pontificis susceptus sit, in irritum cadat, non dando arces Nouohorodek Liuonicā, Lais, Serenescū; sed his, & tota Liuonia retenta pro Regia Maiestate, retentoq́; Velisio, dato Regi, vel demolito Sebiesso; concedendo Velicolucū, Zauolociam, Neuelum, Chelmam, Ostrouium, Voronecium, Krasnohorodum, Vieliam, Principi Moscorum.

QVAE conditiones nisi accipiuntur, iam liquebit, Deum nobis nolle pacē hoc tempore cōcedere. Etenim q̃ ampliùs facere valeā, vel audeam, nihil prorsus (testor Deū) habeo. Nec verò tàm D. Vestræ causa, de cui⁹ optimo studio, & sinceritate & Re-

gia Maieſtas,& ego, optimè perſuaſi ſum⁹, quã vt conſcientiæ meę,pro debito meo erga Reg. Maieſtatem, & patriam ſatisfaciã; obteſtor D.V. per Deum viuum, perq; filium eius IESVM,cuius D. V. tremenda myſteria tractat,ac nomen gerit,vt ad nullas cõditiones grauiores,quæ illi cõceduntur,deſcendat, ſi leuioribus rem euincere poterit.

QVAE cùm eſſent perlectæ, re tota cum Regijs cõmunicata, iudicatũ eſt, vt quando Moſci tota Liuonia promittebant ſeſe ceſſuros, eædẽ poſtremæ cõditiones haud ſimul proponerentur. Itaque varijs de cauſis,in diem Natiuitatis Domini ſanctiſsimam, Seſsio dilata eſt.

DIE XXV. DECEMBRIS,
Seßio VIII.

CVM Antonio Moſci priuatim ſcripto ſchedulam dediſſent,qua vna Nouogardia in Liuonia, à Rege magno Duci, & vna Veliſio à magno Duce Regi relinquenda,ſe fore contentos affirmabant, Regij Rzouam vberem agrum, ad Sauolociã quódam ſpectantem, ſe Moſcis daturos adhuc vltra Velicolucum dixerunt. Quam cùm Moſci reſpondiſſent ad Zauolociam attinere; denique Regij Antonio integrum relinquerent, vtram è duabus arcibus Neuelia, & Sauolocia, Moſcis reddere voluiſſet: ei rei conſultandæ cum Moſcis,(quando Regiorum quoq; rationes audiuerat)noctis ſpacio petito,Seſsio dimiſſa eſt.Porrò eâdẽ nocte inſequenti,cũ Moſcouia ſuperueniſſet à magno Duce, maximis itineribus, tabellarius, cum reſponſo ad literas, quas Antonius ad eum è Biſcouicio paucos ante dies ſcripſerat ; Moſci item Legati alias accepiſſent: eorum rogatu à Regijs Antonius obtinuit, vt inſequens dies vacaret : qua tamen & cum Moſcis accuratiſsimè actum eſt, ſi qua iniri ratio poſſet, vt pax coiret: & eædem Moſci literæ ad Regios miſſæ ſunt ab Antonio,ne quid officij prætermitteret, quo vtrique parti ſatisfieret.Sed cùm Moſci Legatis Antonius dixiſſet,ſi ij à Principe ſuo metuerent, ne quid inconſultiùs agerent, ſi Neueliam, & Veliſiam Regi relinquerent, ſe caput ipſum omni periculo obiecturum coram magno Duce, ne tanti boni confectio intermitteretur; ijq́ue ſanctè iurarent, ſe id efficere non poſſe : adderent autem,ſi decem quiſque capita haberet,ea vnicuique omnia ſibi redituris amputatum iri à Moſco: propterea Antonius ad Zamoſcium citatis equis tabellarium miſit qui nouiſsimas conditiones afferret: dieq́ue inſequenti Legati Regij ex condicto redierunt.

DIE XXVII. SESSIO IX.

VBI Antonius vtroſque Legatos hortatus eſt, vt ea die, quæ terminando conuentui à Regijs præſcripta erat,pax fieret,omniaq́ue officia ad id adhibita, fuſiùs anteà Regijs expoſuiſſet: Regij dixerunt, perſtare ſe in eo, quod propoſitum erat. Exercitum duobus menſibus propè Pleſcouiam ab Antonio fuiſſe retentum , ſpe pacis, quam offerebat : nunc ſeſe reuocari in caſtra; nec debere vltra progredi,quibus eſſet ratio reddenda Regi, & Reipub. cui iurauerant. Ad extremum,proteſtari ſe coram ipſo Antonio, per ſe non ſtetiſſe, quin pax coiret: petere denique ab illo,vt Comitiorum tempore, quæ Varſauiæ in Martium menſem erant indicta, quo tempore forſan ex Moſcouia eò Antonius eſſet rediturus, velit Reipubl. ac Regno eorum fidem teſtari . Itaque ſe Moſcis valedicere, ac dare dexteras, idem cum Antonio ſequenti die ſaltem per literas facturos.

TVM Moſci paucis(ſed quæ altum dolorem oſtendebant)cõuertere ſe ad Antoniũ, dicereq; ſe ad mandatũ ipſius Liuonia ceſsiſſe:Michaelem Haraburdã intelligere nunc,an vera ea fuiſſent, quæ dixiſſet initiò,cũ ad Liuoniam tradendam illos hortaretur,inquiens,Ea trabe Liuoniæ ſubmota,complanatum iri viam ad reliqua omnia:ſeſe quidẽ Liuonia cedere, & feciſſe,ac non loqui:Regios autem loqui, & non facere,proinde ſe item Deũ teſtari,per ſe non ſtetiſſe,quin pax fieret:viderẽt,ſuper quos tantus ſanguis eſſet caſurus. Denique,vbi quædam Michael Haraburda ijs reſpondiſſet, quæ anteà quoque fuerant dicta, Antonius ſibi quidem eſſe dixit optatiſsimum , vt pax fieret : verùm cùm neutram partem cogere poſſet , vt fidei erga ſuos Principes debitæ deeſsent , nunc quidem videri ſibi, vt Sauolocia à Stephano Rege reſtituatur , quandoquidem necdum ſententiam de ea pronunciaſſet : ceterùm ſperare ſe,aut eandẽ pacem deniq; ſecuturam, aut niſi ſequeretur,tempus nondum appetijſse,vt eadem eſſemus digni.Quòd ſi propter duas eiuſmodi arces neutri cedere vellent,viderent Regij , num decem dierum interuallum Moſcis poſſent concedere, vt à magno Duce , ſicut petebant, reſponſum ea de re acciperent . Quod cùm ſe poſſe concedere Regij negaſſent, tum Moſci ſe Derpati reſtitutionem , & alia ſupra id, quod poterant, pollicitos fuiſse dixerunt: dolere modò, quòd cùm penè quadraginta arces reddendæ ſint, ob duas tantùm, pacis vinculum eſset diſsoluendum. Regij verò, Quando, inquiũt,ſupra id,quod potuiſtis,promiſiſtis; adhuc & hoc facite:vos de

de vna, nos de altera ex duab⁹,de quib⁹ cõtrouerſia eſt, Antonij iudicio ſtem⁹:& vos magno Duci,nos Regi denique,ea re in nos ſuſcepta, rationem reddamus. Hic cũ Antonius obſecraſſet Regios, vt Moſcis ad deliberandum noctem eam adhuc concederent: Regij aſſenſerunt,ea lege, vt dicerẽt, ſi ijs ab Antonio ſignificatum fuiſſet ante diem,Moſcos ei rei poſſe aſſentire,craſtina die redituros; ſin minùs,ſeſe diſceſſuros omninò.

NOCTE inſequenti cùm ſe Moſci aperuiſſent, ſe nulla ratione Veliſio poſſe cedere, ſed ſi Regij vellent, ſe reliqua omni Liuonia ceſſuros ; tantùm Nouogardiam retinerent, & Regij Veliſium , dum ab vtroq; Principe reſponſum expectaretur, ea q́ue res nec damno, nec fraudi alterutrius partis cederet: conuentus ſolutus eſt.Quæ verò cum Legatis,& alijs Antonius præſtitit, vt adhuc pacis tractatio ſtaret, ea ex literis ſcriptis ad Regios, atque ad Regem, intelligi poſſunt: quæ quidem non minimi ſunt momenti,ad totum rei ſtatum cognoſcendum.

DIE XXVIII. DECEMBRIS,
Seßio X.

CVM ea die Regij iam ſeſe in viã daturos dixiſsẽt,& Moſci bis eius diei nocte ſuperiore,cum lachrymis, diu apud Antonium fuiſſent,vt de Veliſio,quid eſſet deliberandum , quærerent(ſi enim Regi relinqueretur,ſibi ab ſuo Principe vitam ademptum iri:ſin pax ob vnam illam arcem haud componeretur, intelligere ſe, nouo bello repetito , maximam fore ſanguinis effuſionem)Antonius nullam ſibi rationem ſupereſſe dixit , poſt tot alias omnes tentatas,niſi vt ipſe,quò Legatorũ vitę parceretur, vnicuiq; illorum chirographum ſigno,quo vtebatur , ſuo munitum traderet,quo fidem faceret, ſe illos ad eam deliberationem adegiſſe:ceterùm ſe Moſco caput ſuum allaturum,vt faceret,quod vellet,ſi quid, ad noui belli continuationem præcidendam , audaciùs factum ab Antonio fuiſſe iudicaſſet. Porrò niſi aliud conſequi poſſet,ſe à Regijs tentaturũ, vt Veliſium ſolo æquaretur.Tum Moſci ſe,ſalutem ſuam, Veliſium denique ita,vt ſaltem euerteretur, relinquere in manu Antonij dixerunt: tantũ recordaretur, vt apud magnum Ducem,hęc res ne ſibijpſis interitũ afferret.Quæ cùm acta eſſent,ſuperuenère Legati Regis,abituri longiùs, & Antonio primùm valedicturi,ſed tota re audita,ipſi iam ſe Veliſium tradere Antonio polliciti ſunt, cui eſſet integrum eò imponere, qui ex eius comitatu erant, vt denique vel Regi relinqueretur, vel id fieret,quod iudicaſſet . Sibi autem non eſſe de vita dubitandum , ſi ea in re facerent, præter Regis mandatum : ſed dignitatem ſuam in magno futuram diſcrimine,niſi ipſe Antonius & Regi, atque in futuris Varſauiæ Comitijs,in ſe hoc totum ad boni publici cõpoſitionẽ ſuſcepiſſe,publicè teſtaretur.Quod cùm ſe facturum Antonius recepiſſet, inſtauratus eſt conuentus: ac cùm Regij peterent,vt Sebieſsum Regi traderetur, Moſci dixêre,Veliſium ſe integrum relicturos,ſi Sebieſsum ſtet:ſi verò Derpatũ magno Duci,relictum fuiſſet, tum eſſe contentos,vt Sebieſsũ à magno Duce, Driſsa à Rege cõburerentur. Qua de re cùm magna eſset altercatio, in poſterum diem reiecta eſt, eo conſilio,à Regijs tractatio , vt interim per tabellarium à Zamoſcio ex caſtris mentem Regis liquidiùs exquirerent.

DEINDE,cùm Regijs quærentibus Moſci reſpondiſſent , ſe pleniſsimam poteſtatẽ habere, arces Liuoniæ tradendi,quæ quidem in manu magni Ducis , non in manu Regis Sueciæ eſsent,adiecerunt Legati Regis: Quandoquidem ſæpiſsimè ſcriptum, & actum per Legatos,& Internuncios,iteratumq́ue eſt , Stephanum Regem totam Liuoniam petere , dicerent Legati magni Ducis,num vellent tituló, iureq; ipſius cedere omninò, necne: id niſi facerent,relictum iri ſcintillam ad nouum bellum excitándum , cùm quas arces Sueciæ Rex cepiſſet, eas vel pacatè ab ipſo, vt ab affine ſuo, Stephanus eſſet obtenturus, vel denique alia ratione procuraturus.Ac niſi nũc Moſcus iureiurando Liuonia integra ceſſiſſet: eaſdemq́ue arces à Sueciæ Rege repetere bello vellet, liquêre, ad arma inter Stephanum , & Moſcum ventum iterum iri.

QVAE cùm Antonius alijs rationibus comprobaſset, ac dixiſſet, eos auidiùs,ac veriùs pacem expetituros,qui futuræ contentionis radices diligentiùs euellendas curarent:Moſci reſponderunt, ſeſe in literis de pace nomina omnium arcium ſcripturos,quæ ſunt in manu magni Ducis; earum ius poſſeſsioneq́; Regi tradituros: rem totam iureiurando confirmaturos : deſinerent autem Regij ea petere,quorum Moſci nullam haberent poteſtatem, nec poſſeſsionem retinerent:de Rege Sueciæ, ne verbũ quidem inſeri poſse in literis de pace conficiendis.

AD ea Antonius, ſi contingeret,inquit, vt eandem arcem Rex, Moſcuſúe bello peteret,certè prouidẽdum eſt, (ſi de reliquis mutuo conſenſu à Legatis decerni queat) ne reliqua Liuonia, quæ Regis erit,totũq; ipſum Polonię Regnum, magnusq́ue Ducatus Lituaniæ, Pruſsia item propterea à Moſco inuadatur; ſicuti item neq; Regi in

Moſci ditionem erit propterea cum exercitu inuadendum.

Tvm Regij rogârunt Antoniũ, vt proteſtationem ea de re admitteret, ac chirographo,& ſigno ſuo obſignaret: quã cùm Antonius ita ſe admiſſurum reſpondiſſet, vt neque ipſi Regi, nec magno Duci, nec vlli omninò hominũ præiudicaret, vel quidquam iuris adimeret: tùm adiecit, ſe illa cum proteſtatione ſententiam laturum (id quod etiam eâdem hora faciebat) vt ea iuris, tituliúe proteſtatio alterutri iuſta, vel ſufficiens belli cauſa eſſe non poſſet: ſe quidem (quod etiam per Legatos effici poterat) cum vtroque Principe pacatè attentaturum, vt quàm minima ea de re cõtentionis, ac fortaſſe nulla, in poſterum relinqueretur.

Regii verò cùm verbotenus per Michaelem Haraburdam proteſtationẽ pronunciaſſent, poſteà, vt ſcripto conſtaret, ab Antonio petierunt: quæ cum Regijs tradenda non videretur, niſi (quod etiam in caſtris Antonio dixerat Rex) Moſcis integrum tantundem faciendi relinqueretur; diſertè Regij Moſcis adhuc proteſtati ſunt, Regem eas omninò arces velle, quas Sueciæ Rex bello cepiſſet.

Ventvm eſt poſteà ad arcium tormẽta, quæ in Moſci manu eſſent, vt cum quibus arces fuiſſent captæ, reſtituerentur: quod quidem anteà Moſci Legatos alios, qui Vilnæ fuerant, Regij promiſiſſe dicebãt. Ad quæ cùm Moſci reſpõderent, Aulicos Nouogardia ſeſe illicò euocaturos: nec de tormentis, ſi Regij tantundẽ facerent, magnam futuram difficultatem: altera in alteram inſequentem diem Seſsio indicta eſt.

DIEI XXIX. DECEMBRIS, Seſsio XI.

Ea in Seſsione Moſci orſi ſunt à Sebieſſo, de quo diu multumque agitata res eſt. Regijs vrgentibus, ea vt res ad Antonium deferretur, qui cum vtroque Principe ageret: pax interim firmaretur. Moſcis autem iterantibus, in gratiam Antonij à ſe Veliſium conceſſum fuiſſe, nec iam dicere ſe vt combureretur, ſed integrum Regi maneret: porrò à Regijs ſemper aliquid peti. Quamobrem (aiebant) vt ferreus globus; niſi eximatur è corpore, corpus putreſcit: ita Sebieſsi negocium niſi abſoluatur, totam pacis tractationẽ infecturũ, ac turbaturum. Quòd ſi denique Regij id ſuſpendi ad tempus velint, permitterent, vt magnus Dux conſuleretur, ne qua reſtaret in poſterum litis occaſio. Antonio autem Regiorum ſententiam probanti: atque vrgenti, vt reliqua cõficerentur, illud differretur (expectabatur enim, quæ ſuperiùs dicta eſt à Zamoſcio reſponſio, & Regis mentem quadantenus ea de re Antonius nouerat) Moſci Regijs obiecere, non effici, quod per Zachariam Boltinum magno Duci, de exercitu ab obſidione Pleſcouienſi deducendo, promiſſum fuerat. Id enim ſe facturum aliquot intra dies, Antonio pollicitus fuerat Rex. At Regij dixère, Antonio promiſſum fuiſſe, ne irruptio tentaretur: exercitum autem, quàm primùm pax facta, conditiones ſcriptæ, iureque iurando firmatæ fuiſſent, deductum iri. Denique cùm de ratione tradendarum arcium Regij agerent, Moſci: Nobis altum ſapere, magnus Dominus noſter haud mandauit. Vt enim Princeps Chriſtianus eſt, ita Chriſtiano more, ſincereque vt nos gereremus, iuſsit: quod & facimus vobiſcum, quaſi cum fratribus noſtris. Itaque ſcitote, quàm primùm aliquid de Sebieſſo ſtatuerimus, Nouogardiam mittemus, aulicos nobis dignitate non impares euocaturi; quorum item vnus Palatinus eſt Porcouienſis, Ioannes Zerebuoun, quibus arcium tradendarum facultas demandata eſt.

Actvm eſt deinde à Moſcis, ne ruſtici in Lituaniã abducerentur; quod Regij prohibitum fuiſſe dixerunt à Rege, ac proinde negocium pacis eſſe quàm primũ abſoluendum, vt iſtiuſmodi reliqua ne acciderent.

Tvm ad Beatiſsimæ Virginis annũciatæ diem, cũ Moſci dicerent, arces eſſe tradẽdas, (id, quod Regij recuſârunt) de tormentis viciſsim vtrinq; reddendis actum eſt, in quibus, nempè, Regis, vel magni Ducis eſſent inſignia, vel inſcriptiones.

Deinde ventùm eſt ad captiuos: Moſcis petentibus, vt liberaliter omnes vtroq; à Principe dimitterentur; Regij negantibus, aliter id effici poſſe, quàm quomodo Rex Antonio expoſuiſſet. Id autem erat, vt miles pro milite, centurio pro centurione, Palatinus pro Palatino permutarentur: ſi qui ſupereſſent, ij vel pecunia redimerentur, vel cum Liuonibus aliquibus, qui eſſent in Moſcouia, cõpenſarentur. Inſuper adiectum eſt à Regijs, mercatores eſſe liberandos à Moſco, quos pręter omne ius, moremq; Chriſtianum, ac præter conſtitutiones, & literas, quæ aliàs inter eos Principes ſcriptæ fuerant (ne quid, orto bello, mercatoribus damni inferretur) magnus Dux detinuiſſet, & haberet captiuos; præſertim Zareſki, & Martinum Mammonicium Vilnenſes, quos nominatim dimitti Rex volebat. Tum Moſci, ſanguinem Chriſtianum non eſſe pecunia redimendum dixerunt: mercatores autẽ non fuiſſe captiuos, neq; aſſeruatos in vlla cuſtodia;

Priſtauum

Priſtauum tantùm illis adhibitum fuiſſe, quos, ne quid damni acciperent, curaret. Quæ cùm eſſent dicta, & aduesperaſceret, reliqua in futuram Seſsionẽ reiecta ſunt.

DIEI PRIMAE ANNI 1582. Seſsio XII.

Mosci, cùm multam noctis partem demorati eſſent apud Antonium, eum rogârunt, vt omninò (ſi gratiſsimam rem facere magno eorum Domino vellet) curaret in literis, quæ erant de pace ſcribendæ, vt ille Czar Caſani, & Aſtracani diceretur: præ hoc, nihil arces pendere magnum Ducem, quas Regi eſſet traditurus. Hanc occaſionem nactus Antonius multa illis expoſuit de vno Chriſtianorum Imperatore; quam dignitatem Sedes Apoſtolica confirmaret, quamque ex Oriente, vbi Eccleſiæ Catholicæ minùs fidi Imperatores Byzantij eſſe cœperũt, in Occidentẽ tranſtulerat. Si Moſcus iuſto titulo vocari, atq; honoribus legitimis decorari velit, ageret primùm cum Pontifice Max. ea ratione, qua reliqui Chriſtiani Principes agunt, qui non ignorant, non eſſe tantam rem Caſanum, & Aſtracanum, vt nouus titulus quaſi alterius Cæſaris, Imperatoris, vel Regis addatur. Si Cæſar id fecerit, ſciri vocem iſtam Czar non Cæſarem, ſed aliquid aliud à Tartaris vſurpatum, quaſi Regium titulum deſignari. Ad ea Moſci: Honorium, & Arcadium Roma Volodimero primo Moſcorum Principi coronam Imperatoriam miſiſſe: Pontificem Max. per Cyprianum quendam Epiſcopum id cõfirmaſſe; ac reliqua eius generis. Quibus Antonius cùm reſpondiſſet, Quingentis annis Honorium, & Arcadium præceſsiſſe Volodimerum: dixère (neſcientes, quid dicerent) fuiſſe alios quoſdam Honorium, & Arcadium, qui eo tempore vixiſſent. Tum iterum vrſerunt Antonium, vt quandoquidem vocaſſent vniuerſæ Chriſtianitatis Paſtorem Pontificem Max. vellet item operam dare, ne hoc titulo Rex Principem ſuum fraudaret: atque item, ne illi titulus Liuoniæ periret. Quibus Antonius: Quod Paſtorem Chriſtianitatis vniuerſæ vocare velitis Pontificem Max. id quidem rectè habet, cùm id Chriſtus Dominus inſtituerit, Pontifice Max. minimè id curante (niſi quatenus id Eccleſiæ vnitati, ac Dei gloriæ inſeruit) ceteroquin ſe Seruum ſeruorum Dei vocante: at Principi veſtro Liuoniæ titulum reſeruare, à quo arces Regi traduntur, quænam iſta veritas eſſet? Si mihi iſtam veſtem tradideris, eaque ceſſeris, num veſtis Dominus ampliùs verè vocaberis?

Haec igitur cùm citrò vltroq; dicta eſſent, quæ poſteà lucem reliquę tractationi afferent, cumq; Regij ad indictam Seſſionem redijſſent, de Sebieſſo, deq; futuræ pacis tẽpore actum eſt. Ac Sebieſſum quidẽ vt magno Duci maneret, Legati Regij aſſẽſerunt: pax aũt vt ad octo annos duraret, ea die Moſci contenti fuère, aſſerentes, ſeſe nocte inſequenti cogitaturos, ſi quid ampliùs addere poſſent. Deinde, cùm Regij petijſſent, ne qua ruſticis, qui Regi iuraſſent, damnũ à Moſco inferretur, Moſci pro eo libenter ſuam ſeſe fidem interpoſituros dixère. Cùm verò ad arcium reddendarum rationem ventum fuiſſet, dictumque eſſet, vt Derpatum, ac reliquæ munitiores arces redderentur, nec in ea re viderẽtur inuicẽ Legati diſcrepare; petière Moſci, vt deducendis Vladicis, ac Poppis (qui ſunt eorum Sacerdotes) ceteriſque omnibus, ac præſertim imaginibus pijs auehendis, præſidium Regium adderetur, ne in Regis Sueciæ manus inciderent. Quod cũ Regij nõ omninò concederent, Antonius, æquum eſſe, vt tutò deducerentur, reſpondit; eò magis, quòd Moſcis permittere nolebant, vt cohortes aliquas eò mitterent, quæ ſuos proſequerentur: ſicque finis Seſſioni impoſitus eſt.

DIEI SECVNDAE IANVARII, 1582 Seſsio XIII.

Regis Legati Palatinus, & Michael Haraburda ſoli ea die ad conuentum rediere, Alberto Radiuilio domi ex morbo (vt dixerunt) manente. Cùm verò Antonius de ijs quæſiuiſſet, num, ſi quid eo abſente decerneretur, id ratum eſſet futurum, atque annuiſſent, euocati ſunt Moſci; qui ab Antonio interrogati de pacis tempore, annum adhuc addidere, vt pax nouẽ in annos duraret. Quod tempus Regij quoque admiſerunt.

Deinde cùm Regij, à Zamoſcio præmoniti, rogaſſent Moſcos, vt tota Liuonia cederent, clauſulamque in literis inſerere vellent, qua Moſcos eò perducerent, vt etiamſi diſertè vniuerſæ Liuoniæ ceſsio non exprimeretur, id tamẽ poſſet intelligi: nec verò ambigui iſtius modi rationem probaret Antonius: quin potius diceret, eis priuatim, petite liquidiſsimè Liuoniam totam, quàm vt futuros fratres videamini circũueniſſe: Moſci reſponderunt, Nos ante quinque dies reſpondimus, Liuonia integra, quæ in magni Ducis poteſtate ſit, integrè nos ceſſuros: quæ verò arces in Regis Sueciæ manu ſunt, de ijs nullum nos verbum facturos. Quòd ſi nouas ſubinde res comminiſcentes, tempus extrahitis, annus erit, cùm tractationem pacis haud abſoluemus. Ac quidem Michael Haraburda,

Regio-

Regiorũ nomine, proteſtatus fuerat, proteſtationemq́ue eam, de qua dictum eſt, ad mitti ab Antonio petierat; ita vt ea res iam eſſet definita: Michaelq́ue ipſam proteſtationis formulam Antonio tradiderat, quá poſteà repetijt, quanquam eiuſdem exemplum Antonius retinuit. Id verò totum à Regijs ex inſtructione, chirographo, ſignifq́ue Regijs obſignata factum fuerat: cùm inde omnis abſoluendæ paci mora eſſet abrumpenda, ſi Moſci titulo, iureq́ue Liuoniæ cedere voluiſſent.

Et Antonius quidem, dum ſermones ex ſermonibus ſererentur, Legatis Regijs dixit: Videri ſibi, quandoquidem eò res eſſet perducta, nec anteà forſan ſatis maturè prouiſa, vt arces omnes, quas magnus Dux obtineret, fines, iuſq́; earum omnium nominatim ſcripto mandari, & tradi curarẽt; ceteras, ſi quæ item ad id tempus eſſent in manu Moſci, etiam traderent, quandocunque eas à Moſco retineri, compertum fuiſſet: in literis autem operam (ſi vellent) adhiberent, ne Liuonici Dominij titulus magno Duci adſcriberetur: ceteris reb[9] ſatis, ex animo, & ex inſtructione Regis fuiſſe proſpectum.

Deinde Legati, cùm inter ſeſe de finibus Liuoniæ decernendis egiſſent, moſciq́ue eam rem in aduentum Legatorum de pacis confirmatione reijcerent: inſtitêre Regij, vt id totum inter ſeſe, ne qua controuerſiæ radix reſtaret, conſtituerent. At moſci, Si quid, inquiunt, minùs commodè conſtituere potuerimus (quandoquidem fines omnes haud ſcimus) id ad Principes noſtros referemus. Tùm vt fines Pleſcouiæ ij eſſent, qui fuerunt antiquitus, vtraque pars conſenſit.

Porrò quærentibus Regijs, vt etſi Sebieſſum magno Duci, ac Veliſiũ Regi manebant, vtrique tamen Principes inter ſeſe, de earũ permutatione, hoc anno agere per Legatos poſsent: moſci nulla ſe ratione id velle in literis de pace ſcribi reſponderũt, ſed vt liquidò magno Duci Sebieſsum maneret, cùm item Veliſium Regi liberè ipſi conceſsiſſent.

Sed Regij, qui obtenta Veliſio putabãt ſe quoq; vniuerſæ Liuoniæ ceſsionem poſſe adipiſci, reuocata tractatione, tempus eximere cœperunt; primoq́; arcium numerum, ac nomina, quas moſcus adhuc retinebat, petierunt, quas moſci illicò nominârunt; deinde earum, quas Rex Sueciæ cepiſset; deniq; ſe cum Duce Alberto Radiuilio ea de re acturos dixerunt, atque ad diem poſteram Seſsioni interfuturos.

NOMINA ARCIVM A MOSCO tradendarum.

Lenvvardt Strovvna, Aſteradt, Kokenhaus, Krysbork, Borzun, Kudun, Czeſtuin, Luža, Rezica, VVleca, Volodimerecz, Roroni, Goroia, Trykat, Alyſt, Perkol, Salacz, Nouogardia Liuonica, Kerepiecz, Derpt, Mukovv, Randek, Rynhol, Conhol, Caulecz, Curslovv, Lais, Tar uas, Polczevv, Paida, id eſt, Lapis albus, Vilian, Pernauia vtraque.

NOMINA ARCIVM QVAE IN manu Sueciæ Regis ſunt.

Narva, Sereneſcum, Adeſum, Tolſczabora, Rakoboz, Kolyvvan, Paidca, Kolovver, Lihovver, Apſel, Vyholumiſa.

DIE V. IANVARII, SESſio xiiij.

Vbi Legati viciſsim conqueſti ſunt, Moſci quidẽ, quòd Regijs rem protrahentibus, interim ruſtici, captiuiq́ue à Polonis, & Lituanis abducerentur, vacuaq́ue regio circumquaque relinqueretur, & incendio abſumeretur: Regij verò, quòd Moſci tempus extrahentes, neque ad rem, qua de agebatur, venientes, effuſi ſanguinis erant cauſa, qui tantò magis erat effundendus, quantò magis ipſi pacis conditiones non admitterent. Addidêre Regij, ruſticos, & captiuos haud abduci, ſed in hyberna, caſtraq́; cuiq; militi aſsignata deduci.

Inde de Sereneſcio arce Liuoniæ actũ eſt, quam Moſci à Sueciȩ Rege occupatam, Regij à magno Duce retineri dicebant. Qua de re cùm veritas non conſtaret, Regij eam ſeſe omninò velle dixerunt, quam ſeſe tradituros Moſci reſpõderunt, niſi Regis Sueciæ in ea præſidium fuiſſet.

Poſtea nomina vniuſcuiuſque arciũ quæ adhuc in poteſtate Moſci ſunt, repetita ſunt à Regijs: earum item, quæ in Regis Sueciæ venerant manus. Ad extremum, cũ Legati de verbis potiùs, quàm de re litigarent, ſic conſtitutum eſt, vt Moſci, quidquid in Liuonia magnus Dux haberet, id cum arcibus, pagis, agro, atque adeò rebus alijs immobilibus, ad eas pertinẽtibus, Regi traderent: Rex magno Duci arces à ſe captas (præter Veliſium) quæ quidem fuiſſent magni Ducis, cum pagis, agro, rebuſq́; alijs immobilibus, ad eas ſpectantibus, reſtitueret: intereà neutri, quamdiù pacis tempus duraret, vel Moſco aduerſus Veliſiũ, atque Liuoniã, vel Regi aduersùs Lucũ, Sauolociã, Neueliam, Chelmã, Sebeſium, ac Pleſcouienſes arces eſſe bellũ innouãdum. Quæ vt ab Antonij Amanuenſi, & interprete ſcriberẽtur, vtriq; Legati petierunt.

Praeterea cùm de ratione, temporeq́; tormentorum, Vladicarum, Popporum, imaginum ex arcibus auehendarum, Regijq́; exercitus ex Pleſcouiẽſi obſidione deducendi, multa contentio fuiſset, ac dies ad noctem inclinaſſet, relata earum rerum deliberatio eſt in ſequentis diei Seſſionem.

DIEI SANCTISSIMAE EPIPHAniæ Seſsio XV.

Cvm qui Nouogardiam à magno Duce fuiſſent miſsi, vt redderent arces, inde abijſsent, Regijs ea de re ſciſcitantibus, Moſci reſponderunt, alios à magno Duce ei negocio fuiſse aſsignatos: itaque vbi pax coiuiſſet, nullam reſtituendis arcibus moram interpoſitum iri.

Deinde verò cùm primùm ad eas arces ventum eſſet à Regijs, auliciſq́ue magni Ducis, ex vnaquaque octo dierum ſpacio Palatini, Vladicæ, Poppi, mercatores, imagines, cum eorum bonis mobilibus exirẽt: frumenta, & alia eiuſmodi, niſi eo tempore auehi poſsent, redeuntibus aliquibus Moſcis aſportatum iri.

Omnivm porrò arcium, quæ in Liuonia Regi tradendæ erant, reſtitutio, intra octo hebdomadas, ab ea die, decreta eſt; quo in ſpacio Regij ſuas Moſcò item eſſent redditurі.

Cvm verò iterum de tormentis actum eſset, vtrique Legati conuenerunt, vt interpoſito iureiurando, atq; oſculo crucis. tormenta cum arcibus capta reſtituerent. Michael autem Haraburda Regis, & mikita Baſsenka magni Ducis Secretarij, eorum tormentorum nomina, & numerum, chirographo munita, deſcriberẽt, ac viciſsim traderent.

Regii deinde Antonio proteſtati ſunt, Sereneſcum velle ſeſe a moſcis, quod hi (vt antea) dicerent, eſse in manu Sueciæ Regis.

De captiuis magna rurſus diſceptatio fuit, moſcis negantibus pecunia, arcibuſúe redimendum eſse Chriſtianum ſanguinẽ, quòd Regij duas arces, Sebeſium, atque Opocam propterea petiuerant. At rurſus Regijs obijcientibus, magnum eorum Ducẽ quõdam Vſuiatum, & Ieſeriſcium arces à Rege Poloniæ ad captiuos redimendos petiuiſſe: ipſumq́ue adeò Ducem non ſolùm pro Chlebouicio nobili Lituano tres captiuos, verùm etiam pecuniam, vti de alijs faciebat, voluiſſe. Ad extremum igitur, vt ea tota res per Legatos cum vtroque Principe ageretur, cõſtitutum eſt, cũ Antonius, cui eam rem deferre Regij voluerant, id omninò non expedire reſpondiſſet, quippè qui (in caſtris expertus, Regi, qui Moſcum captiuum ei promiſerat, non fuiſſe obtemperatũ) iudicauit, ſi qui à tot externis Moſci aliò fuiſſent abducti, magno Duci non redderentur, eam rem Pontificis Max. nomini, ac fidei incommodè ceſſuram.

Deniqve cùm Moſci vrgerẽt, vt Rex primò Legatos ſuos ad pacem firmandam in Moſcouiam mitteret; Regij verò dicerent, ſat eſſe, ſi vtriuſq́; Principis Legati ad fines vtriuſq; ditionis, eodem tempore venientes; alteri ad Regem, ad Moſcum alteri procederent, aut etiã Regis Legati Smolenſcium primò venirent: nec verò moſci hoc probarent, quod ſuos eſſe iſtarum rerum imperitos dicerent, nihil in ea Seſsione ſtatutum eſt, ſed in futuram reiectum.

Eadem die, cùm magnus Dux ad Antonium, & ad ſuos Legatos literas miſiſset, cum altera validiore Plenipotentia, id Antonio ac Regijs fuit argumento, eum de pace ſeriò agere. Ea verò perlecta eſt in ipſo Legatorum conſeſſu, quæ ita habebat.

EXEMPLVM SECVNDAE MAGNI Ducis Plenipotentiæ.

Divina gratia, ac clementia, qui nos præfecit in Oriente ex altiſsimis, quiq́ue dirigit pedes noſtros in viam pacis. Huius ergo Dei noſtri in Trinitate adorandi clementia, Nos magnus Dominus Imperator, atque magnus Dux Ioãnes Baſilius, totius Ruſsiæ, Volodimeriæ, moſcouiæ, Nouogardiæ, Imperator Caſani, & Imperator Aſtracani, Dominus Pleſcouiæ, & magnus Dux Smolenſciæ, Tueriæ, Iueriæ, Permiæ, Viatciæ, Bulgariæ, & aliorum, & Dominus hæreditarius terræ Liuoniæ, &c. Stephano Dei gratia Regi Poloniæ, & magno Duci Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, maſouiæ, Samogitiæ, Principi Transſyluaniæ, & aliorum, &c. Scripſit ad nos Gregorij xiij. Papæ Romani Nuncius, Antonius Poſſeuinus de pacis conſtitutione, ne inter nos ſanguis Chriſtianus funderetur, & bellum vt ceſsaret, vt Legatos noſtros ex vtraq; parte inter nos ad vnũ locũ mitteremus, qui præſente illo Pontificis Nuncio inter nos pacẽ, & fœderis conſtitutionẽ conſtituere poſsẽt. Itaq; nos propter pacem Chriſtianã miſimus Legatos noſtros, Aulicũ noſtrum, & Præfectum Caſinenſem, Ducem Demetrium Petri Ieletzki; Aulicum noſtrum, & Præfectum Coſelnẽſem, Romanũ Baſilij Olpherium; & Notarium noſtrum mikitam Baſsenka, Nicephori filium Vereſczahina; & Vicenotarium noſtrum Zachariam Suiazeua, ad Zapolſcij Iamum, vel ad aliquem alium locum, qui aptus erit inter Porcouiam, & Zauolociã ad conuentum, pacis ſtatuendæ gratia, data illis plena inſtructione, vt conuenientes cum Legatis tuis inter nos, & te Regem Stephanum de bono opere, & de pace Chriſtiana coram Papæ Nuncio, quæcunq; illi concludent, & ad pacis conſtitutionẽ ex vtraque parte conſtituent, literiſq́ue fœderis

fœderis & crucis oſculatione confirmabunt, immobiliter, ſecundum conſtitutionem illorum, tenere debeamus. Et quos tu Rex Stephane Legatos tuos ea de cauſa ad nos allegabis, nos literas Legatorum noſtrorum nomine noſtro ſcribere, & ſigno noſtro obſignare debemus, eaſdemq́; literas oſculatione noſtra crucis confirmatas, per eoſdem Legatos tuos ad te Regem Stephanum mittemus. Tu autem Rex Stephane eodem modo, cùm ad te Legatos noſtros allegabimus, eaſdem Conſtitutionis literas nomine tuo ſcriptas, & ſigno tuo obſignatas, per Legatos noſtros ad nos mittere debes. Propterea has literas fidei Legatis noſtris ſub ſigno noſtro dedimus, ſcriptas in dominio noſtro, in aula arcis Moſcuæ, anno à conditione mundi Septimo Milleſimo, Nongenteſimo, menſe Decembri, Indictione 10. Dominiorum noſtrorum 47. Imperiorum noſtrorum Roſienſium 35. Caſani 29. Aſtracani 28.

DIEI VII. IANVARII, *Seßio XVI.*

CVM iterũ Legati omnes adfuiſſent, tempus Legationibus ad vtrunque Principem mittendis decretum eſt; ad Sanctiſs. Trinitatis feſtum diem Regijs in Moſcouiam; ad Beatiſs. Virginis aſſumptionem Moſcis ad Poloniæ Regem. Vt verò quæſtio de captiuis p Legatos ipſos cũ ijſdem Principibus tractaretur, in idem tempus relatum eſt.

TVM primò latenter, deinde apertè, atq; accuratiſsimè à Moſcis actũ eſt, vt eorum Princeps in literis hiſce nominibus in primis appellaretur, Dominus Magnus Imperator, Magnus Dux, &c. Quod cũ conſtãter Regij recuſaſſent; Antonius autem cũ ſæpè, tùm illa, quæ præceſſerat, nocte à Moſcis ea de re tentatus, , illis idipſum diſuaſiſſet, quod vnum tantum Imperatorẽ Chriſtianum agnoſcerent, neq; eæ appellationes ſine Pontificis Max. auctoritate valerent, qui Cæſari Romanorũ nunquã paſſurus eſſet, vt eiuſmodi iniuria afferretur, Moſci ab ea petitione deſtitere. Ac tũ, vt Czar Caſani, & Czar Aſtracani ſcriberetur, egregiè vrgebant, id quod neque obtinuerunt: Regijs negantibus, Moſcis aſſerentibus, ab Sigiſmundo Auguſto eo nomine Moſcum fuiſſe appellatũ. Ad quę cùm Antonius quæreret, cur Moſci eaſdẽ literas haud attulerint, ita enim veritati grauius teſtimonium fuiſſe futurum: reſponderunt, id ſibi excidiſſe; Michael autem Haraburda antiquas, ac ſignis munitas fœderum literas oſtendit, in quibus nihil eorum nominum erat adſcriptum. Sicque Seſsio finita eſt.

DIEI VIII. IANVARII, *Seßio xvij.*

CVM Moſci acriùs iterum vrgerent, vt ijſdem ſaltem nominibus Czar Caſani, & Czar Aſtracani magnus Dux appellaretur, ac denique negocium hoc ad Antonium referrent; Regij verò cùm nihil ea de re ſe à Rege habuiſſe in mandatis dixiſſent, ac tùm id ab eodem Antonio agi poſſe cum Moſco, ad quem erat rediturus: Antonius conuerſus ad Moſcos dixit, tres ſupereſſe rationes, quibus hac de re aliquid agere ſe poſſe intelligeret. Vnam, qua Regij Moſcum Caſani, & Aſtracani Dominũ vocarent, quod Moſci nõ curare viſi ſunt; licèt id Regij admiſerunt, qui dicerent, nunquam in animum inducere potuiſſe Poloniæ Reges, vt titulo Tartarico, vel Turcico, qualis erat ille Czar Tartaricus à Chriſtiano Chriſtianus Princeps appellaretur. Alteram, vt Moſci ea de re proteſtationem facerent, quã ſine alterutrius Principis iniuria, & ſine pacis ferè confectæ impedimento, Antonius eſſet admiſſurus: quas tamen proteſtationes ignorare ſe, nec in vſu eſſe apud ſe, Moſci dixerũt. Tertiã, qua ille pollicebatur, id ea in re cum Rege, ac ſi opus eſſet, cum Pontifice Max. curaturum, quod fidum, ac Chriſtianum hominem deceret. Poſteà conqueſtus eſt cum Moſcis Antonius (quando illum adhuc mirificè hac de re vrgebãt) quòd nec magnus Dux ſibi quidquam eius generis Stariciæ mandaſſet, cùm pleraq; alia diligenter per ſuos Senatores ſecum egiſſet; nec verò ſibi in caſtra ad Pleſcouiam ſcripſiſſet, cùm literas de alijs grauiſsimis rebus ad pacem ſpectantibus miſiſſet; quodq́; Legati Moſci id eò vſq; abditum in pectore celaſſent. Itaque eorum eſſe culpam, ſi iam tempus ei rei tractandæ effluxiſſet. Quamobrem Moſci, vt ſine ijs titulis Regiæ literæ conficerentur, permiſerunt. Hæc cùm acta eſſent, inſtare cœperunt, vt ſaltem Smolenſcij, qui magnus Ducatus olim à Moſcis de Lituanis captus, in eorum eſt poteſtate, titulus in literis Moſco adſcriberetur. Quod Regij conſtanter negárunt, dicentes, ſeſe morem ſcribendi antiquum ſeruaturos. Atq; ita vtrinque diſceſſerunt.

DIEI IX. IANVARII, *Seßio xviij.*

CVM eam diem literis de pace relegendis, atque emendandis Legati (abſente Alberto Radiuilio) impendiſſent, actum eſt, vt arcium nomina fineſque de more antiquarum fœderis literarum ſingillatim ſcriberentur. Cui rei à Regijs petitæ (vt ferè in alijs omnibus rebus, facere ſoliti

ſoliti erant) cùm Moſci aduerſarentur, ac generatim quidem ſcripturos ſe pollicerẽtur, ne Lituania, vel Liuonia contra Moſcouiam, neué hæc contra illas bellum gereret: vrgentibus tamen tum Regiorum; tùm Antonij rationibus, tandem aſſenſerunt, nempe, ſe ſcripturos, ne quid Moſcus contra vllam Lituaniæ arcem Chiouiam, Caneuium, Czerkaſiam, aliaſque finitimas; neve contra Liuonicas arces, quibus ceſſerat: Rex item, ne contra alias Moſci arces hoſtile quidpiam ageret: & fines, qui erant antiquitus, ijdem vtriuſq; Principis ditioni, arcibuſque eſſent. Sic huic Seſſioni fine impoſito, ſequens dies deſcribendis de pace litteris fuit decretus.

DIEI X. ET IX. IAnuarij *Seßiones.*

REGII, quoniã examinandis Moſcorum litteris de pace biduum illud impenderant: viderent autem in Regis, & Magni Ducis Plenipotentijs diſertè cõtineri, vt omnia, quæ ad pacem ſpectarent, corã Antonio agerentur, atq; adeò conficerentur (quæ verba niſi in litteris insererentur, inualidam eam tractationem futuram putabant) magna inter eos & Moſcos fuit contentio, cui tamen Moſci deniq; ceſſerunt. Cùm verò iam omnia putarentur eſſe confecta, Moſci ad litteras addi petiuerunt, ab eorũ Magno Duce non ſolũ arces, quibus cedebat, verùm etiam Rigã, & Curlandiam, quas nũquam ille poſſederat, Regijs tradi; ab his ita repulſi ſunt, vt cùm nulla ratione Moſci rationi cedere vellent, craſtina die vt diſcederent, iuſsi ſint. Tùm Regij, per ſe non ſtare quin Summo Pont. iuſtis omnibus in rebus obedirent, Antonio proteſtati ſunt. Ac quidem eò ſpectaſſe Moſcus intelligebatur, vt ſemper aliquid ſibi reſtare iuris ea ceſſione in Liuonia videretur: quaſi eam ad tempus decennij tãtũmodò traditam, quo tempore pacta fuerat pax, deinde repetere poſſet. Augebat ſuſpicionem iuſtam Regijs, quod biduum, qui ad euocandos Nouogardia Palatinos tabellarius à Moſcis fuerat deſignatus, is adhuc retinebatur, moras nectentibus, nec aliquid afferentibus, niſi quod adhuc litteræ non eſſent confectæ, de quibus nulla penè controuerſia reſtabat. At poſtquàm abire iuſsi ſunt, vnus primo, deinde alter, denique omnes ſimul ad Antonium redière: modo ſe aientes non habere in mandatis, vt ſine illa ſcriptione Rigenſis traditionis pax coiret, modo ſe non eſſe eiuſmodi ſuo ſub Principe, quales ceteri ſunt ſubditi, cùm ne ſyllabam quidem præſcripti mandati poſſent ipſi immutare: petere denique decem dierum tempus, quo à Moſco reſponſum acciperent. Ad extremum, quærere de Antonio conſilium, quid facerent. Tùm Antonius (cui circuitio, illa in reliquis tractationibus vſurpata, iam ſe prodebat apertius) veritus, quin ea omnia fierent ad exercitum Regium ea ſpe lactandum, & fatigandum, dixit, aut ſcripto pollicerentur, in omnibus, quæ acta eſſent, ſeſe aſſenſuros, nil de Riga quæſituros: aut hac ipſa nocte ad Legatos Regios eſſe eundum, & litteris de pace lectis poſtridie eius diei iureiurando pacem ſanciendam: ſin minus, Regios omninò abituros: Tum illi (vt ſolebant) velle denique facere, quidquid dixiſſet Antonius: nil de Riga quæſituros: noctem ſcribendis litteris inſumpturos: vnum ſe Michaelem Haraburdam cupere, qui eas videat. Ad quem cùm miſiſſet Antonius, non ſolùm is, ſed Palatinus Braslauienſis ab eo, ad quem receſſerant, pago, paulo poſt initium noctis ad Antonium rediere: qua ferè tota, ſicut etiam inſequenti die, examinãdis ijsdem de pace litteris inſumpta, petitum ab Regijs eſt (Antonio illis in memoriam reuocante) num Moſci vellent in litteris inſerere, ne quid ruſticis, qui ad Regem defeciſſent, damni à Moſco, poſt compoſitam pacem, inferretur: Quod Moſci abnuerunt, ſed dextera Antonio data, eidem, ac Legatis polliciti ſunt, nihil ijs ab ſuo Principe damni illatum iri: quos eſſe tanquam oues: & metu, ac cæde aliorũ, non improbitate territos, iureiurãdo ſeſe Regi obſtrinxiſſe cognoſcerent. Tùm in decẽnium decreta pax, altero ad nouennium anno addito. Moſci verò petierunt tormentorum nomina, & numerum eorum, quæ eſſent in arcibus à Rege captis, de quibus antea fuerat actum. Quorum cùm vnius tantùm Neuelię Catalogum deprompſiſſet Palatinus Braſlauienſis, ac Moſci tùm vrgerent, vt omnium traderetur, quemadmodum ipſi omnium ſuorum attulerant: miſsi ſunt, qui id celerrimè procurarent: meliore quidẽ cauſa Regijs, ſed minore, quã Moſci fecerant, prouidentia, & diligentia, non ſine cauſæ periculo, vtentibus.

DIE XV. IANVARII, SESſio vltima.

CVM eo biduo, quod hanc diem præceſſerat, maxima iterum inter Legatos contẽtio fuiſſet, Moſcis in ſuis ſaltem litteris adſcribere volentibus, quas Regi arces traderent, eas ſeſe ex Magni Ducis patria, ſeu terra tradere: id verò Regij fortiter abnuerent, quod dicerent, eo quaſi iure illum vſurum in reliqua Liuonia tentanda, quã Regi haud dediſſet: ab Regijs iterum iuſsi

ſunt Moſci, vt Moſcuam re infecta abirent, niſi vellent ab eo propoſito abſtinere. Sed cùm Antonium Moſci ſupplices rogarent, vt ſuam adhuc operam ea in re interponeret, Regiosq́ue diſceſſum comminatos retineret: ſic eo officio, quãtum opus erat, functus, Moſcis, vt verba illa è ſuis litteris eraderent, perſuaſit. Tũ ſimul Legati cõuenictes, litteris ipſis adhuc perlectis, ijsq́ue, ac Plenipotentijs ſuorũ Principum inuicem de more traditis, vt quæ erãt Magni Ducis Regijs, quę huius eſſent Moſcis relinquerentur: ſchedis item de tormentorũ numero, reliquiſq; arcium munitionibus, ab vtriuſque Principis Secretarijs, qui conuentui interfuerant, Michaele Haraburda, & Mikita Baſſenka ſubſcriptis: cũm Regij ab Antonio proteſtationem de reliqua Liuonia petijſſent, pacem iureiurãdo, chirographo, crucis oſculo, coram Antonio, in eius hoſpitio ſanxerunt. Quòd ad Dei gloriam ſit, Amen. In Kiueroua Horca, die xv. Ianuarij, 1582.

PROTESTATIO REGIOrum Legatorum, ab Antonio Poſſeuino admiſſa.

CVM coram me Antonio Poſſeuino à Sanct. D. N. Pont. Max. Greg. xiij. ad procurandã pacem inter Sereniſsimos Poloniæ Regem, & Magnũ Moſcouiæ Ducem miſſo, Magni Legati Stephani, Dei gratia, Regis Poloniæ, Magni Ducis Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ &c. nec non Principis Tranſſyluaniæ, Ill. Ianuſius Zbaravvski Palatin⁹ Braſlauienſis, Capitaneus Krzemenecenſis, & Pinſcenſis: Albertus Radiuilius in Olika, & Nieſvviſs Dux, Regiæ aulæ in Lituania Marſchalcus, Capitaneus Kovvnenſis: Michael Haraburda Notarius Regius in Lituania in loco, Zapolſciæ Iamo dicto, congregati fuiſſent, habuerunt ſermones & tractationes de pace, ſeu fœdere inter prædictum Sereniſsimum Regem, & inter Magnum Moſcorum Ducem Ioannem Baſilij, cum ipſius videlicet Magni Ducis Legatis, Demetrio Petrouicio Ieletzki, locum tenente Kaſrinſcij, & Romano VVaſsielievvicic Olffiroua, locum tenente Kozielſcij, cum Mikita Baſſenka Notario, & Zacharia Suicziaczieo Subnotario: Poſtulaueruntq́ue Sereniſsimi Regis Legati ſuo Principi reddi arces omnes, à Sereniſsimo Rege Sueciæ, ſub Sereniſsimo Magno Moſcorum Duce in Liuonia occupatas, hoc eſt, Rohodzieuum, aliás dictam Naruam, Sereneſcum, Adozum, Iolſczaboram, Rakobozam, Kolivvianum, aliâs dictam Reualiam, Paizam, aliàs dictam Padeza, Kolivvirum, Lichovvierzũ, Abslum, Vvicholumizum, vt Sereniſsimi Magni Moſcouiæ Ducis nomine Magni ipſius Legati renunciarent cunctis, & eas Sereniſſimo Regi traderent, inſtiterunt. Quibus Sereniſsimi Magni Moſcorum Ducis Legati reſpondẽtes dixerunt, nihil eis eſſe reliquum, quod redderent, quandoquidem Magnus eorũ Dominus eas arces non poſsideret. Quo nomine Magni Legati Sereniſsimi Poloniæ Regis ſolemniter corã me proteſtati ſunt, & Principem ſuum arces omnes in Liuonia ſitas, quas Sereniſsimus Suecię Rex teneret, recuperare velle, & debere affirmauerunt: hoc ſaltem cauto, vt ſi Sereniſſimo Regi cum Sereniſsimo Moſcorum Duce de ijs arcibus diſceptandum eſſet, vt tantùm de ijs arcibus, quas nunc Sereniſsimus Rex Sueciæ tenet, lis & diſceptatio habeatur. Quod autem ad Poloniæ Regnum, vnà cum Magno Ducatu Lituaniæ, atq; ad reliquas omnes arces in Liuonia, quęq́ue alibi Sereniſsimo Regi Polonię ſubiectæ ſunt, attinet, vt pax, quę ab vtroq; ſancietur in omnibus & ſingulis prouincijs, & arcib⁹ ijs inuiolabiliter ſeruetur: & viciſsim ne à Sereniſsimo Rege Poloniæ Magnus Moſcouiæ Ducatus, aut aliqua arx, locusve Sereniſsimo Magno Moſcouiæ Duci ſubiectus propterea infeſtetur. Quę quidem omnia litteris pacis Sereniſsimi Regis Legati inſeri voluerunt. Sed Sereniſ. Magni Moſcouiæ Ducis Legati recuſârunt, affirmantes eam pacem, quæ & quamdiu inter Principes ſancietur, iureiurando ſemel firmatam, inuiolabiliter ſeruari debere: ſic à parte Sereniſsimi Regis erga Magnum Ducatum Moſcouiæ, ceteraſq́ue omnes prouincias & arces eiuſdem Magni Moſcouiæ Ducis, quemadmodum à parte Sereniſsimi Magni Moſcorum Ducis erga Poloniæ Regnum, & Magnum Dominium Magni Ducatus Lituaniæ, ac Liuoniæ, omneſq́ue arces, ad eas, & alias Regni Poloniæ prouincias pertinentes. Pręterea ſuprà memorati Legati Sereniſsimi Poloniæ Regis, ſimul congregati cum ſupradictis Legatis Sereniſsimi Magni Moſcouiæ Ducis, coram me Antonio Poſſeuino poſtulârunt ab ijſdem Magnis Legatis Sereniſsimi Magni Moſcouiæ Ducis, vt arcem etiam Sereneſcum, quæ eſt in Liuonia, Sereniſsimo Regi Polonię traderent, eiq; perpetuò renunciarent. Ad quod Sereniſsimi Regis Legatorum poſtulatum Magni Moſcouiæ Ducis Legati reſponderunt, eam arcem Sereneſcum in Magni Domini ſui manibus, aut poteſtate non eſſe ac propterea ſe, quod non haberent, dare non poſſe, ſed Suecię Regem Sereniſsimum eam arcẽ occupauiſſe. Qua de cauſſa Sereniſs. Polonię Regis Legati corã me Antonio Poſſeuino

proteſtati ſunt, eam quoque arcem Sereneſcum de manu vel poteſtate cuiuſcunque Sereniſsimum Poloniæ Regem velle recuperare. Nos igitur quãtum potuimus, ſub beneplacito eiuſdem Sanctiſsimi Domini Noſtri Gregorij xiij. Pont. Max. ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ad effectum tantùm dictæ pacis, dictas proteſtationes admiſimus, non intelligentes hac noſtra proteſtationis admiſsione vlla ratione vel ſupradictorum Regum, & Principum, aut quorumcunq; aliorum iuri, ſi quod in ſupradictis locis haberent, vel prętenderent, præiudicare, aut derogare. Datum in Kiueroua Horca pago, ex hoſpitio meo, die XV. Ianuarij. 1582.

LITTERAE COMPOSITIONIS pacis legatorum Magni Moſcouiæ Ducis.

DEI gratia Magni Dñi, Czar atq; Magni Ducis Ioãnis Baſilij totius Ruſsiæ, Volodimiriæ, Moſcouiæ, Nouogardiæ, Czar Caſani, & Czar Aſtracani, Domini Pleſcouiæ, & Magni Ducis Smolenſciæ, Tueriæ, Iueriæ, Permiæ, Viatcię, Bulgariæ & aliorum, Domini & Magni Ducis Nouogardiæ, Niſouienſis terrę, Czernihouię, Reſanię, Roſtouiæ, Iaroslauiæ, Belozeriæ, Liuoniæ, Vdoriæ, Obdorię, Condimiæ, Siberiæ, & aliorũ: Nos Magni Domini Legati, ego aulicus Magni Domini, Czar atque Magni Ducis, & Præfectus Caſinẽſis, Dux Demetri⁹ Petri Ieletzki; ego aulicus Magni Domini Czar atq; Magni Ducis, & Præfectus Coſelnenſis, Romanus Baſilij Olpherius, ego Domini Czar atque Magni Ducis Notarius Mikita Baſſenka Nicephori filius Vereſſczahina; & ego Magni Domini Vicenotarius Zacharias Suiazeuius, conueniebamus cum Magni Domini Stephani Dei gratia Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsię, Samogitię, Maſouię, Principis Tranſyluaniæ, & aliorum, Legatis, bonæ conſtitutionis paciſq́ue ſtabiliendæ gratia: quoniã mittebat ad Magnum Dominum noſtrum, Czar atq; Magnum Ducẽ Gregorij xiij. Papę Legatus, Antonius Poſſeuinus cum litteris ſuis hominem ſuum Andream Apollonium, vt à Magno Domino noſtro miſsi Legati, ad aliquem locum vnà cum Regis Stephani legatis conuenientes, pacem facerent atq; cõſtituerent. Itaq; nos Magni Domini, Czar, atque Magni Ducis Legati, ego aulicus & Præfectus Caſinenſis, Dux Demetrius, Petri Ieletzki; ego aulicus & præfectus Coſelnenſis, Romanus Baſilij Olpherius; ego Notarius Mikita Baſſenka, Nicephori filius Vereſſczahina; & ego Magni Domini Vicenotarius Zacharias Suiazeuius conuenientes, miſsi & inſtructi à Magno Domino noſtro ad zapolſcij Iamum, inter Porcouiam & Zauolociam, in Velicolucenſi via, cum magni Domini Stephani Regis Legatis, Duce Ianuſio Nicolai Coributouij Zbaraſcij, Palatino Braslauienſe, Capitaneo Krzemenecenſe, & Pinſcenſe; Domino Alberto Radiuilio, Duce in Olika & Neſvviz, Marſchalco curiæ Magni Ducatus Lituaniæ, Capitaneo Covvnenſe, & Notario Magni Ducatus Lituanię Michaele Haraburda, conſtituimus fœdus ad decem annos, à Baptizatione Chriſti anno ſeptem milleſsimo nonageſimo ad eandem baptiſationem Chriſti anno ſeptem Milleſimo Centeſimo: ità, vt Magnus Dominus noſter, Czar atque Magnus Dux, propter bonum pacis Chriſtianę, iuſſerit cedere in partem Regis ex terra Liuonię arcem Kokenhauſen, arcem Skrocono, arcem Linneuardum, arcem Krutzborcum, arcem Borzunum, arcem Czeſtuinum, arcẽ Tricatum, arcem Roconum, arcem VVlodimiriolum, arcem Alyſtum, arcẽ Gouiã, arcem vacuam Laudunum, arcem Salaciũ, Ciuitatẽ Derpatum, Nouogardiam Liuonicã, Kerepeciũ, Mucouum, Randehã, Rynholum, Conhotã, Caulecium, Curslouiũ, Laiſium, Iaruaſum, Polczeuium, Paidam, id eſt, album Lapidem, Velium, Pernauiã antiquam, & Pernauiam nouam, cum omnibus bonis ad illas ſpectãtibus, & cum pagis illarum arcium. Præterea etiam in partem Regis Veliſium; terra autem Veliſij cum antiquis terminis & finibus, quemadmodùm fuit Vitepſcij terra cum Toropecio, terra Vitepſcij cum arce Veliſio, ad Vitepſcium, Toropecij autem ad Toropecium. In partem verò Magni Domini noſtri, Czar & Magni Ducis illę arces, quas ex ditione Magni Domini noſtri Stephanus Rex ceperat, arx Velikolukum, arx Neuelia, arx Zauolocia, atque item Rzouapuſta, arx Chelma; præterea quas arces Pleſcouienſes ex ditione Magni Domini noſtri Stephanus Rex ademit, Voronecium, Veliam, Oſtrouiam, Craſnam, vel ſi quid aliud poſteà ademerit Rex Stephanus aliorũ Caſtellorum Pleſcouiẽſium, vtì Veruam, vel Volodimirecz, Dubkouium, Viborecium, Viſſegrodum, Isborſciũ, Opokam, Godouiam, Kobilegrodiſſcze, & Sebeciũ. Hæ omnes arces in partem Magni Domini noſtri more antiquo ad Pleſcouiã, cum omnibus bonis, & pagis earum arcium cedant. Homines verò, tormenta & cõmeatus ex vtraque parte, hæc omnia ſecũdùm conſtitutionem deducenda ſunt, ſic, vt cũ venerint Magni Domini noſtri aulici, qui miſsi ſunt in Liuoniam, homines educere ex arcibus, Derpato, Nouogardia parua,

Paida Polczeuia,Iaruaſo,Perkela,Salacza, Pernaua, & Felino,tùm Regis aulici debēt curare cōgregari equos cū ruſticis Lotauis, & vehicula ad deducenda tormenta Magni Domini,quæq́ue ad ea attinent, commeatum,& Vladicam Derpatenſem, imagines,& ornamenta Eccleſiaſtica, Palatinos, & oēs homines ad deducēdos illos,res, bonaq́ue illorū,prout poterunt exportari. Vbi verò ruſticos Lotauos cōgregauerint, & dederint Magni Domini hominibus, tùm homines Magni Domini ſeptem dierum ſpacio,res,& bona ſua in curribus imponere debent,ab eo die, quo equos,& Lotauos dederint.Et vbi ſeptem dierum ſpacio omnes res ſuas in curribus impoſuerint, exire ex arce cum omnibus Pleſcouiā debent, quos Lituani proſequi,& deducere tormenta,& homines Magni Domini Pleſcouiam vſque debent: arces verò aulicis Regijs,qui ad accipiendas illas miſsi ſunt, reddere debent. Ad hæc & ex poſtremis, quas ceſsit Magnus Dux Regi Stephano, arcibus Liuonienſibus ,ex Kokenhauſen, Skrono,Linnevvardo,Krutzburgo,Borzuno,Czeſtuino, Tricato, Rocono, VVolodimericio,Aliſto,Gouia,Lauduno,Golbima,Rezica,Luza, VVlecha,Kerepecio,Mukouo,Randeha,Rinholio,Conhoto, Caulecio,& ex Curslouo pręſidium ,homines, tormenta,res omnes,& cibaria eodem modo cum Lotauis ad diem certum, & tempus conſtitutū,Menſis Martij ſcilicet quartum diem ,omnia inde deducere debent, quos Lituani Pleſcouiam vſque comitari debent. Tormenta verò Magni Domini in arces illas inducta, cum globis, & pulueribus ex omnibus Liuonicis arcibus vnà cum hominibus eodem tempore deducere debent,ſecundùm ſcriptum, quod ex vtraque parte Legati vtrinque commutârunt & acceperunt, cum ſubſcriptione manuum Notariorum. Illa autem tormenta, quæ aliqua in arce capta ſunt in Liuonia,in ijsdem relinqui debent, ſecundùm ſcriptum,quod Legati vtriuſq; partis cum ſubſcriptione Notariorū acceperūt. Quòd ſi verò commeatum,cibaria,vel ſimile aliquid vna vice cum hominibus ſimul ex arcibus deducere non poterunt, vel ſi equos tàm citò non collegerint,ea omnia homines Magni Domini noſtri in ijsdem arcibus ſub ſigillo ſuo, & cuſtodia relinquere debent,quibus aulici Regij nullum detrimentum,vel iniuriam inferre debent:imò cùm ſecūda vice ad ea accipienda venerint, aulici Regij remittere omnia per Lotauos Pleſcouiam,eodemq́ue modo Lituani deducere debent.Sic etiam & ex illis arcibus, quibus Magno Domino noſtro, Czar atq; Magno Duci Rex Stephanus ceſsit ex Velikoluko, Zauolocia ,item Rzoua, Puſta, Neuelia,Chelma, & Pleſcouienſibus caſtellis,quæ erant in poteſtate Regis Stephani, eodem modo milites Regij deduci,debēt, vnà cum tormentis , quæ inuexerat Rex Stephan⁹. Aulici verò Magni Domini,qui ad capiendas illas arces miſsi ſunt,debent congregare ſubditos illarum arcium cum equis,& dare aulicis Regijs ad deducenda præſidia,tormenta,& milites prout poterunt exportare: & cùm ruſtici cum equis congregati , & dati Regijs fuerint , eodem modo Lituani ſeptem dierum ſpacio omnem commeatum,& quidquid erit,in curribus imponentes,ex arcibus exire,& arces Magni Domini noſtri aulicis, qui ad capiendas illas miſsi ſunt, tradere debent, quiq́ue Lituanos, tormenta , & commeatum omnem comitari, & deducere debent ex Velikoluko, Chelma ,Neuelia , Zauolocia ad Oſeriſcium:ex Pleſcouienſibus verò caſtellis ad Nouogrodecam Liuonicam. Sed tormenta illarum arcium , quibuscum captæ erant ,relinquenda ſunt in ijſdem arcibus,ſecundùm ſcriptum,quod datum eſt aulicis Magni Domini:torméta verò , quæ Rex Stephanus induxit,remitti debent,vnà cum militibus. Quòd ſi vna vice commeatum,cibaria, vel aliquid ſimile euehere non poterūt; vel ſi ruſticos,equoſúe tam citò non congregauerint, reſiduum illum cōmeatū Lituani ſub ſigillo ſuo , & cuſtodia relinquere debent, quos poſteà ſecunda vice Magni Domini noſtri aulici , congregatis ruſticis,& equis,ad arces Lituanorum remittere debent , comitatumq́; mittere,vt nulla vis,iniuria,detrimentum , & incōmodum ex vtraque parte in arcibus inferatur.Quemadmodū etiam , cùm Magni Domini noſtri Czar, atq; Magni Ducis milites, Vladica cum imaginibus, Poppis,& omnibus ornamentis Eccleſiaſticis, tum Palatini,Nobiles,Sclopetarij , Coſaci, & omnes alij ex arcibus Liuonicis ducentur , his omnibus ſupradictis , tormentis,& theſauro Magni Domini in via Lituani milites ipſi vel per Lotauos,vel Germanos nullā iniuriā, vel damnum inferre debent,ſed ita comitari,ne in via interficiātur,vel ſpolientur,vel vis aliqua inferatur. Et ſecūdùm has litteras cōſtitutionis , Lituani homines Magni Dn̄i noſtri ex arcibus Liuonicis,Pleſcouiam vſque,cum omnib⁹ rebus integrè , ſine vlla iniuria ducere debēt: noſtri verò Magni Dn̄i homines illos Lotauos,equos,& quoſcunq; Regios,q eos Pleſcouiā deducēt, quāprimùm eò perduxerint, illos ſine vlla detentione remittere debēt, neq; in via inſidias ſtruere,vel iniuriā vllā inferre. Ita etiā ex illis arcibus,quas Dn̄o noſtro Czar, atq; Magno Duci Rex

Stepha-

Stephanus ceſsit,cùm milites,& omnis cōmeatus Lituanicus ex illis ducetur . Magni Domini noſtri homines in via nullum incommodum,vel iniuriam illis inferre, Lituanos non interficere , ſpoliare,vel tormenta , commeatumq́ue adimere , ita vt nullà penit⁹ illis Lituanis iniuria inferatur, ſed comitari,& deducere ex ijs arcibus , ad Regis Stephani arces cum equis,ſecundùm has cōſtitutionis litteras,debent. Hos auté homines Magni Domini noſtri, qui Regis Stephani homines comitabuntur,&eos deducent,tormentaq́ue reuehent,omnes ſine vlla iniuria,vel retentione remittere,neq; in via illos interficere, nullasq́úe inſidias illis ſtruere debent. Et ſecundùm hanc conſtitutionem Legatorum Stephanus Rex ad Magnum Dominū noſtrum Legatos ſuos magnos miſſurus eſt,eodemq́ue modo Magnus Domin⁹ noſter ad Regē Stephanū Legatos ſuos magnos mittere debet , iſtarum rerū crucis oſculo confirmandarum cauſſa,&ſecundum noſtram Legatorum conſtitutionem litteras fœderis Magnus Dominus noſter, & Rex Stephanus conſcribere, & inter ſe commutare debent. Cuius cauſſa Legatos ſuos Stephanus Rex ad Magnum Dominum noſtrum certo tempore miſſurus eſt , ad diem ſcilicet Sanctæ Trinitatis , anno ſeptem milleſimo,Nonageſimo , Magnus verò Dominus noſter , ad Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis Dei genitricis feſtum,eodem anno ſeptem milleſimo , Nonageſimo. Itaq; donec Legatio abſoluetur,inter Magnum Dominum noſtrum,& Regem Stephanum ,cùm Legati Regij apud Magnum Dominum noſtrum fuerint,hocqué iureiurando,& crucis oſculo confirmauerint:cùm etiam Magni Domini noſtri Legati apud Regem Stephanū erunt,idemq́úe illic iureiurando,& crucis oſculo confirmabunt,per id omne tempus ad præfinitos vſque decem annos, bellum ex vtraque parte geri nō debet.Et inprimis Magnus Dominus noſter Czar atq; Magnus Dux in ditiones Regis Stephani ipſe cū exercitu ſuo procedere,Senatores,& Palatinos cum militibus mittere,& loca occupare,aut capere, vllasq́ue iniurias &detrimenta in finibus,in omnibus locis ditionis Regis Stephani, inferre non debet : ita vt neq; diſsidia,nec bella inde oriantur;præſertim hoc pacis tempore non obſidere , aut obſidione cingere,arcem Kyouiam,cum omnibus bonis,& pagis:arcem Caneuium ,cum pertinentibus:arcem Czerkaſum,cum pertinentibus : arcem Zitomerum,cum bonis ſuis:arcem Ouruciam , cum pagis: arcem Linbecium,cùm pagis:arcem Homiā,cum pagis,& pertinentibus: Vuaronecium , Ieleſouium ,Ierenicium,Koſcleualeſam,Morozouicium,Lipinicium, Polezanum;arcē Furouam,cum pertinentibus: arcem Mozeram ,cum pertinentibus : prętereà Beziczum, Brachinum ,Reczicam,Horuolum, Streſsinum,Cziczerskum,Propoiskum,Mohileuium:arcem Mſcislauiam ,cum pertinentibus , & bona Chotlouienſia , arcem Kryczeuiam , cum pertinentibus , arcem Dobrounam , cum pertinentibus ,& bona Horſcium,& Romana:arcem Orſam,cum pertinentibus,& pagos Lobauiczum, Mikulina : arcem Vitepſcium,& pagos Bruſam , & Dreczychuk : arcem Surazum,& pagos Surazenſes : Vſuatum , & Oſeriſcium , arcem Veliſium , arcem Polociam, cum caſtellis , pagis,& bonis pertinentibus : arcem Kopiam, arcem Kraſny , arcem Vlam,arcem Iuroilam ,arcem Dryſſam , arcem Kopcum , & Deſna arcem Koſianum , arcem Sitnam , arcem Neſſczerdum , arcem Socolum , & ad Polociam pertinentia : arcem Lukomliam , cum pagis: arcem Bielmakovv,cum pagis:arcem Vſaczam , arcem Lebedkam , & Polocenſes pagos,Moſnicouium,Neporotouicium, Verbilouam , Slobodam,Kubcium, Viaſnium, Clinum ,Zamoſnum , Iſcium ,Neuedreum , & Horodiſczum , Kreczetam in lacu Othulouio ſitam : Nacuhonum,cū pertinentibus : arcem Druiam, cum pertinentibus: arcem Iſſkauum cum pertinentibus. Adhæc Magnus Dominus noſter, Czar , atque Magnus Dux Ioannes Baſilij Ruſsiæ , nulla bella , impedimenta, &iniurias inferre , neque aduerſus Curlandiæ terram bellum gerere debet: nec non arces in terra Liuonię ,arcem Rigam maiorem, & arcem Rigam minorem , arcem Dalenum,arcem Kircholmum,arcem Kokenhauſen,arcem Skrovvno,arcem Linnevvardū ,arcem Krutzborcum,arcem Iskilum,arcem Radohoſium,arcem Dunemūdam,arcē Iueſum , tres arces Kremonū,itē Iuraniam,Ireidenum,Ziguoldum , arcem Sonſelum ,arcem Nitouam , arcem Iurenborcum , arcem Narbium,arcem Roſenbecum , arcem Roſenum,arcem Lemſinum, arcem Moianū,arcem Litoperū,arcē Keſiam ,arcem Orliam , arcem Nievvhenam, arcem Pebalgum , arcem Skuinam ,arcem Zerbenum , arcem Smilitinum , arcem, Borzunum,arcem Czeſtuinum,arcem Tricatum,arcem Rovvny,Horodiſczū,Laudunum, Horodiſczum,Holbinam,arcem Rezicam,arcem Luzum,arcem Vlechum, arcem Volodimericium,arcem Iliſenum, arcem Pletenberckum , arcem Alyſtum, arcem Vekelum , arcem Nouogrodecam, Liuonicam , arcem Kerepecium , arcem Gouiam, Kurslouium , arcem Iurienum,

Mukouum, Randekum, Rynholum, Conhotum, Caulecium, Laisium, Borcholmú, Polczeuiam, Paidam, Vilianum, Iaruasum, Pernauam antiquam, & Pernauam nouam. Fines autem omnium arcium ijdem, vt antiquitus fuere, esse, & permanere debent. Eodem modo etiá Magnus Dominus Stephanus, Dei gratia, Rex Poloniæ, & Magn' Dux Lituaniæ, ipse cum exercitu suo cótra Magnum Dominum nostrum, Czar, atq; Magnum Ducem Ioannem Basilij Russiæ, & terram, dominiaqúe ipsius bellum gerere, Senatoresqúe & Palatinos cum militibus mittere: loca denique in dominio Magni Domini nostri occupare, vel oppugnare, & finitimis nullam iniuriam, detrimentumue hoc pacis tempore inferre non debet: neque bellare, vel impedire Magni Domini nostri terram Moscouię totam, & Nouogardiam magnam, pagos, & ad eá dem pertinentia: arcem Plescouiam, & castella Plescouiensia: Opokam, Crasná, Ostrouiam, Veliá, Voronecium, Isborscú, Vdouam, Kobilium, Vrná, Dubkouiá, Visze horodum, Volodimericium, & pagos Plescouienses, cum terra Plescouiensi tota, arcé Sebesium, cum pagis, arcem Tueriá, terramque Tueriensem totá, arcem Pereslanum Resaniensem, & Resaniensem terram totá, arcem Pronskum, terramqúe ipsius nó vastare, neque illi bellum inferre debet. Præterea idem Magnus Dominus Stephanus Dei gratia, Rex Poloniæ, & Magnus Dux Lituaniæ, & has arces Magni Domini nostri eodé pacis tempore infestare nó debet: arcem Kilska, cum pagis: arcem Puteilam, cú pagis: arcem Nouogardiam Seueriésem, cum pagis: arcem Radohofsczum, cú pagis: arcem Czernihouium, cum pagis: arcem Starodubum cum pagis: arcem Poczepam, cum pagis: arcem Poczepouihori, cum pagis: pagosque Sulesiú, Babocium, Suetilouicium, Holodnum, Scarbouicium, Lapecium: arcem Caraczeuium, cum pagis, pagosque Chotemliam, Snoroscium, Chorobouium, Milinium, Dracouium: arcé Irubczescum, cum pagis: arcem Mosalscum, cú pagis: arcé Serpaicum, cum pagis, pagosq; Zamosam, Iucharczeuam, Dusnam, Dhominiciú, Pohostum, Mosſczinum, Demenú, Horodenuum, VVrepeietum, Snopohum, Couilnum, Sariam, Lazoreuam, Horodissczam, Blezeuicium, Lubunum, Danilouicium: arcem Branskam, cum pagis, pagosq; Solouicios, Prikladneuium, Panciná, Theodoreuiú, Osouicú, Kopinicium, Suchoziú, VVszechlaulium, Doronniú, Zernium: arcé Roslauliá, cum pagis: arcem Smolenscium, cú itinerib⁹, pagis, & omnibus pertinétibus, pagosq; Ieloucium, Eoluaniciú, Lazoreusczinum, Pustosielium, Romanouium, Kopotkouicium, Molechnam totam, & quidquid ad eam pertinet. Et Petrouij Derzauiam, Lotouá, zuerouicium, Dubrouienscij Putium, Catinú, Caspliam, Dorecziá, Radissczuniam: arcem Msczenscum, cum pagis: arcem Opakouiam, cum pagis, pagosqúe Zalidouiam, Nedothodouiá, Biscouicium, Lyczinú: arcem Viasmá, pagosq; ad illam spectantes: arcem Drohobuscum, & pagos ad eam antiquitus pertinentes: arcem Beliam, cum omnibus bonis ad eam spectantibus, VVerchouia, & Bolsouia, & Septouio, & Monimdoua Sloboda: arcem Velikolukum, & pagos Velikolucenses, Dolisiam, Beresaniam, Vsuiam, Lovvciú, Vesnibolohum: arcem Chelmam, & pagos ad illam pertinentes, Velilam, Lopasticá, & Buicium: arcem Zauolociam, Rzouampustam & Rzouenses pagos: arcem Neueliam: arcem Toropecium, & omnes pagos Toropecienses, Dancouium, Luibutum, Dubnú, Roznum, Turum, Biberouam, Starczeuiam, Nezelscium, Plauetscium, Zezetscium, Osereciam, Cazarinovvsczinum. Fines autem his omnibus arcibus ij, qui antiquitus fuerunt, esse debent: & hæc omnia ex vtraq; parte, secundum has constitutionis litteras nostras, & nostrum iuramentú, crucisque osculum, firmiter, & inuiolabiliter seruari debent, quodqué ipsi crucis osculo confirmantes, & literas pacis commutantes, hoc fœdus ita tenere debent. Legatis verò, qui à Magno Domino Stephano Rege, ad Magnum Dominum nostrú Czar atq; Magnum Ducem mittentur, venire, & redire ad Regem Stephanum, sine vlla retentione, cum omnibus hominibus, & bonis ipsorum secundùm litteras patétes Magni Domini, liberum erit. Et quando ad Magnum Dominum nostrum Stephanus Rex Legatos suos miserit, tùm Stephanus Rex illis Legatis suis plenam Instructioné de Captiuis liberandis, & qui sunt in Lituania Captiui Magni Domini nostri, quomodo liberari debeant, dare tenebitur. Quòd si aliqua iniuria, inter finitimos incolas interea temporis ex vtraq; parte orta fuerit, tùm Palatini, & locum tenentes Præfecti, vbiq; in finitimis arcibus, per omnes ditiones ex vtraque parte, intra id temporis spacium de illis iniurijs inuicem mitti, qui iustitiam ex vtraque parte administrare, & malos punire debent. Supra hæc omnia nos Magni Domini, Czar, atque Magni Ducis Ioannis Basilij Russiæ, legati, ego aulicus & Præfectus Casinensis, Dux Demetrius Petri Ieletzki: ego aulicus, & Pręfectus Coselnensis, Romanus Basilij Olpherius: ego Notarius Magni Domini, Mikita Bassenka Nicephori filius Versſczahina: & ego Magni Domini Vicenotarius,

rius, Zacharias Suiazeuius, cum Magni Domini Stephani, Dei gratia Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituaniæ Legatis, Duce Ianusio Nicolai Zbaraski, Palatino Braslauiense, Capitaneo Krzemenecense, & Pinscense: Domino Alberto Radiuilio, Duce in Olyca, & Niesvviz, Marschalco curiæ Magni Ducatus Lituaniæ, Capitaneo Covvnense: & Notario Magni Ducatus Lituaniæ Michaele Haraburda, pacem conclusimus, & litteras constitutionis conscripsimus, signaqúe nostra ijsdem subappendimus, litterasque vicissim accepimus, & crucis osculo confirmauimus. Prætereà quoque crucem super his omnibus osculati sumus, quòd pręter has constitutionis litteras inter Magnum Dominum nostrum Czar, atque Magnum Ducem, & Magnum Dominum Stephanum Polonię Regem, & Magnum Lituaniæ Ducem, res aliter fieri non debent. Et de hac pacis constitutione conclusionem fecimus, & crucis osculo cófirmauimus, coram Legato Gregorij Papę xiij. Antonio Posseuino. Scriptum in Iamo Zapolscij, Anno septem millesimo, Nonagesimo, Mense Ianuario.

SVBSCRIPTIO CVM SIGILLIS.

Ego Magni Domini, Czar, atq; Magni Ducis Notarius, Mikita Bassenka Nicephori, fili⁹ Veressczahina, has constitutionis litteras manu mea subscripsi.

Ego Vicenotarius Magni Domini, Zacharias Suiazeuius, has constitutionis litteras manu mea subscripsi.

Et scriptæ hæ cóstitutionis litteræ in duobus folijs coniunctis, conglutinatis, infraque scriptum: Notarius Bassenka Verescza hina.

LITTERAE COMPOSITIONIS pacis Legatorum Serenissimi Poloniæ Regis.

NOs Magni Domini Stephani, Dei gratia, Regis Polonię, & Magni Ducis Lituaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Principis Transyluaniæ, & aliorum, Legati, Dux Ianusius Nicolai Coributouicza, Zbaraski, Palatinus Braslauiensis, Capitaneus Krzemenecensis, & Pinscensis: Albertus Radiuilius Dux in Olyca, & Niesvviz, Marschalcus curiæ Magni Ducatus Lituaniæ, Capitaneus Covvnensis, & Michael Haraburda, Secretarius Regiæ Maiestatis Magni Ducatus Lituaniæ, secundùm mandatum Magni Domini Nostri conuenimus cum Magni Domini Ioannis Basilij, Dei gratia, Domini Russię, & Magni Ducis Volodimeriæ, Moscouię, Nouogardię, Casanię, Astracaniæ, Plescouiæ, Iueriæ, Tueriæ, Permiæ, Viatciæ, Bulgariæ, & aliorum, Legatis, aulico & Præfecto Casinense, Duce Demetrio Petri Ieletzki: aulico & Præfecto Coselnense, Romano Basilij Olpherio: Notario Mikita Bassenka, Nicephori filio Veressczahina, Vicenotario Magni Domini Zacharia Suiazeua, de pace, & bona collocutione. Miserat enim ad Magnum Dominum Ioannem Basilij, Dei gratia, Dominum Russiæ, & Magnum Ducem, Sanctissimi Papę Romani Gregorij xiij. Legatus, R.P. Antonius Posseuinus cum litteris hominem suum Andream Apolloniú, vt cum Magno Domino nostro Stephano Rege, & Magno Duce, missis ad aliquem locum Legatis suis, pacis constitutionem facerent. Itaque nos Magni Domini Stephani Regis Legati, Ianusius Nicolai Zbarascius, Palatinus Braslauiensis, Albertus Radiuilius Marschalcus curiæ, & Michael Haraburda Notarius, conuenientes in Iamo Zapolscij, inter Porchouiam, & Zauolociam, in Velicolucensi via, cum Magni Domini Ioánis Basilij, Dei gratia Domini Russiæ, & Magni Ducis Legatis, aulico & Præfecto Casinense, Duce Demetrio Petri Ieletzki, aulico & Præfecto Coselnense, Romano Basilij Olpherio, cum socijs, fœdus ad decem annos, à Baptizatione Christi anno septem millesimo, nonagesimo, ad idem festum Baptizationis Christi anni septem millesimi centesimi, super his sanximus: Quòd Magnus Dominus noster Stephanus Rex propter pacem Christianam iusserit cedere Magno Domino Ioanni Basilij Dño Russiæ, & Magno Duci arces, quas Magnus Dominus noster à Domino, & Magno Duce ceperat, arcem Velikolucum, arcem Neueliá, arcem Zauolociam; item Rzouampustam, arcem Chelmá, cum omnibus pagis, & alijs ad illas arces pertinentibus; & Plescouiensia castella, Voronecium, Veliam, Ostrouiam, Crasnam, & quidquid nunc Magnus Dominus noster ex arcibus Plescouiensibus acceperit, vtì Vieuiam, Volodimericium, Dubkouium, Veszegrodum, Viborecium, Isborscium, Opokam, Gdouiam, Kobilegrodissciium & Sebesium, hæ omnes arces in partem Magni Domini & Magni Ducis, more antiquo, ad Plescouiam pertinere debent. Et in partem Magni Domini nostri Stephani Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituaniæ, Magnus Dominus Ioánes Basilij, Dei gratia, Dominus Russiæ, & Magnus Dux, iussit Legatis suis cedere in terra Liuoniæ arcem Kokéhausen, arcem Skrounam, arcem Linnevvardum, arcem Krutzborcú, arcem Borzunum, arcem Czestuinum, arcé Tricatum, arcem Rovvnum, arcem Volodimericium, arcem Alistum, arcé Houiá,

Horodiſczũ, Laudunum, Horodiſczum, Holbinum, arcem Rezicam, arcem Luzũ, arcem Vlechum, arcem Percolam, arcem Salaczum, arcem Iorieuum aliâs Derpatum, Nouogardiam Liuonicam, Kerepecium, Mucouiam, Randekum, Rinholiã, Conhotum, Cauletam, Kurslouiam, Laiſum, Taruaſum, Polozeuiam, Paidã, alias album lapidem, Vilianum, Pernauiam antiquam, & Pernauiam nouam, cum omnibus bonis, ad eas pertinentibus. Præterea in partem Magni Domini noſtri Veliſium ceſsit, vnà cum Vitepſcij terra, cum arce Veliſio ad Vitepſcium, & terra Toropecij ad Toropeciũ ipſum. Terræ autẽ Veliſij antiqui fines eſſe debent, ſicut erant terræ Vitepſcij cum Toropecij terra. Homines verò, & tormenta, commeatusq́ue ex arcibus vtriuſque partis deducenda ſunt ſecundùm conſtitutionem: ita vt cùm venerint illuc Aulici Magni Domini noſtri, qui Velicolucum, Neueliam, Zauolociam, item Rzouampuſtam, Chelmam, & ad Pleſcouienſes arces, quæ ſunt in poteſtate Magni Domini noſtri, ad deducendos homines, milites, tormenta, quæ Magnus Dominus noſter illuc induxit, & omnem commeatum miſsi ſunt: tùm Magni Domini, & Magni Ducis aulici miſsi ad accipiendas illas arces ab aulicis Magni Domini noſtri, congregatis equis, & curribus, eos aulicis Magni Domini noſtri ad auehenda tormenta, pulueres, & globos commeatumq́ue omnem, milites, Palatinos & vniuerſos homines illos, & bona illorum, prout exportari poterunt, dare debent. Et cùm ruſtici cum equis congregati, & dati fuerint, tùm homines Magni Domini noſtri ſeptem dierum ſpacio ab eo die, cùm currus dati fuerint, in eoſdem omnia imponere, & poſt ſeptem dies ex arcibus exire, arces verò & tormenta Magni Domini, & Magni Ducis aulicis miſsis ad accipiendas illas reddere debent: qui acceptis arcibus, homines Magni Domini noſtri, & tormenta ex arcibus Velikoluki, Chelma, Neuelia, Zauolocia, ad arcem Magni Domini noſtri Oſeriſcum, ex Pleſcouienſib⁹ verò arcibus ad Nouogardiam Liuonicam comitari, & deducere debent. Tormenta verò vetera, quæ in arcibus ijs, cùm captæ ſunt, fuerunt, relinquenda, & reddenda ſunt cum arcibus Magni Domini, & Magni Ducis aulicis, ſecundum ſcripta aulicis data. Inuecta verò tormenta quæ Magnus Dominus noſter in easdem arces induxit, deducenda ſunt vnà cum hominibus, ſecundum ſcripta, quæ Legati vicißim inter ſe cum ſubſcriptione manuũ Notariorum commutarũt. Quod ſi aliquem commeatum, cibaria, vel aliquid ſimile ex arcibus vna vice ob penuriam hominũ, vel equorũ euehere non poterunt, id reſiduũ quidquid reſtabit, homines Magni Domini noſtri ſub ſigillo ſuo, et cuſtodia in ijsdem arcibus relinquere, Magni verò Domini, & Magni Ducis homines huic cuſtodiæ, commeatuiq́; nullam iniuriam, damnumq́ue inferre, ſed ſecunda vice Magni Domini, & Magni Ducis aulici congregatis ruſticis, & equis, commeatum illum, & quicquid relictum fuerit, ad arces Magni Domini noſtri Oſeriſſcum, & Nouogardiam Liuonicam remittere, & deducere debent. Eodem modo & ex illis arcibus, quas Magno Domino noſtro Magnus Dominus, & Magnus Dux ceſsit, cùm venerint aulici Magni Domini & Magni Ducis, miſsi ad deducendos ex arcibus Liuonicis homines, ex Derpato, Nouogardia Liuonica, Paida, Polczeuo, Taruaſo, Laiſo, Percolia, Salaczo, Pernauia, Vilia, tum Magni Domini noſtri aulici ruſticos Lotauos, cum equis, & curribus ad deducenda Magni Domini, & Magni Ducis tormenta, pulueres, globos, commeatum, Vladicam Derpatenſem, imagines, & ornamenta Eccleſiaſtica, Palatinos, & omnes homines, illorumq́ue bona, vt poterunt, exportari, congregare debent. Et cùm iã ruſticos & equos congregauerint, tum Magni Domini, & Magni Ducis homines ab eo die, quo equi dati fuerint, ſeptem dierum ſpacio, omnia curribus impoſita ex illis arcibus cum omnibus rebus ſuis Pleſcouiam ire, arcesq́ue Magni Domini noſtri aulicis ad accipiendas illas miſsis tradere, noſtri autem Magni Domini homines Magni Domini, & Magni Ducis tormenta, & homines cum omnibus bonis illorum Pleſcouiã comitari, & deducere debent. Deindè ex vltimis arcibus Liuonicis, quas Magnus Domin⁹, & Magnus Dux, Magno Domino noſtro Regi, & Magno Duci ceſsit, vti ex Kokéhauſen, ex Skrovvno, Lenvvardo, Krutzborco, Borzuno, Czeſtuino, Tricato, Rouno, Volodimerecio, Aliſto, Gouia, Lauduno, Holbino, Rezica, Luza, VVlectto, Kerepecio, Mukouia, Randeho, Rinholia, Conhoto, Cauleto, & Curslouia, homines, & commeatum omnem eodem modo cum ruſticis Lotauis ad tempus certum, ad diem quartam menſis Martij deducere, & euehere debent. Quos Magni Domini noſtri homines, tormenta, homines, & omnia comitari, & deducere Pleſcouiam vſq; debent, tormenta verò inuecta, pulueres, & globos ex ijsdem arcibus Liuonicis, vnà cum hominibus, eodem tempore ſecundũ ſcripta, quæ inter ſe vicißim Legati acceperunt, cum ſubſcriptione manuum Notariorum, Magni Domini, & Magni Ducis Notarij Mikitæ Baſſenka Vereſczahina, & Zacha-

Zachariæ Suiazeuij Vicenotarij, Magni verò Domini Regis, & Magni Ducis Notarij Michaëlis Haraburdæ deduci debent. Sed illa tormenta, cum quibus arces Liuonicæ captæ ſunt, ſecundùm ſcripta, quæ itidem Legati vicißim inter ſe cum ſubſcriptione manuum Notariorum acceperũt, in ijſdem arcibus Liuonicis relinquenda ſunt. Quòd ſi vna vice aliquos commeatus, ob ruſticorum, vel equorum penuriã, ex iſtis arcibus euehere nõ poterunt, hos Magni Domini, & Magni Ducis homines in ijſdem arcibus, cum obſignatione, & cuſtodia relinquere, Magni autem Domini noſtri homines huic commeatui, cuſtodibusq́ue nullam iniuriam, vel damnum inferre, ſed ſecunda vice ijdem Magni Domini noſtri homines illos Magni Domini, & Magni Ducis hominum commeatus comitari, & Pleſcouiam vſque deducere debent. Inſidiæ autem, iniuriæ, detrimenta, & damna in omnibus arcibus ex vtraque parte fieri non debent, cùm homines Magni Domini, & Magni Ducis ex arcibus Liuonicis, Vladicam Derpatenſem cũ imaginibus, & omnibus ornamentis Eccleſiaſticis, Poppos, & pertinentia ad Eccleſias, Palatinos, & filios nobiliũ, ſclopetarios, Coſacos, & vniuerſos homines euehere, & educere incipient. His omnibus ſupradictis, Vladicæ, & alijs in via Magni Domini noſtri homines nullam iniuriam, damnum, incommodumúe inferre: ſed ne per Lotauos, vel Germanos interficiantur, vel ſpolientur, curare debent. Secundùm has conſtitutionis litteras, Magni Domini noſtri Regis, & Magni Ducis homines, & tormenta, ex arcibus Liuonicis deducta, Pleſcouiam comitari, & per eoſdem Lotauos deducere debent. Hos verò homines Magni Domini noſtri, qui eos comitabuntur, & Lotauos, qui illos Pleſcouiam ducent, quàm primùm Pleſcouiã attigerint, ſine vlla retentione iterum remittere, nec iniuriam, damnumq́ue illis inferre, nec interficere, vel inſidias illis ſtruere debent. Eodem modo illis Magni Domini noſtri hominibus, cùm ex his arcibus, quas Magnus Dominus noſter Rex, & Magnus Dux, Magno Domino, & Magno Duci ceſſit, ducentur, nulla iniuria, vel damnum in via à Magni Domini hominibus inferri; & nec interficere illos, neq; ſpoliare, nec tormenta auferre, nullumq́ue penitus illis incommodum inferre debent; ſed comitari, & deducere illos ad Magni Domini noſtri, & Magni Ducis arces ſecundùm has conſtitutionis litteras debent; & illos quicunque comitabuntur, & ducent Magni Domini noſtri homines, iterum ſine vlla offenſione, vel iniuria, vt in via damnum aliquod illis non inferatur, neq; interficiãtur, remittere debent. Et ſecundùm hanc noſtram conſtitutionem, Magnus Dominus noſter Rex, & Magnus Dux, ad Magnum Dominum, & Magnum Ducem Legatos ſuos Magnos miſſurus eſt; eodemq́ue modo Magnus Dux ad Magnum Dominum noſtrum Legatos ſuos magnos, eius rei crucis oſculo confirmandæ cauſa, mittere debebit. Secundùm has noſtras conſtitutionis, & fœderis litteras Magnus Dominus noſter Rex, & Magnus Dux, cum Magno Domino, & Magno Duce vicißim commutare debet: Legatosq́ue ſuos Magn⁹ Dominus noſter, ad Magnum Dominum, & Magnum Ducem miſſurus eſt, ad tempus & diem certum, feſtum ſcilicet Trinitatis ſanctißimæ proximè futurum, anno ſeptem milleſimo Nonageſimo, & Magnus Dominus atque Magnus Dux eodẽ modo Legatos ſuos mittere debet ad Magnũ Dominum noſtrum, ad tempus, & diem certum, nempè Aſſumptionis puríßimæ Dei Genitricis futurum feſtũ, eodem anno ſeptem milleſimo Nonageſimo. Et quouſq; Legatio inter vtrumque Magnum Dominum abſoluetur, & à Magnis Dominis crucis oſculo confirmabitur, per id omne tempus (vt & poſteà ad conſtitutos vſque decem annos) bellum ex vtraq; parte geri nõ debet. Quapropter ipſe Magnus Dominus noſter Rex Poloniæ, atq; Magnus Dux Lituaniæ, contra Magnum Dominum Ioannem Baſilij, Dei gratia, Dominum Ruſſiæ, & Magnum Ducem, terram, & Dominia ipſius bellum gerere non debet; ipſe cum exercitu non procedere; neque Senatores, & Palatinos ſuos mittere: loca non occupare, nec poſſidere: in finibus deniq; bellum, & diſcordias non mouere, nullaſq́ue iniurias inferre: non bellare, neque impedire, per omne id fœderis tempus, Magni Ducis Moſcouiæ terram totam, Nouagardiam magnam, & pagos Nouogardiẽſes, terramq́ue Nouogardienſem totam: arcem Pleſcouiam, & Caſtella Pleſcouienſia, Opokam, Craſnum, Oſtrouiam, Veliam, Voroneciũ, Isborſciũ, Gdouiã, Cobiliam, Vreuiam, Dubkouiã, Viſzegrodũ, Volodimericiũ, & pagos Pleſcouienſes, terramq́; Pleſcouienſem totam: arcem Sebeſium, bonaq́; Sebeſienſia, arcem Tueriæ, & terram Tuerienſem totam: arcem Preslauliam Reſanienſem, & terram Reſaniæ totã, arcem Pronſciã, & Pronſciæ terrã totam. Sic nec bellare, neque aliqua re impedire debet Magnus Dominus noſter Rex Poloniæ, & Magnus Dux Lituaniæ Stephanus has arces Magni Domini Ioannis Baſilij, Dei gratia, Dñi Ruſsiæ, & Magni Ducis, toto fœderis tempore, arcẽ Rylſciam, cum pertinentibus: arcem Putimliam, cum pagis: arcẽ Nouogrodecam

decam

decam Seuerienſem,cum pagis; arcem Radohoſcium, cum pagis;arcem Czernihouiam,cum pagis;arcem Starodubum, cum pagis;arcem Poiam,cum pagis;arcem Popeuihoriam,cum pagis: pagosq́ue Zaleſiam, Babicium,Suetilouicium, Holodnã, Scarbouiczũm, Lapicium; arcem Caraczeuiam,cum pagis:pagosq́ue Chotimbiũ, Snouiam,Choroborũ,Mglinum, Drocouiam: arcẽ Trupczeſſcum,cum pagis:arcem Moſalſcium, cum pagis: arcem Serpiſcium,cũ pagis, pagosq́ue Zamoſnum, Iuchaczeuiã, Degnã,Hominicium,Pohoſticiã,Moſſczinam,Horodecznam, Vzipericium,Snopotum,Couilnum,Suiam,Lazareuam, Horodiſſczam,Blizeuicium, Kubolouiciũ, Danilouicium: arcem Branſcium,cum pagis, pagosq; Solouicios, Prikladnam, Pacinam, Iridorovvnam, Oſouicum, Copinicium, Iucharum, Vſieslaulum, Voronium,Zirinum:arcem Roslaukam, cum pagis:arcem Smolenſcium, cum itineribus,pagis,& bonis pertinentibus, pagosq́ue Ielouciũ, Boluanicium, Lazorevvſſczinam, Puſtoſieliam,Romanouiam, Copotkouicium, Molochnam, & ad eos pertinentia,& Petrouij Dzerſauiam, Cutouiam, Izucreuiciã Dubrouienſem,Putiam,Catinam,Caſpariam, Poreczam,Rudiſſtziczeiam: arcem Mſcenſcum,cum pagis Horodiſſczum, Dmitrouezium:arcem Meſceſcum, cum pagis; arcem Opokonam, cum pagis, pagosq́ue Zalidouiam, Niedochouiam, Biſcouicium, Lyczanam:arcem Viazmam,pagosq́; Viazmæ:arcem Dorohobuziam, & pagos Dorohobuziæ, quodq́ue antiquitus ad illam ſpectat:arcem Belam, cum pagis, & Verchouiam,& Bolſſeuiam, Soptouiam, Monouidouiam,Slobodam, arcem Velikolucum, pagosq́ue Velicolucenſes, Dolicam, Bereſaiam, Vſuialovvcum, Veſnam, Boloham: arcem Chelmam, pagosq́ue illius, Velilam,Lopaſcicam,& Buzcam: arcẽ Zauolociam, item Rzouampuſtam, & pagos Rzouiæ,arcem Neueliam: arcem Toropeciam,& omnes pagos Toropeciæ, Daucouiam,Lubutam, Dubnam, Roznam, Ihuram,Bibiumam,Starcouiam, Nizelſciam, Plauitſciam, Zizetſciam, Ozeretciam, Caſarinouiam.Fines autem omnibus arcibus, more antiquo,vt ante fuerunt,eſſe debent.

Eodem etiam modo Magnus Dominus Ioannes Baſilij,Dei gratia, Dominus Ruſſiæ, & Magnus Dux ipſe contra Magnum Dominum noſtrum Stephanum, Dei gratia, Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lituaniæ,& omnia Dominia,& terram ipſius,exercitum ſuum cum Senatoribus,vel Palatinis mittere, locaq́ue & bona occupare, & poſsidere non debet: nec in finibus vllibi locorum pugnare: neque iniuriam, & damnum, impedimentaq́ue facere hoc fœderis tempore contra totam terram, & arces eius: vtì cõtra Kyouiam, cum bonis, & pertinentibus ad eam:arcem Caneuiam, cum pertinentibus:arcem Ozerkaſſum,cũ pertinentibus: arcem Zitomerum, cum pertinentibus:arcem Liubeczum, cum pertinentibus:arcem Homiam, cum pertinentibus,& pagos Vuarouicium, Teleſouicium, Tereniczum, Coſeleualeſum, Murozouicium, Lipinicium, Poleſanum:arcem Turouam,cum pertinentibus: arcem Mozyrum,cum pertinentibus,bonaq́ue Bezychum,Brachiniam, Recziczam, Horuoliam,Streſsinũ, Cziczerskum, Propoiskum, Mohileuum,arcem Mſcislauam, cum pertinentibus, pagosq́ue Chotlauiciæ; arcem Kriczeuiam, cum pertinentibus, arcẽ Dubrounam,cum pertinẽtibus, bonaq; Horſcium, & Romanoua; arcem Orſam, cum pertinentibus, pagosq́ue Lubauicium, Mikulinum:arcem Vitepſcium,pagosq́; Druſam,Dreczidluk; arcem Surazum, pagosq́; Suraziæ, Vſuiatum, Oſeriſſczum: arcem Velisium,& arcem Polociam, cum ſuis arcibus,& pagis:arcem Copiam,arcem Kraſnum,arcem Vlam, arcem Turouliam, arcem Dryſſam,arcem Kopcam, & Dziſsnã, arcem Koſianam, arcem Sitnam, arcẽ Neſſczerdum: arcem Sokolum, & ad Polociam pertinentia: arcem Lukoliam, cum pagis:arcem Bielmacouiam, cũ pagis:arcem Vſaczam, arcem Liebedkam, & Polocenſes pagos, Noſnicouium, Nieporotouiciũ, Verbilouã,Slobodã, Cubcum, Viaznum, Clinum, Zamoſnum,Iſcium,Neuedrium, & Horodiſczum, Creczetum in Otulouo lacu ſitum:arcem Diuiam, cum pagis, arcem Ikaſuam cum pertinentibus. Præterea Magnus Dominus Ioannes Baſilij, Dei gratia,Dominus Ruſsiæ, & Magnus Dux non debet pugnare, nulloq́ue modo impedire Curlandiæ terram totam, arcesq́ue in terra Liuoniæ,arcem Rigam maiorem,arcem Rigam minorem, arcem Dalenum, arcem Kirchholmum,arcem Kokẽhauſen, arcem Skrovvnam, arcem Linvvardum, arcem Krutsborcum, arcem Iskilum, arcem Radopſum,arcem Dunemunam, arcem Iueſum, tres arces Cremonum, item Turainam,Treiedenum, Zegualdum, arcẽ Zonſelum, arcem Nitouam, arcem Iurenborcum, arcem Narbeium, arcem Roſenbecum,arcem Roſenum, arcem Lemſinum, arcem Moianum, arcem Letoperum, arcem Kieſiam, arcem Orliam, arcem Nievvhenam,arcem Pebalgum, arcem Skuinam,arcem Serbenum, arcem Smiltinum, arcem Borzunum, arcem Czeſtuinum,arcem Tricatum, arcem Rovvnam, arcem Sczalendunũ, arcem Sczaholbinũ, arcem

Rezicam,

Rezicam,arcem Luzam, arcem Vlechum, arcem Volodimericium,arcem Iliſenum, arcem Plettenbergum,arcem Aliſtum,arcẽ Vekerum,arcẽ Vekeliam,arcẽ Nouogardiam Liuonicam, arcem Kerepeciũ,arcem Gouiam,& Curslouũ,arcem Derpatũ, Mukouum,Randehum, Rynholam, Cõhotũ, Cauletum,Laiſum,Borcholmum, Polczeuiam,Paidam,Viliam,Iaruaſum, Pernauiam antiquam,& Pernauiam nouam. Fines autem omnibus arcibus debent eſſe, vt antiquitus fuerunt. Et hæc omnia firmiter ex vtraque parte teneri debent, ſecundum has noſtras conſtitutionis litteras, noſtrumq́ue crucis oſculum: & quando hæc crucis oſculo confirmabunt, litterasq́; fœderis viciſsim mutabunt, ſecundum illud, hoc fœdus tenere debent. Legatis autẽ Magni Domini noſtri Regis Poloniæ, & Magni Ducis Lituanię, quos mittet ad magnũ Dominum, & Magnũ Ducem, venire, & redire ad Dominum noſtrũ, ſine vlla retentione, cum omnibus hominibus, & bonis ſuis ſecundùm litteras Magni Ducis patentes, liberum erit. Et cùm Magnus Dominus Stephanus, Dei gratia, Rex Polonię, & Magnus Dux Lituaniæ, mittet Legatos ſuos ad Magnum Dominum, Dei gratia, Dominum Ruſsię, & Magnum Ducem, tum Magnus Dominus noſter Legatis ſuis de captiuis liberandis plenam Inſtructionem dare debebit, quánam ratione captiui Magni Domini, & Magni Ducis, qui ſunt apud Magnum Dominum noſtrum liberari poſsint. Ad extremum, ſi acciderit aliqua iniuria, vel damnũ finitimis hominibus, tùm ex vtraq; parte Palatini, Locum tenentes, & Præfecti ex arcibus finitimis ad id tempus, de omnibus iniurijs inter ſe mittere, iuſtitiamq́ue ex vtraque parte adminiſtrare, malos, & noxios punire debent. Supra his omnibus, nos Magni Domini Stephani, Dei gratia, Regis Polonię, & Magni Ducis Lituanię, Legati, Dux Ianuſius Nicolai Coributouicz Zbaraſcius Palatinus Braslauienſis, Capitaneus Krzemenecenſis, & Pinſcenſis: Albertus Radiuilius, Marſchalcus curiæ Magni Ducatus Lituanię, Capitaneus Covvnenſis, & Michael Haraburda Notarius, cum Magni Domini Ioannis Baſilij, Dei gratia, Domini Ruſsię, & Magni Ducis Legatis, aulico & Præfecto Caſinenſe, Duce Demetrio Petri Ieletzki: aulico & Præfecto Coſelnenſe: Romano Baſilij Olpherio: Notario Mikita Baſſenka, Nicephori filio Vereſſczahina: Vicenotario Zacharia Suiazeuio, de pacis conſtitutione concluſionẽ fecimus, litterasq́; conſtitutionis cõſcripſimus, & ſigillis noſtris muniuimus. Prętereà & manu ſua Michaël Haraburda Secretarius ſubſcripſit: litteras etiam viciſſim inter nos mutauimus, crucisq́; oſculo confirmauimus: crucemq́ue ſupra his oſculati ſumus, quòd pręter has cõſtitutiõis litteras noſtras, inter Magnum Dominũ Stephanum, Dei gratia, Regem Poloniæ, & Magnum Ducem Lituanię, & Magnum Dominum Ioannem Baſilij, Dei gratia, Dominum Ruſsiæ, & Magnum Ducem, ex vtraq; parte nihil aliter fieri debet. Hancq́; pacis conſtitutionem cõcluſimus, & crucis oſculo confirmauimus, in pręſentia, & corã Legato Sanctiſsimi Pont. Romani Gregorij xiij. Reuerẽdo Antonio Poſſeuino. Scriptum in Zapolſcijlamo, anno à condito mũdo ſeptem milleſimo Nonageſimo, menſe Ianuario. A natiuitate verò Chriſti Saluatoris noſtri M.D.LXXXII.

Hę litterę ſubſcriptę ſunt manu Michaëlis Haraburdę, Secretarij Magni Domini Stephani, Regis Polonię, & Magni Ducis Lituaniæ, ita videlicet: Michael Haraburda, has conſtitutionis litteras manu ſua ſubſcripſit.

In cõiunctis verò folijs, notatum ex alia parte, Notarius Michael Haraburda.

ANNAE REGINAE POLONIAE Antonius Poſſeuinus.

CVM à Sereniſſ. Rege in Moſcouiam proficiſcerer, id quod mihi à Summo Pontif. atq; ab eius Maieſtat. R. de Sereniſſ. Seciæ Rege mandatum fuerat, vt inter pacis conditiones adnumeraretur, egi diligenter. Cùm verò ex caſtris ad Pleſcouiam ad hunc Legatorum conuentum, qui hîc me præſente (ſicut vterque Princeps ſtatuerat) habitus eſt, veniſſem, R. Maieſtatem rogaui, vt D. Chriſtophorum Varſeuiciũ huc mitteret, qui cùm huic ipſi cõuentui intereſſet, cauſſam item Sereniſſ. Sueciæ Regis ſic ageret, vt & ille, & Sereniſsima Sueciæ Regina intelligerent, quantum ponderis habuerit V. Maieſt. apud Sereniſsimũ Poloniæ Regem commendatio, vt ne ille in hac tractatione pacis intermitteretur: ſicut non ſemel (ac quidem accuratè) à Regijs Legatis, atque à me ipſo (ſicut & antea in Moſcouia) tentatum eſt. Veruntamen, quoniam ad Summi Pontificis, Regisq́; huius Ser. litteras ea de re quidquã reſponſum nõ eſt: nec D. Põtus à Guardia, ad quẽ è caſtris, Rege ipſo Sereniſſ. conſentiente, litteras in Liuoniam miſeram, mihi quidquã reſcripſit: nec verò haberemus, quid Moſci Legatis reſponderemus, cùm nobis obijcerent, neminem in Conuentu Legatorum eſſe, qui pro Sereniſſ. Suecię Rege de pace aut ageret, aut Plenipotẽtiam haberet: propterea nihil certi effici potuit, niſi quod idip-

ſum

ſum mihi Legati Moſci reſponderũt, quod Moſcus ipſe Staricię reſponderat, nempe, ſi Sereniſſ. Sueciæ Rex Legatos de pace in Moſcouiam mitteret, eos honorificè acceptum iri. Ego verò, qui hęc prænoueram, ac Ser. Regi prædicens, propoſueram, expedire, vt D. ipſe Varſeuicius ad Conuentum veniens, primo Vere in Sueciam mitteretur, teſtaturus hanc Ser. Regis diligentiam, exiſtimaui mihi faciendum, vt etiam curarem (quemadmodum nũc facio) vt idem ipſe D. Varſeuicius ad V. Maieſt. allegaretur, quam de omnibus rebus faceret certiorẽ. Veſtra autem Maieſt. poſſet in tempore Ser. Sueciæ Reginam præmonere (& id quidem duobus itineribus) vt Ser. eius coniugem permoueret ad ea, quibus cum Regno Poloniæ reliquæ difficultates poſſent complanari, ne grauius in Liuonia bellum inter duos Reges exardeſceret. Quamobrem ipſe quoque D. Varſeuicius ſi in Sueciã traiecerit, erit à V. Maieſt. ijs de rebus docendus, quę ad reliqua negocia ſpectant. Neque enim dubito iniri poſſe in Comitijs rationes, quibus ei, quod Sereniſſimo Regi Sueciæ debetur ſatis fiat: vt ille item ſe mitiorem reddat ad id concedendum, quod Sereniſsimus Rex ob Reipub. bonum, & commodum cupit. Quæ ad Comitia ſi venire potuero, fideliſsimi hominis hac in re, vti Summus Pontifex iuſsit, operam præſtabo, commendans me interim pijs V. Maieſt. orationibus. Quam Deus omnibus bonis cumulet in æternũ. Ex Kiueroua Horca, die XIII. Ianuarij 1582.

STEPHANO POLONIAE REGI,

Antonius Poſſeuinus.

ILL.mus D. Albertus Radiuilius redit ad R. Maieſtatem V. ea relaturus, quæ in Legatorum conuentu acta, & Deo miſerante, abſoluta ſunt. Acta verò totius tractationis, quæ in ordinem geſsi, feram ipſe (ſi Diuinæ volũtati placuerit) V. *M.* Ea enim credo poſteris vſui fore; ſicut & rerũ tractatarũ firmitati, ſpero, non incommodabunt. Cùm verò iſta ætate Ill. D. Albertus Radiuilius rẽ publicam Catholicè, ac prudentiſsima fide, in hoc negocio, adminiſtrauerit; non dubito, quin ille alijs tractationibus vtiliſsimus futurus ſit: Maieſt. autem V. oſtenſurus, Deum non ętate, ſed religione Catholica, & prudentia metiri hominum ingenia, eaq́ue ad ſui gloriam adhibere libenter: V. porrò Maieſt. plures in Polonia, & Lituania habituros, qui rẽ publicã Catholicè adminiſtrent, ſi etiam adoleſcentes eiuſmodi ad eam nonnunquá adhibuerit. Ieſus V. Maieſt. R. plurima, eaq́ue ſolidiſsima fælicitate cumulet. Ex Kiueroua Horca, die xiiij. Ianuarij, 1582.

STEPHANO POLONIAE REGI,

Antonius Poſſeuinus.

QVAMVIS per D. Ill.mum Albertum Radiuilium, ſcripſerim V. Maieſt. non potui tamen has litteras denegare D. Michaëli Haraburdæ, qui eas à me modeſtiſsimè petijt. Eò verò ſpectant, vt pro ipſa veritate, ſincerè (non in gratiam ipſius) officio animi grati, & Rempub. Regnumq́ue iſtud amantis ſatisfaciam. Is igitur vt vſu rerum, & Moſcorum cognitione valuit, certè permultùm toti huic pacificationis commodauit. Sed ad omnia acceſsit, quòd cùm corã me Legati omnes oſculo Crucis pacem ſancirent, illeq́ue de fide ſua Ruthena à Moſcis admoneretur, ne Crucẽ noſtram, ſed *M*oſcorum oſcularetur, maluit veritatem; & dignitatem V. Maieſt. in magna corona hominum, anteferre ipſi opinioni ſuæ, à qua forſan Deus illum ad Catholicam religionem vocabit. Ego ſanè clementiæ V. *M*aieſtatis ipſum enixè, & humillimè commendo. Deus V. *M*aieſt. omnibus bonis cumulet. Ex Kiueroua Horca die xv. Ianuarij. 1582.

IOANNES ZAMOSCIVS, Antonio Poſſeuino.

QVòd hæc pars orbis Chriſtiani pacificata ſit, in primis Deo Opt. *M*ax. gratias ago, cuius nutu hæc omnia geruntur: inde verò D. Veſtræ gratulor, & gratias habeo, quòd & hoc negocium per illam perfectum ſit, & quòd vtriuſque partis cauſa tantum laboris ſuſceperit. Ego etſi fatear, me non ita eſſe puſillanimem, vt leuiter quamuis rem incipiam, & leuiter pòſt ſtatim deſeram: tamen non ita feror ad bellicum negocium, vt ſanguine potiſsimùm Chriſtiano fundendo gloriam mihi parare velim, cùm non deſint occaſiones aliunde, ſi poſsim, quærendæ. Faxit Deus Opt. Max. tùm in Moſcouia, tùm in Oriente, vt reliqua illi pari fælicitate ſuccedant. Non dubitet D. V. me operam daturum eſſe, vt in ordinanda prouincia Liuonia, cultus Dei Opt. *M*ax. à R. *M*aieſt. cura in primis habeatur. Rogo, ſi D. V. à ſancta Sede Apoſtolica facultatem habeat indulgendi, vt in Eccleſijs priſtinis Liuoniæ, ab initio in vſum religionis Catholicæ extructis, deindè verò in illa caſuum varietate, quæ Liuoniam exercuit, in aliorum, & ſchiſmatis, & hæreſum vſus conuerſis, liceat Sacerdotibus meis ſacra celebrare eiuſq; indulti litteras quàm primum mihi mittat. Teneor enim cupiditate, in Eccleſia Epiſcopali, Derpatenſi cũ exercitu vniuerſo immortali Deo, pro beneficijs acceptis gratias

tias agere. Vehementer etiam rogo, ſi fieri poteſt, perficiat D. V. vt à Magno Duce Moſcouiæ ſcire poſsim, ſi quando contra illos (ſcit D. V. quid dico) aliquid tentabit, ſiue hoc, ſiue altero, ſiue tertio anno; modò ſciam. Commendo me beneuolentiæ D. V. Datum ex Caſtris, ad Pleſcouiam, die XVIII. Ianuarij, 1582.

IOANNI ZAMOSCIO, ANTOnius Poſſeuinus.

HAC ipſa hora literas V. D. M. accepi, ſcriptas vndeuigeſima huius menſis. Quod autem mihi ſcribit, ſe (vt Chriſtianum exercitus Imperatorem decebat) gratias Deo, ab vniuerſo exercitu egiſſe, poſtquam iſthûc allatus eſt nuncius pacis, me quidem ſummo gaudio affecit: ſed certè meam ſpem non fefellit, reminiſcentem, quo feruore preces in tentorio ad Deũ fundebat, cùm iſthìc eſſem, quidq́ue mihi iucundiſsimo in illo itinere, qđ Vilna Dziſsnam fecimus, de pietate propaganda non ſemel ſapienter ſignificauit. Quòd verò aliquem fuiſſe ſuſpicatur, qui eam minùs hanc pacẽ optaſſe iudicauerit, fortaſsè plus V. D. M. ex alijs reſciuit, quàm quòd ego facilè patiar iſta mihi à quoquam inſtillari. Colloquia enim aduersùs abſentes, ac porrò erga talem, & tantam perſonam (Deus nouit) me nec libenter admittere, & verò omni Chriſtiana libertate retũdere. Quod autem mihi pollicetur, ſe Diuinam rem in Liuonia promoturam, id cùm mihi ſummæ voluptati eſt, tùm maximos, & acutos ſtimulos adijciet, vt, quacunque poſsim ratione, celeberrimam Summo Pontifici, & (audeo dicere) poſteritati, quantuluſcunq; ſim, memoriam V. D. M. relinquam. Nam & V. D. M. haſce quas modò literas accepi, mittam poſt biduum eius S.ti, & alia conabor præſtare, ex quibus certè gratiſsimi erga illſam obſequij argumenta cognoſcet. Nunc verò, quod attinet ad facultatem indulgendi, vt in Eccleſijs priſtinis (vt ſcribit) Liuoniæ ab initio in vſum religionis Catholicæ extructis, deinde verò in illa caſuum varietate, quę Liuoniam exercuit, in aliorum errorum vſus conuerſis, liceat V. D. M. Sacerdotibus in Eccleſia Derpatenſi, pro beneficijs acceptis gratias Deo omnipotenti agere: ſanè eãdem in tota Liuonia facultatem mihi ante triennium Pontifex Maximus diuinitùs motus dederat, quam nunc libentiſsimè Sacerdotibus V. D. M. impertio. Ac vt id ipſum, quod petit, Nouogardiæ Liuonicæ, alijſq́ue in Liuoniæ Ciuitatibus, & templis omnibus fiat, concedo, vbi inuocato ſalutari Dei nomine, & aquæ benedictæ aſperſione tẽpla ritè ſanctificauerint. Vt verò item tantiſper, dum in Lituaniam redeo, eadem facultate, quã habeo ad abſoluenda hæreticorum peccata, nexuſq́ue omnes in foro conſcientiæ, poſsint adhibere, etiam hanc ad id vſq; tempus ijſdem V. D. M. Sacerdotibus auctoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ mihi conceſſa tribuo. Quo tempore forſan nouã hanc facultatem R. D. Epiſcopus Maſſanenſis Nuncius Apoſtolicus vel tribuere poterit, vel à Summo Pont. obtinebit. Hoc enim iam ad ſui muneris, & Legationis propriã rationẽ ſpectabit, cũm Liuonia in Ser.mi Regis poteſtatem conceſſerit: Pontifex autem Max. mihi in alijs Prouincijs, & Regnis, in quibus Catholici Epiſcopi non ſunt, facultates ſatis amplas conceſſerat, & quidem tum, cũm Moſcouiam, aut partem iſtarum Prouinciarum aditurum me nunquam cogitaſſem. Vt facilè ſit intelligere Diuinæ prouidentiæ oculum multò anteà Vicarij ſui menti illabi, quàm res ad exitũ adducantur: Dominiq́ue manum feciſſe hæc omnia, & eum nos in benedictionibus præuenire ſolitum, cui gloria ſit in ęternũ, Amen. Iam de eo, quod V. D. M. cupit, vt à me in Moſcouia, Orienteq́; poſsit promoueri, vbi ad Moſcũ rediero; agnoſco Chriſtiani Principis, id eſt, V. D. M. animum: qui ſi cæptis Põtificis Max. apud Ser.mum Regem, atque alibi (ſicut pro certo habeo) mihi aſſuerit, non minima de Dei bonitate ſpero. Eſt autem multiformis ſapientia Dei, quæ ſi creaturarum ſuarum cooperationem ſedulam cernit, non ſinit ſe in bono vinci, ſed ita per pauperes, ac ſimplices quoque negocium ſuum, vti fecit in Indijs, promouet, vt verum appareat id, quod dixit Apoſtolus: Quod infirmum eſt Dei, potentius eſt omnibus hominibus, & quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt omnibus hominibus. At verò quod deniq; V. M. Ill.ma petit à me, vt perficiam, vt ipſe à Magno Duce ſcire poſsit, ſi quando contra N. N. aliquid tentabit, ſiue hoc, ſiue altero, ſiue tertio anno: id, Deo dante, præſtabo, referamq́ue ipſe (vt credo) non multò pòſt D. V. M. quæ cum illo ea de re deliberata fuerint. Ieſus V. D. M. omnibus donis cœleſtibus cumulet. Ex Chiueroua Horca, die XXI. Ianuarij, 1582.

IOANNI ZAMOSCIO, ANTOnius Poſſeuinus.

QVÒD ex Biſcouicio V. D. M. ſcripſi, vrgeri me identidem ab his Moſci Legatis, vt curarem exercitum iſthinc deduci, idipſum multò magis ſcribere nunc poſſum: cùm nulla dies interfluxerit, quin me ijſdem iteratis petitionibus tantũ non oppreſſerint, ſiue quod ſuſpicarentur, arcib9 Liuoniæ reſtitutis, manſurum tamen iſthìc exercitum, ſicuti dixerũt: ſiue quòd videri velint occaſionẽ capere, qua Domino

suo gratificentur, si diligenter minuta quę que colligant, & ea referant. Ad extremũ igitur, cùm omnes Legati, me hodie conuenissent, vt V.M.Ill.mam pro vltimo (vt dicebant) meo erga Principem suum obsequio, & officio, rogarem de copijs hinc deducendis: dixi id quidem me (sed nulla necessitate) facturum, quippè qui scirem iam pridem tormenta maiora fuisse præmissa; equites verò, qui varias hoc in itinere stationes habuissent, dare sese iam in viam, vt in castra omnes ad profectionem conuenirent: commoratos porrò aliquandiu, tum ne Cosacos retrò relinquerent, sed præmitterent, sicuti factum fuerat, tùm vt tantis copijs castra moturis ordine ij succederent, quicunq; vel ob pabulum, vel propter aliam belli rationem, varijs in locis substitissent. Cùm autem ijdem Legati Mosci mecum hodie conquesti fuissent, quòd quem Plescouiam miserant, Petrum Pinum, is per M.D.V. nequiuerit in eam ingredi, nec verò ab ipsa V.D.M. concederetur, vt reliqui Tabellarij Plescouia ad magnum Ducem proficiscerentur, respondi id à me falsissimum esse putari. De Petro Pino si quid mihi significassent, cùm eum miserũt, facilè fuisse futurum, vt aditus illi patuisset in eam ciuitatem, cùm id V.D.M. rogassem. Veruntamen, quoniam fortè latenter illum miserant, iustas dubitationes ingeri potuisse, cur ille non ingrederetur. Ceterùm scire me, Plescouienses illos Boiaros, à V. D. M. acceptos optimè fuisse: mercatores autem, qui erant obsesi, libera iam tractare commercia, vel commutationes in castris, & alia eiusmodi, quæ tandem ipsi non negârunt. Postremò illos seriò, ac sæpè cohortatus, ne dũ vellent videri boni Principis sui ministri, aliquid scriberent, aut effutirent, quod veram inter Serenisſ. Regem, & Moscum amicitiam lædere posset; cui tamen rei haberem quod opponerem. Pollicitus sum, me V.D.M. scripturum, vt quidem facio penè inuitus: sed in optimam partem prudentissimus Dominus id sic accipiet, vt fortassis mei misereatur adhuc inter eos commorantis, quibus exercere alienam patientiam sua impatientia, sapere est. Porrò Biscouicio literas misi V. M. Illustrissimæ, vnà cum fasciculo, quem de optima ipsius voluntate R.mo Apostolico Nuncio ad Summum Pon. mittebam. Obsecro autem iterum illam, vt Orsæ præfecto iubeat, vt quàm primùm ad fines Regni ex Moscouia rediero, non cunctetur, ductores itineris, quos petã, mittere, pro quibus vbique satisfaciam: habeat verò in mãdatis, alijs præfectis vt scribat, eosdem vt pareant, cùm subinde in itinere processero. Filius magni Ducis primogenitus, vt dudũ erat rumor, diem obijt. Idem Palatino Nouogardiensi accidit. Hìc, aut in Bor pago, vltra Psagam, nullum Moscici exercitus vestigium cernimus. Perendie Nouogardiam cogitamus, quò nobiles ad nos excipiendos magnus Dux præmisit. DEVS V.M.Ill.mæ gressus, & conatus omnes, ad sui gloriam nominis, ad exitum perducat. Ex Bor pago, sub initiũ noctis, die XXIX. Ianuarij, 1582.

IOANNES ZAMOSCIVS, Antonio Possevino.

DE cultu Diuino in Liuonia propagando, audeo D. V. promittere, R. Maiestatem diligenter laboraturam. Nec meum studium, & opera qualiscunque desiderabitur. Deus autem Opt. Max. per misericordiam suam causæ suæ non deerit. Res prorsus longè iucundissima mihi accidit, quòd D. V. potestatem Sacrorum celebrandorum in Ecclesijs Liuonicis indulserit: Deo in primis, ac deinde S. D. N. & D. V. gratias ago: ac etiam de illo, quod vltrò addidit, de lapsis, ad veritatem reuertentibus, ab ijsdem Sacerdotibus absoluendis. Faxit Deus, pro immensa sua bonitate, vt hoc in exercitu aliquorum corda moueat. Quòd verò Herbesti etiam nostri opera in meo Zamoscio inutilis prorsus non sit, D. V. ex eius literis, quas ad illam mitto, cognoscet. Laus sit Deo immortali. Non dubito D.V. effecturam, vt saltem sciam, quid ille Princeps, & quando facturus sit. Ego enim molirer fortassis aliquid sub id tempus, & vel de meis priuatis viribus, & facultatibus aliquid parum fortassè, sed non prorsus tamen pusillum, conferrem. Venerat huc in castra D. Laurentius Cognolus, vir elegans, quem ego, propter eam nationem, cui debeo, humanissimè, vt hoc loco potui, habui. Mirabar tamen à D. Ponto, ita missum fuisse, vt ad R. M.tem literas ferret, nec eas quidem à Ser.mo Sueciæ Rege, sed ab ipso Ponto: Legationem autem ad me obiret, inde verò ad Conuentum Zapoliensem cũ progredi me sinere vellet, inscia, & præterita S.R.M. Domino meo, Respondi D. Cagnolo, vel ire debere ad R. M.tem Dominum meũ, vel mittere: me ad eius M.tem relaturum quoque esse, quòd cùm iam nullum à Ser.mo Rege Sueciæ post suum aduẽtum in castra venturum sperasset; nihil etiam nunc mandatorũ mihi dedisset, nec me quoque, cùm Minister sim, inconsulto Domino, quicquam facere oporteat. Itaq; misso ad R.M.tẽ Tabellario, cui ego meũ ductore adiũxi, ipse Naruam reuersus est. Credo autem ego D. V. & ad Ser.mum Regem, & ad Serenisſ. Reginam misisse D.Varseuicium; & ad Regiam Maiest. ecquid à D. V. deinceps fieri cupiat, retulisse: & hoc, quod ad me D. V. scribit, & ipse ad eius Maiest. referam. Habebit igitur D. V. de eo R. Maiest. literas, vel in media Moscouia. Etenim non puto magnum Dominum R. Maiest. vt ad D. V. mittat literas, nõ permissurum: cùm in ipsa castra R. Maiest. ipsius ad D. V. Tabellarij identidẽ liberè ventitassent. Cuperem scire, quod in tempus D. V. in Lituaniã reditus incidet, vt de Legatione obedientiæ, ad S.D.N. sub illud tempus mittendę, tantò commodiùs cum R. Maiest. conferre possim. Faciat igitur D. V. me certiorem. D. Zebridouius iã à me est commendatus R. Maiest. de meliore nota, & meminit quid benigni responsi à R. Maiest. tulerit. Deinceps etiam illi non deero. Commendo me beneuolentiæ D.V. Datum ex castris ad Plescouiam, die XXIII. Ianuarij, 1582.

IOANNI ZAMOSCIO, Antonius Possevinus.

CVM quinta decima huius mensis die, ad magnum Ducem Moscouiæ venissemus, redditæ mihi sunt ab Andrea Solcanouio eius Cancellario literę, quas vltima Ianuarij V.Ill.ma D. mihi scripsit. Ex ijs autem omnia, quæ Ostrouiæ, atque alibi aduersus Regios milites cõtigissent Magnus Dux, & eius Senatores cognouere. Cũ autem tum de ijs, tùm de alijs rebus fusiùs cũ ipsis egerim, existimauit eius Serenitas (me proponente) sibi faciendum, vt quàm primùm Plescouiam nobilem cum literis suis allegaret, ex quarum exemplo (quod his erit adiunctum) intelliget, quantoperè ei cordi sit, non solùm, vt pax, Diuina ope sancita, non violetur, verùm etiam, vt & tormenta Ostrouiæ, iussu V. D. Ill.mæ relicta in Regiam ditionem statim deducantur; ac verò, qui è Moscis fuerunt in noxa, qua digni fuerint, pœna plectantur. Verũtamen, quoniam & multa post pacem à militibus Regijs in magno Smolescẽsi Ducatu cõmissa fuisse conquestus est (quæ tamen putat, culpa Ser.mi Regis, aut V. D. Ill.mæ non accidisse) æquissimum est, vt par pari referatur: nempè, si quis ex arcibus ipsius abductus est, illicò liberetur, resque aliæ, quoad eius fieri poterit, restituantur. Eam ob rem magnus Dux, petenti mihi schedã earum querelarum, tradi iussit, quam Ser.mo Regi, Vestræq; D. Ill.mæ mitto. A quibus non dubito, id responsum re ipsa citissimè dabitur, quod scio ex Regio, & fraterno erga magnum Ducẽ amore profecturum. Quoniã verò inter illa, quæ mihi R. Maiest. cum magno Duce tractanda mandauerat, alterum erat negocium; N. N. alterũ autem, vt Matthias Przevvorski liberè remitteretur: hunc quidem iam esse non ita multò antè remissum, hodie mihi Senatores retulere. Illud autem de N. N. etsi nondum concoctum est, aliquem tamen exitum habiturum spero, cùm pro sua sapientia magnus Dux intelligat, quantoperè præstet pecuniam Moscis contra N. N. quàm N. N. contra Christianos tradere, quibus nihil antiquiùs est, quàm opibus Christianorum Christi fidem delere, lateque omnia, quæ ad eius nomen pertinent, vastare atque incendere. Rem itaq; totam sic vrgebo, vt non desperem, sic ab vtroq; Principe suscipi posse, vt & gens illa ab vtriusque finibus longiùs arceatur, & id perpetuæ paci inter vtrumq; Principem fouẽdæ magnoperè sit commodaturum. Iam de mercatoribus, qui hìc detinebantur, egi, præsertim de Vilnensibus, de quibus in conuentu Legatorum itidem, me præsente, actum est. Ac etsi magnus Dominus nõdũ hac de re omninò mihi respondit (quod hoc ipsum hodie tãtùm ei proposui) haud tamen vereor, quin statim dimittantur, cùm ij ad bellum non attinuerint, nullamque ob noxam diutiùs hìc hæserint. Sed &, cùm id fiet, confido fore, vt R. Maiest. nõ sinat se istis officijs in liberandis captiuis facilè vinci. Ex quibus cùm aliquorum mihi liberationem in Castris dignata esset polliceri, iam sperandum est, pace confecta, restitutisque inuicem arcibus, faciliùs effectum id negocium iri, ne expectato quidem Legatorum aduentu, in quem reiecta ea tractatio erat. Quod quidem vt fiat per D.V.Ill.mam enixè contendo. Cetera Deo volente, quæ spectant ad pietatem propagandam, cum Rege Serenissimo non multò pòst me acturum spero. Literas interim, quas ad R.mum D. Nuncium scribo, cùm senas ab eo hìc vna die acceperim, rogo V.D.Ill.mam vt citissimè ad eum perferri curet. Neque enim Summo Pontifici erit ingratum cognoscere, me iam iterum ad magnum Ducem redijsse, atq; ab eo non solùm perhonorificè, verũ etiam benignè, cùm ad publicum conuiuium, tùm ad colloquia de pace seruanda, alijsque hisce rebus admissum fuisse. De sanctis autem reliquijs D. Nicolai, quas per me à Summo Pontifice V. Ill. ma Dominatio petit, vt & de alteris D. Thomę, nũc Romanis scribo. Quod si frustulum reliquiarum D. Nicolai, quod apud me habeo, ex Moscouia extulero, non negabo (vt reliqua omnia) V. D. Ill.mæ cui à Deo Opt. Max. fœlicissima omnia precor. Moscuæ die XVIII. Februarij, 1582.

STEPHANO POLONIAE REGI, Antonius Possevinus.

PAVCOS pòst dies, quàm huc perueni, scripsi

scripsi Maiest. V. & M. D. Cancellario, ijs de rebus, de quibus agere cœperam cum magno hoc Duce: quodque ille cupiebat, quo pax Diuina ope confecta, seruari posset, vt à V. Maiest. iuberetur, si quod, post osculo crucis sancitam pacem, alicubi fuisset à V. Maiest. militibus damnum illatũ, id vt; quoad eius fieri posset, sarciretur: se idem curaturum, qui iussisset torméta Maiest. V. ex Ostrouia deduci, eosque plecti, qui iniustè iniuriam aliquam, vel damnũ militibus V. Maiest. intulissent. De Tartaris quod agere cœperant, id in aduentum M. V. Legatorum eas ob causas reiectũ est, quas præsens ipse, Deo iuuante, referam. Mammonicium autem, reliquosque omnes mercatores Lituanos cùm nomine Maiest. V. à magno Domino petijssé, is statim eos liberari iussit, sicque eos ad triginta, sic vt heri mihi per Senatores suos significauit, vnà cum Tabellario præmittit: simul indicaturus, se Legatum ad Pont. Max. mecum missurum, ac propterea cupere, vt liber illi per istud V. Maiest. Regnum, sic pateat transitus, vt etiam Pristauum, qui illum cum equis deducat, inuenire possim in finibus, licèt ego patentes ad id, vt puto, sat commodas à V. Maiest. iam mecum huc attulerim. At quoniam meo rogatu, duodeuiginti Hispanos, & Italos, in gratiã Summi Pontificis liberos dimittit, qui ex Turcica tyrannide per Tanaim elapsi, prope Asophum arcem dudũ in hac regione, quingentis abhinc Verstis, in Vrbe Vologda detinebantur, propterea rogo Maiestatem V. vt cum ijs item pari benignitate vtatur; nempè, vt Orsam literæ mittantur, quibus ille Præfectus admoneatur, vt illos incolumes deduci curet, ac si opus sit, aliquo auxilio foueat. Iam verò, quod ad reliquos captiuos attinet, q̃ huc ex Lituanis, vel Polonis vigente bello adducti fuerãt, facilè fuit, Vestræ Maiestatis nomine, me ab hoc Principe obtinere, vt eis liberiores custodiæ paterent, atque adeò mihi nõnullos itineri meo necessarios cõcederet, quãdoquidem aliqui ex meo comitatu interierant. Quòd si, quemadmodum spero, Maiestas V. eâdem charitate, qua solet, cogitauerit vicem huic magno Domino rependere; & isti captiui Mosci vt meliùs, quàm anteà, accipiantur, si qui eos non ita cõmodè tractaret, mandaret; statueret autẽ, vt pax tanta, hoc item fine coronaretur, id est, vt vtrinq; liberi captiui omnes statim dimitterentur, neq; aliquò extra Regnum abducerentur, faceret opus dignũ se M. V. Ceterùm adducã mecũ isthuc magni Ducis Legatum, atq; vbi, quæ opus sunt, egero cũ V. Maiestate, me in viã dabo; in quam forsan erit paratus Ill.mus Dominus Andreas, de quo animus meus multò maiora præsagit, quàm audeam dicere. V. Maiest. Deus omnibus bonis cœlestibus cumulet. Moscouię die IIII. Martij, 1582.

PONTIFICI MAXIMO, Magnus Moscouiæ Dux.

MAGNVS Dominus Imperator atque magnus Dux Ioannes Basilij, & cæt. Scripsimus ad te Gregorium Papam, proximè superioribus diebus, ab eo, quem ad nos miseras, Nuncium tuum, Antoniũ Posseuinum, literas tuas nos libenter accepisse, easque pergrato animo legi nobis audiuisse. Quamobrem, quæ nobis significasti, quæq; nobis dilectus tuus Nuncius Antonius Posseuinus oretenus proposuit, vt amici essemus, vnanimes coniungeremur, omnesq; contra infideles potiùs nos cõpararemus, ea nos omnia libẽter audiuimus: ac Nuncium tuũ Antonium amantissimè excepimus, eiq; ad omnia tũ per nos, tũ per Senatores nostros respondimus. Cũ te igitur, supremo Pastore, ac Doctore Romanę Ecclesiæ, atq; cũ fratre nostro Rudolpho Imperatore, ac cũ omnibus alijs Principib⁹ Christianis amicitia, fraternitate, & mutuo amore constringi volumus, ac curare (quemadmodũ & antè tibi per hominem nostrum Thomã Seuerigenũ scripsimus) vt Christianismus quietã vitam degat, ac liber sit, & immunis ab omni infestatione: vt & in posterũ manus infideliũ supra Christianos nõ extollatur, sanguisque Christianus non ampliùs fundatur. At quo tempore à te Gregorio supremo Papa Nuncius tuus Antonius Posseuinus ad nos venit, tũ inter nos, & Stephanum Regem bellum gerebatur, & sanguis Christianus fundebatur. Is verò ipse nuncius tuus Antonius Posseuinus iussu tuo, Gregorij supremi Pastoris, & Doctoris Romanæ Ecclesiæ, ad nos & ad Stephanũ Regem perrexit ire, ac redire, operam dãs, vt sanguinis Christiani effusionem impediret. Quamobrem factũ est, vt Legati ex vtraq; parte conuenientes, inducias decennij inter nos, & Stephanum Regem sanxerint. Cùm verò Nuncius tuus Antonius Posseuinus nunc ad nos redijsset, eum ad Sanctitatem tuam remittimus, vnaq; cum illo ad te consalutationis, & amicitiæ causa Legatum nostrum Iacobum, Moluianinũ cum Vicenotario Tissino Basilij. Quod autem nobis de vnione scripseras, nos quoque eiusdem rei gratia, mittebamus ante aliquot annos ad fratrem nostrum Maximilianum Imperatorem, & ad filium ipsius Rudolphum Imperatorem, Legatos, & internuncios bis, & ter: eademque de caussa, & frater noster Maximilianus Imperator, & filius ipsius Rudol-

Rudolphus Imperator volebat ad nos mittere Legatos, sed nondum hi hactenus venerunt. Itaque vbi Legatus tuus Antonius Posseuinus ad te Gregorium Papam supremum vnà cum Legato nostro Iacobo Moluianino venerit, tuq; Gregori Papa, supreme Pastor, & Doctor Romanæ Ecclesiæ, miseris ad fratrem nostrum Rudolphum Imperatorem, & ad alios Christianos Reges, ac Principes, ac constitueris, quanam ratione nos tecum, Gregori Papa supreme, & per te cum alijs Principibus Christianis, possimus ad hoc ipsum vnanimes coniungi, deque tota re Legationem alteram miseris: nos, quàm primùm Legati vestri ad nos venerint, à Senatoribus nostris cum illis constitutionem fieri præcipiemus, ijs de rebus, quemadmodum decebit. Deinde quod pertinet ad alias res, quas nunc Legatus tuus Antonius Posseuin⁹ proposuit, his omnibus de rebus, & nos ipsi respondimus, & Senatoribus nostris, Senatori, & Præfecto Nouogardiensi Mikitæ Romani, qui fuit filius Georgij Zacharinæ, cum socijs, mandauimus, vt Antonio responderent. Quod autem misisti nobis per Legatum tuum Antonium librum Synodi Florentinæ, Græca lingua editum, eum librum nos à Legato tuo Antonio Posseuino libenter accepimus. Quod verò de negocio fidei nobis scripsisti, quodque item ipse Antonius oretenus de eadem fide nobiscum locutus est, nos ea de re cum Legato tuo Antonio locuti sumus. Nunc verò tu Gregori XIII. Papa supreme Pastor, & Doctor Romanæ Ecclesiæ, perlectis, & intellectis literis nostris, quas per Legatũ nostrum Iacobum Moluianinum, & Tissinum Vicenotarium ad te misimus, eos ad nos remitte, nobisq; omnibus de rebus apertè, & planè literis tuis perscribe. Scriptũ in Imperio nostro, in aula arcis Moscuæ. Anno à condito mundo 7900. mense Martio, indictione decima, Dominij nostri anno 48. Regnorum nostrorum Rosiensis 36. Casanensis .o. Astracanensis 28.

ANNA POLONIAE REGINA, Antonio Posseuino.

REVERENDE, deuote, nobis dilecte. Pergratum est nobis studium P. V. cũ erga nos, tum erga Serenis. Sueciæ Regem, & Reginam, affinem & sororem nostros charissimos. Fuit apud nos Generosus Christophorus Varseuicius, à R. M. te, Domino, & coniuge nostro allegatus, ex quo pleniùs rem omnem cognouimus. Quod ad nos attinet, si bellum illud cum hoste semper ex animo deprecatæ sumus, certè sopito eo, nouum rursus inter affines Reges (quod absit) excitari, nihil nobis accidere posset acerbius. Quantum igitur maximè poterimus, contendemus, vt hoc quicquid est, pacatis potiùs rationibus, quàm vllis alijs componi posse inter propinquos Reges videatur. Confidimus etiam, Dominum Deum pacis amatorem, & auctorem conatibus nostris non esse defuturum. Præterea autem, quicquid D. V. operæ ad eandẽ rẽ conferre poterit, postulamus, ne parcat labori, industriæque suæ. Qui enim inter M. tes istas pacem confecerit, is demũ bello Moscouitico finẽ imposuerit. Commendamus nos orationibus D. V. Datum Varsouiæ die III. mensis Martij, Anno Domini 1582.

IOANNI BASILII, MAGNO Moscouiæ Duci, Antonius Posseuinus.

VENI ad Stephanum Regem, deque captiuis ea egi, quæ cupiebat Ser.tas tua: is verò Legatis suis mandauit, vt tecum ea de re agerent, paratus id facere, quẽadmodùm mihi dixit, quod æquitas, & desiderium pacis conseruandæ requirunt. Postquam autem cum Rege Stephano Rigæ aliquot dies fui in Liuonia, vt in ea ciuitate, in qua iam ab eodem Rege aliqua Catholicis templa restituta sunt (sicuti & in reliqua Liuonia vt fiat, is ipse Rex Stephanus procurat) veni Vilnam, ac cum eo egi, vt Mosci in libera custodia essent, quãuis nemo eorum ferreis compedibus anteà teneretur. Pecunia item illos quantum potui iuui. Gratias verò tuæ Ser.ti ago, Summi Pontificis nomine, quòd ad me miseris nouem ex ijs, qui ex Turcica captiuitate elapsi detinebantur Vologdæ, Itali, & Hispani. At quoniam mihi promiseras te omnes liberè dimissuros, quemadmodũ cum tuis, qui ex deuicta Turcica Classe euaserunt, à Summo Pontifice, à Rege Catholico, & à Venetis factum fuerat: ac tamen præter eos, qui remansêre Moscouiæ, nouem adhuc Vologdæ relicti sunt, quorum nomina tibi mitto, obsecro te, ne velis gratiam, & beneficium tuum diminuere. Cùm enim hi, quos mihi misisti, referẽt partem suorum comitum in tua ditione detineri, erit omnibus Christianis Principibus ingratum, cùm audierint, Christianos, quos Deus è manibus Turcarũ eruit, à te, quasi in custodia asseruari, nec eis liberum exitum permitti: cùm præsertim omnes Principes Christiani ad redimendos captiuos, etiam inter Turcas, plerunq; magnam pecuniæ summam mittant, & erogent. Itaq; iterum rogo Ser.tem tuam, vt hoc beneficiũ integrũ reddas. vt pollicitus es, atq; vt decet Christianũ Principem. Ceterùm libenter per Michaelem Protopopum ad te scripsissem, si mihi discessum

suum significasset, aut prius, quã huc peruenissem, ille non abiuisset. Sed quod mihi valdè ingratum fuit, id erat, quòd ille, licèt diligenter nos præcesserat, non tamẽ ante nos ad Regem peruenit. Itaque Rex Legato tuo, & nostris neq; aliquos potuit mittere obuiam, neque id præstare quod alioquin facere hac in re consueuit. Quanquam Legatis, seu Internuncijs qui ad alia negocia, quàm quæ huius Regni sunt, proficiscuntur, non est moris huius Regni alimenta præbere. Quę quidẽ neq; Legati Summi Pontificis, nec Cæsarei solent accipere, cùm ab ijs Principibus sat pecuniæ suppeditetur ad sumptus quosuis faciendos. Nos interim cum Iacobo Molueniano, & omnibus alijs post triduum versus Germaniam dabimus nos, Deo iuuante, in viam. Cæsar autem benè valet, comitiaque habuit in Vngaria, habiturus alia mox in Germania. Quas verò literas Pontifici Maximo, Cæsari, & Venetis per Paulum scripseras, eæ fidelissimè ad eorum manus peruenerunt. Pontifex autem maximus multas pro salute tua, tuarumque Prouinciarum orationes indixit, ad quem vbi Diuino beneficio perueniemus, is ad te prolixè scribet; nec vllo officio deerit, quo tibi propẽsissimam dignitatis, & salutis tuæ voluntatem testificetur. Eam tibi æternam cum rectissima fide, & Charitate, tribuat Dominus IESVS. Amen. Vilnæ die XIIII. Maij, 1582.

GREGORIVS XIII. IOAN. BAsilij, *Magno Duci Moscouiæ.*

GREGORIVS Episcopus, Seruus seruorum Dei, Ioanni Basilij Domino Russiæ, magno Duci Moscouiæ, Nouogardiæ, Smolensciæ, Vlodimiriæ, Domino Casani, & Astracani, multarumque aliarum Prouinciarum, Principi magno, & desiderabilissimo, salutem, & omnis gratiæ fructum. Redijt ad nos dilectus filius Antonius Posseuinus, quem ad te miseramus, vnà cũ Iacobo Moluiano Oratore tuo. Facilè perspeximus tum ex tuis literis, quas & Antonius noster primùm, tum Iacobus tuus nobis reddiderunt, humanitatem tuam. Narrauit etiam idem Antonius multa de tua amplitudine honorificentissimè: inter cetera, quoties ad te adijt, benignissimè se acceptum esse. De pace cum Rege Poloniæ tantam voluptatem cæpimus, quantam par erat nos capere, potentissimorum Principum coniunctione, & Christianorum populorum, qui anteà magna inter se cum cæde conflixerant, tranquillitate, & incolumitate, optimaque spe communium virium in Christi hostes conuertendarum: quo quidem nihil posset fieri præclariùs, nihil Christianæ Reipublicæ salutariùs. Gratum verò tibi esse, nos nostram authoritatem, atque operam in pace conficienda interposuisse; fuit id quidem nobis gratissimum, nihil enim vnquam egimus libentiùs: sed vt summam in eo negocio Dei gloriæ rationem habuimus, sic præmia omnia ab immensa illius misericordia expectamus: tuam verò tam gratam huius facti memoriam omni beneuolentia, omnibusque officijs complectendam ducimus. Quod scripta ea, quæ postulasti de religione, quæque tibi petenti Antonius tradidit, attentè legisti; quodque & ex tuis literis, quas superiori anno ad Stephanum Poloniæ Regem scripseras, cognouimus, perspectum habere te, semper in Ecclesia Romana syncerum veræ fidei cultũ, vsque à Sanctissimis Apostolis ductum viguisse, incredibiliter lætati sumus, idemq; hoc tempore sentire te cupimus: sicut & illud, quòd historiæ produt, Isidorum Russiæ Metropolitanum in œcumenica Synodo Florentina agnouisse, palamq; professum esse, Catholicam veritatem in Romana Ecclesia retineri; ab eoque tempore Russiam sese cum Ecclesia Catholica Romana coniunxisse. Magnam igitur in spẽ venimus, te, præter ea, quæ pollicitus es, eorum caussa, qui isthuc venerint, ceteris quoque in rebus grauioribus facilem futurũ; præsertim cùm intelligas, quàm necessaria, quamque Deo accepta sit animorum in ipsius Charitatẽ coniunctio. Quòd verò Christi Domini hostes tam malè oderis, quodque in eorũ perniciem paratissimus es, facis, quod Christianum Principem, ac tantum Dominum decet. Vt autem nihil difficilè est Deo vincere, vel in multis, vel in paucis: sic boni omnes sperant, nullam te opportunitatem omissurum esse, non solùm communibus copijs, sed tuis etiam ipsius viribus, atque armis, tuaque potentia monstra illa à Christianorum ceruicibus repellendi. Nos verò nõ cessabimus de eo, quod sapienter, magnoque cum Zelo scribis, cum ceteris Christianis Principibus agere, eosque aduersus communes hostes vocare. Omnibus autem de rebus amplitudinem tuã suo tempore certiorem faciemus. Intereà cupimus, vt libros, literasque eas, quas ad te mittet dilectus filius Antonius, sic accipias: quasi à nobis ipsis mitterentur. Inter eos enim, quos plurimos habemus, doctrina, & pietate præstantes, vnus est is, cuius fidem, synceritatem, & Zelum plurimi facimus. Mandauimus etiam ei hoc tem-

tempore, cùm illum in Germaniam, & in Poloniam, remittimus, vt omnibus officijs tibi præsto sit, omnibus in rebus, quæ ad Dei gloriam, & ad dignitatem tuã pertinebunt. Quamobrem & tu, si opus erit, ad eum scribere, & Tabellarios tuos mittere fidenter poteris, ne quid itineris longinquitas tuo desiderio, & commodis obstare possit. Quod autem iam non vnas nobis patentes literas, fidemque publicam misisti, quibus concedis, vt mercatores nostri, & aliorum Principum, cum Sacerdotibus nostris, ad te venire, & liberè isthìc cõmorari, & tutò ad nos redire, quoties voluerint, possint: vtque etiam possimus, quoties opus erit, tutò aliquos in Asiam mittere; dici vix potest, quàm iucundum nobis acciderit. Hoc quoque vicissim pollicemur, quoties tibi placuerit tuos huc mittere, eos quàm tutissimè venturos. Pelles, quas misisti, tum superiore anno per Paulum Campanũ, tum hoc tempore per Iacobum tuum, accepimus libentissimè: ac mittimus vicissim piam Christi Redemptoris nostri imaginem, quam conseruabis nostrę sanctæq; huiꝰ Sedis memoriæ causa. Oratorem tuum à nobilissima Venetorũ Republica præclarè acceptũ esse, negociationumque vtrinque, iam facultatem patere (quæ quidem omnia per Antonium nostrum curari mandaueramus) pergratum nobis accidit. Intereà non cessabimus orare, vt Deus benedictus amplectatur te, tuosque omnes, sua gratia, cumuletque omni fælicitate. Datum Romæ apud S. Marcum, anno incarnationis Dominicæ, 1582. Kalendis Octobris, Pontificatus nostri, anno vndecimo.

ANTONII POSSEVINI SOCIETATIS IESV NOTÆ DIVINI VERBI, ET APOSTOLICAE ECCLESIAE FIDES, AC FACIES EX QVATVOR PRIMIS OECVMENICIS SYNODIS: EX QVIBVS DEMONSTRANTVR, I. FRAVdes prouocantium ad solum Dei verbum scriptum: II. Atheismi hæreticorum huius seculi; III. Errores aduersantium Kalendario emendato: IIII. Vafricies peruertentium Canones, & abutentium nomine SS. Patrum ac Principum in re fidei; ad Ioannem III. Sueciæ, &c. Regem Serenissimum, aduersus responsum cuiusdam Dauidis Chytræi.

IOANNI TERTIO SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVM REGI Serenissimo, Antonius Posseuinus Societatis IESV.

ERRORES DAVIDIS CHYTRAEI, ATQVE EORVM, qui (vt ait Tertullianus) ex Euangelio hæretici esse voluerunt, ab optimis viris impulsus aperueram, cùm ille, ne prorsus decoxisse videretur, nouam mendaciorum farraginem ex Magdeburgensium centurijs, & Melanchthone contra me corrasam ausus est V.R.M. dicare. Quãobrem plerique & isthinc, & aliunde, me hortati sunt, ne silentio meo paterer hominem inani triumpho exultare inter eos, quibus auctores, quos citat, neq; vnquam innotuerunt, & ne innotescerent, iam diu eos Lutherus, & huius malè nata soboles de medio sustulit. Ego verò, licet illum, ab omni antiquitate, & ab hoc seculo proscriptum, sciebam, duas tamen ob causas lubens hoc scribendi onus iterum suscepi: quarum fuit prior illa, quæ meos qualescunq; labores, atque itinera, isti interiori Septentrionali tractui aliquot abhinc annis addixit: posterior autem, quæ ex colloquijs ijs extitit, quæ de ineunda inter Catholicos, & Protestantes concordia tum in Transsyluania, & in superiore Hungaria, tum in Saxonia eo penè ipso tempore habueram, quo responsum Chytræi ad manus meas peruenit. Itaq; cùm ille primò ad V.R. Maiestatem, deinde ad verbũ Dei scriptum, & ad veteres Græcos Patres, mox ad quattuor œcumenicas, ac deinceps ad alias quasdã Synodos, deniq; (si Deo placet) ad confessionem Augustanam, tanquam ad legitima tribunalia prouocasset, quædam verò, de Picardica secta, & de Erasmo interserens, tandem quorundam eminentium Principum nomine in re fidei abusus fuisset, faciendũ mihi putaui, vt ei responderẽ. Eadẽ enim opera videbam cordatis hominibus me posse satisfacere, qui cùm de me eam de qua dixi, rationem concordiæ de religione perquisiuissent, habituri hoc libro essent ob oculos, quæ cupiebant, si seriò consultum saluti suæ voluissent.

Inprimis igitur notas, & characteres Diuini verbi, cùm (id quod res ferebat) distribuissem in insitum, traditum, scriptum, ostendi nullum prorsus esse, aut fuisse apud istos, qui sese Euangelicos venditãt. Inde cùm ad quattuor œcumenicarum Synodorum tractationem descendissem, quid illis contineretur, summatim exposui. Nempè dogmata de fide sanctissimæ Trinitatis: Decretum de Pascha emendando, & ritè celebrando: et canones ac diatyposes, seu constitutiones quasdam Nicænæ Synodi: quæ nunquam (quòd sciam) Græcè editæ, vt ederentur hoc libro, meis additis annotationibus, operam dedi. Qua in re latus patuit campus, in quo fides ipsa, & facies, siue hierarchia Ecclesiæ Apostolicæ, quasi explicari, & sub ipsum aspectum oculorum subijci potuit. Ac percommodè item est factum, vt quæ dogmata ad plerosque Apostolici Symboli articulos spectant, ea planissimè mõstrari potuerint fuisse à Luthero, à Melãchthone, à Caluino, à Beza, ab Vbiquitarijs, ab Anabaptistis, à Puritanis, à Picardis, à nouis Arianis, à Samosatenis, & id genus pestibus, vel præcisè negata, vel atheismis inuoluta. Neque verò minus commodè ostensum est, quàm iustas ob causas Decretum Nicænæ Synodi de Pascha corrigendo reuocauerit ad vsum Gregorius XIII. vt sanctissimæ memoriæ Pontifex Maximus, sic istius gentis amantissimus parens.

Adieci canonum interpretationem, nouasquè Chytræi imposturas retexi, quibus alias priores suas cumulauit, dum falsos canones pro veris, & veterum SS. Patrum exempla subdolè detorsit ad hæreses, contra cœlibatum, & visibilem in terris Ecclesiæ Principatum, ac sacrosanctam Eucharistiam, & inuocationem Sanctorum, atque aduersus alia pleraque omnia contegendas.

Etenim

Etenim (vt è pluribus aliquid afferam, quod in ipso opere firmissimis argumentis refutatum est) dum ille contra cœlibatum sacerdotum tertium canonem Synodi Nicænæ exponit, & quendam alterum Synodi (vt ille opinatur) sextæ supponit, nec illum bona fide interpretatur, neque in hoc suæ artis obliuiscitur, quippè qui non retulerit, nunquam Synodi sextæ canonem istum in Ecclesia Catholica fuisse receptum: In Trullo quidem fuisse propositum, sed nunquam approbatum, Synodum verò illam, seu conuentum, qui legitimè non fuerat habitus, vocatum fuisse Quini sextum, quasi vtriusque supplementum, cùm neutrius Synodi fuisse verè dici potuerit. Atqui & bonus iste noster deprehenditur, quàm semper similis sit sui, dum partem eiusdem ipsius canonis citat, partem supprimit, taceat verò canonem, qui eundem præcedit, aduersari superiori, quo decernitur, vt Africana, & reliqua occidentis Ecclesia, seruet in sacerdotibus cœlibatum, quem antiquitus obseruauit à tempore Apostolorum.

Obijcit autem alias Synodos, sed & interea reticet, quæ satis apertè priore meo libro ea de re scripseram, quibus eas obliquè citantium dolus manifestus euaderet. Præterquàm quod haud expositis causis, & peristasibus rerum, confusisquè sequentibus cum præcedentibus canonibus, eas trahit ad cœlibatum euertendum, cùm nihil minus ij Patres cogitassent, qui Eustathij hæreses, & alia quædam tollentes, sese ab Ecclesia subducebant. Quare canones ipsos Græcos, ac cætera ex patribus loca vnà cum incorrupta versione Latina, vbicunque fuit opus, attuli, vt qui etiam alieni sunt à fide orthodoxa nisi sanari voluerint, certè conuinci facilè possint.

Cùm verò Chytræus parentes SS. Gregorij Nazianzeni, & Basilij, atque alios Episcopos scribat genuisse filios, tacet tamen hos ante adeptum Episcopatum ab illis fuisse progenitos.

Synesium affert scribentem, se Episcopum velle filios gignere, & cupere plures bonos è matrimonio sibi procreari: At silet eum neque Episcopum, nec sacerdotem, nec adeò Christianum omninò fuisse, dum illa ad Euopium fratrem scriberet.

Vt de Hilario similem nectat dolum, affert carmina ex Baptista Mantuano Carmelita. Verùm tamen tacet, ea Carmelitam non tanquam ex se, sed ex alijs Ecclesiæ Christi obijcientibus scripsisse. Quapropter idem Carmelita D. Hilarium paulò pòst egregiè collaudat, quod sacerdos iam, & Episcopus continentissimè vixerit: atque, tum vxorem, quam ante sacerdotium duxerat, tum filiam virginem, quam ex ea, priusquàm sacris initiaretur, susceperat, oratione ad cœlum præmiserit.

Iam quæ attinent ad visibilem Ecclesiæ in terris primatum, atque ad cœlitum erga nos charitatem, nostramquè cum ijs communionem, (quæ quidem omnia Chytræus blasphemè subsannat) Sic ijsdem Synodis, ad quas videri voluit prouocasse, comprobata sunt, vt se impium, ac nullam habentem communionem cum Christo, aut cum sanctis eius, planissimè prodat. Nam quòd pertinet ad sacrificij nostri Christiani oblationem, consecrationem, manducationem, remq; ipsam (quæ est Christus Dominus) vsum item & ritus, ac fructus pro anima & corpore, atque pro hac, & futura vita, ac denique ad omnia quæ Apostolorum erant tempore, id omne olim aduersus Caluinianos ostenderam, quare & illinc peti poterit, si quid isthuc spectare posse videatur.

Atqui cùm ille confessionem Augustanam, & Picardicam sectam commendasset, ego verò earundem ortus, variationem, portenta ex verissimis historijs, & Archiuijs deprompta breuiter proprio libro conscripserim, ad eas, & Chytræum & reliquos ablegatos velim.

Cæterùm cùm res ipsa clamet nunquam aliquid consensionis consequi potuisse ex varijs eiusdem confessionis Augustanæ editionibus, aut ex consarcinato quodam Lutheri corpore doctrinæ, vel ex Philippi examine, aut denique ex concordia Iacobi Andreæ, siue ex quibuscunque aliorum hæreticorum conciliabulis certè vnicã istam aspectabilis Ecclesiæ Apostolicæ faciẽ, quæ hoc libro proponitur, Christi promisso & viuo eius verbo nixã, & ad omnes Satanæ insidias roboratã tot testibus, vnicum antidotum esse, sanandis tot morbis, qui alioqui quotidie inualescunt, sapienter V.R.M. pridem intellexit. Cùm enim symbola & regulam fidei (quam Catholici antiquissimè amplexi sunt) protestantes ipsi in suis templis publicè recitent, nulla vtique certior, neque pacatior finiendarum controuersiarum methodus iniri vnquam poterit, quàm vt interpretes eiusdem regulæ fidei adhibeantur, qui eam ipsam vnanimes in plenissimo, quasi Ecclesiæ Christi theatro, (& quidem ijs orbi Christiano imperantibus, qui fuerunt oculatissimi & summi viri) ex Diuini codicis verissimo intellectu, atque ex Apostolorum doctrina condiderunt. Quinam enim aptiùs vim legum declarauerint, quàm qui fuerunt earundem legislatores, ac non iniuria dicuntur animæ legum?

Idem de alijs rebus, seu etiam ritibus dicendum est. Ecquem enim testem alium, vel grauiorem, vel propiorem prioribus seculis, vel vita sanctiorem, vel remotiorem ab affectu horum temporum, vel denique in quem cadat minor suspicio, (cùm præsertim prioribus Ecclesiæ seculis, & quidem in Oriente (non Romæ) quattuor illæ priores Synodi habitæ sint) assequi aliquis possit? Quòd si quis de Latina earum versione ambigeret, extant Græca exemplaria, quæ vel ex Græcia peti possent vetustissima: quanquam ferè omnia meliora, vti depositum aliquod, Deus in Ecclesiæ Catholicæ ac in ipsius Apostolicæ Romanæ sedis sinum, tanquam ad munitiorem locum transuehi voluit. Quæ quidem quando non essent à Catholicis conuersa fideliter, certè ad ipsum Ptolomæi Regis Aegypti exemplum verti à pluribus possent, qui (quod ille per septuaginta interpretes de Scriptura Diuina fecit) eodem tempore varijs in locis distributi idipsum de Synodis facerent, vnde omnis fraus præcaueretur. Quòd si his repudiatis, nunc ille, modo alter, postea

nescio

neſcio quis alius,qui deſertis Eccleſiæ caſtris huc illuc omni vento circumferatur , Synodis illis œcumeni-cis prælatus fuerit,nemo non intelligit meritò fieri,vt ſingulo nouilunio, noua erumpat hæreſis, vel atheiſ-mus:ac tandem opus ſit, vt cerdones,& ſutores in Rebuſpublicis decreta de religionis diſsidijs, quam nun-quam nouerunt,ſanciant,quemadmodum his ipſis menſibus in hac citeriore Balthici maris ora contigit.

Habet R.M.V.quæ me cauſæ mouerunt ad ſcribendum,quidúe hoc opere contineatur, quæ denique ra-tio concordiæ ineundæ certiſsima ſit. Quæ omnia,relicto illo cōciſo ſcribendi genere, quod alijs tractationi-bus meis libenter adhibebam,paulò fuſius expoſui. Primū quidem:quòd cùm hoc in gratiam eorum ſcrip-ſerim,apud quos vix vlli veterum libri integri,aut ipſa ſcriptura incorrupta reperiatur,neceſſarium erat, vt ex fontibus ea proponerem,ne hac illac eadem quæritantes,nec inueniētes,dubij eſſent,quid crederent. Deinde quòd ſciebam,ex iſtis miniſtrorum diſsidijs, & blaſphemijs (ne dicam ſumma imperitia) factum iam eſſe,vt plerique omnes veterem ac veram Eccleſiam , & Patrum antiquorum doctrinam quotidie auidiùs cupiant. Veſtram autem R.M.non ſolere pati,vt aduerſus eos aliquis blateret: multò verò minùs paſſuram,vt iſtorum commenta pro Dei verbo,ac vitra pro margaritis, Regnis iſtis venditentur: In quæ nouit optimè,neque meliores quàm auitæ Eccleſiæ merces inuehi poſſe, nec aliud magis regiū,effici poſſe, quàm vt per veritatis lucem ad cultum Dei ſtabilem , ac certum populi reducantur. Optandum certè eſt quàm quod maximè,vt quem adhuc cultum memoria,& corde plurimi iſthic retinent,eum fouere liberè poſsint,ac tantus fidei theſaurus,qui Deo miſerante non obſcura ſui ſplendoris indicia exerit, tanquam candelabrum (vt Chriſtus docuit) ſuper men-ſa poſitum omnibus illuceſcat. Deus in cuius manu corda ſunt Regum V.R.M.donis cœleſtibus auctam incolumem diutiſsimè ſeruet.

REFV-

REFVTATIONIS SECTIO PRIMA, DE CAVSSIS SCRIPTIONIS, ET INANI DAVIDIS CHYTRAEI, AD SERENISS. SVECIAE REGEM prouocatione.

QVID AVCTOREM IMPVLERIT, vt primò aduerſus Chytræum ſcriberet.

CAPVT I.

SI QVANTVM QVAEque res habet momenti,rectè perpenderetur, nec verò animi perturbatio maturum mentis iudicium anteuerteret , magnos pleriq; ſibi labores demerent,ſummiq; beneficij loco ducerent, quæ interdum aut atroces criminationes, aut grauiſsimas iniurias eſſe opinantur.Siquidem (vt ſapienter Diuus Baſilius ſcri-
„ ptum reliquit) gladijs vtuntur medici,v-
„ tūtur & homicidæ. Verū hi,qd' ad eos tra-
„ ctandos ira,atq; immanitate impulſi acce-
„ dunt, ſceleſtiſsima per eoſdem deſignant
„ facinora:nempè qui eos, quibuſcū generis
„ ſunt cōmunione coniuncti, vita ſpolient.
„ Illi contrà, quòd ex ratione ipſis vtuntur,
„ magnas ex ijs afferunt vtilitates. Nam eorū
„ opera vſi,conſtitutos in periculis homines
„ liberant. Hæc ille. Quod ſanè tibi imprimis dictum velim Chytræe. Nam quòd non tantùm tuas, quantum Satanæ impoſturas retexerim,quæ ſub tuis ſcriptis latebant,id factū non eſt ob odiū tui (procul enim habeo cauſſas,ac ſi haberē,Chriſtiana prorſus charitas tolleret) ſed vt Sueci,Gothi , cæteriq; ſeptentrionis populi,ad quos miſſus legitimè fueram,ab erroribus liberarentur,quibus à te olim ab adoleſcentia impliciti , tuis identidem libris aduerſus Catholicā religionem editis arctius implicabantur. Ac tamē biennio antequā quidquam aduerſus te emitterem in lucem, ipſe Chriſti Domini conſilium ſecutus,vt inter te,& me primùm ageretur,Steburgi, qui locus eſt in Gothia, literas ad te peramanter dedi, per ſanguinem filij Dei te obteſtans, tuæ vt ſaluti conſuleres, approperantem mortem proſpiceres,nutantemque iſtum animum tuum aliquando in ea quæ vna fides eſt, atque Eccleſia ſiſteres. Sic enim Diuinum à te furorem auertiſſes, plurimoſque, quibus hæreſum variarum venena propinaueras,tuo excitaſſes exemplo ad orthodoxam fidem amplectēdam. Eas ego literas haud dubito ad te perueniſſe, cùm Lubecam, vt inde ad te afferrentur, per certum hominem miſerim:licet nunquam reſponſum acceperim. Factum eſt poſtea, vt in Moſcouiam allegarer,ex qua reuerſus,cū Auguſtæ Vindelicorū negotiorum cauſa ſubſtitiſſem,cognoui quę in Suecia gerebantur , atque inter hæc, te non parcentem operæ, vt quidquid Deus in ijs regnis inchoauerat , vnus ipſe tu vel rerum nouarum commentis illuc miſsis, vel libellis, tuorumque diſcipulorum inſtitutione euerteres. Res igitur ipſa, & probiſsimi homines haud defuêre, qui me,ad quem depoſitum illarum animarum iuſtius,quàm ad te ſpectabat, plus nimio cūctantem vrgerent, vt ſaltem permitterem, quæ diu apud me retinueram, ea vel alieno nomine, vel alterius opera in publicum prodire. Permiſi. Cùm verò ex vniuerſa Liuonia Moſcus fuiſſet ſubmotus: iamq; illicò in ea ingenti Prouincia ad reſtituendam religionem Collegia Societatis noſtræ inchoarentur, ac proinde mihi illinc ſcriptum eſſet, verſari in ea Liuonici maris ora complures, quibus, quoniam Athenas ſcilicet iſtas tuas frequentaſſent, ijdem libelli mei vſui eſſe poſſent , iterū dati ſunt prælo , vnà cum alijs, quibus & nobiliſsimo Septētrionali, qui de via ſalutis cupiebat inſtitui:& Stephano Poloniæ Regi de ſtatu præſenti vniuerſæ Eccleſiæ aduerſus quēdam Caluinianum reſpōdebatur. Habes cauſas editionis meæ. Nunc expendamus tuas.

S.Baſilius conſt. monaſt. ca.4.

CAVSSAE, QVAS ORATIONIS DE ſtatu Eccleſiarum abs ſe editæ Chytræus affert, expenduntur, & examinantur.

CAPVT II.

QVINDECIM, inquis, anni ſunt, cùm “
Viennæ in Auſtria aliquot menſes cō “
morans, inter alios labores tum mihi man “
datos, ſyluulam de ſtatu Eccleſiarum Grę “
ciæ, & Aſiæ ex multorum præſtantium vi- “
rorum, qui partim Græci erāt, partim By- “
zantij aliquādiu vixerant, & humanitatis “
cauſſa ſubinde ad nos accedebant, ſermo- “
nibus diligenter perueſtigatam, primùm “
collegi. “

Hæc cùm dixiſſes, & addidiſſes, ſcire te “
fontes doctrinæ Chriſti, & Apoſtolorum “
Græcis literis primùm nobis traditos, & “
ab eloquentiſsimis interpretibus Baſilio, “
Nazianzeno, & alijs, qui longè poſt ſe in- “
ter-

„ teruallo (ais) Latinos omnes relinquunt,
„ illustratos esse, & cæt. atque ideò tum hæc,
„ tum alia veteri Græciæ post Deum debe-
„ ri, subdis, singulari cum voluptate didi-
„ cisse te, non libros solùm sacræ scripturæ,
„ & Euangelij Christi in templis Christiano
„ rum publicè haberi, & legi, & ritus à maio-
„ ribus acceptos seruari: verùm etiam ordi-
„ nem, & gradus Episcoporum, & Patriar-
„ charum veteres, totamque politiam, & iu-
„ risdictionem Ecclesiasticam à Turcico Im
„ peratore tolerari, & defendi: Ac, si non pu-
„ riorem, certè non minus Christianã, quàm
„ in Pontificis Romani Ecclesia religionem
„ in Græcia sub Turcarum tyrannide esse.
Tum igitur te ad chronici lectionẽ reuersum ad scholam tuam, auditoribus, non vt Lutheranam doctrinam adstrueres aut nostram refelleres, sed simplicem historiam bona fide recitasse μόνῃ τῇ ἀληθείᾳ θύοντα. (vt tu loqueris) hoc est soli veritati sacrificantem, nec quicquam minus suspicãtem, quàm post annos quindecim primùm publicè ὑπεύθυνον, id est, reum fore.

Hic ergo multa sunt Chytræe, quibus volens, nolens, veritati sacrificas. Et ea sanè Diuinæ sapientiæ vis est, vt etiam dæmones adigat ad Christi nomen, Ecclesiamq; commendandam. De quindecim annis minus tibi erat laborandum: Quadriennium enim plus minus est, cùm primò oratio illa tua ad hominem, qui à secretis erat Ioannis III. Sueciæ Regis, à te ipso, tanquam nouus partus, missa est: vt eius exemplar alterum Regiæ Maiestati, alterum autem viro Illustri traderet, quorum tamen vtrumque ad manus meas peruenit. Ecquid verò opus erat, narrationem ante quindecim annos habitam in schola Suecis, & Gothis, Danis quoque, quibus illam dicabas, post vndecim annos obtrudere, si nudam & simplicem veritatis narrationem illam, vt loqueris, scholæ tuæ tantum addixeras? Ecquid deinde literas Ieremiæ Constantinopolitani ad te per quendam Venceslaum Budouicensem, mense Octobri anni huius seculi septuagesimi noni Byzantij procuratas, eidem orationi adnectere, quasi iam Græci Lutheranæ doctrinæ subscripsissent, tuq; cum reliquis Symmistis tuis Orienti imperitares? Sed, ô, Deum admirabilem, & super omnia eminentissimè adorãdum. Cæcũ & claudum animal, quod veritati vos alij Protestantes sacrificastis, reiectum est: Vosq; cũ ante victoriam triumphum cecinissetis, subsecutæ sunt aliæ ex alijs Cõstantinopolitanæ censuræ aduersus Tubingenses, & VVirtembergẽses tuos: quorũ quam ijsdem præfationẽ paucos ante mẽses præfixerunt, mendacem tanto antea tu futuram, nolens & nesciens quid diceres, prædicebas, cùm in vestra castra Græcos concessisse falsò iactares. Hic igitur sacrificij tui primus fructus. Secundus est. Exciderant tibi tum scripta, tum dicta in Sueciam missa, quibus permouerentur aliqui ad Græcos Sacerdotes, siue ab Alexandrino Patriarcha, siue ex Russia euocandos, nisi à Summo Pontifice cœlibatus cum Sacerdotibus dispensatio, & vtriusque speciei concesio, ac quædam eiusmodi alia, de quibus mecum agebatur, obtineri potuissent. Tu tantæ compositionis futurum te quasi mediatorem, ne dicam diribitorẽ, atque idcircò vniuersi orbis Christiani nouum Sydus habitum iri certa spe voraueras. Desiderium egregium, mens (seu potius religio) si non læua fuisset. Vbi verò detestandos Lutheri errores ipsa Græcia aperuit, cecinistis aliquot ante annos receptui, euanuitq; illa spes, & cessarunt oracula, quæ isthinc à vobis edebantur. Tertium fructum gustemus. Calliditas & astus patuere: cùm qui priore mea in Sueciam traiectione Augustanæ, ac VVirtembergensis Confessionis à te Regi illi dicatæ libros ipsos primùm offendi, posteriore deinceps transmissione illuc mea, orationem tuam de statu Ecclesiarum, tanquam in subsidiũ tuarum copiarum prodeuntem accepi. Nã neque quicquam editione illa Confessionis Augustanæ promouisti, (ob quam item quantam à tuis Lutheranis gratiam iniueris non ignoras, cùm multa in ea sint, quæ alijs aliarum vestrarum confessionum editionibus aduersentur) nec propterea concors vlla inde consensio consecuta est, qua Schmidelinianæ concordię infælicẽ abortum extingueres. Itaq; factum est, vt neque voluisses (si verũ promere velis) eã vnquã editã fuisse, abierintq; quò digna erãt, eorundẽ librorũ exẽplaria cõplura. Ad rationem aũt istam tuã quod attinet de statu Ecclesiarũ, id effecisti, vt verã de vniuersę Ecclesię statu historiam attentiùs ipsis oculis inspicere voluerim. quare lõgè lateq; pagratis Prouincijs, quarũ tu mentionẽ faciebas, impostur as Satanæ tuis scriptis immixtas liquidissimè agnoui, quas, quod Christiano orbi fusius patefaciam, hæc tibi gratia habebitur. Cæterùm, si tu tantum Græciæ, & Asiæ historiam texebas, quorsum illa Hussitarũ, Picardorum, & Caluinianorum, qui in Boëmia, & in Vngaria sunt, narratio erat adhibenda? quos omnes cùm collaudasses, quasi eãdem, quã Ecclesia Christi veritatem colerent, certè nullam earum sectarum à te pro vera esse habendam ostendisti, cũ propè innumeras in illis hæreses Christi doctrinę aduersantes nemo non videat, & ipse postea ob oculos ponam.

Chytræus, vel inuitus veritatem fatetur.

Censuræ Patriarchę Constanti nopol. aduersus Lutheranos.

Confessio nes Augustanæ.

Omnes hę reses laudat Chytræus.

Præ-

Præterea nudam historiam recitantis (cuius personam tibi imponis ipse) atque chronologi, præsertim nulla fide Catholica, nullo merito, nulla solida doctrina præditi, nulla Ecclesiæ auctoritate subnixi, partiũ non est in re grauissima, quanta religio est, iudicium suum interponere, ac multò minus sententiam ferre. Minimè verò omniũ huiusmodi hominis est muneris, vt Ecclesiam ipsam Christi vniuersam teterrimæ idololatriæ arguat, quemadmodum in ea oratione fecisti, atque adeò nunc hoc altero edito scripto per te Satanas facit.

At quum fontes doctrinæ Christi, & Apostolorũ Græcis literis primùm nobis traditos, & ab eloquentissimis interpretib⁹ Basilio, Nazianzeno, & alijs illustratos esse asseris, videbimus postea, quàm hæc cum reliquis tuis cohæreant, iocone, an fraude, an seriò ista dixeris. Neque enim dubium est, quin Catholicus sis, si, quæ ipsi tradiderũt, credas. Et vix fieri potest, quin, si ex animo ista pronũcies, persæpè cogites, eosdem patres, non Latinis solùm (id quod tu subiungis) verùm in vniuersum omnibus, qui ex equo vestro Lutherano prodierunt, esse præferendos. Ac postea tanto minus induxerit vllus in animum, à te verè credi Lutheranam sectam, & hæresim, iustum Ecclesiæ, vel religionis nomen posse sortiri, cùm à vestris conuenticulis longissimè absint ij, quos in Ecclesia Christiana fateris agnouisse ordinẽ, & gradus Episcoporum, & Patriarcharum veteres, totamque politicam, & Ecclesiasticam iurisdictionem, quique non solùm sacræ Scripturæ, & Euangelij Christi libros, verumetiam ritus à maioribus acceptos seruant. Vides igitur tuorum scriptorum aliquos fructus gustatui tuorum futuros satis acerbos. At quòd miraris te post quindecim annos primò iam publicè ὑπεύθυνον, hoc est, reum esse, cogita quonam iure Chytræus, quem nemo constituit iudicem, ipse à seipso delectus Ecclesiam Christi arguat, Patrum vnanimem consensum reijciat, Christi sacerdotes, qui nihil ex sese, omnia ex regula fidei proferunt, sycophantas, proteruos, impudentes idololatras vocitet, scripturam sacram ad sensum priuatum Grammaticus (nunquam Theologus) detorqueat, quonam (inquam) iure nihil Ecclesiæ Christi aduersus se iuris esse relictum putet. Sanè igitur Chytræe tu tibi hoc intriuisti, quare & exedendum est tibi. Atque vtinam ita exedas, vt concoquas. Nam quæ alia te pręparatem (vt dicis) ad mortem manet apud iustissimũ iudicem Deum pęna, nisi tibi in tempore caueris, horreo cogitare. Certissimè iudicium Dei non euades. Sed nunc reliqua inspiciamus.

Ij quos Chytræus laudat, suam condemnant sectam.

Modestia Chytræi.

Regis Sveciae in multis rebus pietas ostensa, Chytræum hæreseos condemnat.

Capvt III.

„ Cvm autem (ais regi) tuæ potissimum,
„ Regię Maiestati offerre sua illis visum,
„ sit, veniam mihi quoque clemẽtissimè da-
„ bis, quòd Regiam Maiestatem tuam, cuius
„ animum sua accusatione præuenientes, oc-
„ cupare illi voluerunt, me quoque pari be-
„ neuolẽtia audituram, & tum demum pro-
„ nunciaturam spero. Non enim patronum
„ mihi hac compellatione, sed in grauissimis
„ controuersijs censorem quæro, cuius iudi-
„ cium propter doctrinam rectam, & prop-
„ ter fastigium Regiæ Maiestatis liberum, &
„ æquum fore confido. Hæc tu.

At neque Regium animum accusatione tui præuenimus, qui iam diu regna illa impijs aduersus Christi Ecclesiam criminationibus, atque calumnijs quãtum in te fuit, infeceras: & multò minus Regia tibi censura proderit, quàm Constantinopolitana VVirtembergensibus, ac Tubingensibus profuit. Quippe cordatus Rex, quantamcunque hæreseos caliginem suis regnis vidit offusam, meliorem tamen lucem aspexit, qua & confessionis Lutheranę, & Caluinianarũ fraudũ tenebras dispellere conatus est. Itaq; sapiẽter intellexit, si quorum versanda essent scripta post Diuinum codicem, qui à vestris in sexcenta contraria dogmata trahebatur, Patrum consensum vnanimem esse reuocandum in vsum. Atq; vt hoc intellexit, sic libellos istos vestros, & inferni quisquilias, quæ ad se attinebat, explosit: &, vt has explosit, non erubuit publicè id pseudoepiscopis obijcere, eosque falsitatis, & impietatis arguere. Te verò, & alijs faces subministrãtibus, ac per emissarios illos vestros, qui fœdus icerunt cum morte, cuniculos in Suecia, & Gothia agentibus, ipse tamen pleraque fortissimè auersatus, satis apertè, ecquid de tua doctrina iudicaret, aperuit. Quamobrem respice quid templis instaurandis egerit, quæ Lutherana rabies direptis ecclesiasticis bonis, aut demolita fuerat, aut tanquam cucumerarium in vinea reliquerat: Num, & quorsum altaria excitauerit, ex quibus adolescentulus recordatus est sæpissimè dispensatam esse victimam illam sanctam, qua deletum est Chirographum, quod aduersus nos erat: Num sacrificium incruẽtum, & hanc ipsam vocẽ (oblationem) eiusdem sacrificij primariam partem, quam tu pernegas, & de qua postea tecũ pressius agam, Pseudoepiscopis frequentissimo in conuẽtu ante septennium ex Patribus, Diuinoq; verbo Stocholmiæ sic ostẽderit, vt ad eius confes-

Regis Sueciæ facta tanto Principe digna.

Coloss. 2.

L

confeſſionis veritatem eos adegerit: Num Sancti Regis Erici corpus, & oſſa thecis argenteis ſumma cum pietate per Catholicos tantum Sacerdotes honorificentiſſimo in loco Templi Vpſaliæ reponi ante quadriennium curauerit: Num diuæ Brigittæ, à qua genus ducit, oſſa, & alteram argenteam thecam reſtituerit, quæ inde aliquot ante annos fuerat ablata: Num eius ordinis ſanctimonialium virginum cœnobium aduerſus furentem ſatanæ rabiem non ſolùm ſartum, tectumque tutatus ſit, verùm etiam auxerit, neque virginitatis votis, quòd vos facitis, obicem poni ſit paſſus. Nihil ignotum loquor. Earum ego virginum adhuc in ſummis difficultatibus diuinas laudes puro ore, corporeq; die ac nocte canentium vota (quod ad Dei gloriam, tuamque Chytræe aut conuerſionem, aut iudicium dictum ſit) excepi, miraculoque comprobatam eodem ipſo die illarum promiſsionem, ac fortitudinem vidi, quæ ſuo tempore poſteritati manifeſtior erit, cùm Regnorum illorum commentaria, quæ confeci, appetet tempus, vt prælo tradantur. Virgines porrò illas (vt hoc obiter attingam) neque per triginta totos annos, fugati Catholici Sacerdotes, nec ſubtractus ſæpè cibus, vt ad virginitatem deſerendam compellerentur: nec obiecti Lutherani Miniſtri, quorum blaſphemias audirēt, (quas quidem blaſphemias virgines illæ Chriſtiana ſapientia auribus cera, lanaq; prius oppletis repellebant) neq; magnis pollicitationibus tentatus earum pudor: nec adeò earum Abbatiſſæ virgini ſanctæ flagra inflicta: nec ab hoſtibus excurrentibus direptum, ac fœdatum ſanguine plus quàm ſemel templum D. Brigittæ, quod Vaſtenis eſt, celeberrimum: neque per omnem vim atque iniuriam antea ſacrilegè detracti agri ab Enrico Rege, qui poſtea regno eiectus, iuſtas in carcere pœnas dedit, ſolidum illarum virginum pectus commouere potuerunt, vt veſtris vnquam illecebris aſſentirent: vt, cùm tu nunc Sanctimonialium omnium cætus proſtibula ſcripto iſto contra me tuo nomines, intelligere poſsis, quid de te Rex ipſe cenſuerit, quem reſponſionis tuæ cenſorem delegeras. Sed ad eundem redeo. Quid de ſtatis ieiunij diebus, qui ſextæ cuiuſque feriæ ieiuniū colit: Quid de quadrageſima, quam ipſe vt traditionem Apoſtolicam ſeruat: Quid de ſanctorum Chriſti ſeruorum orationibus, quorum opem intelligit in Chriſto eſſe maximam, & expetendam: Quid de purgatorio, cui tu tantopere oblatras, nouiſsimo inferno digniſsimus, cū & ante paucos menſes iuſta Catholico more pientiſsimæ coniugi Reginæ Catharinę perſolui curauerit, Regnaque omnia, vt pro illius anima orarent, ſanctè de reſurrectione cogitans, mandauerit: Quàm graue autem, ac diſertum de vna fide Catholica Romana teſtimonium ferri voluerit, in qua nobiliſsima eius vxor vixerat, & extremū diem clauſerat, iam omnes norunt: frequentiſsima enim Regnorum nobilitate in magno illo Vpſalię abs ſe inſtaurato templo, dum demortuæ exequijs omnes intereſſent, audita ſunt, (ſapienti ſine dubio Regis cōſilio) à Pſeudoarchiepiſcopo eius ciuitatis, è ſuggeſtu declamāte, hęc ipſa verba: Regina inter cęteras pręſtantiſsimas dotes Auitam Iagelloniorum, & aliorum Chriſtianorum Regum religionem Catholicam, ſine qua nemo ſaluus eſſe poteſt, conſtantiſsimè ſemper retinuit. Hæc ille. Cæterùm quid Rex de Catholica religione, quam Principi filio Sereniſſimo Sigiſmundo ad omnem pietatem nato integram ſinit, quamque morituræ parenti ſe, vt conceſſurum promiſerat, ſic regia, & paterna pietate hactenus præſtitit: Quantum Romano Pontifici, & Eccleſiæ Catholicæ deferat, cuius filios & nutritios non hoſtes futuros reges Prophetam prænunciaſſe optimè nouit: plerique omnes ſciunt. Ecquid ergo rex tibi, tuiſūe gregalibus adiudicaturus ſit, vel potius adiudicauerit, tuum eſto iudicium. Sententiam profectò aduerſus te Rex dudum tulit, & iuſtam propter doctrinam, qua tu non negas eſſe pręditum, & liberam ob faſtigium Regiæ dignitatis, liberiorem forſan editurus, ſi quid alij ſimiles veſtrûm perrexerint obſtrepere, aut cùm inuictus Rex exiſtimabit, quas de internis, atque externis hoſtibus victorias Deo aſpirante adhuc reportauit, eaſdem altera ſumma victoria ad Regnorum ſuorum ſalutem, vſque ad ęternum decus eſſe cumulandas.

Virginum mira conſtantia.

Dictum Pſeudoepiſcopi notatu dignū.

Eſaiæ 49.

CHYTRAEVM INANITER REGI Suecia doctrinam Lutheranam venditare, eiusq; vanitatem & falſitatem, non modò Regem ipſum, ſed & ipſos Chytræi diſcipulos iam pridem cognouiſſe.

CAPVT IIII.

„ PERGIS. Sed cùm ipſius Filij Dei voce traditam de præcipuis Chriſtianæ religionis noſtræ articulis doctrinam, in hac ſchola Regiæ Maieſtatis tuæ ſubditis, & alijs propoſitam, hęreſeos, & mendacij nomine ſubinde repetito (Poſſeuinus) traducat, & exagitet, & atrociſsimum hæretici crimen nominatim impingat, hāc tam diram criminationē pręterire impietas eſſet.

„ DEINDE poſt pauca, inquis: Omnia hæc Deo, & piorum iudicijs iam pridem commendaui. Sed vt iuniores, & alios, qui in hac ſchola docentes audiuerunt, confirmem, ne de doctrina diuinitus patefacta, quam in Regiæ Maieſtatis tuæ regnis inclytæ memorię Pater tuus doceri in Eccleſijs, & propagari iuſsit, & quam in hac etiam Eccleſia, & ſchola collegę mei, & ego fideliter ſonamus, minus honorificè ſentiant, nec ab ea deduci ſe, aut deterreri vllis calumnijs ſinant, propterea, &c.

Laudet te os alienum

ET hæc tu quidem. Nam reliqua quę pro modeſtia Euangelij veſtri interſeris, vt cui deſunt rationes, blaſphemiæ ſuppetias ferant, & tibi libenter condonamus, atque integra ad te remittimus: Tum quod iactas de Chriſti doctrina. Quin tu (vt breuiſsimè veritas pateat) auditoribus tuis bona fide veram originem, & ſeriem Chriſtianæ doctrinæ edis? Tolle tua, recedant mea, ſubtrahe communes Melanchthonis locos: fatere ingenuè eos ſæpe mutilatos, mutatos, auctos, Grammatici verò, & hæretici, non Theologi fuiſſe. Nam ſi etiam Caluinianorum, Arianorum, Anabaptiſtarum, & Turcarum rudimenta adoleſcentibus iſtis obtruſiſſes, quis dubitat te inde meſſurum, quæ ſeminaſſes? Propone verò Diuinam ſcripturam, qualem omnibus ſeculis Eccleſia Chriſti ſeruauit incorruptam, non qualem Lutherus, cæterique, quiſque pro ſuo ſpiritu, ad ad ſuas hæreſes aptarunt. Adde, quos ais eam illuſtraſſe Patres & Græcos, & alios, qui fidelius quàm tu, quem liberanda veritas nunquam expectauit, verbum Chriſti ſonuerunt. Hæc cùm ſincerè effeceris, hortare vt Diuum Auguſtinum de doctrina Chriſtiana, deque moribus Eccleſię Catholicæ: quodque contra epiſtolam fundamenti Manichæorum, & quas ad Ianuarium, atque ad Probam ſcripſit epiſtolas attentè perlegant. Præterea porrige non fruſta, non aſſumenta, ſed integros, Tertullianum de præſcriptione hæreticorum, D. Cyprianum, Sanctos Auguſtinum, & Epiphaniū de hęreſibus, Theodoretum de fabulis hæreticorum, Optatum aduerſus Donatiſtas, Diuum Hieronymū aduerſus Iouinianum & Vigilantium, aliosque hæreticos. Eos tractent, antequā illam tuam Chimeram inſpiciant, quam de ratione Theologici ſtudij peperiſti, prius quàm veræ Theologię fœtum vnquam aliquem concepiſſes. Ac videbis quātò meliores, & ſine vlla noxa poſthac afflatus boni iſti excipient: Quos quidem vos alij ſoletis faſcinatione, & veneno veſtrorū axiomatū fallaciſsimè ab illis auertere. Tū verò relicta ijs omni libertate, fac pronūcient liberè, quid de iſta veſtra doctrina ſentiant. Quęſo nū te ſtatim honeſtiſsimi adoleſcentes non conclamabunt nō ſolū hæreticum, ſed hęreticiſsimū, quibus cœlum inuideris, viam (quantū in te fuit) ad infernū ſtraueris, veriſsima Sacramenta abſtuleris, & pro Chriſti Domini doctrina nugaces iſtas blaſphemias, aliarum veterum hęreſū ſimillimas, venditaueris? Et audes poſtea ſcribere, mirari te, quòd in tuis ſcriptis obambulemus, eaq; carpamus, quaſi Diuina myſteria, quę nemini liceret attingere, homuncio tu, deniq; ſolus hauſeris, quem inaniſsima paſtum gloria non ſine cauſa, vel ipſi tui, quos pios vocas, vt iam ſimiolum Melanchthonis vocarunt, ſic poſtea ex ſimia Protheum factum non tam mirantur, quàm deludunt. Hæc verò illa eſt Cyclopædia, quam te vnum in iſta ora abſoluiſſe diſcipulis tuis gloriabare, quam poſtea reſeratis antiquitatis fontibus, quos verbo interim collaudans, facto ſemper obſtruxeras, iā verius τυφλοπαιδείαν meritiſsimè ſubſannant. Poſtquā.n. ex Septentrionalibus Regnis crebrius ad Catholicas Academias traijcere cœperunt, obſcuratum eſt aurum tuum, & conuerſum in ſcoriam: calumnias enim Eccleſię Chriſti abs te aſperſas, eò vehementius deteſtati ſunt, quò ipſis oculis propius viderunt, te aut miſerrimè fuiſſe deceptum, (qui à puero idem, quod ipſis propinabas, venenum ab hæreticis exſuxeras) aut certè cum inſigni temeritate, inſignem nequitiam in ijs fallendis coniunxiſſe. Ecquid autem putas natis ad ingenuam ſimplicitatem adoleſcentibus animi fuiſſe, cùm, quē vos Antichriſtum vocabatis, Romanum Pontificem, ipſi eundem cernerent plurimam pietati operam dantem, ſibi verò ſalutis monita, ſemitamque rectiſsimam ad Chriſtum humaniſsimè monſtrantem audirent: Cùm in ſeminaria, & collegia honeſtiſsima ſeſe gratis excipi viderent, in quibus viget ordo ſanctiſsimus, diuinęque cōtinenter laudes, ac pietatis exercitatio, ſtudiaque litterarum ſacrarum vnà cum alijs diſciplinis accuratiſsimè proponuntur: cū ex Anglico Seminario innocentes illas in Britanniam hoſtias identidem proficiſci cernerent, quæ pro ſalute ſuorum animas omnibus cruciatibus Caluinianorum, & Puritanorū libenter offerrent: cumque ex Aſia Syros, Maronitas, Græcos, ad reliqua Romana Seminaria ſæpe appellerent: Cū item ex Germanico in vrbe Collegio prodire caſtiſsimos, & doctiſsimos Theologos in certamē aduerſus hæreſes veſtras: cū deniq; religioſiſsimos Patres, & adoleſcētes, relictis omnibus ad Chriſtū in Indias inferendū alacres per immēſa maria ſoluere in tue-

Hæretici ſua cōmenta loco ſcripturę ſacrę & Patrum diſcipulis obtrudunt

Diſcipuli Chytræi vanitatē doctrinę Lutheran. iā intelligūt.

Romani Pontificis pietas & liberalitas.

tuerentur? Quid iterum putas de schola ista tua tũ illos cogitasse? Hęc certè satis fuëre ad sententiam aduersus vos omnes ferendã. Eò præsertim, quod cùm isticà te audiuissent, Diuinum inter Catholicos cultum interijsse, cœnobiaque & Sãctimonialium Monasteria scelerum esse officinas, iã cernerent ea castimonię, ac Diuinarum laudum esse scholas, frequentissimarum verò ciuitatum vnum in colendo Deo cor, animamq; esse: Eucharistiam creberrimè à plurimis sumi, raros esse qui ad leuandum proximum, operi alicui pietatis sese nõ addicerent: Templa verò splendere omni Christiano ornatu, quęque ijs auita pietas attribuerat, ea integra seruari: Catholicorum autem Bibliothecas plenissimas vbiq; esse Patrum consentientium, Diuinorũq; codicum. Itaq; iustissima aduersus te, tuiq; similes concepta indignatione, omnes ad vnum, eiuratis sponte hæresibus ad auitã fidem ad sanctorum olim Sueciæ Regum verissimã religionem, ad Pont. Max. & legitimorum Episcoporum cœtum, ad Euãgelij concordem, atque eruditissimam expositionem aduolarunt, in eoq; perstant optimi adolescentes. Qui verò interim diẽ obierunt, hi verissima, & prisca illa Septentrionaliũ Christianorũ fide muniti migrarũt ad cœlũ. Quamobrẽ, si lubet, de ijs quoque qui adhuc superstites sunt ꝑquire, q́d de ista Diuinit⁹ (vt ais) patefacta vobis doctrina sentiant, ac dignũ responsũ accipies.

Neqve porro est, vt Serenissimo Suecię Regi imposturas vestras (plus quàm fortassis putas) callenti, fucum facias, cùm scriptites, eius parentem eandem doctrinam vestram doceri, ac propagari iussisse: Regnorum enim paternorum, non illegitimæ doctrinæ Rex legitimus est hæres. Quin verò & indignissimam Christiano Rege, & maximè impiam rem esse iudicat, si cuiuslibet transfugæ, aut vnius vel alterius Pædagogi ferulę fastigium tantæ Maiestatis subijciat. Ac nouit, si tempora tulissent, vt ad parentis (alioquin fortissimi) dotes, ea potuisset acedere fælicitas, vt non Apostata Lincopensis, Regnorum suorum quietem (obiecta malè sanis ingenijs Ecclesiasticorum bonorum præda) perturbasset, sed consiliarij alij cœlestium diuitiarum pręmio proposito, solidiora consilia proposuissent, neminem fæliciorem, aut hoc sæculo sapientiorem eo Rege futurum fuisse. Non certè humaniores litterę, & disciplinæ omnes in exilium abijssent: (quas tamen Regio animo Rex conatur restituere) non splendor Ecclesiasticæ pietatis, nunc Regię Maiestati deesset: non Academiæ, ac pręcipuè Vpsaliensis, cõcidissent: Non virgines, è sacris locis aliò ab

Reges non falsę doctrinæ, sed Regnorũ sunt hæredes.

actæ fuissent: Non deniq; is status esset consecutus, vt pro Christo, Lutheranum panẽ: pro Euangelio dissonas Apostatarum voces: pro Sacerdotibus, laicos baiulos: pro Episcopis, homines gregibus, quàm hominibus pascendis, & stiuæ, quàm suggestibus aptiores: ac tandem pro templis ornatissimis rudera plerisque in locis Regna illa obtinerent. Parum ergo tibi Chytræe, vt iam vides in Serenissimo Sueciæ Rege præsidij, (cuius pietas testata tuæ doctrinæ refragatur) ac nihl omnino in discipulis, quorum animos olim erroribus imbuisti, opis atque spei.

REFVTATIONIS SECTIO II.

De verbo Dei, ad quod Chytręus secundo loco prouocauit: qua ostenditur verbum Dei penes ipsum, cęterosque Protestantes haudquaquam existere.

EX MODO PROVOCATIONIS Chytræi ad verbum Dei. facilè intelligi ipsum cum suis eodem prorsus carere.

Capvt I.

Qvod num ita fore præuideris antea ignoro sanè, præuidisse tamen videris, quoniam atqui si ijsdem non satis fideres, ad verbum Dei solum, relictis, quos delegeras, arbitris, confugiendũ tibi putasti. Verba enim tua sunt, vtinam tã vera, quã gloriosa: Regulã certè, & normã fidei, ac in» uocationis Dei, & cultuũ ipsi exhibendo» rum vnicam, & immotã sequimur doctri» nam Christi ipsius voce traditam, & sa» cris Prophetarum, & Apostolorum scrip» tis comprehensam. Cæterum neque ver» bum Dei tibi suffragari, imo aduersari quàm maximè hęc ipsa satis ostendunt. Si enim tu is, Chytræe, homo esses, cuius doctrina verbo Dei consentiens esset & consentanea: aliquam Ecclesię, aliquam Patrũ, aliquam totius antiquitatis mentionem sanè fecisses, adeoque asseruisses, tuam doctrinam non modo verã, quòd sacris Prophetarum, & Apostolorum scriptis esset comprehensa, sed quod Ecclesiæ iudicio, Patrum sententijs, Antiquitatis auctoritate, ijsdem Prophetarũ & Apostolorũ libris esset contenta. Hoc autem quoniam nõ fecisti, nihil causam tuam adiuuat verbi Dei honorifica compellatio, quin potius eidem obest maximè. Hinc enim liquet te omnes hęreticos imitari, q̃ Ecclesia spreta, vetustate contẽpta, neglectis Patribus, semper ad verbum Dei scriptum prouocarũt. Memẽto, inquit Hilarius ad Cõstantium, neminem Hęreticorum esse, qui se non secundum scripturas prędicare, quibus blasphe-

phemat, mentiatur. Quod idem verum esse vsu tractationeque quotidiana obseruamus. Quis enim est huius temporis Hæreticus, quamuis immanissimus, Anabaptista, Antinomus, Trinitarius, qui non glorietur suam doctrinam esse veram, quod sacris Prophetarum & Apostolorum scriptis sit consentanea? Ego certè hoc ipsum experientia didici, cùm aliàs frequenter, tum etiam non ita pridem. Cùm enim superioribus mensibus ex Boemia in Poloniæ Regnum redirem, Posnaniæq; primò librum aduersus me tuum, quẽ antea non videram, accepissem, tum ista tua in itinere sic satis attentè percurrebam: cùm ferè quotidiè in varias, & pugnantes sectas inciderem, quæ omnes eandem Apostolorum, & Christi Domini doctrinã, suæ prędicationi obtenderent. Et mitto nũc Hussitas, Picardos, cæteraque monstra, quæ in Boëmia reliqueram. Posnaniæ vnum ipsum diem commoratus, ecce in quibusdam latibulis reperi, hîc Anabaptistas, Arianos, & Samosatenos: ibi Caluinianos, illic Lutheranos despumantes quosque sub Euangelij nomine confusiones suas. Vna verò ciuitas ipsa tota (nam plerique illi erant externi & transfugæ) Catholica est. Biduum porrò processeram, cùm in pago (quoniam aduesperascebat, neque verò locus esset hospitij publicus) nobilis quidã vir nos amanter exçepit. Ac vix statim consederamus, cùm ille, equidem (inquit) lubens vos domi meæ intueor, putoque Diuinitus factum, quod huc adueneritis. At scitote me longissimè à vobis de religione dissentire. Quatuordecim enim (inquit) anni sunt, cùm Lutheranus Caluinianam: Mox, quam vos, alij vel Arianam vel aliã quampiam, nominatis hæresim, amplexus sum. Tum librum contra sanctissimam Trinitatem pestilentissimum promit, quẽ sibi ex Transsyluania missum à Georgio Blandrata aduersus Christi Filij Dei diuinitatem, multi anni effluxerant, cùm acceperat. Hunc igitur aperit, rogat, vt perlegam, illic potissimũ, vbi ministri Transsyluaniæ Ebionitæ, & alij D. Ioannis Euangelium interpretantur. Ego qui expallueram, ac licet in Transsyluania, & reliqua Vngaria non semel fuissem, nunquam tamen eas hominum pestes vel aspicere potueram, ex altera tamen parte humanitatem viri, ex altera astum Satanæ cogitans, meque Christo Iesu commendans, egi cum eo, vt finem iam tandem faceret ex alijs, in alias hæreses prolabendi: Alioquin permissurum Deum, vt prorsus in atheismum demergeretur, ad quem iam isto impietatis priuilegio passim nimis licenter permisso, reliquis compluribus latissima

Omnes hæretici se verbũ Dei habere gloriantur.

Exemplũ lectu dignũ.

patebat via. Adieci eundem, cui liber ille Transsyluanicus dicatus fuerat, fuisse prætextu vtriusque Eucharistiæ speciei sumendæ initio ex Ecclesiæ Catholicæ sinu eductum, deinde sensim in Lutheranam labem, nec ita multò post in laqueos Caluinianorum, denique in istos scopulos Ebionitarum, & Samosatenicorum sic eiusdem libri opera propulsum, vt dignitatem, fidem, vitam, salutem suam, & complurium aliorum perpetuò amitteret. Cæterũ (inquam) si quæ à Christo, & ab Apostolis in Ecclesia vel declarata, vel constituta sunt, hæc pro cuiusque libidine (quantumcunque Euangelium insonent) in dubium reuocentur, ecquis erit finis? Quin ergo (inquam) Christum, cuius pretioso sanguine redemptus es, quem lex, Prophetæ, Psalmi, quem nouum testamentum, quem nomina, opera, & attributa Dei: quem cœtus innumerabilis sapiẽtissimorũ Theologorum, & Episcoporũ, atque ex ijs plurimorũ, qui doctrina & sanguine veritatem hanc consignârũt, quem Patres omnes sanctissimi, quem vniuersæ Academiæ, doctissimę, & orbis per tot secula Christianus, quẽ Sybillæ diuinitus afflatæ, quẽ defectus oraculorũ in gentibus, & dispersio Iudęorũ quaquauersum: quẽ miracula, & rerũ certissima prędictio, quẽ ꝓbatissima vita, quẽ noui orbis in Indijs conuersio Deũ de Deo, ac viui Dei filiũ, omnipotentẽ, ac sempiternũ esse, ac fuisse nobis certissimè cõmonstrarunt, hunc eundẽ Filiũ Dei tibi, teq; illi restituis? Nec verò caniciẽ istam, & nobilitatẽ, iã plus q̃ satis dedecoratã paulò post ad inferos, vnde nunquã emerges, deduci patiare. Quæ cũ audiuisset, & illacrymans ad Deũ conuersus, Polonicè precatus esset, haud sineret se contra eius Christũ errore, diutius implicitũ detineri: A Deo (inquit) aiebã vos missos ad me, nec id absque caussa, id. n. scitote me nõ ita multo antea à Gaspare Velicouio propinquo meo, q Lublini agit, librũ accepisse, quo is, qui à puero educatus in Lutheranismo fuerat, deinde in Caluinismũ lapsus, in hanc sectã sic venerat, vt inter primarios nostræ sectę haberetur, sic iã Catholicus factus omnes istas opiniones detestatur, ac verbo ipso Dei confutat, vt mihi maximum scrupulũ iniecerit, atq; adeò vehementer sim perterritus, quare & librũ illum misi ad nostrũ cœtum, vt eum perpenderent. Ad quæ ego. Quem tu mihi cœtum narras? Si enim Christi doctrinã requiris, quid ad istos trãsfugas curris, & propriã Christi officinã, hoc est Ecclesiam omittis? Hęccine verò Apostolica veri excutiendi ratio est? Hæccine vestra firmamẽta, vt cum Euangelio, & Ecclesię antiquissimę, eiusq; vniuersalis veræ verita-

1. Tim. 3.

tis

tis columnæ innixum te esse oportuit, iam
senex bis puer sis factus, & relicto portu, in
quo tuto nauiges, ad fluctus, & arundines
vētis omnib' agitatas accuras, vt te in infir-
mitate sua instabilissimi statuant? Quin tu
potius expia domum tuā istis Lutheri, Cal
uini, Ebionitarum libris, quorū farraginē
trecētis talleris emisse te asseris, ac veni ad
Stanislaum Karnkouiū Gnesnensem Ar-
chiepiscopum tuum, plenū pietatis, & do-
ctrinæ sincerissimę, tuū inquā pastorem le-
gitimum, cui fateare errores tuos, eritque
Matth. 18. quod ille soluerit in terris (nunquā menti-
ente Christo) solutū in cœlis. Hæc ita ha-
bent. Et scit Deus me non mentiri. Non te
ergo Chytræe morabor diutius his legen-
dis. Venit ille postridiè Louicium, cumq;
publicè coram Archiepiscopo satis certam
spem præbuisset, eas hæreses se abiecturū,
fecit, vt tantò attētius, quæ tu scribebas ad
me de doctrina Apostolica, deq; Erasmo,
quē Samosateni, & Ebionitæ illi præcipuū
impietatis suæ præcursorē faciunt, animo
meo reuoluerem. Deniq; Lublinum ipse
progressus, cùm iam me satis hæresum di-
Samosatenici, prius Lutherani. screpātium euasisse putarē, nouam Samo-
satenorum synagogam inueni, ac quod o-
mnem perfidiā superat, aliquos, qui prius
istis venenis vestris imbuti fuerant, offen-
di tot blasphemias aduersus Deum eius-
modi eructātes, quales ne scribere quidem
audeo, itaq; cohorrui. Ac, ô, bone Iesu (in-
quam) in quæ me tempora reseruasti? vel
in quæ loca subinde mittis? Tum cœpi de
Omnes hæretici Christi doctrinam sibi vēdicant. te illud cogitare, ecquid hic ageret Chy-
træus, si, quam mihi obiectat Christi, & A-
postolorum doctrinam, hanc sibi ab vno-
quoq; istorum obijci audiret? Et quidem
2. Cor. 11. opinor responderet: Non eos rectè verbū
Matth. 4. Dei tractare, Satanam se in lucis Angelum
1. Ioan. 4. transfigurantem, probandos esse spiritus:
Ierem. 23. Pseudoprophetas quoq; cucurrisse cū non
mitterentur, loquutos esse quæ Deus non
mandasset, etiamsi illud vsurparent: Hæc
dicit Dominus. at quis nō hæc omnia Scri-
pturæ loca Chytræo obijciat iure vicissim
Lib. de Missa priuata. ac meritò, cùm Lutherus parens suus à Sa-
tāna se deceptum fateatur, eundemq; cu-
currisse constet, priusquam à quoquam ad
verbum Dei disseminandū contra orbis
vniuersi consensionē mitteretur? Nec ve-
rò putet se Chytræus cōmunem hęretico
rum condēnationem euadere posse, quod
se Symbola, & quatuor primas Synodos
recipere fateatur. Hoc enim statim subiun
git. Nam Symbola & alij pleriq; Hæretici
admittunt, sed ea prorsus ratione, qua ver-
bum Dei, suis videlicet cōmentationibus
deprauata, & Synodos etiam quatuor, Cal-
uinistæ, quos ille Hæreticos iudicat, nō re-
pudiant. Tum autē Catholicus, ac is cuius
vera esset doctrina haberi Chytręus potu-
isset, si Synodos oēs orbis cōsensu habitas,
pręterea agnouisset, adeoq; eorundē in do
ctrina vera à falsa discrimināda iudicium
admisisset. Fateatur igitur qđ res est, ver-
bi Dei solitarij ad suam doctrinā proban-
dam compellationē, se à verbo Dei desti-
tui, argumento esse. Quod autē ad Symbo-
la & Synodos attinet, post ostendetur, nec
ea à Chytræo & gregalibus recipi, si tamen
prius alijs argumētis verbū Dei illi eripue-
rimus, quòd videlicet verbum Dei & insi-
tum, & traditū omnino reijciat, scriptum
autem nec integrum recipiat, ac multò mi
nus scripti sententiam habeat.

VERBVM DEI AD CHYTRAEVM & suos gregales minimè pertinere, eo quod verbi Dei partem, Traditum nimirum verbum, contra diuinas literas, Patrumq; sententiam reijciant & respuant.

CAP. II.

AC PRIMVM quidem, dic amabo
te Chytræe verbum ne Dei traditū
agnoscis? Non opinor, aut potius te nō ag-
noscere habeo exploratum. Inquis enim:
„ Doctiinam sequimur sacris Prophetarum
„ & Apostolorum scriptis comprehensam:
quasi dicas, aliā præterea agnoscimus nul-
lam. Ac facis tu quidem, vt tui te magistri
iā olim docuere: neq; enim illi verbū Dei
Traditum in suis disceptationibus locū ha
bere volunt, quin potius atramenti notis
Diuini verbi vim circumscripserūt. Quod
sanè dum fecerunt, & ipsas notas Euange-
lij scripti aut deleuerunt, aut pernegarunt,
vt quinā futuri essent, qui soluerēt Iesum, 1. Ioan. 4.
quiue adderēt, vel detraherēt Diuino ver-
bo, quiq; Antichristi præcursores essent,
hinc liquido dignoscerentur, quod despe
rata caussa veritatem omnem impudētis-
simè reijcerent, bestiæque characterem il-
lum ἀρνοῦμαι in se ipsis ostenderent.

VT tamen facerent fucum rudioribus, Hæreticorum artes.
traditiones humanas vocarunt, quæ Spiri-
tu sancto dictante fuerāt ab Apostolis re-
lictæ, & eas sese respuere dixerūt, quod tan In Epist. de
tum quæ scripta fuissent in veteri, nouoq; Synodis Arim. & Se-
testamento verbi Dei appellationem pro- leuc.
mererentur. At vbi verbo scripto superati L. 1. 5. Theologiæ.
sunt, id mutilarunt, & inuerterunt, vt post
patebit. Si quid autem reliquū fuit, quod Lib. 1. cont.
sibi facesseret negociū, ad spiritum quisq; Maximin.
suum caussam detulit, seseq; ipsissimū Dei Augustin.
verbum effutire iactarunt. Qui nisi omni li. 1. de nat. & grat. c. 39
um hæreticorū mos antiquitus fuisset, vi- Cōc. Chal-
deri nouum potuisset. Constat tamē no- ced. Act. 1.
uum non esse. Sic enim Arianos fecisse, A- Nicæn. 2.
thanasius, Nazianzenus, & Augustinus te- Act. 3.
stantur, sic Pelagianos, Eutychetem, Ico- Bern. Homil. 66. in
nomachos, & Albigēses, ne omnes enume- Cant.
rem,

rē, ex alijs auctoribus constat. At verbum
Dei manet in ęternum, per quod & Sacer-
dotum iudicio in controuersis rebus esse
standum docemur, & quæ ab illis ritè pro-
fecta sunt, vel declarata, hæc à Spiritu san-
cto profecta fuisse nemo Christianus de-
bet ambigere. Quod ne à me assertum po-
tius, quàm probatum caussēris, dabo ope-
ram vt intelligas verbū Dei Traditum re-
uera aliquod existere, quod iniuria à te at-
que tuis reijciatur. In quo si fuero prolixi-
or dabis veniā, quoniā hinc vel maximè ina
nem tuā esse ad verbum Dei prouocationē
constabit. Et quidem initio si aduersarij no
stri recordarentur, ac tu cum eis vnà, sese
multa credere, quæ in scripturis expressa
nō sunt: si æquiore erga veritatē affectu ne
cessitatem, & caussas traditi verbi Diuini a-
cutius inspicerent: si Propheticum, Aposto
licū, Ecclesięq; totius de eodem, quo de agi
Capita ex quib' Traditiones esse cognoscuntur. mus verbo dei, testimonium sincera fide
admitterēt: si ne scriptum quidem Dei ver
bum intelligerent nusquā esse posse, nisi in
Ecclesiæ cōmunione, & interpretatione: si
certas Apostolicarum traditionum vias ag
noscerent, quas Spiritu sancto inspirati Sā-
cti Dei homines ijs indicarunt, quibus pas-
cendis in Ecclesia præfecti fuerunt à Chri-
sto: si deniq; ijdem ipsi hęretici sua dogma
ta tantisper obliuiscerentur, dum ista cor-
datè reuoluerent, sanè & mentes suas clari
ore veritatis lumine illustrari sentirent, &
hinc potissimum Ecclesiæ Catholicæ stu-
dium perpes, ac fidem summam in verbo
Dei asseruando recognoscerent: Nec porrò
ad dirimendas omnes lites aliam hac exce-
pta inueniri posse rationem diffiterentur,
si minimè ficto erga veritatem, & pacē de-
siderio agerentur.

SED paulò (vt dixi) fusius, ista expo-
namus ad DEI gloriam, tuique Chy-
træe si fieri potest (sed inprimis omnium
Septētrionalium) salutem, in quorum gra
tiam hæc scribo. Symbolum igitur Aposto
licum: Paruulos baptizandos: Non rebap-
tizandos esse hæreticos: Perpetuam fuisse
Beatissimæ Virginis Mariæ virginitatem:
Patrem ingenitum dici: Spiritum san-
ctum esse adorandum: Filium Patri con-
substantialem & ὁμοούσιον: Scripturam
esse canonicam, ac pleraque alia, in scrip-
turis ita non cernimus expressa, vt sine
interprete Ecclesia hæretici conuincan-
Hæretici cùm ab alijs hæreticis vrgentur, ad Traditionem se recipere compellūtur. tur. Et tamen tantum abest, vt plura isto-
rum Dogmatum vos alij negetis, vt &
Anabaptistas, & Samosatenos, & nouos
Arianos, quos ad expressum Dei verbum
prouocare docuistis, cùm vobis facessunt
in suis dogmatibus negocium, necessariò
vobis ineundam illam esse rationem intel
ligatis, quam cùm antea S. Cyprianus scri-
ptam reliquisset, attulit postea Diuus Au- Tomo. 7.
gustinus, tanquam (vt ait) rem optimam, de bapt. cō
& sine dubitatione faciendam: Nempe vt tra Donatist. lib. 5.
ad fontem (inquit) recurramus, id est, ad A- cap. 26.
postolicam traditionem, & inde canalem
in nostra tempora dirigamus. Cæterum ve
ritas verbi huius Traditi non scripti, aliun
de etiam cognoscitur.

APTISSIME enim Irenæus: Quamuis
(ait) Apostoli multas nobis scripturas re-
liquissent, tamen & oportebat nos sequi
ordinem traditionis Ecclesiæ. Antequam
enim quidquam scriptum vnquam fuisset,
veteris Testamenti Patres, & postea Christi
ani, ij verum Dei cultum & sacrificiorum
ritum, hi Euangelium, religionisq; capita
tradita (non scripta) seruabant. Illis quo-
niam in visceribus scripta lex, traditaque Ante verbum scriptū, fuit Traditum.
per manus obseruatio, minus poterat
corrumpi, quàm si chartis fuisset com-
missa, his quoniam spiritu Dei viui in a-
nimis doctrina, cęteraq; ad religionem spe
ctantia insculpta à Spiritu Sancto per Apo
stolos initio fuerunt.

Accedit, quòd Christianæ pietatis my-
steria non erant omnib' patefacienda, neq; Matth. 7.
tanquam porcis margaritæ proijciendę.
Pręterquam enim quòd non omnes om-
nia capiunt, alijq; lacte, alij solido cibo e-
gent, id notissimum est, Ethnicis, & Iudę-
is derisui futura fuisse, quæ in ipsorū ocu-
los & aures antea inuisa, & inaudita incur-
rissent: cùm item fideles nisi pietatē seriò
colāt, sensim ab eorum existimatione de-
cidant, aut cognita minus curent. Hæreti-
ci certè & spernunt, & subsannant ac bla-
sphemant. Sic enim ijs baptismus iam non
necessarius est: Confirmationem verò pro
nihilo ducunt: Eucharistia est idolum: Pœ
nitentia somnium, & contra meritū Chri-
sti: Matrimonium minimè Sacramentum:
Ordo spectaculum ludicrum: Extrema
vnctio incantatio: & sexcenta alia, quæ im-
pij euomuerunt, postquam lanijs, coquis,
cerdonibus, aucupibus, mulieribus Euan-
gelij tractandi, docendiuè liberam pote-
statem fecerunt. Itaque sapienter D. Dio- De cœlesti Hierar. c. 1
nysius Areopagita Timotheum monet, ne
quis profan' hæc audiat. Eos autē (inquit)
sic appello, qui occupati dūtaxat in ijs quæ
sunt, atque entia nominantur, nihil excel-
sius entibus, vt ita dixerim, superessentiali
ter esse putant: sed arbitrantur cognitione Dogmata Christiana nō omnib' propalāda temerè.
sibi propria illum apprehendere, qui tene-
bras posuit latibulum suum. Ille autem sic
Græcè, & clarius: τούτων δὲ ὅρα, ὅπως μηδεὶς
τῶν ἀμυήτων ἐπακούσῃ, τούτους δέ φημι τοὺς ἐν
τοῖς οὖσιν ἐνισχυμένους, καὶ οὐδὲν ὑπὲρ τὰ ὄντα
ὑπερουσίως εἶναι φανταζομένους ἀλλ' οἰομένους
εἰδέναι τῇ καθ' αὐτοὺς γνώσει τὸν θέμενον σκό-
τον ἀποκρυφήν.

Sed & huc ſpectat, quæ idem Dionyſius Demophilo ſcripſit, quod haud initiatus ſacris ad ſacra irripuerit, eaq; ſibi publicari voluerit. Quæ itē S. Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi 1. monet, cùm inquit catechumeno interroganti quid dicerent doctores, nihil eſſe reſpondendum: Tū verò præcipuè quæ decredita paſtoribus Eccleſiæ diſpenſatione, deqúe † labijs Sacerdotis cuſtodientis ſcientiā, quęue ſancti Patres, atque Pontifices Maximi docuerunt, cōplures autē excellētes noſtræ ętatis Theologi ſcripsere aduerſus veſtros, qui Lutheri dogma ſecuti, verbum Dei, & ſcripturas ſacras peruias omnibus, & intellectu facillimas eſſe mentiti ſunt.

Vide totā 36. diſtinct. Gratiani. 2. Timot. 3. † Malach. 1. Claudi⁹ de Sainctes cōt. Atheiſmos Caluini. Canus de loc. cōmunibus, vbi de Scriptura ſacra.

Neqve porrò (vt cauſſas traditionum Apoſtolicarū perſequamur) tā bardus fuerit quiſpiam, vt elingues fuiſſe, aut non ſapienter Eccleſiā adminiſtraſſe Apoſtolos toto eo tēpore credat, quo plures diœceſes inſtituerunt, quarū profectò iaciendis fundamentis, atque ædificio attollendo niſi canones, & conſtitutiones varias ſanxiſſent, nulla ratione populis eadē dogmata, & ritus ſtetiſſent: quę tamē ita ſteterūt, vt ſummo tyrannorum, & hæreticorū concuſſu, nec ſacramentorū numerus ſit diminutus: neq; liturgia deſierit: nec ſymbola Catholicæ fidei interierint: nec quidquid præcipuè in ſynodis generalibus Spiritu ſancto aſpirāte ſancitum eſt, abrogari potuerit.

Atqvi cùm Diuinæ prouidentiæ tria munera fuerint in vniuerſi cōditione: alterū vt ſuis quęq; gradibus vbiq; diſponeret: alterum vt res ſingulas, quo naturaliter ordine ſunt diſpoſitæ, conſeruaret, ac (ſi præuaricētur) in ordinē mox illa redigeret: tertium deniq; ita moueret, regeretq; ſingula, & ſua cuiq; diſtribueret, quemadmodū cuiuſq; naturæ conuenit: ſanè nō demētis tātum, verùm etiā in Deū non credētis fuerit, iſtam Diuinæ prouidentiæ œconomiā, ab Eccleſię Chriſti diſpoſitione, cōſeruatiōe, redactione in ordinē, atq; adminiſtratione ſecernere. Et ſecernitur abſq; dubio, cū apoſtolica decreta, & quidquid pro tēpore Spiritui ſancto erat in Eccleſia docendū, aut sāciendū, temerè abrogatur. Videlicet (ſi Deo placet) vt poſtea nō Apoſtolorū, ſed apoſtatæ vnius, vel alterius inter cātharos eructata ſomnia pro Euangelio, Diuiniſq; traditionibus vſurpentur: quorum cū quiſq; ſpiritū ſanctum Chriſtianæ Eccleſiæ blaſphemè detrahit, ſibi tamē (cōſciētia licet reclamante) arrogare impudentiſsimè audet.

Hæretici pro Traditionib⁹ Apoſtolicis ſua ſubſtituūt ſomnia.

Aliter ſanè igitur verbū Dei ſcriptū, de verbo Dei nō ſcripto, & Apoſtoli, ac poſtremo Patres nos docuerūt: ſanè vtrūq; vnū eſſe, eandēq; vtriq; fidē eſſe adhibendā: Deniq; ſi alterū reijciatur, alterū quoq; proſus euerti. Propterea Ieremias in eo notat Pſeudoprophetas, qđ eijcerēt prophetias lingue ἐκβάλλοντας προφητείας γλώττης. Quod Epiphanius in deſignādo charactere Eccleſię ſui temporis ſecundū traditionem Apoſtolicā imitatus videtur, cū in ea inqt eſſe: ἑρμηνευτὰς εἰς γλῶσσαν, ἢ ἐν ἀναγνώσεσιν ἢ ἐν ἀπροσομιλίαις hoc eſt in lectionibus, vel in ſermonibus linguæ in linguā ad populū interpretes. Et in Ieremia ſequitur: Quia aſſumptio Dñi erit ſermo ei⁹. verbū enim Dei Prophetæ vocabant λῆμμα ꝙ à Deo illud aſſumerēt: Et Apoſtolus verbū Dei traditū vocat depoſitum, cui⁹ Apoſtoli dicti vis, ita proſtrauit hęreticos, vt Clemēs Alexandrin⁹ teſtetur ab ijſdē epiſtolas Pauli ad Timotheū exploſas fuiſſe. Id autē cùm S. Dionyſius dixiſſet traditū eſſe à Magiſtris ἐκφαντορικῶς, hoc eſt, voce & ſermone: D. Athanaſi⁹ epiſtola ἐγκυκλίῳ ad Epiſcopos Aegypti, & Lybiæ vocat χαρίσματα, καὶ μαθήματα; hoc eſt, doctrinam fidei noſtrę cōmiſſam. Sed & de illo rectiſsimè Vincenti⁹ Lirynenſis: Depoſitū (inquit) quod tibi creditū, non quod à te inuētum: ꝙ accepiſti, nō ꝙ excogitaſti: rē non ingenij, ſed doctrinæ: nō vſurpationis, ſed publicę traditionis. rē ad te perductā, nō à te prolatam in qua nō auctor, ſed cuſtos eſſe debes: non inſtitutor, ſed ſectator: nō ducens, ſed ſequens. Aurū accepiſti, aurū redde: nolo mihi pro alijs, alia ſubijcias. Cuſtodi propter inimicos, propter fures. Cuſtodi etiā diligēter, ſedulo, fideliter, vt ſuo tempore cùm oportuerit reddas. Deuitans prophanas vocū nouitates, id eſt ſententiarū, dogmatū, rerū quæ ſunt vetuſtati cōtrariæ. Nulla. n. hæreſis niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore emerſit. Nec quisquā hęreſim inſtituit, niſi qui ſe prius ab Eccleſiæ Catholicæ & antiquitatis conſenſione diſcreuerit. Hoc ergo apud omnes hæreſes legitimum fuit, atque ſolemne, vt prophanis nouitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita faſtidiāt. Contrà verò Catholicorum hoc proprium, depoſita ſanctorum Patrum, & cōmiſſa ſeruare, damnareque prophanas nouitates. Ita enim in Concilio Epheſino omnium Patrum vna fuit vox, vt quod erat antiquitus traditum traditum teneretur: quod adinuētum nuper exploderetur. Hactenus Vincentius Lyrinenſis.

1. Timot. 6. Lib. 1. Stromatum. Lib. cont. profan. vocum nouation.

Vervm enimuerò tam obuia, & aperta ſunt vnicuiq; reliqua, quæ idem ipſe Apoſtolus Paulus de Dei verbo ore tradito, ſcripta reliquit, vt ea me quaſi tædeat afferre. Quorſum enim illa niſi ad hoc quod agimus ſpectant? cùm venero cætera diſponā. Et ſicut tradidi vobis. Et alibi. Sic doceo, & ſic tradidi in Eccleſijs. Et ſi tenetis, niſi fruſtra credidiſtis. Denique illud: Tenete traditiōes quas accepiſtis, ſiue per ſermonē, ſiue per epiſtolā. Ne quid dicā de D. Luca, cuius tamē illud ad hoc maximè facit: Sicut tradiderūt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.

1. Cor. 11. 14. 15. 2. Theſſ. 2. Act. 1.

Iam Diuus Dionyſius Areopagita diſertè tradit multa DEVM ſine ſcripto infūdere animis noſtris per ſermonē, quę ſcriptura ipſa (vt ille ait) περιεκτικῶς, καὶ ἐπισημαντικῶς docet, quę omnia ſunt cum ſcriptura annexa, & ideo vtrumque λόγιον θεοῦ: hoc eſt eloquium Dei rectiſſimè dicitur. Sic porrò ne longum faciam, & reliqui Apoſtoli, ac peruetuſti patres quicunque vel in oriente, vel in Africa, vel in Europa fuēre, teſtati ſunt. Atque inde fit, vt paſsim in ijs occurrant hæ voces θεσμοὶ, ὅροι, θεσμοθεσία ἱεραρχικὴ vt Dionyſius ad Demophilum ἐκκλησιαστικοὶ θεσμοί, vt Synodus Epheſina & Chalcedonenſis: κανονικὴ τάξις ſicut aduerſus Audianos Epiphanius: κατάστασις ἐκκλησιαστική, ἴδιοι ὅροι, vt alij habēt: quos propria ſtatuta, id eſt canones Apoſtolorum, ſecunda Synodus Carthaginenſis vocauit. Inde in vetuſtis exemplaribus inſcriptio illa canonibus Apoſtolicis pręfixa eſt. Περὶ ἐνταξίας κάνονες ἁγίων ἀποστόλων, hoc eſt, canones Apoſtolorum de bono ordine. Hinc illud Photij Conſtantinopolitani Patriarchę in ſua Bibliotheca. Ἀνεγνώσθη Κλήμεντος τῆς ῥώμης τεύχη δύο, ὧν τὸ μὲν ἐπιγράφεται διατάγαι τῶν ἀποστόλων διὰ Κλήμεντος, ἐν ᾧ καὶ δι τῶν συνοδικῶν κανόνων τῷ ἀθροίσματι τῶν ἀποστόλων κάνονες ἐπιγραφόμενοι. Latinè ſic: Legi Clementis Romani volumina duo, quorum alterum conſtitutiones Apoſtolorum per Clemētem inſcribitur, in quo canones Apoſtolorum continentur collectioni canonum Synodicorū aſcripti.

Varia traditionum apud Patres nomina.

Orientales ipſæ Synodi. Ignati⁹. Euſeb. lib. 3. cap. 26. Iren. lib. 3. contra hæreſes cap. 3. & lib. 4. c. 69. Iuſtin⁹ Martyr in reſpon. ad verbo. qu. 118. Clemēs Alexand. lib. de Paſchate, vt eſt in Euſeb. l. 6. c. 11. & li. 5. Stromatum. Origen. li. 5. in Num. D. Baſilius de ſpiritu ſancto. & paſsim Athan. cont. Arium. & q. 14. ad Antiochū. Chryſoſto. Theophyl. & OEcumen. in illud. 2. ad Theſſ. 2. ſtate & tenere traditiones, &c. Epipha. contra Alogos, & contra Aerianos. Cyrill. Alexand. de recta in Deum fide. Damaſ. lib. 4. de fide orth. cap 11. & 17. APHRICANI cum Synodis. Tertull. de præſcript. aduerſ. hæreticos, & lib. 1. aduer. Marcionem, & lib. 1. ad vxorem. Cypr. lib. 2 epiſt. 3. & ſermone de cœna Domini Optatus aduerſus Donatiſtas. Auguſt. de moribus Eccleſiæ Catho. & contra Donatiſtas cap. 7. & lib. 4. c. 24. & l. 5. c. 1. & ep. ad Ianuar. ep. 118. c. 1. & 5. & ep. 86. ad Caſulanum. & 108. epiſt. ad Seleucianum, & Tom. 10. ſerm. de Tempore. EVROPEI ſiue Latini cum Synodis. Clemens Pont. epiſt 1. & 5. S. Hierony. aduerſus Vigilantium & Lucif. S. Hilarius aduerſus Conſtantium. S. Ambroſ. epiſt. ad Rom. & breuiter pleriq; ferè omnes.

Sed libet hoc caput D. Baſilij verbis concludere ſapientiſsimis. Si, inquit, aggrederemur non ſcripto proditas conſuetudines, velut non magnam vim habentes, reijcere, imprudentes etiam ipſis principalibus Euangelij partibus damnum inferremus, imo potius ipſam Euangelij prædicationē, ad nudum nomen contraheremus.

Qvin verò antea Pater ille, quē non ſine cauſſa Nazianzenus oculū mundi: Theodoretus lumen orbis terrarū, vocârunt, alij verò veriſsimis ornarunt elogijs, non ſanè tamquam is, cui (vt Brentius impius apoſtata effutijt) tanti momenti res incogitanti exciderent: Sic eodem in libro de Spiritu ſancto inquit: Itaq; traditionem, quæ me perduxit ad lucem, & quę mihi largita eſt DEI cognitionem, per quam factus ſum filius DEI, qui, paulò ante peccatum hoſtis eram, hanc ipſam (inquam) amittam probabilibus iſtorum perſuaſionibus ſeductus? Imo & mihi ipſi comprecor, vt cum hac confeſſione abeam ad Dominum, & ipſos (qui traditiones abijciunt) hortor, vt inuiolatam conſeruent fidem.

Si igitur hæc ita ſe habent Chytræe, vt res ipſa doceat, neceſsitas ſuadeat, Prophetarum, Apoſtolorum, Patrumqúe monumenta teſtentur, prętcr verbum DEI ſcriptum, aliud quoq; traditum exiſtere, negare non potes: quin iniuria ad verbum Dei, cuius partem non minimam omnino negas, prouocaueris. Sed hoc manifeſtius euadet, cùm nec verbum DEI ſcriptum ad te tuosqué pertinere oſtendero. Quod mox fiet. Libet tamen antea, vt tuū facilius errorem cernas, qua ratione Eccleſia verbū Dei traditum inueſtigare ſoleat demonſtrare: & quàm non temere quiduis pro verbo Dei tradito recipiat.

Rationes atqve viae verbum Dei traditum peruestigandi, ex quibus cognoscitur Traditiones, quas Ecclesia Romana Apostolicas esse censet, tales reuera existere.

Capvt III.

Vt igitur viam ac rationem teneas, qua Eccleſia verbum Dei traditum inueſtigare ſolet, illud in primis ſcito, conſtāter Catholicos aſſeuerare, quod ab vno, vel altero Patre, ab vno vel altero antiſtite duntaxat propoſitum fuerit, id nunquam habitū eſſe, pro traditione apoſtolica. Quin etiam addunt, Eccleſiam omni tempore vnanimi conſenſu in id incubuiſſe, vt ne humanæ traditiones irreperent, & verbū hominum pro verbo Dei venditaretur. Itaq; ex toto orbe Chriſtiano Epiſcopis, ac omnium præſtantiſsimis Theologis euocatis commenta, & nouas phantaſias veterum, ac recentiorum hæreticorum diligentiſsimè examinatas exploſerunt.

Sententia Catholicorū de Traditionibus.

Ea ergo prima inueſtigandarum traditionum ratio eſt, vt quemadmodum fit in canonicis ſcripturis indagandis, id in tradito verbo Dei fiat. Nempe vt perſpiciatur quod potiſsimum totius Eccleſiæ Catholicę conſenſus aſſerat: per hunc enim multò certius, quàm per priuatum cuiuſque iudicium Dei voluntas apparet, quoniā ita promiſit

Prima Ratio Traditiones peruestigandi ex Eccleſię Catholicę cōſenſione.

Ioan.14.

miſit ſe præſtiturũ Chriſtus. Neq; verò aliquid deeſt earũ rerũ, quæ ad aliquid accuratiſsimè examinandum neceſſaria ſunt. Tempora enim cum tẽporibus, verba Dei ſcripta vel tradita, cum traditis vel ſcriptis loca cum locis, ab ijs ad quos hæc ex Diuino præſcripto pertinent, conferuntur: quę quidem collatio quoniam rectè nunquam vſurpata eſt ab hæreticis, mirum non eſt ſi Achitophelis conſilium diſsipatum eſt: ſi nullus conſenſus inter eos extitit: ſi ſcaturigo diſsidiorum quotidie inde egeratur. Sic igitur quoniam ipſum DEI verbum vim habet διακριτικὴν; (Nam & propterea in ſcripturis igni, vti dicemus, comparatur, quòd plumbum ab argento, ſeipſum à cinere ſecernit) Ideo Deus per Eccleſiam adulterina Euangelia, cæteraſque opiniones à veris dogmatibus, continenter ſecernit.

Auguſt. T. 6. cont. Fauſtum Manich. lib. 28. cap. 2.

,, DICES (inquit D. Auguſtinus) illam narrationem non eſſe Matthæi, quam Matthæi eſſe dicit vniuerſa Eccleſia, ab Apoſtolicis ſedibus, vſque ad præſentes Epiſcopos certa ſucceſsione perducta. Tu mihi quid contra lecturus es? Aliquem forte librum Manichæi, vbi Ieſus negatur eſſe natus ex virgine? Sicut ergo ego credo illum librum eſſe Manichæi, quoniam ex ipſo tempore, quo Manichæus viuebat in carne, per diſcipulos eius certa ſucceſsione præpoſitorum veſtrorum ad veſtra vſque tempora cuſtoditus, atque perductus eſt: ſic & iſtum librum crede eſſe Matthæi, quem ex illo tempore quo Matthæus ipſe in carne vixit, non interrupta ſerie temporum, Eccleſia certa connexionis ſucceſſione vſque ad tempora iſta perduxit. Et hæc ille. Quæ de reliquis etiam ſcripturæ partibus dici poſſũt. Diuinè autẽ aduerſus eũdem Fauſtũ contra quem illa eadem ſcripſerat, cùm oſtẽdiſſet ex traditione haberi hanc eſſe Scripturam canonicam, illã non, ſuperius diſſeruerat in hunc modum.

Auguſt. T. 6 cont. Fauſtum lib. 11. cap. 2.

,, VSQVE adeò inuicta ſunt (inquit) quæ aduerſus vos de Diuinis codicibus proferuntur, vt non ſit aliud quod dicatis, niſi eos eſſe falſos. Quæ auctoritas litterarũ aperiri, quis ſacer liber euolui, quod documentum cuiuslibet ſcripturæ ad conuincendos errores exeri poteſt, ſi hæc vox admittitur, ſi alicuius ponderis æſtimatur? Aliud eſt iſtos libros non accipere, & nullo eorum vinculo detineri, quod pagani de omnibus libris noſtris, quod Iudæi de nouo Teſtamento faciunt: quod denique vos ipſi de veſtris, & aliorum hæreticorum, ſi quos ſuos & proprios habent, vel de his qui vocantur Apocryphi: non quod habendi ſint in aliqua auctoritate ſecreta, ſed quia nulla teſtificationis luce declarati, de neſcio quo ſecreto, neſcio quorũ prẹſumptione prolati ſunt. Aliud eſt ergo auctoritate aliquorũ vel librorũ, vel hominum, nõ teneri, & aliud eſt dicere: Iſte quidem vir ſanctus omnia vera ſcripſit, & iſta epiſtola ipſius eſt, ſed in ea ipſa hoc eius eſt, hoc non eſt eius. Vbi cùm ex aduerſo audieris, proba: non confugias ad exempla veriora, vel pluriũ codicum, vel antiquorũ, vel linguæ prẹcedentis, vnde hoc in aliam linguam interpretatum eſt: ſed dicas. Inde probo hoc illius eſſe, illud non eſſe, quia hoc pro me ſonat, illud contra me. Tu es ergo regula veritatis? quidquid contra te fuerit, non eſt verum? Quid ſi alius ſimili inſania, ſed tamen, qua tua duritia confringatur, exiſtat, & dicat: Imò illud quod pro te ſonat, falſum eſt, hoc autem quod contra te eſt, verum eſt? quid acturus es, niſi fortè alium librum prolaturus, vbi quidquid legeris, ſecundum tuam ſententiam poſsit intelligi? Hoc ſi feceris, non de aliqua eius particula, ſed de toto audias contradicentem, & clamantem, falſus eſt. Quid ages? Quo te conuertes? Quam libri à te prolati originẽ, quam vetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil valebis, & vides in hac re, quid Eccleſiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum, ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Deinde alibi.

To. 3. de doctrina Chriſtiana lib. 2 cap. 8.

IN canonicis autem ſcripturis, Eccleſiarum Catholicarum quàm plurimum auctoritatem ſequatur: inter quas ſanè illæ ſunt, quæ Apoſtolicas ſedes habere, & epiſtolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in ſcripturis canonicis, vt eas quę ab omnibus accipiuntur Eccleſijs Catholicis, præponat eis quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, prẹponat eas, quas plures grauioreſque accipiunt, eis, quas pauciores minoriſque auctoritatis Eccleſiæ tenent. Si autem alias inuenerit, à pluribus, alias à grauioribus haberi, quanquam hoc inuenire non poſsit, ęqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.

a Epiphan. hæreſ. 30. *b* Tertull. l. 4. aduerſus Marcionẽ, Epiph. hæreſ. 42. *c* Epiph. hæreſ. 51. *d* Epi. hę. 26 *e* Theodoret. li. 2. hæ. fab. cap. 3.

PORRÒ ſic audacis illius veterum hæreticorum perfidię caput amputatum eſt, qui Euangelia, & Diuinam ſcripturam truncabant, vt ad ſuas quiſque hæreſes Dei verbum, ſicut calceos ad pedes proprios aptaret, *a* Ebionis, & Cerinthi qui vnicum Matthæi: *b* Marcionis, qui Lucę: *c* Alogorum qui tantummodo tria, ſpreto Ioannis: *d* Gnoſtici qui Philippi Quintum: *e* Nazaræi, qui ſolum illud, quod ſecundum Petrum nominabant: *f* Manichęi aliud,

f 7. Synod. actione 6.

aliud, quod ſecundum Thomam: Aliorum qui alia Euangelia vel admiſerunt, vel reiecerunt. Hos enim omnes vnica traditione conuicit Eccleſia. Et ſanè *i* Lucas Euangelio ſuo fidem maximam eſſe habendam optimè indicauit, cùm hoc traditionis auctoritate confirmaſſet. Sicut, inquit, tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.

i Luc. p. in præfat.

l Euſeb. lib. 6. hiſt. Eccl. cap. 10.

Et hoc ipſum *l* Serapionis eruditiſsimi viri exemplo declarat Euſebius. Ille enim, qui octauus poſt D. Petrũ Antiochenam rexit Eccleſiam, cùm Euangelium ſecundum Petrum tanquam genuinum in Roſſenſi Eccleſia legi permiſiſſet, paulò pòſt tanquam commentitium, ac ſpurium reiecit, quod traditę doctrinę aduerſaretur.

Sed quod de ſcripturis per Eccleſiam, id ipſum per eandem de reliquo Dei verbo Spiritus ſanctus facit. Scribit D. Dionyſius traditum illud fuiſſe, non ſcriptum: Quód Deus totum hominem ſine ſui mutatione, aut confuſione ſumpſerit. Hoc igitur & credimus quoniam in corde Eccleſię idem teſtificantis ſpiritu ſancto dictante ſcriptum fuit. Atque huiuſmodi eſt (inquit S. Maximus) omnis Theologia, quæ ſcripta non eſt, quæ tamen in verbo Dei continetur. At contra pro traditione habendum non eſt, vel Papiæ ſomnium de mille annis poſt reſurrectionem futuris, vel ꝙ aſſerit Irenæus de ætate Chriſti, cũ, & alij Patres ſecus ſenſerint, ac neutrum vnquam admiſerit Eccleſia.

Euſeb. libr. 3. cap. vlt. Eccl. hiſt. Iren. lib. 2. c. 39. aduer. hæreſ.

Oſtendit autem Lirynenſis, id verè à Domino noſtro, & Apoſtolis traditum eſſe, quod vbique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt. Et ea (inquit) in Epheſino Concilio omnium Patrum vna vox fuit, vt quod erat antiquitus traditum teneretur, quod adinuentum nuper, exploderetur. Quam quidem verbi Dei inueniendi methodum Synodus prima Nicæna antea præſcripſerat. Ea enim tanquam fidei regula, & profeſsio redeuntibus Nouatianis propoſita fuit, vt faterentur, ſe cũ omni conſenſu Eccleſiæ Catholicæ dogmata obſeruaturos: & rurſus, vt in omnibus ſequerentur ea, quæ in Eccleſia Catholica obſeruantur. Atque vt pluribus in locis aduerſus Donatiſtas docet S. Auguſtinus, Quod vniuerſa tenet Eccleſia nec cõcilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſsimè creditur. Ac certè ratio eò nos ducit: primùm, quoniam cùm ſit tãquam principium per ſe cognitum, quod omnes homines appetunt, id eſſe naturalem inſtinctum (Nam & naturaliter propterea ſcimus Deum eſſe, quod nulla tam barbara gens ſit, quam non imbuerit aliqua de Diuinitate religio) efficitur, vt Diuinum ſit, atque à Spiritu ſancto profectum, id quod vniuerſæ inditũ eſt Eccleſiæ, quam (vt ita dicam) animat ſplendore luminis ſui idem paracletus, ac docet omnem veritatem. Præterquam quòd planiſsimũ eſt, ſi qua rei alicuius origo, neque ad Synodos, nec ad alios referri poſsit, ac tamen omnibus ſeculis recepta ſit in Europa, in Aſia, in Africa, cùm primùm Chriſtiana religio illuxit, hanc ab Apoſtolis ad nos manaſſe. Quòd ſanè de ieiunio quadrageſimæ, de ſacris ordinibus, deque plurimis alijs, cùm pleriq; ſapientes viri perſpicuè monſtrarũt, tum certè aduerſus impoſturas, & effrontem illam Centuriatorum Magdeburgenſium impudentiam eruditiſsimè Turrianus noſter perſecutus eſt, ijs libris, in quibus de Pontificum epiſtolis egit.

2. Via ex cõciliorũ auctoritate. Epiſt. 118. cap. 1.

At idem S. Auguſtinus alteram methodum tradit traditi diuini verbi inueniendi. Si quid videlicet in œcumenicis, & plenarijs concilijs, quorum (inquit) eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, cõſtitutum eſt, id Diuinitus eſſe traditum manifeſtè declaratur. Nam, vt in ſcripturis tradendis, & reliquis omnibus, quæ attinent ad fidem & bonos mores, in quibus Eccleſia errare non poteſt, ita in hac re eſt certiſsima horum auctoritas. Quare & præter antiquiſsimum Eccleſię vſum, & vbi (quemadmodum S. inquit Epiphanius) canones erant limatiores, conſtat ex ſecundo Carthaginenſi concilio (prouinciali quidem illo, ſed approbato) fluxiſſe ex Apoſtolorum traditione cœlibatum Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum: Septima verò Synodo vſum, & venerationem imaginum Chriſti & Sanctorum, & alia ex alijs iam inde ab Apoſtolis ad nos prodijſſe. Quæ fidei dogmata Patres ab initio ſecundum ſuorum temporum ſucceſsionem concordiſsimè tenuerunt, huiuſque contrarium vt hæreticum refutarunt (quod tamen è ſacris litteris nõ habetur) id nimirum per traditionẽ Apoſtolicam habet Eccleſia, vt certum Euãgeliorum numerum, atq; ea quæ ſuperius aliqua ex parte attigimus.

Can. 2.

Gratia. 13. diſt. De cõſ c. ex publico.

3. Via ex fidelium conſenſione in dogmatib⁹ quæ ab hominibus inſtitui non potuerunt.

PRAETEREA ſi quid eſt nunc in Eccleſia communi fidelium conſenſione probatum, quod tamen humana poteſtas efficere non potuit, id ex Apoſtolorum traditione neceſſario deriuatum eſt, qualia ſunt multa, quæ auctoritate Eccleſiaſtica fiũt, dirimuntur, diſpenſantur. Alioquin enim error, Eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis tribueretur, contra Apoſtolum, Chriſti promiſsionem, de perpetua Spiritus ſancti in Eccleſia permãſione. At verò Eccleſiæ vſus ipſe hæc omnia com pro-

1. Timot. 3. Ioan. 14.

probauit. Qua enim alia re, quàm iſta fidei regula Epiſcopi Africæ penè omnes, vnà cum D. Cypriano conuicti ſunt, contendentes ex ſcripturis hæreticos eſſe rebaptizandos? Quanam Iconoclaſtæ in ſecunda Nicæna Synodo? Aquarij in Gangrenſi, quæ tempore primæ Nicænæ coacta eſt? Hydroparaſtatæ, qui ſolam aquam, & Armeni, qui ſolum vinum offerebãt, in ſexta Synodo, ac vt breuiter abſoluam Eunomiani, Sabelliani, Macedoniani, Apoſtolici, Aeriani, Valentiniani, Marcioniſtæ, Vigilantius, Iouinianus, & omnes alij hæretici? Quid igitur (inquit Irenæus) ſi neque Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent, nobis nonne oportebat ordinem ſequi traditiõis, quam tradiderunt ijs, quibus committebant Eccleſias, cui ordinationi aſſentiunt multæ gẽtes Barbarorum eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere vel atramẽto, ſcriptum habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes. Hæc martyr ille.

Euſeb. lib. 7. hiſt. cap. 2. Hiero. cõt. Lucifer. Auguſt. l. 5. de bapt. cõ. Donatiſt. ca. 23. & 25.

Lib. 3. ca. 4.

Quæ cùm ita ſint, optimè illi adnotârunt, qui Chriſti Domini legem, ac prædicationem non ἐυγραφὴν id eſt, bonam ſcripturam, ſed ἐυαγγέλιον hoc eſt, bonum nuncium fuiſſe ſapienter nominatã dixerunt, quippè quæ non tam ſcriptis, quàm viua voce propaganda eſſet, ac conſeruanda. Habes quæ de via atque ratione verbum Dei traditum perueſtigandi & perquirendi dicenda videbantur, ea ſi tu diligenter perpenderis, & rationi videbis conſentanea, & illud ſimul intelliges traditiones quas Catholica tenet Eccleſia meritò ab omnibus amplectendas, ac à nemine prorſus reijci poſſe, qui verbum Dei retinere animum induxerit. Nunc verbum Dei ſcriptum, quod ſecundo loco propoſuimus, oſtendamus ad te, tuoſque minimè pertinere.

VERBVM DEI VTI NEC INSItum, & traditum, ita nec ſcriptum eſſe apud hæreticos, tum quia eius partes nonnullas reiecerunt, tum etiam quia à verbo Dei viuo deſtituuntur.

CAPVT IIII.

QVOD ſanè haud fuerit difficile. Nam quemadmodum verbum Dei Euangelizatum in exilium ablegarunt, & quod ſancti homines à Deo inſpirati locuti ſunt, inſitumque proinde illud quod poteſt ſaluare animas noſtras, quodque Græci ἔμφυτον, & θεόπνευστον vocarunt, priuato ſpiritu, quaſi vnico flatu (ſicut Mõtanus ſuo paracleto) reſtinxerunt tui, ita macheram quoq; Marcionis mutuati: qua ille (vt ait Tertullianus) ad materiam ſuam ſtatim cædem ſcripturarum fecit, verbum Dei ſcriptum ſi non omninò abiecerũt, mutilum tamen atque mancum, quantum quidem in ipſis fuit reddiderunt. Nam præter illas fæces, quas è ſuo pectore vomentes, puriſsimæ diuinæ ſcripturæ immiſcuerunt: præter plurima ablata, hæcque non lima abraſa, ſed ſera dentata diſſecta, præter corruptos varios diuinorum codicum locos (vti paulò pòſt ex Lutheri. & Caluini atheiſmis, atq; aliorum libris liquebit) præter falſa gloſſemata, augumenta, indices peſtilentiſsimos, quibus Chriſtianas mentes à ſcopo ſanctarũ ſcripturarũ auerterent, dum fingunt ſeſe ſcripturas ſuppoſititias excernere, numerum vtriuſque teſtamenti voluminum ſceleratiſsimè imminuerunt. Itaque Lutherus, & Zuinglius ex vetere teſtamento libros ſapientiæ, Eccleſiaſtici, Tobiæ, Eſther, Iudith, Baruch, Machabeorum, & Danielis partem: Ex nouo autem, ijdem epiſtolas, Pauli ad Hebræos, Iacobi, & Iudæ, ſecundam Petri, ſecundam & tertiam Ioannis, vt parum Euangelicas, & Apoſtolico nomine indignas nobis adimere voluerunt. At Caluinus & Beza, præter impias inuerſiones, & detruncationes, etiam ex Ioannis Euangelio abſcindunt adulteræ hiſtoriam. Muſculus ex Euangelio Marci poſtremum caput. De quo Euangelio Marci vti de Apocalypſi notum eſt quid temerè ſenſerit, & ſcripſerit Eraſmus. Anabaptiſtæ verò homines phanatici, veriſſimiq; hypocritæ, quique eos ſecuti poſtea ſunt Trinitarij, & Ariani, totum diuinæ ſcripturæ corpus, vndequaque corruptum eſſe blaſphemant, præcipuè verò in Euangelicis, & Apoſtolicis libris. Quamobrem & eò deuentum eſt, vt alicubi (ſicut Claudiopoli in Tranſſyluania ſuperiore anno vidimus) iam Euangelijs omnibus reiectis, veteris tantum Teſtamenti prophetias, & has quidem inuerſas legant, & ex bonis Chriſtianis mali Iudęi effecti cùm proximè ad Mahometiſmum repſerint, plerique non ſolùm corde, ſed etiam ore illud licenter occinant: Non eſt Deus. Quamobrem mirum non eſt, ſi Tertullianus hæreticos ad nullam de ſcripturis diſputationem eſſe admittẽdos moneat. Primùm quidem, quod hęreticum hominẽ poſt primam, aut certè vnam, atque alteram correptionem deuitandum Apoſtolus iuſſerit. Deinde, quòd
„ nihil proficiat (ait ille) congreſsio ſcriptu-
„ rarum, niſi planè vt aut ſtomachi quis ine-
„ at euerſionem, aut cerebri, quòd quaſdam
„ ſcripturas non recipiant hęreſes, ſi quas re-
„ cipiunt, adiectionibus, & detractionibus
„ ad diſpoſitionem inſtituti ſui interuertãt,
„ aut non integras recipiant: & ſi aliquatenus in-

„ nus integras præſtent, nihilominus diuer-
„ ſas expoſitiones commentatæ conuertant.
„ Denique quod ille, ſi quis eſt, cuius cauſſa
„ in congreſſum deſcendis ſcripturarum, vt
„ cum dubitantem confirmes ad hæreſes ma-
„ gis, quàm ad veritatem demerget, hoc ip-
„ ſo motus, quod te videat nihil profeciſſe ę-
„ quo gradu negandi, & defendendi, certè de
„ pari altercatione incertior diſcedet, neſci-
„ ens vtrum hæreſim iudicet. Quin igitur te Chytræe cùm tuis à diuinis litteris repellamus, & non modò ad eaſdem prouocare nõ ſinamus, ſed nec de ijsdem diſputare, omnino patiamur.

SED & alia etiamnum ratione à verbo Dei meritò repellimini, nam nec verbum Dei quod retinuiſtis, ſermo ille Dei viuus eſt, ſed verbum quoddam mortuum ac prorſus vita carens, ac proinde ne verbum quidem Dei. Neque enim (inquit quidam optimus noſtri temporis Theologus) verum illud, & viuum Dei verbum eſt, quod eſt eiuſdem tantum ſonus informis, atque confuſus, ac tanquam (vt alter aiebat) canum muſica ſine præcentore, ſine tactu, ſine debita & conuenienti menſura, modi, temporis, & prolationis. Scriptura quidem ipſa dicitur verbum Dei, cæterum huius vita eſt ſententia à ſpiritu Eccleſiæ reddita, cùm Dei verbum non loquatur, ſed per locutionem audiatur, non dicat, ſed dicatur: non teſtificetur, ſed ſit teſtimonium. Dum igitur vocem loquentis, & teſtificantis Eccleſiæ deſpicitis, non Dei diſtinctum, & formatum verbum habetis, ſed confuſum, & informem ſonum verbi Dei, quem litteram occidentem vocat Apoſtolus: vnde mille hæreſum portenta fabricatis, non ſecus ſanè quàm hodie Iudæi, qui Prophetas & Pſalmos retinent, ſed ita intellectos, vt Chriſtum in illis non videant, ſed alium neſcio quẽ ſemper expectẽt, quoniam velamẽ eſt ſuper cordibus eorũ. Id quod ab ipſis mutuaſtis, vt olim etiam hæretici veteres. Nam & Fauſtus Manichęus, cùm ſe veteris Teſtamenti libros dixiſſet perlegiſſe, nec tamen eorum, quæ nos credimus de Chriſto, quidquam reperiſſe, accepit à D. Auguſtino reſponſum his verbis: citò me expedio, quia non intelligis, quia videlicet vocem verbi, hoc eſt, Eccleſiam non admittebat. Atque alibi Manichęos arguit hęreſum quibus erant implíciti: Quod nõ eſſent eruditi in Regno cœlorum: id eſt, in Eccleſia Chriſti vera, Catholica. Quòd ſi (ait) eſſetis eruditi de di-
„ uitijs ſanctarum ſcripturarum, noua & ve-
„ tera proferretis. Quin verò idem hæreticorum malleus alios quoque perſtringebat, cùm diceret: Vos Donatiſtæ ſolas Apoſto-
„ li epiſtolas ad Romanos, ad Corinthios,

Thomas Stapleto. li. de principijs demonſtrabilibus fidei.

Hæretici non habẽt verbũ Dei viuum.

1. Cor. 2.

Lib. 4. cõt. Fauſtũ Manichæum cap. 2.

Aug. in li. de vnit. Eccleſ. c. 10.

& Epheſios in lectione retinetis. Nos au- „
tem & epiſtolas illas in lectione & fide, & „
Eccleſias ipſas in communione retine- „
mus. Optatus autem aduerſus eoſdem, vt quid (aiebat) audetis epiſtolas ad Corin-
theos ſcriptas legere, qui Corinthijs com- „
municare noluiſtis? vt quid ad Galatas ad „
Theſſalonicenſes ſcripta recitatis, in quo- „
rum communione non eſtis? „

Lib. contrà Parmen.

ILLVD ſolum tibi Chytręe ſupereſt hoc loco quod reſpondeas, te videlicet tuoſque Eccleſiam Chriſti minimè, vt nos aſſeueramus, deſpicere. Quod vtinam verum eſſet. Vos tamen eandem deſpicere, tam eſt certum, quàm indubitatum exiſtit, eiusdem vnitatem deſeruiſſe. Si autem reſponderis te cum tuis etiamnum in Eccleſia perſiſtere. Aſſentirer tibi, niſi illud haberem exploratum te primò Lutherum mox alios ſecutum fuiſſe, qui Eccleſiã Catholicam, per orbẽ terrarum diffuſam dereliquerunt, aliamque quandam collegerunt, quæ contraria ac repugnantia omnium fidelium conſenſioni aſſeueraret. Vt autem Lutherus Eccleſia Chriſti ſolus non fuit, ita nec illi qui eius doctrinam ſunt ſecuti. Cæterum hoc adeò verum eſt, vos Eccleſiam contemnere in ſacrarum litterarum interpretatione, vt ne Lutheranorũ quidem cœtum, veſtrûm vllus doctorem certum ac iudicem recipere & admittere velit. Iã verò Patres Eccleſiæ lumina quotuſquiſque veſtrorum eſt, qui in ſacris litteris explicandis ſequatur duces, imò quotuſquiſq; eſt, qui eos non reſpuat & repudiet, eoſque eatenus ſolùm ſuſcipiat, quatenus verbo Dei, vt loquimini, ipſi conſentiunt, ſeu verius, quaten' vobis, qui ſolùm verbum Dei cum imperio regitis, placent? In quo præclarè Neſtorium & Donatiſtas imitamini. Neſtorius (inquit Socrates) veterum interpretum ſcripta dedignatus eſt, ſeipſum omnibus antecellere exiſtimans, quare & turpiſsimè corruit. Erat autẽ (inquit Optatus) Victor (Donatiſta) filius ſine patre: Tyro ſine principe: Diſcipulus ſi-
„ ne Magiſtro: ſequẽs, ſine antecedente: Inqli-
„ nus ſine domo: Hoſpes ſine hoſpitio: Paſtor ſine grege: Epiſcop' ſine populo. Nos autẽ Catholici, vt cum D. Baſilio (quem vtinã reuera ſuſpiceres, vt te ſuſpicere alicubi ſi-
„ mulas) finem huic capiti imponam: πίστιν οὔτε παρ' ἄλλων γραφομένην, ἡμῖν νεωτέραν παραδεχόμεθα, οὔτε αὐτοὶ τὰ τῆς ἡμετέρας διανοίας γεννήματα παραδιδόναι τολμῶμεν, ἵνα μὴ ἀνθρώπινα λογίζωνται τὰ τῆς εὐσεβείας ῥήματα, ἀλλ' ἅπερ παρ' ἁγίων πατέρων δεδιδάγμεθα, ταῦτα τοῖς ἐρωτῶσιν διαγγέλλομεν.

Socrates li. 7. cap. 32.

Lib. 2. cõtr. Parmen.

D. Baſil. ad Antioch. Eccleſiam.

HOC eſt: Fidem neque ab alijs ſcri-

ſcriptam nobis recentiorem ſuſcipimus, neque ipſi mentis noſtræ germina tradere audemus, ne humana cõmenta exiſtimẽtur eſſe verba religionis: ſed quę à ſanctis Patribus edocti ſumus, hæc interrogantibus nos annunciamus, & proinde verbum Dei ſcriptum habemus, verbique ſententiam, hoc eſt, viuum illud verbum quod γνήσιον ac germanum Dei verbum meritò nuncupatur.

EX EFFICACITATE VERBI Diuini oſtenditur idipſum apud Chytræum pſeudeuangelicos minimè reperiri.

CAP. V.

HACTENVS argumentis ex verbi diuini ſubſtantia, & integritate deſumptis, oſtendimus, verbum Dei ad te, tuosq; minimè pertinere, nunc idipſum rationibus ab eius vi, & virtute petitis demonſtremus. Cùm autem verbi Diuini vis, & efficacia maximè ex earum rerum virtute, cũ quibus in ſacris litteris confertur, percipiatur, operæprecium erit quænam ſint eæ, quæq; earundem proprietates perueſtigare. Nec tamen eſt animus ſingulas comparationes, & collationes diſquirere, ſed illuſtriores ſolùm, & noſtro inſtituto accommodatiores. Quales mihi ſanè videntur illę, quibus verbum Dei cum gladio, ſecuri, ſemine, fermento, pluuia, lumine, atq; deniq; igne confertur. Has igitur expendamus & examinemus, & ſi verbum quod te habere gloriaris, gladius fuerit, ſecuris, ſemen, &c. verbum Dei eſſe fateamur, ſin minus aliud quoddam ſpurium atq; nothum exiſtere meritò inferemus: ſi longior fuerit tractatio cum magnitudine vtilitatis comparetur.

Hebr. 4.

INPRIMIS igitur verbum Dei aptiſsimè confertur à D. Paulo cum gladio, qui pertingat vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoq; ac medullarum ac diſcretor ſit cogitationum, idq́, officiũ faciat, quod facta ad Petrum vox deſignabat: Surge Petre, occide & manduca.

Acto. 10.

Sanè oſtenſum fuerat Petro vas quoddam, velut linteum magnum, quatuor initijs ſubnixum, de cœlo in terram deſcendens, in quo erant omnia quadrupedia, & ſerpentia terræ, & volatilia cœli. Quibus tanquã vitam animalem agentibus diuidenda erat ab ijs hoc gladio omnis impietas, iungendiq́; ij erant Petro, & corpus Eccleſiæ inſerendi, eorumq́; prius ſanguis auferendus, nempè vt deſinerent eſſe crudeles, & immundi, ſicq́; (vt prædixerat Propheta) habitaret lupus cum agno, vitulus & vrſus paſcerentur, ſimul requieſcerent catuli eorum, & leo quaſi bos comederet paleas, & delectaretur infans ab vbere ſuper foramine aſpidis, & in cauerna reguli qui ablactatus fuiſſet manum ſuam mitteret, hoc eſt, neque amplius (quod ſuperius dicebamus) eſſet barbarus, & Scytha, Iudæus, & Græcus, ſed gentium vocatio inſigniſſimum Euangelij opus eſſe proderetur. Quod certè nunquam ad hæreticos, ſed ad Catholicos tantum pertinuit, atque adeò nunc pertinet. Narra .n. mihi obſecro, quaſnam gentes, atque prouincias, aut Indias veſtro quinto Euangelio ab auita earum perfidia ſeparaſtis? An non potius Chriſtianam Eccleſiam omnibus machinis curaſtis euertere? vt veriſsimè dixerit Tertullianus: Ipſum opus hæreticorum non de ſuo proprio ædificio venit, ſed de veritatis deſtructione: noſtra ſuffodiunt, vt ſua ædificent. Ita fit vt ruinas potius operentur ſtantium ædificiorum, quã extructiones iacentium ruinarum. Hæc ille. Tu autem ſi quęras Chytræe, quid ita? reſpondent ſapientes haud eſſe mirandum cum Antichriſtus non tam ab eo, quod ipſe ſit, quàm ab eo cui contrarius ſit appelletur, ὁ ἄνθρωπος τῆς ἁμαρτίας, ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας, ὁ ἀντικείμενος, ὁ ἄνομος, ἡ ἀποστασία, τὸ ψεῦδος. hoc eſt: homo ille peccati: filius ille perditionis: Aduerſarius ille: Iniquus ille: defectio illa: mendacium illud: ſic verò item à Patriarcha Iacob vocatus fuerat coluber, & ceraſtes: à Daniele Rex laruatus, & ſtultus, & cui robur ſit dandum contra iuge ſacrificium propter peccata: Et proſternetur (inquit Propheta) veritas in terra, & faciet, & proſperabitur: A Zacharia verò dicitur idolum, & paſtor ſtultus: A Chriſto Domino abominatio & deſolatio. A D. Ioanne, mendax. A ſancto Irenęo, latro, apoſtata, homicida, Rex impius, iniuſtus ſine lege. A D. Hieronymo, Homo in quod totus Satanas habitaturus eſt. Nec porrò, vt eò redeam vnde digreſſus ſum, hoc ſolum gladij Diuini futurum erat munus, verùm etiam vt ſepararet hominem aduerſus patrem ſuum, carnem à ſpiritu, & eſſent in Eccleſia ij quoque, de quibus per Eſaiam locutus eſt Deus dicens: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus, nomen ſempiternũ dabo eis, quod nõ peribit. Quæ ſanè verba cùm ad Eunuchos pertineant, qui ſe caſtrauerunt propter regnum cœlorum, atque ad eum hominum ſtatum, qui vel virginitatem, vel caſtitatem vouerunt, nunquam hæretici, hunc verbi Diuini characterem aſſecuti ſunt. Quamobrem ne ipſum quidem verbum Dei habuerunt, aut habent. Propterea D. Auguſtinus ex eodẽ Prophetico Dei verbo vrgebat hæreticos ſui temporis,

Iſaiæ. 11.

Pſeudeuangelici nullas gẽtes ad Chriſtũ cõuertunt.

2. Theſſ. 2.

Daniel. 8.

Irenæ li. 5.

Hierõ. in 7. c. Danielis.

Matth. 10.

Iſa. 65.

Hæretici hoſtes cõtinentiæ.

To. 6. de S. virginit. 25. plura 22. & ſeq.

» dicens: Quid tergiuerſaris impia cœcitas? quid tergiuerſaris? Quid in tanta ſcripturarum luce tenebras, vnde inſidieris, inquiris? Quid temporalem tantummodo vtilitatem promittis continẽtibus Sanctis? Nomen æternum dabo eis. Quid ab omni concubitu immunes, & eo quoq; ipſo, quo hinc ſeſe abſtinent, ea quæ ſunt Domini cogitãtes, quomodo placeãt Domino, ad terrenam commoditatem referre conaris? Nomẽ æternum dabo eis. Et ſi fortè ipſum ęternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco, nec vnquam deerit Quid quæris amplius? Quid dicis amplius? AEternum hoc nomen, quicquid illud eſt, ſpadonibus Dei (quod vtique gloriam quandam propriam, excellentemq́; ſignificat) non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadẽ domo conſtitutis. Nam ideò fortaſsis & Nomen dictum eſt, quòd eos quibus datur diſtinguit à cæteris. Hæc ille.

Li. de Recta impoſturarum Chytræi.

QVAE cùm ipſe vnà cùm alijs multis ex Diuino verbo tibi antea propoſuiſſem, nec ad ea reſpondere potuiſſes, omnia ſilentio prudẽtiſsimus inuoluiſti. Sed & Diuinũ verbũ tanquam acutus gladius ſeparat ab Eccleſia homines (quamobrẽ excommunicatio dicta eſt antiquis igneus gladius) & à corporibus dæmones, atque ab hominibus lãguores expellit. Dedit enim Dominus IESVS Apoſtolis, ac deinceps Eccleſię poteſtatẽ, vt poſſent tradere homines Satanæ, vt ſpiritus ſaluus fieret. Et ſuper ſpiritus immũdos, atque ſuper omnem languorẽ, vt D. Matthęus inquit. Ac cùm ſuper terrã nullam comperias poteſtatem, quæ ſpiritibus immundis cõparetur, profectò efficitur, vt quod ad Euangelicum negociũ ſpectat, ſit etiam data ſuper elementa, ſuper omnẽ naturam, & ſuper cœlos. Et quæ ſolueris in terris (ait Dominus) ſoluta erunt in cœlis. Vt ſi inextricabilibus nodis illigatus ſis, certè facilius & efficacius enſe hoc, quã quo ſolutus eſt Gordij nodus, ſoluendus ſis, ſi ritè & ex animo Eccleſiæ poteſtati à Chriſto traditę te ſubdideris. Quod vtinam aliquãdo Chytræe in te ipſo, vel ſanguinis mei profuſione experiar. Porrò multò maiora miracula ſunt languorũ ex animis expulſiones, priuatique cuiuſq; amoris, triſtitiæ, & reliquarum animi perturbationum auulſio, quã fuerit, è corporibus dæmonum effugatio. Quę quidem opera num veſtri verbi miniſtri hactenus fecerint, an verò, ſicut de tuo Luthero proditũ eſt, ne claudũ quidẽ equũ hactenus ſanauerint, ad conſcientiam ipſam tuam appello. Et certè (vt & iſthuc digrediar) miracula hęc ſemper in Eccleſia Catholica fuere, quẽadmodũ cũ cęteris D. Auguſtinus disertè diſſeruit: Nec ſine ſumma ſapientia Chriſtus Dominus hæc edendi poteſtatem impertijt, cùm per ea hominibus fides eſſet perſuadenda. Quamuis enim oporteat, vt lumine fidei, & ſpiritu ſancto ducantur, qui credunt, vt tamen pulſanti Deo aperiant miracula edenda erant, præſertim cùm oſtium fidei Prouincijs aperitur, vbi non erat, cumq́ue Euangelium propagatur, aut Diuinæ diſpoſitionis ratio ob aliud ad ſuam gloriam requirit.

1. Cor. 5.

Matth. c. x.

Iob. 24.

Matth. 16.

Hæretici nullas ægritudines miraculo curant.

S. Thom. 3. parte q. 43. art. 1.

CVM SECVRI etiam verbum Dei comparatur. Dixit enim præcurſor: Iam ſecuris ad radicem poſita eſt, facite ergo fructus dignos pœnitentiæ; vbi per ſecurim vtcunque aliter exponi locus ille poteſt, non ineptè tamen verbum Dei intelligitur. Atqui arbori comparatur in Diuinis litteris homo, cuius duæ radices cùm ſint, intellectus, & voluntas, hæc potiſsima radix eſt. Radicem autem ſurſum habet homo, plantæ deorſum, vt quemadmodum hæ ex terra, ſic nos, è cœlo noſtrarum actionum principium hauriamus. Et verò Philoſophi cùm dixiſſent accipere à tellure τὴν τροφὴν κατεργασμένην τὰ φυτά; addiderunt in radice perfici τὴν πέψιν, ὥσπερ ἐν τῇ κοιλίᾳ τῶν ζώων, hoc eſt, concoctionem, ſicut in animalium ventre. Ad hanc igitur noſtram radicem verbum Dei admouetur, & tanquam cibus vt concoquatur, & ſicut valida ſecuris, vt quod gladius anceps facit penetrando, hoc illa faciat abſcindendo. Sic cùm ſcriptum eſt: Vox Domini in virtute, & Deus Maieſtatis intonuit, Dominus ſuper aquas multas: vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia: poſtea fuſius eius vis exponitur, cùm ſubdit Pſaltes, vox Domini confringentis cedros, &, confringet Dominus cedros Lybani: vox Domini intercidentis flammam ignis, vox Domi-cnocutiens deſertum, & commouebit Dominus deſertum Cades. Vox Domini præparantis ceruos, & reuelabit condenſa, & in templo eius omnes dicent gloriam. Et quæ ſequuntur. Huc quoque illud Dei ad Ieremiam: Ecce dedi verba mea in ore tuo: Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & Regna, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Ac denique illud. Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt, omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus afferat. Et ſanè comminatio venturæ iræ, & prædicatio pœnitentiæ, voluntatem hominis excutiunt, atque à veteris hominis via remouent, & vitia cõtinẽter amputant, vixq́; fieri poteſt, vt ſi quis verbũ Dei Catholicũ attentè audiat, vitam

Matth. 3.

Ariſt. de partib. animal.

Pſalm. 28.

Ierem. 1.

Ioann. 15.

non corrigat. Id quod Euãgelij dilucidiſſima nota eſt: ſic enim volũtas (quam non ſine cauſſa Philoſophi noſtrarum actionum dominam vocarunt) non extrinſecus per puluillos omni cubito ſuppoſitos, neque per homines prurientes auribus, ſed per veritatem aptiſsimè curatur. Inde autem dominus Ieſus tam accuratè ſanandos ſciſcitabatur, nũ vellent ſanari, nũ vellent credere, noſq́; omnes docuit, vt ſine intermiſsiõe oraremus, fiat volũtas tua, & vt abnegaremus noſmetipſos, & mortificarem⁹ mẽbra noſtra, quæ ſunt ſuper terram: vt ſanè hinc intelligi maximè poſsit, verbo Dei iam Chriſtianis excellẽtiorem, quàm quæ antea fuerat, viã oſtendi, neque verò tantum exterioris hominis cultum, aut iuſtitias carnis, (quamuis & ille vtilis eſt, & hæ ſuo tempore neceſſariæ fuerant) ſed interiorem illum hominem in primis proponi, in quo libentiſsimè pedem, & ſedem ſuam figere ſolet benigniſsimus Ieſus: Quoniam & eius delitiæ ſunt eſſe cum filijs hominum: & voluntas nunquam meliori marito nubere poteſt, quàm cũm Deo adhærens, & facta vnus ſpiritus cum eo, verè dicere poteſt, Dilectus meus mihi, & ego illi. Quamobrem hinc fit, non eſſe Dei verbum apud eos, qui cùm imputatam iuſtitiam fateantur, inhærentem tollunt, cumque nouam vitam prædicant, fructuum dignorum pœnitentiæ operationem auertunt, ſecurimq́ue adeò neſcio quò magis, quàm ad radicem arboris, id eſt, ad hominis voluntatem admouent.

Hebr. 9.

Cant. 2.

Verbũ hæreticorũ nõ eſt ſecuris ad radicem poſita.

Luc. 8.

SEMINI quoque ſimile eſſe in diuinis literis verbum Dei dicitur, Itaque & vim habet gignendi ſibi ſimile, eademq́; natura, & ijſdem qualitatibus: Ac quem terræ ſuccum exugit, hunc in ſe tranſmutat, & auget. In quo mirabile pietatis myſterium panditur. Quemadmodum enim per verbum Dei increatum omnia facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt: Ac per verbum Dei incarnatum omnes homines ſanctificantur, & iuſtificãtur: ſic per verbum Dei Euangelizatum, & Sacramentis adhibitum poteſtas nobis datur filios Dei fieri. Nam renati ſumus (inquit D. Petrus) ex ſemine incorruptibili per verbum Dei. Quod ſi identidem in nobis iaciatur, atque à nobis auidè ſuſceptũ, & quaſi conceptũ cuſtodiatur, quis nõ ſtatim ſentiat veriſsimum eſſe, quod dixit Euangeliſta, veritatem & gratiam in nobis eſſe factam per Chriſtũ? Quis (inquam) non intelligat, verbũ Dei, & ſapientiſsimè vocatum eſſe Euangelium Regni, quippè quo ad cœlum nobis complanatum eſt iter: Et dici ſemen ſuum, hoc eſt Chriſti, non autem alienum: non adulterinum, quale mũdanum, Ethnicum, hæreticum?

1. Pet. 1.

ENIMVERÒ, quoniam huic ſemini tanta vis ineſt, propterea exerat ſeſe foras neceſſe eſt, atque emittat truncum, ac ramos altè, lateq́ue pandat, fructusq́ue edat, in quibus ſemen, vimq́ue eandem, vnde ipſum olim editum fuerat, concludat. Sic igitur Diuinum verbum facit, vt lux noſtra luceat corã hominib⁹, vt videãt bona Chriſtianorum opera, & glorificent DEVM: vt rectà, atque in ſublimè tendamus per vnam fidem, & ſpem vocationis noſtræ, vt virtutum ſemitam teramus: neque verò in circũitu (ſicut impij) ambulemus, aut omni vento doctrinæ, vt ſemper hæreticis accidit, circumferamur: Nec denique ad ſiniſtram, aut dexteram declinemus: Nam & propterea Dominus grano ſinapis (non autem granis) ad deſignãdam fidei vnitatem, verbum DEI ſimile eſſe dixit, quod quidem (inquit) minimum eſt in omnibus ſeminibus: at cùm creuerit maius eſt omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant, & habitent in ramis eius. Queris cur? Reſpondet Magnetes antiquiſsimus auctor Grecus. Sinape enim cùm calidiſsimum ſit, purgat cerebri ſordes, & familiaribus cibis adhibitum pituitam, atque humores mali ſucci craſsitudinem ſcindit. Similis igitur eſt (inquit) ratio verbi Dei, purgat humores intemperantię, reprimit licentiam, & ardorem viuendi ſine ordine, educit amplitudinem peccatorum, curat hominem, mordens reprehenſione, ſecans doctrina, calefaciens compaſsione, excitans cogitatione: ſeminatur in mundo, & profert fructum ſupramundanum: ſeminatur in terra, & terrenos ſubducit ad ſanctitatem. Hæc Magnetes. Quæ veriſsimè Catholicorum Euangelio competunt, cum hęretico nõ cohęrent. At quî illa? quòd granum ſinapis ſit minimum omnibus oleribus quòd tantopere creſcat, quòd volucres in ramis eius conquieſcant? ſanè, quoniam humilitas, paupertas, obedientia, caſtitas, mortificatio, ſunt prædicationis Euangelicę ipſiſsima inſignia. Etenim Chriſtus, Beatiſsima Virgo, Apoſtoli, Martyres, & plurimi alij, quid aliud vita, moribus, miraculis, Euangelio docuerunt? Verùm qui turgido corde, ac proinde inflatis buccis ſeipſos venditant tanq̃ quoſdã magnos, à ſeq́; ipſis mittuntur, qui uedicũt labia noſtra à nobis ſunt, & à nobis verbũ DEI, non item ab Eccleſia Chriſtiana proceſsit: Qui itẽ Maieſtatem, & Dominationẽ ſpreuerunt, atq; obedientię, & paupertatis, ac caſtitatis iugum excuſsere, vide mihi an aliquid vnquã ediderunt, in quo vel populi tuta conſciẽtia & ſtabili fide: vel volucres cœli, hoc eſt, contemplationi, & ſcien-

Matth. 5.

Epheſ. 4.

Matth. 13.

Magnetes ad Theoſtenem in Apologia p Euangelio.

Inanitas verbi hæreticorũ oſtẽditur.

Pſalm. 11.

Epiſt. Iudę.

ſcientiæ magis dediti conquieſcerent? Et quidem alibi in Euangelio legimus, vbi erit corpus, ibi congregabuntur aquilæ. Et Apoſtolus ait, facti ſumus ſpectaculum, mundo, Angelis, & hominibus. At tu mihi iterum, quæſo, quaſnam è veſtris nidis excluſas vnquam aquilas oſtendes, quæ vnanimes ad corpus Chriſti myſticum, quæ eſt Eccleſia, conuolauerint? ſanè coruos ad cadauera volantes, & crocitantes, hoc eſt, qui perpetuò blaſphemãt Synodos, Eccleſiam, Sanctos, & tabernaculum Dei, audimus & cernimus. Aliud non certè. Cùm verò Apoſtoli, Martyres, & alij facti ſint prius vt ſtercora, vt mundi peripſema, vt paruuli, vt minimi, mirum nõn eſt, ſi firmum verbũ Dei ſtat, (cognouit enim Dominus qui ſunt eius) ac propterea ij erupe rint tanquam ſolidiſsimi rami, quorum firmitate nixi, & vmbra tecti maiores noſtri ſteterunt, & nos, ſumma cum pace religionis, eorum veſtigijs fidenter inſiſtimus. Sed optimè D. Ambroſ. qui ſic loquitur; Nam ſicut, ſinapis granum quum ſumimus, vultu contriſtamur, fronte contrahimur, ad lachrymas permouemur, & ipſam ſalubritatẽ corporis noſtri cum quodam fletu auſteritatis accipimus: Illinc enim nos amaritudo exaſperat, acrimonia penetrat, hinc calor ignei ſaporis accendit, & toto perturbati corpore tunc magis ſani efficimur, quum amplius deploramus: Ita ergo & quum fidei Chriſtianæ mandata percipimus, contriſtamur animo, affligimur corpore, ad lachrymas permouemur, & ipſam ſalutem noſtram cum quodam fletu, ac mœrore conſequimur. Inde enim nos ieiunia exaſperant, illinc peccatorum conſcientia macerat. Hinc patrimonij iactura perturbat, & toto contriſtati habitu, magis ſalutem conſequimur, ſi amplius defleamus, ſecundum quod ait Dominus: Vos plorabitis, & flebitis, ſeculum autem gaudebit. Sicut autem cùm ſinapi caput fortè curandùm eſt, iubemur capillos demere, impedimenta cutis vniuerſa deponere, vt nudo corpori perfecti⁹ medicina perueniat: ita & cùm anima per fidem curãda eſt, præcipimur à nobis ſubſtantiam auferre ſeculi, impedimenta auri, argentiq́ue deponere, vt & nudæ, & ſoli animæ congruentius ſpiritalis medicina conueniat. Quiſquis enim rebus mundi, & diuitijs ſeculi obuolutus eſt, huic fidei medicina non proderit. Ergo quod ſuccus ſinapis in corpore, hoc fides Chriſtiana operatur in anima. Sed quoniam in eadem Dominica ſententia ſcriptum eſt: quod acceptum homo miſit in hortum ſuum, & creuit, & factum eſt arbor, &c. diligentius requiramus quis iſte ſit, cui hæc cuncta conueniant. Arbitror hoc ipſi Chriſto Domino dici, & rectius comparari, qui naſcendo in homine humiliatus, vt granum eſt, aſcendendo ad cælum, exaltatus vt arbor eſt: granum planè eſt Chriſtus, dum patitur, arbor eſt dum reſurgit. Granum, inquam, eſt, cùm famis eſuriem ſuſtinet: arbor eſt, cùm quinque millia virorum, quinque panibus ſaturat. Ibi ſterilitatem humana conditione patitur, hic ſatietatem propria diuinitate largitur. Granum autem dixerim Dominum, cùm cæditur, cùm contemnitur, cùm increpatur: arborem autem cùm cæcos illuminat, mortuos reſuſcitat. Ramos autem huius arboris ſi requiras, inuenies. Ramus eſt Petrus, ramus eſt Paulus, rami ſunt omnes Apoſtoli, vel martyres Saluatoris, ad quos ſi quis ſe fortiter tenere voluerit, fluctibus ſeculi minimè mergetur, quin potius ſub vmbra illorum latitans, gehennæ non patietur ardorem, ſecuruſq́ue de diabolicæ tempeſtatis procella erit, & de die iudicij exurentis incendio.

Matth. 24.

1. Cor 4.

Vide Hieron. & Hilar. in commentarijs.

2. Timo. 2.

Sermon. 2. in feſto S. Laurentij.

Ioan. 16. d.

Marci 4.

Granum Chriſtus.

Arbor Chriſtus.

Rami Apoſtoli, Martyres, &c.

Fermento præterea confertur verbum Dei. Nam etſi ea voce humana doctrina & Phariſæorum mores interdum notantur, quamobrem etiam, vt à ſacrificijs fermentum abijceretur, in veteri teſtamento cauebatur. Eadem tamen voce ipſum etiam verbum Dei, ſcripturarum intelligentia, dilectio, & ipſe Dominus Ieſus deſignatur. Illud ſanè fermentum (inquit Origenes) non vult eſſe in anima Deus, & tale fermẽtum niſi abiecerimus de domo animæ noſtræ, meritò exterminabimur. Sed ne contemnas etiãſi paruam videris intra te fermẽtari malitiã, quia modicũ fermẽti totã maſſam corrũpit. Et ideò neq; de paruo peccato negligas, quoniã ex vno peccato generatur & aliud: ſicut. n. iuſtitia, generatur iuſtitia, & ex caſtitate caſtitas, ita & q ſemel intra ſe, licet paruũ malitiæ repoſuerit fermentum, quotidiè ſemetipſo nequior efficitur, ac deterior. Et ideo ſi vis agere azimorum feſtiuitatem cum Deo, nec paruum quidem malitiæ fermentum reſidere patiaris. Hæc Origenes: longè ſecus Diuina monita excipiens, quàm Lutherus, qui & omnia peccata eſſe præter fidem commẽtus eſt, & ſedulam iſtam legis Chriſtianæ obſeruandę curam deſpexit.

Iam ad rem quod propius attinet: cùm fermentum ita dictum ſit, quod feruendo creſcat, fiatq́ue à farina, quæ ſubigitur, antequam addatur ſal: qui eius naturam & vim nouerit, verbi Diuini vim facilè agnoſcet. Vt enim modicum fermentum totam maſſam (vt ait is ipſe Magnetes quem ſupra citauimus) firmat, modificat, maturat, & (quod in vita præcipuum eſt (ad vi-

ctum, panem perficit, panis enim fermen-
ti expers insuauis est ad gustandum, & ad
alendum incommodus: sic verbum Dei
vitam hominum immoderatam, effusam,
& ordine carentem continet, & quodam-
modo fermentat reducens ad proprium
ordinem. Quòd certè abesse ab hæretica
doctrina liquidissimè cernitur. Ecqua e-
nim constantia, ordo, lex, moderatio, vi-
tæ hominis perturbatæ, ac dissolutæ, &
inconstanti potest inde peti? Quòd si a-
maro zelo, contentione, mutabilitate o-
mnia inter hæreticos feruere, & intumesc-
cere, (ac quidem in rebus fidei) intelligis,
an non amabo fermentum minimè Euan-
gelicum agnoscis? Præterea cùm fermen-
Sermo. 5. tum (ait Diuus Ambrosius) sit magnitu-
dine paruum, specie simplex, natura com-
mune, tantam tamen fortitudinem in-
trinsecus gerit, vt cùm reconditum fuerit
in farina, hoc totam massam faciat esse,
quod ipsum est, & ita semper vniuersum
cumulum aspersionis suæ vigore diffun-
dit, vt omnem ipsam magnitudinem pol-
linis faciat fermentum, ac sic res ipsa for-
titudine sua molem proprij vigoris acqui-
rit. Inde verò est (quemadmodum pau-
lò fusiùs postea differemus,) vt firmissi-
ma fuerint progressusque magnos fece-
rint, quæcunque hoc fermentum perce-
perunt. Hoc autem contigit Apostolis,
hoc ijs quicunque in Germaniam, & aliò
Euangelium primi importarunt. Et pru-
Chrysost. hom. 47. in Matth. dentissimè (inquit Diuus Chrysostomus)
ex natura rerum imagines Dominus con-
„ duxit, vt ostendat sicut illa, natura duce,
„ impossibile est non fieri, pariter hæc quo-
„ que naturæ Domino concedente, neces-
„ sariò fient. Non igitur opponetis (inquit
„ ad Apostolos) & quid poterimus ad tan-
„ tam duodecim homines multitudinem?
„ Id enim ipsum maximè virtutis vestræ
„ splendorem ostendet, quòd multitudini
„ orbis immixti non confundemini. Nam
„ & fermentum cùm farinæ appropinqua-
„ uerit, non solùm appositum, sed immi-
„ xtum, penitùs totam massam fermentat.
„ Propterea non dixit, apposuit, sed abscon-
„ dit. Si igitur & vos cùm vniti atque com-
„ mixti impugnationibus fueritis, tunc tro-
„ phæa consequemini, & quemadmodum
„ fermentum in farina subuersum non de-
„ perditur, sed in naturam suam farinam
„ transmutat, pariter in prædicatione Eu-
„ angelij fiet. Nolite igitur timere si magna
„ pericula futura prædixi. Non enim ex-
„ tinguetur fulgor vester, sed omnia supe-
„ rabit. Ac paulò post. Magna enim est præ-
„ dicationis virtus, & quod semel fermen-
„ tatum est, fermentum rursus ad reliqua ef-
„ ficitur. Hactenus Chrysostomus.

PLVVIAE ET IMBRI confertur.
Inclamat enim Diuinus Legislator: Au- Deut. 32.
dite cæli quæ loquor, audiat terra verba
oris mei, concrescat in pluuiam doctrina
mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi
imber super herbam, & quasi stillæ super
gramina. Prædicit quoque Esaias. Quo- Esaiæ 55.
modo descendit imber, & nix de cælo, &
illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat
terram, & infundit eam, & germinare eam
facit, & dat semen serenti, & panem com-
edenti: sic erit verbum meum, quod egre-
dietur de ore meo, non reuertetur ad me
vacuum, sed faciet quæcunque volui, &
prosperabitur in his, ad quæ misi illud.
Itaque & addit, omnes sitientes venite ad Esaiæ 55.
aquas. Et Iob dicebat, expectabant me sic-
ut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi Iob 29.
ad imbrem serotinum. Atque vt breue
faciam, sicut plena est Diuina scriptura his
similitudinibus, sic (inquit Ecclesiastes) Ecclef. 7.
fons sapientiæ est verbum Dei. At verò
adhuc vim & vehementiam eius futuram
potissimum Euangelij tempore Spiritus
sanctus ostendit, tum quòd, si quis biberit
ex hac aqua, fiet in eo fons aquę salientis in
vitam æternam, tum ex eo quod D. Gre-
gorius Magnus moraliter affert. Quis de- Greg. l. 27. Moral.
dit (inquit Iob) vehementissimo imbri
cursum? Et quis est pluuiæ pater, vel quis Iob 38.
genuit stillas roris? Imber igitur (ait Gre-
gorius) fortitudinis DEI, est prædicatio
Diuinitatis. Nam imber infirmitatis, est
prædicatio eius incarnationis de qua per
Paulum dicitur. Quod infirmum est Dei,
fortius est hominibus. Et rursum. Si cruci-
fixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtu-
te DEI. Sic autem (ait) sancti viri huma-
nitatis eius infirma prædicant, vt audi-
torum suorum cordibus etiam Diuinita-
tis fortia infundant. Audiamus per to-
nitruum imbris imbrem fortitudinis. In
principio erat verbum, & verbum erat a-
pud DEVM, & DEVS erat verbum. Au-
diamus etiam imbrem infirmitatis. Ver-
bum caro factum est. Audiamus imbrem
fortitudinis. Omnia per ipsum facta sunt,
& sine ipso factum est nihil. Quod factum
est in ipso vita erat. Audiamus etiam im-
brem infirmitatis: In propria venit, & sui
eum non receperunt.

Sic igitur quicunque de Domino præ- Lutheranorum & Caluin. verbũ imbris proprietates cùm non habeat, verbum Dei nequaquã est.
dicarunt, vt eius Diuinitatem aut nega-
rẽt, aut quasi imminuerẽt, vel diuiderent,
quemadmodum Lutheranos, & Caluinia-
nos fecisse compertissimum erit, vel pror-
sus eam tollerent, sicut Samosateni, & no-
ui Ariani faciunt, hi sunt qui verbum Dei
non annunciarunt, de quibus meritò di-
xit Apostolus, subintroierunt quidam ho-
mines (qui olim præscripti sunt in hoc iu-
dicium)

dicium) impij: Dei nostri gratiam trans-
Epist. Iudæ ferentes in luxuriam, & solum Domina-
torem, & Dominum nostrum Iesum Chri
stum negantes, &cet. nubes sine aqua,
quæ à ventis circumferuntur, arbores au-
tumnales, infructuosæ, bis mortuæ, eradi-
catæ, fluctus feri maris, & quæ sequuntur:
Gregorius Magnus. Atqui Pontifex ille sanctissimus verba Ie-
remię exponens: Nunquid sunt in sculptili
„ bus gentium qui pluant, aut cœli possunt
„ dare imbres? Dicamus (inquit) hoc & con-
„ tra hæreticos, qui pluuiam doctrinarum
„ tribuere non possunt. Et cùm se cœlos esse
„ promittant, & de se scriptum glorientur,
„ cœli enarrant gloriam Dei, tamen imbres
„ non possunt dare doctrinæ. Et sapienter
inquit Cyrillus de istis, qui specie Euan-
gelij ad cursum Diuini verbi præcidendũ,
abutebantur. Cùm pluit, aut ningit, nemo
potest prohibere, quin propositum eius,
qui facit vt pluat & ningat, ad effectũ per-
ducatur. Propositum enim est vt terra fru-
ges ferat, & agricolæ cibo, & semine abun-
dent, sic nemo potest facere, vt cesset ver-
bum Dei. Non potest (inquam) vt dixit
Act. 5. Gamaliel legis doctor de verbo quod A-
postoli prædicabant, consilium Dei, aut
opus dissolui.

Verbũ Lutheranorũ non pluuia sed grando IAM igitur Chytrę circumspice, quid
Lutheranarum frugum ex tanta illa plu-
uia vestra, & irrigatione Euangelica vobis
pollicebamini, & vide grandone an ros
fuerit, quo populos aspersistis, aut potius
interemistis. Neque enim tam cito Luthe-
ri semen iactum fuit in terram, quin cœ-
lum quasi æneum factũ, nec matutinam,
neque serotinam pluuiam in vestris regio-
nibus pluerit amplius. Vbi enim Episco-
pi, vbi Sacerdotes, vbi doctrina Patrum, v-
bi Academiæ quæ antea florebant? Ac tan-
quam ex Aegyptijs plagis, & ex puluere
isto (in quo vos pręclarè videlicet exer-
cuistis) eruperunt Cyniphes, & ranæ, & a-
qua in sanguinem versa est. Non animabus
in purgatorio pepercistis, non Põtificibus,
non Principibus, nõ Ecclesiæ vniuersæ, nõ
sanctis in cœlo, coaxantes scilicet interim
cum vestro illo INTERIM impunè è ve-
stris istis paludibus, quas vel ipsi Turcæ so
lo ductu naturę exhorrent, bella verò re-
bellium aduersus legitimos Principes
isthinc extitere, vt si eos conatus obedien-
tiæ Christianæ adiunxissetis, iam diu est,
cùm quidquid Turcicarum est virium, &
armorum, prorsus retusum, & in vomeres
versum fuisset. Præterquam quod istud
vestrum semen arescente terra non creuit,
vt faceret fructum tricesimum, sexagesi-
mum, centesimum, sed bonum triticum,
vnde varij illi & vberes continentiæ fru-
ctus edebantur, in Zizaniam vertere cura-
uit, nec quantacunq; diligentia Principũ,
vel Ecclesiæ, ac Synodi generalis cura
Christianus orbis in hoc incubuit, vt sapi-
entia & doctrina rectissima imbueremini,
effici potuit, vt aliud ex vobis enasceretur,
quàm quod de terra inquit Apostolus, quę Hebr. 6.
sępe venientem super se bibens imbrẽ, cùm
proferat spinas, ac tribulos reproba est, &
maledicto proxima, cuius consummatio
in combustionem. Quin verò quidquid
eiusmodi è vestro semine erupit, cùm ilico
pugnãtes inter se, ac immaturos fructus tũ
lerit, neq; vna ex radice prodijsse, neq; ex eo
dem foramine manasse, quod amaram &
dulcem aquam emittere nequit, nec pro-
pterea fuisse bonum semen, non granum
sinapis, non fermentũ, neque cœlestem plu
uiam, hoc est non Dei eloquium, aut ver-
bum apertissimè ostendit.

Cum MARGARITA identidem com-
paratur verbũ Diuinum. Vna enim pretio
sa margarita, vna est veritas (ait Theophy-
lactus) quæ scilicet Christus est: Ea cùm in
concha nascatur, quæ se aperit tẽpore ful-
goris, ac deinde iterum se claudit, concipi-
tur tum ex fulgore Spiritus sancti. At sicut
sępe margaritam tenens in manu, ipse scit
quantas diuitias possidet, alij autem igno-
rant: ita & prædicatio in obscuris & perfe-
ctis, abscondita est. Sed & bonæ margaritę
(inquit Albertus Magnus) colore, natura, Albert⁹ Magnus in Matth.
effectu dignoscũtur. Colore meliores sunt,
quæ splendorem aluminis pluuiosi exhi-
bent, qui splendor est argenti, cui superna-
tat tenuissimus fumus hyacinthinus, splen
dor autem argenti est, sicut si clarè lucens
penetret aquam limpidam. Et sic color bo
næ margaritæ accedit ad perspicuitatem
aquę limpidę. Hæc si spiritualiter expẽda Sap. 7.
mus, lux sapientiam significat, aqua mun- Ezech. 36.
diciem. Sed & notandum est, quod ostrea,
& conchylia, quæ margaritas portant hoc
inter cætera animalia propriũ habẽt, quod
nunquam coëunt, seu per commixtionem
generant: Sed potius ex lumine lunę, quod
conceptum in humido viscoso succo for-
mat, & colorat, margaritam. Fum⁹ autem
hyacinthinus desuper natans vapor cœle-
stis est in mente. Quæ sursum sunt quæri-
te (inquit Apostolus) Natura autem marga Coloss. 3.
ritę caussã habet in cœlo efficientẽ (vt di-
ximus) lumẽ scilicet lunæ. In humido ros-
cido, qui manè ex ripa maris colligitur, ha
bet materiam seminalẽ. In conchylijs au-
tem habet quasi matricem, & ita in anima
li mundissimo, & castissimo naturalẽ sor-
titur suę substantiæ virtutem. Splendor
cœlestis in Sanctorum mentibus, illorum
nimirum, qui doctrinam nobis sanam,
& veram profuderunt, illuminatio est, 2. Petr. 1.
qua Spiritu sancto inspirati locuti

Eſai.ca. 45. & 26.

ſunt ſancti Dei homines. Humor roſcidus, gratia eſt. Ros lucis ros tuus. Et rorate cæli deſuper, dicit Propheta. Durantur margaritæ in conchis marinis per patientiam: perſeuerat autem doctrina veritatis inter tot tempeſtates huius ſeculi, & aduerſas ſectas. Inundationes maris (habet ſcriptura) quaſi lac ſugens theſauros occultiſsimos arenarum. Sunt autem theſauri arenarum margaritæ, quæ inter arenas latent. In conchis autem formantur, & nutriuntur: ſiquidem veritatis doctrina de figuris & ænigmatibus eiicit veritatem (vt ſcripſit Paulus) videmus nunc per ſpeculum in ænigmate. Rotunda figura perfectionem notat. Hæc atque multò plura tum ille, tum alij excellentes viri de margarita, & gemmis locuti ſunt: quæ omnia ad Dei gloriam, & ſapientiam manifeſtandam ſapientiſsimè aptarunt. Mirandum vt non ſit, ſi plurimi percepto bono Dei verbo, tanquam boni negociatores, omnia reputarunt vt ſtercora, cuncta vendiderunt, vt darent pauperibus, Mundo valedixerunt, percalcatum perrexerũt patrem, vt iſtam margaritam emerent. Da ergo mihi Chytræe vnum è veſtris Euangelicis, qui ad eremos, qui ad cœnobia, ad virtutum videlicet Chriſtianarum ſcholas, confugerint, vt totam vitam paludati cilicijs, ieiunijs paſti (vt quidam è noſtris Martyribus aptiſsimè dixit) in lege Domini meditarentur dies ac noctes. Id quod etiam tenellæ virgines efficere potuerunt, quia non vitro veſtro, & auro improbo, ſed iſta margarita, & puriſsimis gemmis verbi Dei ſeſe ornarunt. Audi ergo Marcion (inquit D. Hieronymus) Audi Manichæe, bonæ margaritæ ſunt lex & Prophetæ, & notitia veteris Teſtamenti. Nos autem veſtris dicere poſſumus. Audi Luthere, Audi Caluine, bonæ margaritæ ſunt nouum Teſtamentum, non diminutum, non decurtatum, non falſatum: bonæ gemmæ Sacramenta, & Chriſtus verax, & verus in Euchariſtia, quæúe alia impiè ab ijs negantur. Quæ certè niſi poſsideatis, mirandum non eſt, cùm Dominus iuſſerit ne mitterẽtur ante porcos margaritæ, aut ſanctum daretur canibus. In quo præcepto (ait D. Auguſtinus) diligenter quærendum eſt, quid ſanctum ſit, quid margaritæ, quid canes, quid porci. Sanctum eſt, quod violare atque corrumpere nefas eſt, cuius vtique ſceleris conatus, & voluntas tenetur rea, quamuis illud ſanctum natura inuiolabile, atque incorruptibile maneat. Margaritæ autem, quæcunque ſpiritualia magna æſtimanda ſunt, quæ in abdito latent, tanquam de profundo eruuntur, & allegoriarum integumentis, quaſi apertis conchis inueniuntur. Licet itaque intelligere, quòd vna eademq; res & ſanctum & margarita dici poſsit: ſed ſanctum ex eo, quod nõ debet corrumpi, margarita ex eo, quod non debet contemni. Conatur autem vnuſquiſque corrumpere, quod non vult eſſe integrum, contemnit verò, quod vile ducit, & quaſi infra ſe exiſtimat eſſe, & ideò calcari dicitur, quidquid contemnitur. Quapropter canes, quoniam exiliunt ad dilacerandum, quod autem dilacerant integrum eſſe non ſinunt: Nolite (inquit) ſanctum dare canibus, quia etſi dilacerari, & corrumpi nõ poteſt, & manet integrum, atque inuiolabile, illi autem qui vellent, cogitandum eſt, quod acriter atque inimiciſsimè reſiſtunt, & quantum in ipſis eſt (ſi fieri poſsit) conantur perimere veritatem. Porci verò, quamuis non ita vt canes morſu appetant, paſsim tamen calcando inquinant. Canes ergo pro oppugnatoribus veritatis, porcos verò pro contemptoribus non incongruè accipimus. Quod autem ait: Conuerſi dirumpant vos, non ait ipſas margaritas dirumpant. Illas enim conculcant, etiam cùm conuertuntur, vt adhuc aliquid audiant, dirumpunt autem eum, à quo iam miſſas margaritas conculcauerunt. Non enim facilè inuenires quod gratum ei eſſe poſsit, qui margaritas conculcauerit, id eſt, cum magno labore diuina inuenta contempſerit. Qui autem tales docent, quomodo non dirumpantur indignando, & ſtomachando, non video. Vtrumque autem animal immundum eſt, & canis & porcus. Cauendum eſt ergo ne quid aperiatur ei, qui non capit. Melius enim quærit quod clauſum eſt, quàm id quòd apertum eſt, aut infeſtat, aut negligit. Neque verò alia cauſſa reperitur, cur ea, quæ manifeſta & magna ſunt non accipiantur præter odium, & contemptum, quorum propter vnum canes, propter alterum porci nominati ſunt. Sic Auguſtinus. Et hęc etiam an ſectarijs huius temporis quadrent, ipſa res loquitur. Vniuerſus orbis Chriſtianus pridem agnouit: conſcientia veſtros iam arguit. Margaritam enim, ſiquidem verbum Dei conculcarunt. Dolo enim malo quæſitum ſtatim fœdè violarunt, multas eius partes reijciendo, alias reddendo mancas atque mutilas, verſionibus innumeris deprauarunt, peruerſis interpretationibus corruperunt, vt antea oſtendi, ad eius interpretationem quoſuis ex plebe receperunt cerdones, lanios, coquos, ſingulos proprijs imbutos hæreſibus & opinionibus, denique errores & hæreſes veteres eodem dolo aſtruere conantur, vt ex Atheiſmis quos infra commemorabo, atque alijs patebit

Deut.33.

1.Cor. 13.

Lutherani margaritas non quærunt.

B. Edmundus Campianus in Rationib' redditis Academicis Angliæ.

Matth. 7.

Li.2. de Ser. in monte Sanctum.

Margaritę.

Matth.7.

Canes veritatis oppugnatores.

Porci veritatis contẽptores.

Lutherani conculcant verbũ Dei.

liquidò. An horum verbum margaritæ meretur nomen, an potius qui tali verbo vtuntur, verbum illud Dei γνήσιον, vt porci margaritas, conculcant? Iudex eſto lector.

IGNI ET LVMINI aſsimiliatur. Vox enim Dei ex medio ignis ad Moyſem eſt facta: Cùm flamma (inquit Philo) in vocem auribus vſitatam conformaretur, ac ſuper ſingulos Apoſtolos (ait Diuus Lucas) edito prius de cœlo ſonitu ſpiritus vehementis apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis. Præterea Diuina propemodum eſt natura ignis, qui ſibi aſsimilet omnia, cuncta in ſe tranſmutet. Quæ vis, licet (vt vir quidam doctus eleganter ſcripſit) in alijs quoque elementis pateat, in aere tamen & aqua eſt parcior, in terra obſcurior. Ac cùm elementis omnibus commune ſit, vt ſuas promoueant formas, vbi validiora ſunt ijs, quæ ab ijs patiuntur, hoc ignis validiſsimè omnium efficit. Cùm verò vnicuique enti inſita ſit appetitio infinitatis, atque æternitatis, propter quam in animalibus per generationem, in elementis per trãſmutationem fit formarum propagatio, id in igne, ac lumine manifeſtiſsimum eſt: Quare ignis vt Princeps atque arbiter elementorum auget imperium ſuum perpetuo dominatu, ſegregans & congregans, & ſibi aſciſcens quantum poteſt: quæ ſuæ ditioni attributa ſecum auehat, abiens ad ſedem ſuam. Ita iuſtus Rex ſuum cuique reddit, herciſcens familias, & finium regundorum iniẽs rationem: prudens œconomus ſibi quantum ſatis eſt, ſumit. Ergo ex ligno, terræ cineres, aquæ humorem, aeri halitum diſtribuit, ſibi quod vulgi oculos fallit, animos haud latet ſapientum, ſumit, ac ſeruat. Vnde Græci eum δραςήριον, δηνατὸν, διακριτικὸν ὀξυπόρον, παντοκίνητον, ἀμιγὲς, ἀμείωτον, ἀπροσδεὲς, μονούσιον; διαμένοντα, alijſque tanquam epithetis ornârunt. Quæ quidem ſuo libro de dogmaticis characteribus non minus Catholicè, quàm ingenioſè & doctè Turrianus noſter ante aliquot annos eſt perſecutus. Officium verò luminis eſt tenebras, caligineſque diſpellere, præbere leuitatem ac motum, reſque ſurſum attollere. Eadem & euidentis imaginis ratione (inquit diuine Dionyſius) lumen quoque congregat, & conuertit ad ſeipſum omnia quæ vident, quæ mouentur, quæ calefaciunt, quæue omnino ab eius radijs continentur. Quapropter ſol Græcè ἥλιος appellatur, quod congregabilia reddat, omnia ὅτι πάντα ἀολλῆ ποιεῖ cõcilietque diſperſa. Sic omnia ſolem ſenſibilia concupiſcunt: videlicet videre, aut moueri, & illuminari, atque calefieri, & omninò ab ipſo lumine contineri deſiderãt. Neq; verò (addit ille) ita loquar, quod antiquorum opinionem ſequar, putantium ſolem eſſe Deum, & opificem vniuerſi, & idcirco patentem hunc oculis mundum ratione propria gubernare: verùm hæc ideo dixi: quoniam inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, atque Diuinitas. Hęc ille. At is qui Paraphraſin in eundem conſcripſit: Res nulla (inquit) magis, quàm lumen refert naturam boni. Primò quidem lumen in genere ſenſibili puriſsimum, eminentiſsimumque apparet. Secundò, facillimè omnium, & ampliſsimè, momentoque dilatatur. Tertiò: innoxium occurrit omnibus, atque penetrat, & leuiſsimum, atque blandiſſimum. Quartò: calorem ſecum fert almum, omnia fouentem, & generantem, atque mouentem. Quintò: dum adeſt ineſtque cunctis: à nullo inficitur, nulli miſcetur: ſimiliter ipſum bonum totum rerum ordinem ſupereminet: ampliſſimè dilatatur: mulcet & allicit omnia: nihil cogit: amorem quaſi calorem habet vbique comitem: quo ſingula paſsim ineſcantur: bonumque libenter aſciſcunt: vbique penetralibus præſentiſsimum, commercium cum rebus nullum habet. Denique ſicut ipſum bonum inæſtimabile eſt, atque ineffabile, ita ferme lumen. Hoc enim nullus adhuc definit Philoſophorum: vt nihil lumine clarius ſit alicubi, nihil rurſum videatur obſcurius Sicut & bonum, & notiſsimum eſt omnium, & pariter ignotiſsimum.

QVAE cùm ita ſint, latiſsimè pateret hic campus, vnde mens altius ſe attolleret ad Chriſti Domini doctrinam, vimq; huius efficaciſsimam, & vberrimam contẽplandam, quãdoquidem ipſe ignis eſt cõſumens, & lux illuminans omnem hominem quique cùm venerit, vt mitteret ignem in terram vbi accenderetur, ſic veriſsimus Iuſtitiæ ſol nunquam deſiſtit radios quoquouerſum emittere, quibus ſuam vbique virtutem imprimat.

HINC verò præclarè Origenes: Ignis (inquit) duplicem habet virtutem, vnã qua illuminat, alteram qua incendit. Eſt ignis quidem in hoc ſeculo, eſt & in futuro. Dominus IESVS dicit. Ignem veni mittere in terram. Ignis iſte illuminat. Item rurſus Dominus dicet in futuro operarijs iniquitatis: Ite in ignem æternũ, quem præparauit Pater meus diabolo, & angelis eius. Ille ignis incẽdit. Verun-

Philo. in Decalogum.

Lucæ.2.

Cæſar Scaliger contra Cardanum

Ignis quæ ſit vis.

Luminis quæ vis.

Dionyſ. de Diuinis nõ.

Marſil. Ficinus.

Heb.12.

Ioan. 1.

Luc. 2.

Origenes hõ.13. ſuper Exodum.

Luc.12.f.

Mat.25.d.

runtamen iſte ignis, quē venit mittere Ieſus, illuminat quidem omnem hominem venientem in hunc mundum, habet tamē aliquid, & quod incendat, ſicut confitētur illi qui dicunt: Nonne cor noſtrū ardens erat intra nos, cùm adaperiret nobis ſcripturas. Neſcio autem ſi & ille ignis in futuro ſeculo, qui incendit, habeat aliquid & ꝙ illuminet. Eſt ergo (vt oſtendimus) natura ignis duplex. Et ideo iubetur offerri coccus duplicatus, cuius color ignis indicat elemētum. Quomodo ergo nos offerre poſſumus ignem iſtum duplicatum ad ædificium tabernaculi, videamus. Si doctores, extruis tabernaculum, ædificās Eccleſiam Dei. Dicit ergo & ad te Deus, quod & ad Ieremiam dixit: Ecce dedi verba mea in os tuum, id eſt, ignem. Si ergo docens, & ædificans Eccleſiam Dei, increpes tantummodò, & arguas, & caſtiges, & peccata populi exprobres, nihil autem conſolationis proferas de ſcripturis Diuinis, obſcurum nihil explanes, nihil ſcientiæ profundioris attingas, nec aliquid intelligentiæ ſacratioris aperias, obtuliſti quidem coccum, ſed non duplicatum. Ignis enim tuus incendit tantummodò, & non illuminat. Et rurſum ſi docens, myſteria legis aperias, ſecretorum arcana diſcutias, peccantem verò non arguas, negligentem non corripias, ſeueritatem diſciplinæ non teneas, obtuliſti quidem coccum ſed non duplicatum, Ignis enim tuus tantum illuminat, non accendit. Qui ergo rectè offert, & rectè diuidit, coccum offert duplicatum, vt cum ſcientiæ lumine, igniculum ſeueritatis admiſceat.

[Luc. 24. c. Exod. 25. & 26. Ierem. 5. a.]

[Hæreticorū doctrina caret proprietatibus ignis.]

HAEC igitur omnia, quę ad ignem, & lumen pertinent, id eſt, calorem, ſplendorē, miſtionē, conuerſionē, cōgregationem, conſtitutionē elementorum, cōſeruationē, renouationē, ſi quis cū igne illo cōtulerit, qui non ardeat in Eccleſia Catholica, facillimè eum deprehendet externum, potiuſque vaporem fumi, & tenebras Aegipti palpabiles, quàm verum ignem, & lumen. At verò ad altare Domini prohibuit Deus, alienum ignem apponi. Et ignem inuoluentem, quem ventus turbinis præceſsit ſcriptura non probat. Hoc enim mentis malitia deſignatur. Iudæa (inquit Diuus Gregorius) nube ſuæ ignorantiæ cœcata, quia mox ad perſecutionis nequitiam
„ erupit. igne ſuo cōuoluta eſt, quæ in obliga
„ tione ſe nequitiæ per eandem ipſam cru-
„ delitatem, qua arſit, implicauit. Ven-
„ tus autem turbinis veniebat ab Aquilo-
„ ne, & nubes magna, & ignis inuoluens,
„ quia ex corporis ſui frigore, ad ignoran-
„ tiæ ſuæ caliginem perducta, vſq; ad maliti
„ am perſecutionis erupit. Vnde & ad alium
„ quoque Prophetam dicitur: Quid tu vides?

[Num. 16. Ezech. 1. Gregor. in Ezech.]

Ollam, inquit, ſuccenſam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis. Quę ollæ deſcriptio, an ad Lutherū pertinuerit, de quo editum fuit illud dyſtichon:

Olla Lutherus erat ſuccenſa Aquilonis ad oras,
Illinc in terras panditur omne malum:

Atque adeo an ad te Chytræe ſpectet, qui ab olla cognomen geris & faciem habes à facie Aquilonis, tuūm ipſius (ni teipſum perneges) iudicium eſto.

[Non eſt calidus ignis hęreticorū]

PRAETEREA calidus hæreticorum ignis non eſt, eſſet enim valens, efficax, atque, vt dicit Ambroſi⁹, operatorius. Operatorius (inquam) vel in accendendis ad pœnitentiam hominibus, vel in inflammandis ad perfectionem, de qua iam locuti ſumus, vel in Sacramentis ea virtute ornandis, quam tu neſcio an verbotenus in ijs agnoſcere tuo aduerſus me ſcripto videris, cùm ea fatearis eſſe ſigna efficacia gratiæ, id quod tamen tui inficiantur. Iam D. Paulus huiuſmodi verbum proferebat, atque à quibuſnam percipiatur, deſignabat cùm diceret: Et quis eſt qui me lętificet, niſi qui contriſtatur ex me? S. Auguſtinus vim iſtam multò efficaciorem in Sacramentis teſtatur, cùm inter alia Sacramenta, quæ vocat virtute efficaciſsima, de Euchariſtia dicat: Non enim ſanctificatur, vt ſit tam magnum Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei. Neque item ignis veſter ſplendidus eſt. Niſi enim in altari ſit, & præluceat ad Eccleſiam accedentibus, quam tu claritatem iſti tribuas? At ſi Eccleſia latet, atque inuiſibilis eſt, quem admodum plerique omnes dicitis, neſcientes quid loquamini, vbinam ignis in altari, quod eſſe debet in Eccleſia, apparebit? Vbi candelabrum ſuper menſam poſitum cernemus? Et ſanè vobis ignis iſte inuiſibilis & obſcurus eſt æquè ac ille, qui fatuarum virginum erat extinctus. Nam & non ſine ſpiritu ſatanę (qui quidem odit lucem) lumina ipſa, quibus iſte Diuinus ignis indicatur, ex ritibus veſtris, & templis ſuſtuliſtis. Cæterum quod Donatiſtis D. Auguſtinus obiecit, id ad vos attinet. Inquit enim: Libenter in opertis immoramini, ne fateri aperta cogamini. Et illud quoq; in vos quadrat, quod alibi ait: Cœco præſens eſt ſol, ſed ipſe ſoli abſens eſt. Sic omnis impi⁹ cœcus eſt in corde, præſens eſt illi ſapientia, ſed cùm cœco pręſens eſt, oculis ei⁹ abſens eſt, nō quia ipſi abſens, eſt, ſed quia ipſe ab illa abſens eſt.

[2. Cor. 3. S. Auguſt. l. de Trinit. Non ſplendidus. Auguſt. de vnit. Eccle. cap. 19. In Pſalm.]

ADDO, nulla vera mixtio, nulla conuerſio, nulla conſtitutio eſt iſtius veſtri ignis aut verbi, quia neq; vlla ꝓportio in vobis eſt ad temperaturā: tū enim introducitur, & promouetur forma in elemētis, quādo eſt proportio. At vos cū omnia mēbra

[Alijs proprietatibus ignis deſtituitur doctrina hæretic.]

eun-

eundem actum habere, omnes eſſe Reges dicitis, cùm neminem alteri, officio ſaltem, præualere aſſeritis, adimitis ita hanc vim, vt aſſeratis Chriſtum eum eſſe, qui nos, verè, & (vt cum ſcholis loquar) formaliter iuſtos coram Deo efficere nequeat. Igni ergo, lumini, doctrinæ, ac verbi Diuini vim, & vitam omnem adimitis. Proinde renouationem internam, quæ iuſtificantis gratiæ perpetuus effect⁹ eſt, ad ſanctitatē quandam, non ad iuſtificationem eſſe referendā ſtultè didiciſtis, impiè retinetis, ſceleratè docetis. Qua de tota re, quoniam Patres antiqui, Mileuitanumq; Concilium, Tridentinaque Synodus, plurimi verò Theologi optimè ex Diuino verbo ſcripſerunt, id mihi ſatis fuerit dicere, prodijſſe iſtum errorem, tum ex tumore cordis, veræque Theologiæ ignoratione, tum quòd modum attendere noluiſtis, quo Chriſtus vt Deus, & homo effectiuè influit in membra ſua, atque eſt omnis iuſtificationis noſtræ principium vniuerſale, & quo ad habitualem eius gratiam, & quo ad actualem eius iuſtitiam, quæ noſtræ iuſtitiæ cauſſa, & origo eſt tam per modum meriti, quàm exemplariter. Et certè quæ ignis, ac luminis propria in ſcripturis afferuntur, ſatis fuerant ad blaſphemias illas reuelandas, quibus dum Chriſti attollere meritum videmini, id ipſum eneruatis, & tollitis. Propterea verò D. Baſilius ferro ignito, quod propter ignem ſibi coniunctum, vrit, Chriſtū Deum, & hominem aſsimilat: & noua creatura in Chriſto dicimur ab Apoſtolo: Quia videlicet (ait D. Auguſtinus) per ſpiritum Chriſti incorporatus, factuſq; membrum eius poteſt quiſque illo incrementum intrinſecus dante operari iuſtitiam: Creat enim Chriſti gratia Euangelica in nobis ſpiritum nouum, & cor nouum, vt habent Prophetarum ſcripta, non autem quia manente peccati vetuſtate imputetur membris ea, quam non habent, iuſtitia: quod quidem audent prophani è veſtris contra Dei expreſſum verbum loqui. Tu autem ne non videare iſtorum aſſecla, minimè interea curans, quid de te veri Theologi eſſent iudicaturi, Auguſtinum (quem certè nunquam intellexiſti, ne dicam non legiſti) aſſeris ſententiæ Pauli de gratuita imputatione iuſtitiæ non ſatisfacere. Scilicet ille te pędagogū expectabat, cui dictata corrigeres, & nouam in Eccleſiā Chriſti poſt quindecim ſecula lucem inferres. Atqui & viuida vis igni. Itaque & Chriſto, ac prædicationi verbi Dei tribuitur. Sicut enim (ait Apoſtolus) in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes viuificabuntur. Quare qui hanc viuificationem, & inhærētem iuſtitiam tollit, is viuificandi vim

[De orthod. fide. l. 3. ca. 15. & 18. 2. Cor. 5. Aug. de ſpiritu & lit. Ezech. 36. Ierem. 31. Chytræi audacia. 1. Cor. 15. 1. Cor. 5.]

Chriſto adimit, Sed infinitum eſſet omnia quæ ex hac diuini verbi proprietate aduerſus veſtra dogmata deſumi poſſent, argumenta perſequi. Et proinde his contentus ſuperſedebo cæteris. Reliquas etiam verbi Diuini affectiones præteribo, ne ſit tractatio longior, præſertim quòd ea me ſpes teneat fore, vt docti omnes & ij inprimis, qui ad vnamquamq; rem exiſtimandam, & momento ſuo ponderandā indifferens iudicium adhibent, clarè ex ijs, quæ attulimus, intelligant vobis oſtentationē verbi Dei propriam eſſe, verbum autem ipſum Dei Catholicis eſſe Chriſti Seruatoris teſtamento relictam hæreditatem. Hęc igitur de verbo Dei, ad quod prouocabas, Nunc ad dogmata quatuor Synodorum accedamus, in quibus tam illuſtribus tribunalibus ſenties, qualis aduerſus omnes hæreſes veſtras ante vndecim & duodecim ſecula ſit lata ſententia, & ita quidem, niſi me omnia fallunt, ſenties, vt pertimeſcendum ſit, ne tui te pœniteat, quod vllam Synodorum priſcarum in defenſione tua mentionem feceris. Quam tamen fidenter Synodos tibi vendices, nunc videamus.

DE SYNODIS QVATVOR OEcumenicis primis, (ad quas Chytræus tertio loco prouocat) & Proteſtantium Atheiſmis, quibus earundem decreta conuellunt atq; produnt

Sectio. III.

CHYTRAEVM CAETEROSQVE

Proteſtantes Synodos Oecumenicas quatuor verbo probare, re autem ipſa earundem auctoritatem contemnere, demiq; callidè quatuor primas Sinodos ſolas admittere.

CAPVT I.

AIs ergo reſpicere te Eccleſiam Catho „
licam primam & puriorem, quæ tē- „
poribus Nicænę, Conſtantinopolitanæ, „
Epheſinæ, & Chalcedonenſis Synodorum „
probatarum viguit: Eaq́, à te, atque à tuis, „
quæ tunc de dogmatibus decreta ſunt, do- „
ceri. Tu quidē hęc. Quę itē Lutherus (vt & „
ipſe aliquam religionem prę ſe ferret) aſſeruit, cùm quatuor illa concilia ſemel atque iterum eadē pagina vocaſſet ſumma: Neque verò hæc ſolùm, ſed & plura alia, quę, inquit, hinç inde, in Græcia, Aſia, Syria, AEgypto, Aphrica fuiſſe Chriſtiana concilia, præcipuè quibus D. Cyprianus, & Auguſtinus interfuerunt. Quæue Carolus Magnus Romæ, & Franckfordiæ, & filius eius Ludouicus in Francia, & Aquiſgrani, & complures alij Imperatores collegerunt. Et hęc quidem Lutherus. Sed & Melanchthon eiuſmodi aliqua, in reſponſione ad articulos Inquiſitionis Bauaricæ

[Luther⁹ to. 7. Vvitebergæ impreſſo, anno. 1557. ꝑ Thomā Klug. f. 452. pa. 2.]

ricæ

Calu.Inſti. Gall. lib. 4. ca.2. Sect.3.

ricæ comprobauit. Quæ poſtea Caluinus quoq; aliquãdo conſtanter fateri videtur, cùm dicit nihil in doctrina Catholica à tẽpore Apoſtolorum ad eam vſq; ætatẽ immutatum fuiſſe: Et Epiſtola ad Sadoletũ: Statue tibi quæſo (ait) ob oculos, veterem illam Eccleſiæ faciem, qualem Chryſoſtomi, aut Baſilij ætate apud Græcos, Cypriani, Ambroſij, Auguſtini ſeculo apud Latinos extitiſſe, ipſorum monumenta fidem faciunt.

ACCIPIMVS igitur, Chytræe, quod das, ſed vtinam vbi ventum ad rem fuerit, non repetas quod dediſti: & verò ad locos communes Melãchthonis, ad Magdeburgenſium næuos, & ſtipulas ſcelerate confictas (relictis interim craſsis eorum trabib⁹) ad inuiſibilem quandam Eccleſiam, ad ſpiritum deniq; tuum te ſtatim proripias. Vtcunque res accidet, illud interim conſtat te atque adeò ſocios tuos omnes, has ipſas Synodos, vt aliud vulgò iactetis, parui omnino facere. Primum enim illud vobis familiare eſt vitium, vt vniuerſas Synodos in tenebris deliteſcere cupiatis, ne videlicet veſtræ doctrinæ appareat falſitas. Quod verum eſſe inde liquet, quòd eaſdem edere non modò curæ nunquam vobis fuerit, verùm etiam illud curaueritis ſedulò, vt qui edidiſſent Catholici veſtras calumnias non effugerent. Deinde & illud omnium Proteſtantium eſt ſolenne, vt auditoribus ſuis Synodorum libros nũquam proponant, ſed earum vice locos cõmunes neſcio quos Vrbani Regij aut Philippi, confeſsiones, aut rectius confuſiones VVirtembergenſes Saxonicas, Schmalcaldicas, Palatinenſes, Helueticas, Gallicas ab hominibus malè feriatis confictas, quas tamen vt olim D. Hilarius de Arianis veriſsimè dixit, annuas & menſtruas faciunt, & rem eò deducunt, vt dum multæ confeſsiones fiunt nulla reuera ſit confeſſio. Et quidem hic ego Chytræe conſcientiam tuam appello, teſteſque velim ipſos auditores tuos, Synodoſne illas vnquam integras (vel quantum illarum in Chriſtiana extat Eccleſia) aut in lucem edi curaueris, aut certè bona fide eis oſtenderis: ſicuti tamen Auguſtanam, & VVittembergenſem confeſsiones ante ſexennium ediſti? non equidem opinor. Si tamen auditoribus tuis eaſdem monſtraueris (nam te non edidiſſe conſtat) auſim affirmare illos facilè cognouiſſe ex earundem auctoribus, indicibus, confirmatoribus, ratione item, qua habitæ ſunt, & cæteris circumſtantijs temporum & perſonarum, penes Catholicos eundem verbi Diuini ſenſum, ordinem hierarchicum, qui olim fuit, exiſtere, & proinde opus non eſſe nouo altero Euangelio, nouisque Architectis, qui totum illud purioris Eccleſiæ ædificium inuertant. Sin minus id præſtitiſti (nunquam enim eas à te ſibi propoſitas diſcipuli omnes tui affirmabunt) ecquid dicemus? fortè illud, quòd ſapienter D. inquit Hieronymus. Non dantur venena, niſi melle illita. Satis enim eſt vobis earundem Synodorum nomine, Symbolisque quadantenus propoſitis, ſed antea nouo Confeſsionis Auguſtanæ aut Caluinianæ Inſtitutionis, vel adeò Ariani Symboli veneno infectis propinare latentem adoleſcentibus mortem, ſicque vt ſoli regnetis, ἀναρχίαν iſtã vnamquamque ſectarum veſtrarum ſibi ſtatuere, qua pietas, obedientia, & regna florentiſsima vel hoc ſeculo corruerunt. Sed quo loco Synodi hæ quatuor apud te tuosque ſint, ex eo apparet clarius, quod earundem auctoritatem in diſceptationibus, & controuerſis fidei quæſtionibus finiendis non admittatis, niſi quatenus vobis, orbis videlicet ſapientiſſimis iudicibus, diuinis litteris videntur conſentaneæ, hoc eſt, quando lubet. Illud verò apertiſsimè oſtendit vos tum has, tum reliquas omnes Synodos nihili prorſus facere, quòd Concilia vniuerſa errare poſſe doceatis, & argumentis oſtendere elaboretis, vt videre eſt apud Lutherum articulo vigeſimo octauo, & vigeſimo nono. Et quod caput eſt, quidam tui riuales, Brentius & Hermãnus libro tertio Prolegom. capite decimo quinto & decimo ſexto, concilium Nicænum I. erroris arguunt. Hæc cùm ita ſe habeãt mirum eſt Chytræe, qua fronte audeas affirmare te primas quatuor Synodos reſpicere, quas reuera vt iã liquet, & clari⁹ deinceps liquebit, nullo loco ducis. ſed amabo te cur primas ſolas quatuor reſpicis ſynodos, quin cæteras quoq; reſpicis? Intelligo artem, & quis non intelligit, te cũ quatuor illas ſynodos priores admittis, ſequentes explodis, id facere quòd exiſtimes vix quidquam hæreſum veſtrarum eſſe à vetuſtioribus illis anathemate confoſſum, cùm tamen veſtra illa omnia prius euerterint, ac condemnauerint, quàm vos illarum fidem ſubdolè eleuare, aut euertere niteremini. Et tamen vt veſtra hæc non condemnaſſent Chytræe, ecquis eſt tam ſtupidus, quin ſentiat ad poſteriores eas ſynodos eſſe accedendũ in quibus quæ poſtea hæreſes veſtris ſimiles emerſerunt, planius ſuo tempore expẽſæ, & exploſæ fuerunt. Quas quidem Synodos ſequentibus ſeculis habitas, ſi haud puram pronunciaſſe ſententiam de Chriſti doctrina temerè dixeris, non deeſt (quę Deo ſit laus) Spiritus Sanctus, qui ſolidtores bonis mentibus cogitationes inijciat:

Quàm malè de Synodis hæretici ſentiunt.

Brẽt. in cõf. VVitem. c. de concil. Caluin. l. 4. Inſtit. ca. 9. §. 8.

Quare hęretici priores 4. Synodos admittunt.

Nem-

Nempè: Non cõſenuiſſe ſpiritum ſanctum in Eccleſia; Non irritam fuiſſe Domini promiſsionem, qua vſque ad conſummationem ſeculi nobiſcum ſe manſurum ſpopondit. Non interijſſe Deum, cuius ſapientia à fine, ad finem attingit, ac diſponit omnia fortiter, & ſuauiter. Neminem verò Patrum, nullam legitimam Synodũ, vel de caſu futuræ Eccleſiæ, vel de lapſu antiquioris doctrinæ aliquid ita pronunciaſſe, vt fluctibus quantiſcunq; irruentibus anteacti illius temporis doctrina conuelli, aut obſcurari ſimul in toto orbe potuerit. Multò minus fuiſſe poſt duodecim ſecula expectandum effrontem neſcio quem apoſtatam, qui vt abiecta conſcientia, ſic modò receptis, modò reiectis, non ſolùm poſterioribus, verùm etiam prioribus illis Synodis, ſeipſum vnicum Diuinæ veritatis interpretem gloriaretur, ex quo, cùm tam vberes, & acerbi amaritudinum fructus ſint editi, totq; monſtra inuicem pugnantia illicò prognata, is tamen ille habendus adhuc eſſet, cui vni patefacta diuinit⁹ doctrina crederetur. Eam igitur viam Chytræe ſatis planam & tritam; niſi diſcipulis tuis commonſtraſti, monſtrato poſthac, & reipſa præſtabis, quòd verbo præ te fers. Sed ſatis oſtenſum eſt generatim te atque tuos quatuor priores Synodos minimè probare, vtcunque aliud verbis aſſeueretis, nunc ad idipſum in ſpecie oſtendendum gradũ faciamus.

Matth. 28.

LVTHERVS.

PRIMARVM SYNODORVM FORmam & Eccleſiæ Catholicæ illius temporis faciem, ſatis oſtendere Chytraũ, & Proteſtantes reliquos, Synodos ipſas deſeruiſſe, cùm Epiſcopis & Sacerdotibus, quibus illæ conſtabant, careant penitus, & poteſtate Synodos conuocandi deſtituantur.

CAPVT II.

In Epiſtol. ad Rom. initio.

CVM Eccleſia (vt D. inquit Auguſt.) conuocatio ſit fidelium vno cultu, vnaque fide inter ſe iunctorum, vnitas illa cultus & fidei ſic erat ſedulò retinenda, vt quiſquis hanc ſcindere niteretur, intelligeret, non minore ſapientia Chriſtum in Eccleſia inſtituenda, quàm virtute in conſeruanda vſum fuiſſe. Is enim ſapiens architectus fundamentum ſeipſum immobile poſuit, atq; lapides reliquos ita diſpoſuit, vt nunquam ædificatio illa collaberetur, ſi quis autem eam vellet labefacere, prior caderet, ac rueret præceps: ædificatio ſtaret immota.

ATQVI ad conſtantem huius ædificij ordinem, ac quaſi exemplar agnoſcẽdum, nihil potius erat, quàm vt eius partes innoteſcerent, quibus aggregatum hoc, quod Eccleſiam dicimus, definitur: cuius obliuio, cùm per Chriſtianorum peccata, quodammodò caperet hominum mẽtes, Diuina prouidentia fecit, vt generales ſynodi interdum cogerentur, in quibus ipſa propemodum Eccleſiæ facies, atque Chriſtiani Regni ordinatiſsima forma, ex aduerſa hæreſum confuſione clarior appareret. Ad eam verò Eccleſiam, ſi qui à fide excidiſſent, iterum auidiùs accurrerent, aut qui eam coluiſſent, colerent adhuc ardentiùs, & venerarentur.

IN his Synodis tanquam certiſsimis, & (vt S. inquit Auguſtinus) ſaluberrimis tribunalibus, cùm Eccleſiaſtica Hierarchia in primis eluceat; ac tum præcipuè cernatur Eccleſia tanquam caſtrorum acies ordinata, controuerſiæ quælibet grauiſsimæ dirimendæ erãt, & hoſtium corda expugnãda: Id quod cùm Spiritus ſanctus Eccleſiæ traditus perpetuus doctor, & cuſtos, efficere deberet, (Diuinitùs quidem, ſed pro humano captu, ac noſtro hoc præſentis vitę ſtatu) certè nec vnquam defuit, & verò cumulatè impleuit. Quinimò ſic Eccleſiæ adfuit, vt per vnam, & eandem ſemitam nos ad traditam ab Apoſtolis fidei regulam ſemper adduxerit, in eaque nos diligentiſsimè retinuerit: Neq; enim ita ab illis noſtris primis Ducibus, quibus datã ſoluendi, ligandi, paſcendi poteſtas fuit, Eccleſia olim eſt adminiſtrata, vt ijs recedentibus ea poſteris poteſtas adimeretur: aut ſacramenta tollerentur, aut ratio componendarum inter fideles rerum immutaretur. Ecquod enim ſtabile ac ſolidum, vel adeò cognitum Diuina Patris ſapientia ſtatuiſſet, ſi hoc accidiſſet? Quamobrem in ſynodis, tanquam in Comitijs ingentis Regni ijdem ordines, & quaſi Senatores, conuenere, qui de ſummis rebus, (quotieſcũq; opus fuit) decernerẽt. Hiq; tum Epiſcopi, tũ alij Sacerdotes fuêre, ad quos vniuerſa reſpublica ſpiritualis pertinet. Quanquam inter eos omnes ſæpè tractatio communis fuit, Epiſcoporum tamẽ ſola extitit definitio rerumque tractatarum deciſio. Qui ſoli quamdiu ob hæreſes, ſiue ob alia non fuere ex Eccleſia eiecti, atq; exauctorati, ſemper ipſam poteſtatem purgandi, illuminandi, perficiendi, à Chriſto Domino conceſſam Apoſtolis, quorum vices retinere debebant, ſartam & tectam tenuerunt.

Epiſt. 118.

Ioan. 14.

Matth. 18.

Epiſcopi ſoli controuerſias decidebãt.

Diuinè igitur D. Dionyſius (vt alia omnia) cùm tradere vellet, quid eſſet hierarchia, & huius diſtinctio, vſus, vtilitas, ſic locutus eſt:

Dionyſ. de cœleſti hierarchia. c. 3.

" EST itaq; hierarchia (vt mihi quidem
" videtur) ordo ſacratior, & ſciẽtia, & opera
" tio, quæ ad Dei ſimilitudinem pro viribus
" nititur: ac pro modo ſuo, ad illius imitati-

 onem

» onẽ ex inducta ſibi Diuinitꝰ intelligentiæ luce ſubuehitur. Porrò pulchritudo Diuina vt ſimplex, vt bona, vt perfectionis auctor pura quidem eſt: nullamq́; prorſus ad mixtionem diſsimilitudinis ſuſcipit, verùm ſingulos pro meritis, lucis ſuæ participes facit: & ſacroſancto myſterio perficit, quantum quiſque initiatus congruè illius in ſe immutabilem exprimere effigiem nititur. Eſt ergo ſacratiſsimæ huius functionis intentio: Deo quantum fieri poteſt ſimilem euadere, vnumq́ue cum illo fieri. Quæ profectò deſtinatio Deum ipſum habet totius ſacratioris ſcientię, & actionis præceptorem: inq́ue illius auguſtiſsimam ſpeciem intenta ſemper, ac firmiter: atque ad illam ſe pro virium modo componens: eos etiam qui ſecum Diuina ſectantur, Dei ſigna, & imagines efficit, ac perlucida ſpecula, & omni labe pura, dignaq́ue quibus principalis illius, ac Diuinæ lucis ſuauiſsimus radius influat: quæ vbi indultum ſibi ſacratiſsimũ iubar affatim hauſerint: hoc ipſa poſtmodum abſq; inuidia ſequentibus fundunt, atque in hoc ipſo Diuinis obtemperant legibus. Neque enim fas eſt ijs, qui ſacra myſteria tradunt, ſiue qui illa percipiunt, operari prorſus aliquid, niſi quod officij ſui Diuina ſanxit inſtitutio, ne aliter quidem eſſe, quàm ſunt confuſo licebit ordine, ſi candorem illum lucis (per quam Dij efficiuntur) in ſe ſuſcipere cupiunt: in quam proſpicientes iugiter pro ratione cuiuſque ſanctorum ſpirituum, ſe ad eam effingere ſtudent. Cùm itaque hierarchiam dicimus, ſacram penitùs quandam diſtinctionem indicamus, quæ ſit imago Diuinę pulchritudinis, fulgoriſq́ue ſui, & intelligentiæ arcana myſteria ordinibus, ac diſciplinis ſacratioribus peragit, principijq́ue ſui ſimilitudinem (vt fas eſt) in ſe conatur exprimere. Ea enim demum cuilibet diuinę illi diſtinctioni dedito, perfectio eſt: pro modo ſuo ad Dei imitationem totis conatibus eniti, quodq́ue præſtantiùs omnibus, ac diuiniùs eſt (vt ſacra teſtantur eloquia) Dei cooperatorem fieri: Diuinamq́ue in ſe operationem, quantum poteſt, palàm oſtendere. Puta, quoniam ſacrę illius functionis ordo eſt: vt alij purgentur, alij purgent, & alij myſterijs imbuantur, atque illuminentur doctrina ſalutari, alij id opus exequantur, ad perfectum alij ducantur, perficiant alij. Vnicuique Diuina imitatio hoc modo conueniet, Diuina illa beatitudo, vt humano loquamur affectu, nullius diſsimilitudinis admixtione violatur: plenaq́ue eſt ſempiterni luminis, perfecta nullius perfectionis egens, totius perfectionis indultrix, purgans, & illuminans, atq; perficiens: imò verò ſacra ipſa purgatio exiſtens, & illuminatio, atque perfectio, ſupra purgationem omnem, ſupra lucẽ ante perfectionẽ inæſtimabili modo locata, ipſa perfectionis auctor, ac totius quidem ſacrę functionis cauſſa, cæterùm à ſacris omnibus ratione excellentiæ ſingularis excepta. Et hęc Dionyſius, quæ integra protuli, quod aptiſsima inſtituto viderentur.

Iam verò cùm vix quiſpiam tam ignarus ſit antiquarum rerum, qui ad quatuor iſtas Synodos habendas fuiſſe tantum vocatos Epiſcopos, & Sacerdotes inficias eat: quodnam quęſo Chytræe mihi tribunal oſtendes, inter tuos, vbi religionis negotiũ pro ſtatu Eccleſię illius (ſicuti tu vocas) purioris tractandum, ac finiendũ ſit? Epiſcopi enim apud vos nulli, (vt ex ipſa Nicęna Synodo patet, quæ Epiſcopũ à duobus aut tribus Epiſcopis ordinari pręcipit. Veſtros autem Superintendentes ne vnus quidem ordinauit Epiſcopus. Sed vt de Nouatiano inquit Cyprianus, Apoſtolica traditione contempta nemini ſuccedentes à ſeipſis ordinati ſunt.) Sacerdotes nulli: cùm nõ modò à nemine ordinati ſint Epiſcopo Miniſtri veſtri, ſed præterea ſacerdotium, & ſacrificium execremini: à nemine iſtam poteſtatem conuocandi Synodum obtinuiſtis vnquam: Diuinis, humaniſq́ue legibus, & exemplis repulſi (vt etiam in confeſsione Auguſtana factum fuiſſe liquet) cõtinenter fuiſtis: Quid igitur vobis ſimile cum Patribus illis, qui quatuor Synodis interfuere, imò quid cum ipſis Synodis commune? Quid verò ſi Lutherus antea Monachus & Catholicus, poſtea apoſtata & hæreticus, neque verò Epiſcopus ſibi tanquam extraordinario Helię, cæteriq́ue iſti, qui cucullis abiectis diſcrepantes ſinguli ſectas inuexere, conſeſſum eo in ſanctorum Patrum cœtu petijſſent? in quo ne Conſtantinus quidem Imperator dignum ſe eſſe, vt locũ haberet non tam piè, quàm iuſtè profeſſus eſt: ſanè illas ſæpè voces ingeminaſſent: Anathema Apoſtatę, anathema ſacrilego, anathema hęreticis omnibus tunicam Chriſti inconſutilem ſcindentibus. Non certè quoniã pugnam intrepidi illi commilitones detrectaſſent, ſed quòd & inauditum eſſet à ſeculo, vt in Eccleſię rebus finiendis Laici, & qui eſſent extra Eccleſiã, & noxij eſſent, hi iudices haberentur. Diuinę verò Maieſtati non niſi ſumma inferretur iniuria, qui ſi non patitur in humanis iudicijs iſta fieri, ac nos duce ipſa natura ne hoc quidem in obſcuriſsimis pagis licere, aut decere cognoſcimus, vt quiſque arbitratu ſuo in magiſtratus ſubſellia ſe ingerat, quantò minùs hæc Deus erat permiſſurus ijs in tribunalibus, quæ diuinitus excitata cœleſtes cauſſas tractant. Cæterùm quoniam

Can. 4.

Lib. 1 Ep. 6. Apud Proteſtantes Epiſcopi nulli, Sacerdotes nulli inueniuntur.

quoniam vobis argumenta quædã ſuppetunt, quibus Superintendentibus, & Miniſtris Laicis controuerſiarũ in Synodis finiendarum poteſtatem tribuendam eſſe cõprobare ſoletis, operæprecium erit eadem paucis diſſoluere.

ARGVMENTA, QVIBVS HAERETICI Laicam in Synodis poteſtatem comprobare nituntur, infirma eſſe, & inania.

CAPVT III.

QVòd ſi igitur Chytræe malè lactatus à tuis inquias: Et tamen veteris teſtamenti Reges negotia religionis procurarunt: Atq; his ipſis Synodis, de quibus agimus, non vnus Imperator interfuit: in prõptu reſponſio eſt, eos nullum in fide negotium ſibi vſurpaſſe: interfuiſſe verò (quod & in alijs factum eſt, & in poſtrema Tridẽtina Synodo Legati omniũ ferè Chriſtianorum Principum fecêre) vt ipſas Synodos tutarentur, remq́; omnem ad exitũ perduci curarent, perductam in rem conferri iuberent: Qui defugerent Imperiũ, hoſce grauiſsimis etiam ſupplicijs plecterent. Sic enim Gaudentio Donatiſtæ, qui ægerrimè ferebat, ſibi non permitti pleniſsimam in ſuis hæreſibus impunitatem, reſpondet D. Auguſt. Reges qui Eccleſiam tenent, certiſsimè iudicant, ad ſuam curam pertinere, nę vos aduerſus eam rebelletis impunè. Ac paulò pòſt ob illa verba: Nunc Reges intelligite, &c. ſentiunt (inquit) Reges poteſtatem, ita Domino ſeruire debere, vt eà poteſtate plectantur, qui nolunt eius volũtati ſeruire. Verùm idem ille Auguſtinus, cuinam vſui Regiam in Eccleſia poteſtatem eſſe crederet, ea epiſtola fuſius declarat, qua Vincentio ex hæreſi Rogatiana ſcribit, ſe fuiſſe aliquandò eius ſententiæ, vt arbitraretur, cum hæreticis nulla vi, ſed ſolo Dei verbo agendum, verùm aliorum ſententijs, & exemplo mutaſſe ſentẽtiam, & arbitrari leges Principum rectè implorari (id quod etiã Bonifacio comiti poſtea ſcripſit) aduerſus fidei hoſtes. De Regibus autem veteris Teſtamẽti, ſiue de Moyſi, Ioſue, Dauide, Salomone, Ioſaphat, Ezechia, Ioſia, qui vel ſeſe templi rebus immiſcuiſſe, vel Sacerdotibus aliquid præſcripſiſſe videntur, aut certè à Brentio & alijs eiuſdem farinæ in gratiam ſeculi Principum afferuntur tantiſper, dum ipſimet hæretici in eos poſtea Imperium exerceant, aut faces inferant ad omnem religionem extinguendam, ſanè haud eſt difficilè ſtatuere, quòd noui teſtamenti & gratia, & ſtatus, veteris teſtamenti vmbras, ſtatumq́ue præcellat: In nouo Sacerdotium præemineat Regno, ſicut ſpiritus corpori: In vetere vmbratile fuerit Sacerdotium, & ſacrificia: In nouo alia diſciplina inſtituta fuerit excommunicationum: In vetere lapidationum, & necis: In nouo Apoſtolis, eorumq́ue ideò ſucceſſoribus cura Eccleſiæ diſponendæ ac regendæ tradita: quæ in vetere non omninò ſic eſſet: In nouo datus ſpiritus ſanctus, qui ſubinde doceret omnem earum rerum veritatem, quæ non ſtatim expediebat, vt explicitè in Eccleſia proponerentur: In vetere, ſacrificia, ritus, & ceremoniæ omnes à Moyſe præſcriptę, atque adeò ſcriptæ eſſent, quibus nihil addendũ, demendumue quidquam, vt fere nulla re alia, niſi auctoritate regnantis indigerent, qua cuncta illa obſeruarentur: In nouo plurimæ prouinciæ, & Regna vna Catholica religione contineantur, licet qui regnent ſua poteſtate liberè ſic fungantur, vt Regibus alijs ne ſint ſubiecti: In vetere vnicum tantùm fuerit Regnum & Rex, vbi Deus coleretur: Quod quidem regnũ ſi qua vel ſeditione, vel turba diuiſum fuiſſet, religio, rituſq́ue facillimè concidiſſent, quemadmodum per Hieroboamũ accidiſſe ſcimus. Verùm enimuerò & aliæ rationes validiſsimæ ſunt, quòd Moyſes, non minùs, ſed multò magis Sacerdos eſſet, quàm Aaron: Ioſue Dux tantùm populi creatus, de quo ideò dictum eſt Moyſi à Deo, Dabis ei partem gloriæ tuæ. At & pro Ioſue Scriptura habet, ſi quid agendũ erit Eleazar ſacerdos conſulet Dominum. Nec Dauid pręter Pſalmos, quos tanquam Propheta cecinit, aliquid fecit ex ſuo arbitrio, ſed iuxta omnia quæ ſcripta ſunt in lege Domini, qua futuri Reges iubebantur exemplũ accipere à Sacerdotibus Leuiticę tribus. Nec verò Salomon aliquid in cauſa fidei ſibi iudicij ſumpſit, quòd Abiathar in exilium egerit, in agrum nempè ſuum. Id enim factum quòd cum Adonia, qui adſpirabat ad Regnum aduerſus ſe, conſpirauerat. Nec Abiathar fuit ſummus ſacerdos ſed Sadoc, qui ſemper illi in Scriptura præfertur. Idem autem dictum ſit de reliquis. Si quid enim ij Reges fecerunt ad pietatẽ promouendam, id eiuſmodi fuit, quale pręſcripſerat DEVS his verbis: Vbicunq; (inquit) quæſtio eſt de lege, de mandato, de ceremonijs, de iuſtificationibus, oſtẽdite fratribus veſtris, vt non peccent in Domino: Amarias autem Sacerdos, & Pontifex veſter in his, quæ ad DEVM pertinent, præſidebit. Porro Zabadias, qui eſt Dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent. Hęc Diuina Scriptura. Itaq; Reges procuratores erant, & conſeruatores, auxiliumq́;, atque (vt dicitur) brachium ſeculare extendebant, & ſuppeditabant, quo omnia currerent ſine impedimẽ-

Lib. 2. cap. 26. contra Gaudentium.

Auguſt. Epiſt. 48. & 50.

Differẽtia noui & veteris Teſt.

Pſalm. 98.

Aug quæſti. ſuper Leuit. lib. 3. q. 23.

Deut. 34.

Deut. 7.

1. Paral. 24.

1. Paral. 24.

to. At nequaquam ab eorum auctoritate status, & gubernatio pendebat Ecclesiæ. Quomodo enim, vt de nostra noui Testamenti Ecclesia dicamus, hæc substitisset totos trecentos annos, quibus nullus penè Imperator fuerit Christianus, ac tamen religio latè, longeq; processit?

In 4. Synodis primis nullam Laici potestatem exercuerunt. SED & ex ipsis quatuor Synodis, ad quas prouocasti, id adhuc liquidiùs patet. Nam etsi in Nicæna Constantinus Imperator Episcopos hortatus est ad res Ecclesiæ componendas, hæc tamen (inquit Theodoretus) tanquam filius amantissimus Episcopis, & sacerdotibus veluti patribus proposuit. Ac notissimum est, quid ille responderit Episcopis ad se libellos delatorios porrigentibus. Deus vos (dixit) constituit sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis iudicandi: Quamobrem D. Athanasius qui Synodo illi interfuit, ac magni illius Imperatoris gesta obseruauerat, non timet Constantium eius filium (& quidem Imperatorem) Antichristum pronunciare, quoniam de fidei rebus cognoscere voluit. Quid hic (ait) quod Antichristi sit, omisit? siquidem iam denuò in locum Ecclesiasticæ cognitionis suum

Lib. 1. ca. 4. hist. Eccl.

Rufinus li. 1. ca. 2. hist. Eccl.

Athanasius in epist. ad solitariam vitam agẽtes.

» palatium tribunal earum caussarum con-
» stituit, seque earum litium summum prin
» cipem, & auctorem facit. Et infrà. Quis
» videns eum in decernendo Principem se
» facere Episcoporum, & præsidere iudi-
» cijs Ecclesiasticis, non meritò dicat il-
» lum eam ipsam abominationem desola-
» tionis esse, quæ à Daniele prædicta est?

QVOD si quis obiecerit Constantinum Magnum in caussa Cæciliani Episcopi Africani iudicasse (quanquam hoc sit extra id, quo de agimus, hoc est, de quatuor Synodis generalibus) audiat Diuum Augustinum Donatistis hæreticis simile aliquid obijcientem: ij enim (sicuti nescio qui faciunt vel hæretici, vel aliquando plus politicum, quàm Christianum sapientes, vt ad Principes seculi rerum Ecclesiasticarum caussas transferant) tam diu Imperatorem obtuderunt, vt aliquod iudicium ex eo extorquerent, quantumuis id ille diu recusaret. Cur ergo (inquit Diuus Augustinus) ad Imperatorem venere vestri Legati? cur eum fecerunt caussæ suæ iudicem? Et alibi. Quid nobis obijcitis, quod vestra præsumptio primitus fecit? Et altera epistola ostendit eos ad Constantinum Imperatorem à iudicio Episcoporum prouocasse, Constantinum autem aliud Episcoporum iudicium proposuisse.

August. Epist. 48. ad Vincentium.

„ Non quia (ait Diuus Augustinus) iam ne-
„ cesse erat, sed vt eorum peruersitatibus ce-
„ deret, omni modo cupiens tantam impu-
„ dentiam cohibere. Neque enim ausus est

Christianus Imperator de iudicio Episco- "
porum, qui Romæ sederant, ipse iudicare, "
sed alios (vt dixi) Episcopos dedit. A qui- "
bus tamen illi ad ipsum rursum Impera- "
torem prouocauerunt. Qua in re Impera- "
tor eis cessit, vt de illa caussa post Episco- "
pos ipse iudicaret, à sanctis Antistitibus "
postea veniam petiturus. Hæc quidem Di- "
uus Augustinus. At Sancti Ambrosius, & Athanasius, multò adhuc euidentiora. Vocatus enim ille ab Imperatore, vt cum Auxentio hæretico coram se tractaret. Si tra- «
ctandum est (inquit) tractare in Ecclesia «
didici, quod maiores fecerunt mei, si con- «
ferendum de fide, Sacerdotum debet esse «
ista collatio, sicut factum est sub Constan- «
tino, qui nullas leges ante præmisit, sed li- «
berum dedit iudicium Sacerdotibus. In- «
telligit autem in Nicæno concilio primo. «
Hęc ille. Apertius quoque in eadem epistola distinctionem hanc docet. Quando «
(inquit) audisti clementissime Impera- «
tor, in caussa fidei Laicos de Episcopo iu- «
dicasse? Ita ergo quadam adulatione cur- «
uamur, vt Sacerdotalis iuris simus imme- «
mores? & quod DEVS donauit mihi, alijs «
putem esse credendum? At certè si vel scri- «
pturarum seriem diuinarum, vel vetera «
tempora retractemus, quis est, qui abnuat «
in caussa fidei (in causa inquam fidei) Epis- «
copos solere de Imperatoribus Christia- «
nis, non Imperatores de Episcopis iudica- «
re? Hæc ille. Tantùdem verò & ante eum «
Athanasius in simili caussa scripsit. Si iu- «
dicium est Episcoporum, quid commune «
cum eo habet Imperator? Sin contra ista «
minis Cæsaris conflantur, quid opus est «
hominibus titulo Episcopis? Quando à «
condito æuo auditum est, Iudicium Ec- «
clesiæ ab Imperatore authoritatem suam «
accepisse, aut quando vnquam hoc pro iu- «
dicio agnitum est? Plurimæ antehac Sy- «
nodi fuere, multa iudicia Ecclesiæ habi- «
ta sunt, sed neque Patres istiusmodi res «
Principi persuadere conati sunt, nec Prin- «
ceps se in rebus Ecclesiasticis curiosum pręs «
buit. Paulus Apostolus habebat amicos in «
Cæsaris familia, (eos enim salutari iubet «
ad Philippenses vltimo) non tamen eos in- «
ter alio socios assumpsit. Hæc Athana- «
sius.

AT in Concilio quoque Constantinopolitano, nihil nisi Episcoporum iudicio decretum est. Quo tempore cùm Theodosius Imperator inter alia Nectarium Patriarcham consuleret, quanam ratione tota vniri posset Ecclesia, consilium Sisinij secutus est: nempè vt omissis disputationibus (quæ non solùm schismata non vnirent, sed amplius diuiderent, & hæreses ad contentiones potiores adducerent) testimo-

Theodoretus li. 5. c. 16. & 19.

testimonium ex veterum Patrum traditione adhiberetur. Itaque refert Theodoretus, ab Imperatore conuocatos esse hęresiarchas, de quibus quæsiuerit, an susciperent magistros Ecclesiæ, qui ante tempora diuisionis extitissent. Illis verò non abnegantibus, sed tanquam præceptores honorantibus, rursum Imperator interrogauit, an eis horum testimonia Christiani dogmatis placerent. Hæc audientes Præsules hæresum, atque disputatores eorum, (erant enim plurimi ad disputationis certamina præparati) in responso vehementer hæserunt. Irruit enim in eos magna discordia, alijs dicentibus bonum Imperatoris propositum esse, alijs verò cogitatibus, suo non expedire consilio, dum alij aliter de libris veterum sentire viderentur: & nequaquam inter se conspirabant, sed erant diuisi, non solùm aduersus alias hæreses, sed etiam inter semetipsos, qui dudum vnius hæreseos esse videbantur. Quamobrem consors malitia, sicut linguæ gigantum veterum, est diuisa, & turris eorum funditùs est subuersa. Cognoscens igitur Imperator eorum confusionem, & quia in disputatione solùmodò, & non in antiquis expositionibus confidebant, alio properauit itinere, eisque declarauit, vt ex scripto vnaquæque religio terminum suæ fidei declararet. Et hæc sanè ex historia Ecclesiastica, quæ magnum habent pondus Chytræe, ad vestra quoque & omnium hæreticorum dogmata discutienda.

Notent hęretici.

PORRO de Synodo Ephesina idem ipsum certum est. Theodosius enim eius nominis secundus Imperator cùm misisset ad eam Candidianum comitem, eidem Synodo significauit, ita se illum mittere, vt in nullis quæ à Patribus agenda essent, de pijs dogmatum quæstionibus communicaret. Illicitum namque est (inquit) eum, qui nõ sit ex ordine sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis se immiscere tractatibus.

IAM in concilio Chalcedonensi Imperatoris Commissarij dixerunt: Quod placuit Reuerendo concilio, de sancta fide ipsum nos doceat. Et Imperator Martianus, Sacerdotes (inquit) quid obseruari in religione docuerunt, atqui tum allocutus est Synodum. Nos (ait) non ad ostendendam potentiam, sed ad fidem confirmandam, ad præsentem Synodum venimus, exemplo religiosi Imperatoris Constantini. Hinc itaque docemur, & rebus diuinitus reuelatis nos assentiri, non ob Regum, & aliorum hominum edicta politica, sed propter Deum, per testimonium & vocem Ecclesiæ tanquam infallibilis regulæ loquentem: At cùm distincta potestas

Concili. Chalced. act. 3. Act. 5.

sit, inter seculi Principes, atque inter Episcopos, propterea iudicium de fidei rebus aliunde non esse petendum: Id quod cùm vos alij defugitis, cernitis, in quàm profundo confusionis cœno, vestri semper volutantur.

CAETERVM qui non conuocandos ad Synodum dixerunt alios quàm filios Dei, si pro filijs Dei improbos intelligunt, vt alicubi Scriptura facit, sanè seipsos designant: sin electos Dei, & prædestinatos dicunt, ne ad vestros quidem id certè pertinet, quos Spiritus sanctus cùm ex Ecclesia militante (quia nec militandum esse credunt) eiecerit, ecquid triumphi speres asseiqui posse in triumphante? At verò vt electi sint aliqui, quis eos dignoscat, vt deligi possint, atque ad Synodum euocentur? Nouit enim Dominus qui sunt sui. Quòd si non vocati ab alijs, sed de se quisque iudicium ferens se dabunt in viam, tanquam Dei filij, iam sua opinione inflati, si quid audient, quod suæ sententiæ aduersetur hoc reijcient, spernent autem sic cæteros, vt deinceps alij denique singuli, seipsos verè esse filios Dei, illos pre sese mentiri, & esse filios satanæ existiment. Viden' Chytræe, quantum saltabit extra chorum eiusmodi cœtus? Qui autem velint, iudicẽ in concilijs esse Scripturam, quę nec sentit, nec intelligit, neque eloqui potest, hi sine ratione, & sensu Scripturæ, satis insaniunt, quod quidem satis ostendimus supra, vbi de verbo DEI egimus. Viui igitur iudices necessarij sunt, atque ij, quibus hanc curam Christus demandauit, Episcopi, quos liquidissimè ex aspectu ipsarum Synodorum legitimarum, ex ipsa antiquorum vsq; ad Apostolos adducta fidei regula, ex promissa Spiritus sancti pręsentia, ex diligentissima Scripturarum & Patrum collatione agnoscimus. Hos autem quoniam Ecclesia vestra minimè habet, à primis quatuor Synodis & puriore Ecclesia (vti antea dixi) quàm longissimè discessistis. Et quidẽ ex his quamuis manifestum euaserit falsum esse quod asserebas, te primas quatuor Synodos earundemque decreta respicere, per gamus tamẽ idipsum reddere manifestius ex Atheismis vestris, quibus vniuersam Synodorum harum doctrinam conuellere & labefactare pro virili conati estis. Prius tamen generalia Synodorum decreta subijciam, (reliqua singillatim suo loco descripturi) Atheismorumque originem & progressum, vt vestra dogmata ad Synodorum amussim rectius expendantur, & vnde ortum habuerint, intelligatur. Hæc autem in Nicæna, & in reliquis alijs Synodis sic est adhibita, vt persæpe reperiantur acclamationes illæ: Sic crediderunt Patres,

Bucerus ita sensit, eiusque asseclæ.

Vide finē concilij Chalced.

sic Nicæna, sic Ephesina, & reliquæ Synodi; sic nos credidimus, & credimus. Hæc fides Apostolorum, huic omnes consentimus, omnes ita sapimus.

SYNODORVM QVATVOR PRIMArum, capita præcipua & decreta.

CAPVT IIII.

ET generatim quod ad dogmata fidei pertinebat, Nicæna Synodus Arianam hęresim damnauit. Quas verò Arius hęreses inuexit, hę ad tria ferè capita referebantur: Christum ex essentia, & natura Patris non esse genitum: Fuisse tempus cùm non erat, ac proinde principium habuisse: Vnā & simplicem trium personarum essentiam non fuisse: Ex quo efficiebatur, neque has esse consubstantiales, neque admittendum esse verbum illud ὁμοούσιον: quod postea Nicæni Patres à Spiritu sancto edocti ad hęreses istas auertendas non tantùm inuenēre, quantùm ex thesauris Diuini verbi, traditionisque Apostolicę elicuerunt. Verū enimuerò Ariani cùm ferre non valerent voces consubstātialis, & Trinitatis, quanto potuerunt astu & diligentia alias illas insinuabant συνούσιον, & ὁμοιούσιον, id est, coniunctę, ac similis substantiæ. Et hęc quidē Arius, qui (vt ait Theodoretus) humanę etiam naturæ rationem mutilauit. Nam ipsum (Dominum) corpus inanime assumpsisse, in eo autem egisse animę munia Diuinitatem asseruit, ita vt huic tribueret affectus, qui à corpore insunt. καὶ μέντοι, inquit, καὶ τὸν τῆς ἐνανθρωπήσεως ἠκρωτηρίασε λόγον, σῶμα γὰρ ἄψυχον ἔφη εἰληφέναι, ἐνηργηκέναι δὲ τὰ τῆς ψυχῆς τὴν θεότητα, ὥστε ταύτῃ προσάψαι τὴν ἀπὸ τοῦ σώματος ἐγγινομένην συμπάθειαν.

Capita Nicænæ Synodi præcipua.

Lib. 4. de hæreticorum nugamentis.

Auguſt. li. 2. de bapt. cap. 9.
Tempore Constant. Imp. Pont. Syluestro.
Can. 6. apud Ruff. lib. 1. ca. 6.

SYNODVS igitur Nicęna cùm istos errores damnasset, illegitimi quoque Concilij Carthaginensis, & Cypriani decretum, de rebaptizandis hęreticis reprobauit: Donatistas autem, quanam ratione essent recipiendi, exposuit. Romanæ porrò Ecclesię supra reliquas omnes Ecclesias eminentiā & inspectionem, quam antea consuetudine, & iure Apostolico ex Christi Domini institutione acquisiuerat, ostendit. Schisma deniq; de Pascha celebrando sustulit: ac verò constitutiones siue διατυπώσεις, ad rectam Ecclesiæ administrationem, moresque spectantes promulgauit. In hac autem Synodo trecenti duodeuiginti Episcopi fuerunt.

Pont. Damaſ. Gratiano & Theodoſi. Impp.
Syn. Constantinop. capita præcipua.

SYNODVS verò Constantinopolitana, centum quinquaginta Episcoporum, Macedonium blasphemantem contra Spiritū sanctum: deinde Apollinarium, qui mentis expertē, & (vt inquit D. Gregorius Nazianzen.) ἄνουν, faciebat Dominum: Animam tamen sentiētem Christo tribuebat, in quo ab Arianis differebat, quoniam illi ne sentientem quidem, aut vegetantem animam ponebant in Christo, cui satis esse putarānt Diuinitatem, quæ mentis, sensus, vegetandi munia pręstaret: Photinum prętereа, & Sabellium, qui in DEO vnam duntaxat esse personam dicebat, quę pro ratione actionū variarum (quasi nomina personarum essent synonima) modò pater vocaretur ob creationem & conseruationem rerum: modò filius, cū assumpta carne humana editus esset in hāc lucem: modò Spiritus sanctus, quatenus sese creatis rebus impertiens, siue substātialiter, siue per sua dona illaberetur: Denique & Eunomium, qui alios ex alijs errores contra Diuinitatem & Spiritum sanctum proferebat, anathemate confodit. Fidem Nicęni Concilij sartam tectam defendit, & Symbolum edidit, quo vnà cum Nicęnæ Synodi Symbolo nouę hæreses abolerētur. Quinā verò post Romanam Ecclesiam honor esset Cōstantinopolitanæ deferendus, quoue modo Episcopi suas diœceses, vel Ecclesias, quæ erant inter gentiles & regere, neq; ad alias non inuitati accedere deberent, illicitamque Maximi Cynici Philosophi ordinationem declarauit, & sanxit.

Theodoretus de nugamentis hæret. ca. de Eutyche.
Vide S. Vigilium in disput. inter Sabellium, Photinum, Arium, & Athanasium.

Synodi Ephesinę præcipua capita. Leone P. Pōt. Max.

EPHESINA Episcoporum ducentorū coacta contra Nestorium vocem θεοτόκου, hoc est, Deiparę auersantē, & duas in Christo personas ponentem, ac carnem Christi viuificatricem negantem expugnauit, eūque ex Ecclesia expulit. Hic (vt etiā refert Cusanus) fassus est quidem in Christo esse corpus, animam & Diuinitatem, sed circa rationem vnionis errauit. Fatebatur corpus & animā vniri vnione naturali, qua esset verus homo, sed hominem illum vniri Diuinitati aiebat per gratiam, non quidem cōmunē, qua boni DEO vniuntur, verùm per plenitudinem gratię, ob quam vna esset DEI & hominis IESV voluntas, propter quam excellentissimam gratiam de CHRISTO verè enunciaretur ipsum esse filium DEI. Sed non admisit Mariam esse matrē DEI. Quasi id, quod in CHRISTO reperitur à matre acceptum, non conueniret DEO, sicque voluit naturam humanam in ipso esse Deificatam. At quoniam scribebatur, Verbum caro factū est, non autem caro facta est verbum, ideò & hoc damnauit per illam Synodū Ecclesia.

Nicolaus Cusanus Card. li. 1. cribrationum Alcorani prolo go secūdo.

PORRÒ eadem Synodus Messalianos, siue Enthusiastas, vel Euchitas hæreticos, librumq; pollutæ illius hęreseos (vt vocārunt sancti illi Patres) anathemati subiecit: & quidem pręter illa, quę in Tomis conciliorum, & in Cyrilli anathematismis cernuntur,

Præter codices hui9 Synodi Græcos, qui sunt in Bibliotheca Vaticana & alibi, est item exemplar in Bauarica Bibliotheca antiquissimum.

nuntur, Theodorus Peltanus è nostris Theologus, optimæ memorię vir, Græcum volumen in Latinum vertit, in cuius prima sectione, quæ Synodum antecesserunt: In secunda acta concilij aduersus Nestorium: In tertia schismaticorū, & hęreticorum cōtra œcumenicū concilium machinationes, & fraudes: In quarta, gesta & scripta Synodi contra schismaticos: In quinta, quę ad reconciliandas Ecclesias, & amicitiam inter Cyrillum & Ioannem Antiochenum redintegrandam pertinent: In sexta, orationes, seu conciones in concilio, vel occasione concilij habitæ continentur.

Martiano Imperatore, Leone I. Pontific.

CHALCEDONENSIS Episcoporū sexcentorum (licet alij scripserint octingentorum triginta) contra Eutychen, & Dioscorum hæreticos egit pro duabus naturis in CHRISTO, & proprietatibus. Eutyches autem (vt ait Boetius) asserit assumptum hominē ita, vt humana natura non manserit, cuius error ex eodem fonte, quo Nestorij prolabitur. Non enim putauit naturam duplicem esse, sine duplicatione personę, vt cū non confiteretur duplicem personam, reputauerit consequenter vnam esse naturam. In ea igitur Synodo ex Nicęna, Constantinopolitana, & Ephesina multa recitantur, eademque fides astruitur. De Episcoporum item ordinatione, deque eorum, & Monachorum vita, qualis esse debeat, deque pœna quam incurrerent, si à proposito recederent: quodúe iudicium subeundum sit ijs, si quid inter sese agendum sit: De virginibus, quæ se Domino DEO vouerunt: De Monachis ne vxorem ducant: De concilijs habendis per Prouincias: De Episcoporum, & Clericorum accusatoribus: Neue monasteria consecrata fiant diuersoria secularia: Neque Episcoporum ordinationes diu differantur: Deque alijs ad bonos mores spectantibus editi sunt canones sapientiæ cœlestis pleni.

Ex quibus omnibus Ecclesiæ forma, & hierarchia, omnisque ritus, in primis autem doctrina de DEO, & sanctissima Trinitate liquidissimè hauriri potest.

ATHEISMORVM ORIGO & progressus.

CAPVT V.

Vide Irenæū, Tertullianū, Iustinum Martyrē, Theodoretum & alios.

QVo Spiritu acti fuerint ij, qui à tempore Apostolorum Christi Domini Diuinitatem, vel carnem, aut humanitatē acerbissimè oppugnārunt, facilè constat ijs, qui vitam illorum, & dogmata cognouerunt. Vt verò, qui facinora perpetrant, & in omnem turpitudinem pręcipites ruunt, si quid luminis affulget, quo inspici possint, id protinus extinguunt: sic Satanas hominum eorum mentibus, per quos aliquid satanicum edere vult, lumen illud Diuini vultus, quod est signatum super nos, satagit callidissimus eximere, vt sanè à tenebris vndique comprehensi, tandem in eius manus penitùs prolabantur. Apparuit ergo CHRISTI IESV DEI filij doctrina, & vita, sicut splendidissimus Sol: quo homines excitati, arrepta cęlestium rerum exercitatione, vt valentissimi athletæ, nuncium perfidiæ, mundo, & carni remiserant. At cùm Diuinum solem, qui tot miraculis, atq; illustrissimis radijs splēdere inceperat, vnico flatu non poterat extinguere diabolus, ad sui, hoc est, serpentis astū, suasque pristinas artes conuersus, Dei Maiestatem, sub Dei veri nomine minuere, & Christum, sub Christi vel Deitate, vel humanitate obscurare, atq; adeò ex animis hominum omninò tollere curauit. Id qd' Tertullianus, cùm hęreticos profligaret, prudentissimè posteritatem omnē, ac præcipuè huius seculi homines pręmonuit. Nā cùm Dositheum Samaritanū, Sadducęos, Pharisęos, & Herodianos, breui pstrinxisset: "Ad eos (inquit) me conuerto, qui ex Euangelio hæretici esse voluerunt, ex quibus est primus omnium Simon Magus, qui in Actis Apostolorum condignam meruit ab Apostolo Petro, iustamque sententiam. Hæc ille." Qui posteà Menandrum, Saturninum, Basilidem, Ophitas, totamq; istius erroris & scenam, & doctrinam aduersus Christi Domini & Dei veritatem, inde fluxisse scribit: cùm & deinceps Carpocrates, & Cerinthus, & Valentinus non tam fabulas, quàm nouas de Deo, & Christo blasphemias addidissent. Quos cùm Marcion quidam Ponticus genere, & Episcopi filius, ac propter stuprum cuiusdam virginis ab Ecclesiæ communione abiectus, esset imitatus, ac DEI Maiestatem subdolè minuens, Deum consequenter negaret, aduersus illum, & alios hæreticos, ita loquitur idem Tertullianus. "At nunc (inquit) negocium patitur Deus Omnipotens, Dominus & conditor vniuersitatis: ideò tātùm opinor, quia à primordio notus est: quia nunquam latuit: quia semper illuxit, ante etiam Romulum ipsum, nedum ante Tiberium: nisi quòd solis hæreticis cognitus non est, qui ei negocium faciunt. Et infrà. Sed Deum quidem, vt sciens, non negas, vt nesciens retractas: immò & accusas, quasi sciens; quem si scires, non accusares, immò nec retractares. Reddens nomen illi, negans substantiam nominis, id est, magnitudinis, quæ Deus dicitur, nō tamen eam agnoscens, quantam si homo omnifariam nosce potuisset, magnitudo non esset. Hæc ille."

Tertul. 46. cap. lib. de præscrip.
Act. 8.
Cap. 47. de præscrip.
Lib. 2. adu. Marcionē.
Nota hæretice.

AT Satanas postea (vt semper in peius proficit) Arium sacerdotem spiritu ambitionis tumidum impulit, quoniam Archiepiscopus Alexandriæ creatus non est, ad tot hæreses vel nouas comminiscendas, vel veteres excitandas, vt tenebræ factę sint super vniuersam terram. Sicq; vna stilla decidens, neque aliò auersa in torrentem excreuit, quæ totum Christianum orbem inundauit. Repreßi tamen Ariani Synodi Nicænæ auctoritate, effusisque diuino iudicio Arij visceribus, qui tanquam alter Iudas Christi proditor crepuit medius: doctrina verò sapientißimarum illarum Ecclesiæ columnarum stante, atque consentientißima: Illatis item à Constantino Imperatore iustißimis pœnis, ac sublatis hæreticorum pestilentißimis libris, coluber ille, qui sempiternum animabus bellum indixerat, in omnes sese spiras contorsit, si qua ratione semina tantæ impietatis fouerentur, Christique regnum rimas ageret, quo facilius denique concideret. Quare Ariani negare iam apertè scripturas, Epistolam Pauli ad Hebræos reijcere, & quicquid aliud ratum, sanctumque esset, spernere, ac pedibus ipsis sacrosancta mysteria conculcare sunt ausi, quemadmodum nostri quoque temporis hęretici faciunt, quoniam desperatißima eorum caussa est. Adeò mens lumine Dei amisso sibi ipsi fit hostis acerrimus. Tum itaque prostitutio virginum, eiectio sanctimonialiũ, altarium euersio, Catholicorum trucidatio, inuasio Episcopatuum: Eremitarum in abstrusißimis locis, & Monachorum persecutio, cæteraque illa sunt subsecuta, quæ D. Antonius præuiderat, & Patres Athanasius, Basilius, ac reliqui scripta reliquere. Sed cùm neque hic conatus præualeret Synodi auctoritati, earum hæresum antesignani coëgere varijs temporibus decem conciliabula, quibus semper nouæ potius hæreses condebantur, quàm vt eorum impietas statui, vel fides Catholica posset labefieri. Mulierculas etiam cùm parerent adibant, deque Christi natiuitate diuina ridentes, & contemptim loquentes, illud Prophetæ
Esaiæ 53. ironicè obijciebant: Generationem eius quis enarrabit?

QVAE sanè omnia num Lutherani vestri, ac reliqui fecerint, testantur ipsa Regna, Prouinciæque vastatæ, ipsa conciliabula ab ijs nullo vnquã vero cum effectu pacis habita, ipsa Catholicorum martyria quæ toto hoc seculo, & nunc in Anglia habentur, ipsa bonorum Ecclesiæ sacrilega vsurpatio. Qui nisi fructus eiusmodi sint, ex quibus eos agnoscere poßis, fateare necesse est, vel te esse cum ijs cœcum, & latente iustitiæ diuinæ flagello transuersum agi, aut nondum altius ea perpendisse, quæ tamen interitum æternum haud resipiscentibus afferent. Sed fortè dices: Ecquid in nobis offendis, quo vel diuinam Maiestatem, vel sanctißimam Trinitatem, vel cõsubstantialitatem filij traducere nos, vnà cum priscis illis hęreticis verè asserere poßis? Multum (aio) per omnem modum.

PRIMVM autem illud cogita, sicuti plerunque Deus Prophetarum corda, linguasque mouebat, operibus item futura indicabat, quæ illi antea aut nesciebant, aut non omninò explicitè intelligebant: sic satanam pseudoprophetarum corda, linguasque & calamos persæpè ad ea dissemi nanda tentâsse, quæ etsi ipsi non cogitârant, iustißimo tamen iudicio Dei promeriti fuerant, vt organa & flagella essent iræ Dei, mox quidem in ignem æternum proijcienda. Et sanè ebrij, & ægroti, multa dicunt, & faciunt, quæ non sibi ipsis, sed ebrietati, ęgri autem morbo, non animo tribuunt. Verùmtamen culpa illorum denique est, quod & ebrij facti sunt, & in varios morbos inciderint. Prorsus ergo id in Luthero, cæterisque initio euenit, vt quàm mitißimè de illis iudicium feramus. Nam dum furerent aduersus Ecclesiam, tanquã ebrij multa quæ noluissent aduersus Deũ blasphemarunt, ac tamen vbi è suis erroribus tot monstra enasci, & tantam in vitæ moribus licentiam erumpere viderunt, aliquando dilucidò aliquo interuallo vi veritatis impulsi desperarunt de suę doctrinę progressu, factamque fuisse, è vestro isto (si Deo placet) euangelio hominum vitam multò peiorem coacti sunt & ipsimet fateri, quàm dum in Ecclesia Catholica viuerent. Sed iam ad Atheismos ipsos veniamus.

ATHEISMI LVTHERI, Melanchthonis, Caluini, Bezæ, Vbiquitariorum, aliorumque Pseudeuangelicorum, quibus Synodorum quatuor decreta conuellunt.

CAPVT VI.

ATHEISMVS PRIMVS LVTHERI, quo Esaiæ locum de Christi diuinitate falsa interpretatione deprauat.

SATANAS igitur, vt, quod coquebat in animo; tãdem euomeret, primò Lutherum impulit, vt magno ausu Biblia verteret, & vulgatã editionem abijceret: interim verò serpẽs ille sciebat, quid facturus esset eo de homine: Quibus itẽ in locis varia ei⁹ animo instillaturus, quib⁹ deinceps pillũ, virus suũ sparsurus, ne cogitante quidem semper

semper fortaßis ista Luthero. Et initio quidem quod scriptum habetur de Christo DEO & homine simul futuro, id Lutherus omninò sustulit. Sic autem Esaias
Esaiæ c. 9. inquit: Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, DEVS, Pater futuri seculi, princeps pacis. Quod ita in codice Græco legitur: ὅτι παιδίον ἐδόθη ἡμῖν, υἱὸς ἐδόθη ἡμῖν· οὗ ἡ ἀρχὴ ἐγενήθη ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, ἐξουσιαστὴς, ἄρχων εἰρήνης, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Sic item in codice Hebraico legitur. El Gebbor, id est, Deus fortis, quod quidem posteà Paraphrasis Chaldaica eodem sensu, ijsdemq; verbis expreßit. Quin etiã inter Hebræos ante Christum natum non defuit, qui ita interpretaretur hunc locum. Quia (inquit) Meßias Deus & homo futurus est, vocatũ est nomen eius Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus, nempè in corpore, in carne nostra, quemadmodũ testatur Iob capite decimo: Ex carne mea videbo Deum. Item quia DEVS est mirabilis, consiliarius dicitur: Excogitauit enim mirabile consilium animas à dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatũ damnatæ erant. Nec possunt vllo modo esse saluæ, nisi Rex mortem acerbißimam, multaque subeat tormenta, Ob eam causam dictus est vir. Et quia ipsius est omnis fortitudo, DEVS fortis vocatur. Et paulò pòst: Et quia eos saluos faciet, & ad paradisum adducet, vocatur IE-
Lutherus Christi gloriam furatur. SVS, hoc est, Saluator. Hæc ille.

LVTHERVS igitur tanquam tacitus latro, furatus Christi gloriam: vocem illam, (DEI) penitùs expunxit, alteram supposuit, qua Christi Diuinitas nequaquam deprehendi potest. Id verò in omnibus eius Biblijs, quæ Ienæ, VVittembergæ, Lipsię, ac Franckfordiæ typis impressa sunt, cernere est his verbis. Vnd er heist / Wunderbar / Rhat / Krafft / Heldt / Heiliger Vatter. Cũ debuisset vertere. Vnd sein Name heist / Wunderbar / Rhatgeb / Gott / Starck / Ewiger Vatter / Friedfürst. Sic enim & Dietenbergius, & ij omnes verterunt, qui peritißimi linguarum Diuinum verbum vt rectè perceperunt, sic ex animo suspexerunt, & venerati sunt. At verò ne nominis DEI eo loco prætexere poßet ignorationem, fatetur quidem alibi per hanc vocem El, ibi significari DEVM, & nusquam inueniri in singulari, nisi de vero DEO. Sed tamen in sua versione maluisse ponere Krafft / quo nomine, inquit, designari fortitudinem substantiuam. Sed alibi tamen (vt omnia reddat semper dubia) inquit (El) applicari etiam creaturis. Ex quo hominis astum cum impietate coniunctum licet agnoscere, quod studio tam expressam vocem Spiritus Sancti de Christo DEO ab Ecclesia DEI omnibus seculis & linguis receptam sustulerit, populisque clarißimum Diuinitatis Christi testimonium Germanica dictione, & satis impropria inuoluerit, atque subtraxerit. Interim verò cùm ab alijs fraudem agnitam velare voluisset, eos quidem, vt diximus, sic lactauit. Attamen id quod maximè expediebat ab omnibus cognosci non correxit. Quæ certè (vt subinde planiùs quoque ostendetur) tacita fuit ad Atheismum complanatio.

To. 4. operum Luth. pag. 171 impress. VViteberge 1552. Quiddã simile sed breui⁹ in scholijs eiusdem breuibus in Esaiam eodem tõ. pag. 144.

ATHEISMVS SECVNDVS LVtheri & Caluini contra sanctißimæ Trinitatis nomen & inuocationem.

PORRÒ displicebat Arianis nomen sanctißimæ Trinitatis. Displicuit & Luthero. Cumque hanc, satana instigante, compendiariam illi viam ad Diuinitatem ipsam ex animis tollendam putassent, putauit item volens nolens Lutherus. Sic enim dementat (vt dixi) satanas suos. Itaque & in hoc Lutherus tanquam bonus reformator, vt à Sanctuario inciperet, à sanctißima Trinitate inchoauit: Et vti ex Epistola D. Ioannis Euangelistæ sustulit illud: Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, Anno 1545. in lib. precationum.
& hi tres vnum sunt: Sic ex Litanijs illud prorsus erasit: Sancta Trinitas, vnus Deus miserere nobis. Sentire igitur ne iam tibi videris Chytræe, sibilum anguis illius venenatißimum? At non omninò (inquies) vocem illam sustulit, quin verò & alicubi reliquit. fateor. Et hic ipse est satanæ astus, vt iaciens lapidem, ilicò recondat brachium, & superseminans (vt dixi) zizania, abeat. Fuerunt enim qui audacem illam impudentiam admirabundi improbarent. Propterea receptui sic cecinit, vt tamen neque Lutherus retractauerit quod sustulerat, & pro eo tempore Satanas fecisse satis se cogitauit, si fenestram istam ad omnẽ nequitiam aperuisset. Scit enim malignus serpens, facilè esse inuentis addere. Quamobrem quod ouum in Luthero fouerat, in Melanchthone non multò pòst apertiùs, sed apertißimè in Caluino, & in reliquis manifestiùs exclusit, quemadmodum suo loco dicemus.

IAM verò ſi cauſas alias expendamus, cur Lutherus ſanctiſsimę Trinitatis nomē, & inuocationem, è Chriſtianis ſupplicationibus eliſerit, certè nullam videmus. Si enim nouitatem vocis afferas, antiquitas omnis falſi te arguet: ſin ab hominibus ijs inuentam putaueris, quorum haud magna fuerit in Diuinis rebus exercitatio, vniuerſa Græcia, atq; ij ipſi, quos ſcribis Diuinam illuſtraſſe ſcripturam, te reprehendent. Si, quoniam Caluino non ſapiebat Trinitatis nomen, quod generis fœminini cùm ſit, iūgatur cū Deo, quæ vox eſt maſculini, cur ille Grāmaticus, non Theologus, loco Trinitatis, non dixit Ternionem? Sed latebat ſerpens in herba. Caluino enim vſus eſt ſatanas, tanquam audaciore & callidiore inſtrumēto, per quod nomine Trinitatis ſublato, ne inuocaretur quidē: quæ vbi nō inuocaretur, abiret omninò in obliuionē. Quomodo autem inuocarent, quam neq; nominare dignarentur, & adeò in quā non crederent? Ac primò Caluini inſcitiæ inſufflauit ſatanas hoc alterum venenum, vt ſanctiſsimæ Trinitatis hypoſtaſes, ſeu perſonas, putaret nudas eſſe proprietates: deinde in iocum, (horreendam, & intolerabilem ſanè blaſphemiam) ſanctiſsimum illud nomen detorſit, vocans hermaphroditum. Nicæni igitur Patres, quique fuēre omnes in reliquis Synodis τριάδα, hoc eſt, Trinitatem nominârunt: Neque verò tūc orta eſt illa vox, cùm D. Iuſtinus Martyr, Athenagoras, S. Gregorius Thaumaturgus, Tertullianus, ſanctique ante hos Clemens Roman⁹, & Dionyſius Areopagita, atque alij plèriq; omnes vnà cum Iacobi, Clementis, Baſilij, Chryſoſtomi, & Latinorum liturgijs, hymnis quoque quos vocant τριαδικὰς tanquam ab Apoſtolorum temporibus deductam ſatis oſtendant. Itaque nec ab inuocatione ſanctiſsimæ Trinitatis abſtinuerunt. Nam & precationes ad eā τριαδικὰς, qualis vox cernitur in ijs, quæ ſubijciuntur Liturgijs D. Baſilij: Et cum D. Dionyſio, Diuus Gregorius Nazianzenus, Chryſoſtomus, ac denique reliqui Patres Trinitatem eſſe inuocandam ſuis exemplis docuerunt. Ille enim τὴν ἀγαθαρχικὴν, inquit, καὶ ὑπεράγαθον ἐπικαλεσάμενοι τριάδα; hoc eſt, Principem omnis boni, atque eminēter bonam inuocantes Trinitatē. Ac rurſus Τριὰς ὑπερούσιε καὶ ὑπέρθεε, καὶ ὑπεράγαθε τῆς χριστιανῶν ἔφορε θεοσοφίας ἴθυνον ἡμᾶς ἐπὶ τὴν τῶν μυστικῶν λογίων ὑπεράγνωστον, καὶ ὑπερφαῆ, καὶ ἀκροτάτην κορυφὴν, ἔνθα τὰ ἁπλᾶ, καὶ ἀπόλυτα, καὶ ἄτρεπτα τῆς θεολογίας μυστήρια κατὰ τὸν ὑπέρφωτον ἐγκεκάλυπται τῆς κρυφιομύστου σιγῆς γνόφον, ἐν τῷ σκοτεινοτάτῳ τὸ ὑπερφανέστατον, ὑπερλάμποντα, καὶ ἐν τῷ πάμπαν ἀναφεῖ, καὶ ἀοράτῳ τῶν ὑπερκάλλων ἀγλαϊῶν, ὑπερπληροῦντα τοὺς ἀνομμάτους νόας. Et quaſi tot ante ſecula Lutheri blaſphemias præſenſiſſet, addit alibi. χρὴ καὶ ἡμᾶς ταῖς εὐχαῖς πρῶτον ἐπ' αὐτὴν ὡς ἀγαθαρχίαν προσανάγεσθαι, καὶ μᾶλλον αὐτῇ πλησιάζοντας ἐν τούτῳ μυεῖσθαι τὰ πανάγαθα δῶρα τὰ περὶ αὐτὴν ἱδρυμένα, καὶ γὰρ αὐτὴ μὲν ἅπασι πάρεστιν, οὐ πάντα δὲ αὐτῇ πάρεστι, τὸ δὲ ὅταν αὐτὴν ἐπικαλώμεθα, παναγνοῖς μὲν εὐχαῖς, ἀνεπιθολωτάτῳ δὲ νῷ, καὶ τῇ πρὸς θείαν ἕνωσιν ἐπιτηδειότητι, τότε καὶ ἡμεῖς αὐτῇ πάρεσμεν. Quæ Diuina verba, Latinè ſic habēt: Trinitas quę eſſentiā, Diuinitatē, bonitatēq; tranſcendis, Diuinę Chriſtianorū ſapiētię præſes, dirige nos in id, quod de arcanis oraculis valdè incōprehenſibile eſt, ſplendorēq; omnē ſuperat, & in altiſsimum eorū verticē, vbi ſimplicia, & ſoluta, & immutabilia Theologię myſteria in per illuſtri arcani, myſticiq; ſilētij caligine abdita ſunt in tenebricoſiſsimo loco clariſsimā lucē emittentia, & in prorſus intractabili, inaſpectabiliq; perelegantiū radiorum mirabiliter opplētia mētes oculorū expertes. Et alibi: Oportet enim nos orationibus ad ipſam veluti bonitatis principē, prouehi, & propius ad illā accedentes in hoc diſcere perquā optima dona ipſi eſſe circūpoſita. Nā & ipſa quidē adeſt omnibus, non aūt illi adſunt omnia. Vbi aūt ipſam purisſimis precibus, defecatoq; animo, & ad Diuinā vnionē accōmodato inuocauerim⁹, tūc nos illi quoq; adſum⁹. At D. Greg. Nazian. ne quid de D. Dionyſ. pro tuo Luth. cauilleris, ſic ait: ὦ τριὰς ἁγία, καὶ προσκυνητὴ, καὶ μακρόθυμε, μακρόθυμος γὰρ ἡ ἐπὶ τοσοῦτον ἀνασχομένη τὴν σὲ τεμνόντων, ὦ τριὰς ἧς ἐγὼ καθήξιώθην, καὶ λάτρης εἶναι, καὶ κῆρυξ ἐκ πλείονος ἀνυπόκριτος, ὦ τριὰς ἡ πᾶσί ποτε γνωσθησομένη, τοῖς μὲν τῇ ἐλλάμψει, τοῖς δὲ τῇ κολάσει, δέχοιο καὶ τούτους προσκυνητὰς τοὺς νῦν ὑβριστάς. Hoc eſt, ô Trinitas ſancta, & adoranda, & longanimis: Es enim lōganimis, quę tādiu ſcindentes te toleras. O Trinitas cuius habitus ſum cultor, atq; preco iā pridē non ſimulatus. O Trinitas quę ab omnib⁹ aliquādo cognoſceris, partim illuſtratione, partim punitione, ſuſcipe etiā iſtos, vt qui nūc te cōtumelia afficiūt, adoratores efficiātur. Sic Chryſ. Τριὰς ἀμέριστε, μονὰς ἡ παντουργός, καὶ παντοδύναμος, ὁ πατήρ, ὁ υἱὸς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα, σὺ θεός μου, καὶ φῶς καὶ σὲ ἀνυμνῶν προσκυνῶ, Id eſt: Trinitas partitionis expers, vnitas omnium opifex, omnipotensque pater, filius, & ſpiritus ſanctus, tu Deus meus, & lumen, teque celebrans adoro. Hæc ille. Atqui & antea quoque D. Ignatius à ſpiritu ſancto edoctus fuit, canticū illud ab Eſaia auditum, ſanctus, ſanctus, ſanctus, in Eccleſia Antiochena in ſacro cantaretur. Ac poſtea miraculo comprobata eſt ea inuocationis neceſsitas, cùm pueri duo in aera Diuinitùs ſublati, deinde delati in terram, iuſsi ſunt Proclo Patriarchæ dicere, mandaret vt Triſagion illud ad terræmotum ſedandum ab omnibus caneretur, ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus & immortalis miſerere nobis, ſicque ceſſauit illa calamitas: ſed & per ſanctiſsimam Trinitatem ſanctiſsimè Chriſtiani iurabant, & per eandem reliquos adiurabant in grauiſsimis cauſis, quēadmodū in Concilio Chalcedonenſi cernitur. Nam & in Græco Acumicenſium codice, hæc verba ſunt. Per ſanctam Trinitatem vos adiuro, quæ cuſtos eſt principum, quamque colitis, & in qua baptizati eſtis, cuius quoque inuocatione ſaluamini, iubete preces meas relegi. Quæ cùm ita ſint, ac tamen auſi ſunt, in tantum impietatis barathrum ruere: Quantoperè initia ſuperbiæ cauenda ſunt, exque minimarum rerum contemptu maxima quæque deinceps deſpiciantur, perlegat pius attentè, quæ Dorotheus ſcripta reliquit. Is ergo: Memini (inquit) fratres mei vidiſſe me aliquando huiuſcemodi hominem, qui in hanc miſerrimam ſeditionem
» incidiſſet. Et initio quidem ſi quis è fratri
» bus locutus quippiam eſſet in alterius com
» mendationem & laudem, ſtatim illū ſper
» nebat, ac quaſi conſpuebat dicens: Quis
» eſt ille? Non eſt alius præter Zoſimam, &
» qui cum eo ſunt. Poſt cœpit & illos cōtem
» nere, ac dicere, neminem alicuius eſſe pre
» tij præter Macharium: & paulò pòſt: Quis,
» ait, Macharius? nullus eſt præter Baſilium
» & Gregorium. Atque etiam non multò
» pòſt, hos quoq; cœpit pariter ſpernere, &
» nullum pretij vllius exiſtimare, niſi Petrū,
» & Paulum. Cui ego prædixi, quod euenit,
» forè, vt hos quoq; tempore contemneret.
» Quod ſanè factum eſt: nam eos ſpreuit, &
» nihil eſſe habendum in pretio præter Tri
» nitatem aſſerere cœpit, ſtatimq; in Deum
» quoque factus eſt inſolentior, exarſit, in
» tumuit.

Caluini impietas.

Synodi quatuor generales.

Iuſtinus li. de expoſitione fidei quem inſcripſit de Trinitate.

Athenagoras in Apologia.

Gregorius Thauma: in fidei formula, quæ extat apud Euſebium hiſt. Eccleſ. lib. 7. ca. 24.

Greg. Nazianze. orat. 2. de pace verſus finē.

Dionyſ. c. 3. de Diu. nom.

D. Dionyſ. exordio libr. de myſtic. Theologia.

Naz. ſub finem 2. orat. de pace.

Vide Epheſinū Concilium ad ſanctiſsimam Trinitatem.

Act. prima Chalcedo. Concil.

Dorothe⁹ Doctrina 2. de humilitate.

Nota.

ATHEISMVS TERTIVS LVTHERI contra nomen ὁμοούσιον ſiue conſubſtantiale à Patribus Nicænis receptum.

PROGREDITVR impietas, & quem hominem ſatanas fermentare cœpit, nō deſerit, quouſq; fermētetur totus, fiātq; nouiſsima illius peiora prioribus. Luther⁹ igitur clauſtris pudoris ſemel pruptis, vbi ſenſim bellū indixit Sanctiſsimæ Trinitati, iam apertius ſe prodidit, cùm aduerſus Latomum ſcribens, vocem illam in Synodo Nicæna conſtantiſsimè receptam ὁμοούσιον, hoc eſt, conſubſtātialem, ſe inquit odiſſe. Anima mea (inquit) odit hoc nomē. Quid ita? ob ipſamné vocem, an ob notionem vocis? Neutri potes reſpondere, nihil enim aptiùs hac inueniri poterat ad hæreſim Arianorum iugulandam, & ad vnicam, planeque eandem numero, ac certè ipſiſsimam Dei eſſentiam indicandam. Id quod cùm ægerrimè ferrent Ariani, & Catholicos contemptim vocarent Homouſianos, vides quā bonus illorū fautor fuit Helias veſter: Et verò quanti Nicænę Synodi decreta in re tanta feciſtis, qui in veſtra confeſsione Auguſtana tantoperè hāc Nicęnam fidem extollitis. Itaque aut certè Lutherus crediderit oportet perſonas ſanctiſsimæ Trinitatis non eſſe eiuſdem, & vnius eſſentiæ (quod ſanè omnem perfidię metam excedit) aut ſanè dicendum eſt ſpiritu illo contendendi adactum à dæmone fuiſſe, vt quod ignoraret, blaſphemaret. Sin autem nomen ipſum Homouſion oderit, quòd parum Græcū ſibi Germano: vel conſubſtantiale, ſiue conſubſtātiuum (vt Aphri apud Vandalorum Arianorum Principem interpretati ſunt) ſibi (videlicet elegantiſsimo) parum Latinum videretur, ſapientiſsimum omnium ſe iactet neceſſe eſt, qui cùm nihil meliùs afferat, vniuerſam tamen illam antiquiſsimā & puriſsimam Eccleſiam ingenio, ſpirituque admirabili prēditam, infæliciſsimus morio, & apoſtata ſe putet ſuperaſſe. At nomen hoc neque externum, nec barbarum eſt, ſed Chriſtianum, Eccleſiaſticum, ſignificantiſsimum. Quod ſi malebat dici ὁμοιούσιον, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ (vt quondam Ariani volebant) intelligis cuius ſpiritus erat magiſter veſter. Et D. quidē Baſilius Arianis ea lege conceſsit hanc alterā vocem, ſi fuiſſet adiectum ἀπαραλλάκτως: tum enim ὁμοιούσιον idem deſignaſſet, quod ὅμοιον κατὰ πάντα. Sin autē id reiecit, quoniam in Scriptura expreſſum non eſt (quâuis profectò in illa altiſsimè impreſſa ſit eius notio, ac veritas) vides quonam, & Synodos illas quatuor, & quę fidei Symbola vos publicè admittere videmini, ac denique ſpiritū illū, qui Synodos direxit, abigitis. Et certè Lutherus ignorare nō poterat, vocē illam in Cōcilio Nicęno aduerſus Arianos veritatis auctoritate (vt S. inquit Auguſt.) & auctoritatis veritate fuiſſe firmatam. Verū (inquies) & D. Hieron. (vt ait Lutherus) nomen homouſij ferre nō poterat, nec tamen tantū illi, quantū noſtro Luthero piaculū aſcribitis. Agnoſco ipſius Lutheri, & qui eū imbuit, Satanę aſtutias. Patres enim cū vnanimes & vni⁹ labij ſint in re fidei, ſic repellitis, vt ne flocci quidē faciatis: at ſi tantillum apparet, quo per illos ædificium fidei proſternere poſsitis, tum eorū auctoritas vobis eſt ſacroſancta. Sed vt in primis fraudē Lutheri agnoſcas, nunquā

Lutherus aduerſus Iacobum Latomum

D. Auguſt. libr. 3. contra Max. c. 14.

Hæreticorum in Patrum auctoritate recipienda ars.

D. Hiero-

D. Hieronymus vocabulum homouſij odio habuit, aut omittendum eſſe iudicauit. Sed ab hypoſtaſis voce cauendum eſſe opinabatur, quòd hanc cum voce eſſentiæ Ariani ſic confundebant, vt cùm vnum, & idem eſſe videretur, ij propterea tres eſſentias callidè inſinuarent. Neque verum eſt, quod in libro de cõcilijs Lutherus adiecit his verbis: Sanctus Hieronymus vehementer perturbatus, lamentabiles ſcribebat ad Epiſcopum Romanum Damaſum literas, & cupiebat expungi vocabulũ homouſion. Extant enim duæ illius ſancti viri epiſtolæ hac de re ad Damaſum, in quibus nulla homouſij expungendi mentionem facit. Quin verò alteram ſic concludit: Obteſtor Beatitudinem tuam, per crucifixum Mundi Salutem, per ὁμοούσιον Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis ſiue tacẽdarum, ſiue dicendarum hypoſtaſum detur auctoritas. Quibus verbis vt Lutheri impoſtura, ſic & virorum illorum ſanctiſsimorum, ac doctiſsimorum, qui antiquas Apoſtolorum ſemitas terebant, cernitur pietas, atque modeſtia, cùm ad Summum Pontificem Romanum de rebus fidei confugerent. Itaque & veræ humilitatis fructum retulit, quippè qui in fide Catholica ſtetit, neque terminum tranſgreſſus eſt Nicænæ, Synodi, quem Damaſus ſalutarem, atque adorabilem vocat, quo muro fortiſsimo (inquit) cõtra arma diabolica ſtatuto, hoc remedio venena mortifera ſunt depulſa, vt pater & filius, vnius Diuinitatis, vnius virtutis, vniuſque magnitudinis debeant credi, vniuſque eſſentiæ, ſiue ſubſtantiæ ſimul & Spiritus Sanctus. Neq; verò ſapientiùs quidquam ea voce poterat inueniri. Eſſentia enim pro natura rei accipitur, qua vnumquodq; conſtat, quæ quatenus multis indiuiduis, & hypoſtaſibus eſt communicabilis, quaſi quoddã vniuerſum eſt, ac proinde latiùs patet quàm hypoſtaſis: ſignificantior item eſt, quàm ſubſtantia. Hæc enim etſi nihil ab eſſentia differre dici poſſit, quoniam tamen videtur quædam eſſe accidentium ſuſtentatio, non tam propriè Deo conuenit, cui omnia inſunt per modũ eſſentiæ, non item accidentis? Quo fit, vt quæcunq; in Deo ſunt, Deus eſſe rectiſsimè dicantur. At hypoſtaſis ſiue perſona, quam Græci πρόσωπον, Latini quoq; ſuppoſitum dixerunt, magis adhuc (vt cũ ſcholis loquar) eſſentiæ ſpecificat exiſtentiam, vt quæ ſubſiſtentiã & incommunicabilitatem in ſua propria definitione contineat: quare & illam Boethius indiuiduam naturæ rationalis eſſe ſubſtantiam circumſcripſit.

Damaſus epiſtola 5. quam cũ 90. Epiſcopis qui ad ſe venerãt ſcripſit Epiſcopis Illyricis.

Lib. de duabus naturis.

Hanc igitur vocem Patres adſciuerunt ad diuinam eſſentiam in tribus perſonis docendam, ne quis vel Sabellianus tres hypoſtaſes eſſe chimeras arbitraretur, vel Arianus tres eſſentias in Deo ſtatueret.

Ac Chriſtiani quidem à D. Paulo edocti hoc ipſum antea crediderunt, nam & propterea D. Dionyſius, atque alij DEVM μονάδα, καὶ ἑνάδα τρισυπόστατον vocarunt: Ac cùm poſt Sabellij hæreſim (ſicut Rufinus ſcribit) orthodoxæ huius fidei doctrina latiùs patuiſſet, Ariani tamen in eos ſcopulos impegerunt, vt tres hypoſtaſes pro tribus naturis, ſiue eſſentijs exiſtentibus in tribus perſonis crederent, atque fallaciter (vt diximus) Catholicis obtruderent.

Secuta ſunt deinceps poſteriora ſecula, quibus per vocem Homouſij non ſolùm reiecta eſt Sabellij crapula (vt D. Cæſarij fratris D. Baſilij verbis vtar) ac loco hypoſtaſis etiam perſonę nomen Gręci à Latinis mutuarunt, verùm etiam per vtramq; vocem fides Catholica ſtetit inuicta. Itaque nos Lutheranam abijcientes rabiem, & odium quo aduerſus hanc veritatem & vocem feruntur, dicamus cum Epiphanio: Filius eſt homouſios patri, non συνούσιος, id eſt, ſimul habens eſſentiã, ſed homouſios, id eſt, non extra Patrem genitus, vt quidã ironicè iactant, poſitu, ſine adoptione volentes eſſe filium, non veritate. Conſenſus autem eſt fidei dicere ὁμοούσιον; id eſt, eiuſdem eſſentiæ, ſi enim dixeris homouſion ſoluiſti Sabellij vim. Non enim vnam hypoſtaſim ſignificat hæc vox, ſed in ſe ſubſiſtere patrem, in ſe ſubſiſtere filium, & in ſe ſubſiſtere Spiritum ſanctum. Præterea etiam non alienum ab eadem Deitate declarat, ſed Deum ex Deo filium, & Deum ſpiritũ S. eiuſdẽ Diuinitatis, non tres Deos. Ille ſic Grecè: υἱὸς ὁμοούσιος τῷ πατρί, οὐ συνούσιος, ἀλλ' ὁμοούσιος, οὐκ ἔξωθεν τοῦ πατρὸς γεννηθεὶς ὥς τινες εἰρωνεία, φέρονται, θέσει θέλοντες. εἶναι τὸν υἱὸν, καὶ οὐκ ἀληθείᾳ. σύνδεσμος δὲ τῆς πίστεως ὁμοούσιον λέγειν· ἐὰν γὰρ εἴπῃς τὸ ὁμοούσιον ἔλυσας τοῦ σαβελλίου τὴν δύναμιν. οὐδὲ γὰρ ὁμοούσιον μιᾶς ὑποστάσεως ἐστὶ δηλωτικὸν, ἀλλὰ καὶ ἐνυπόστατον σημαίνει τὸν πατέρα, καὶ ἐνυπόστατον τὸν υἱὸν, καὶ ἐνυπόστατον τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· πάλιν δὲ τὸ ὁμοούσιον οὐκ ἀλλότριον τῆς αὐτῆς θεότητος σημαίνει, ἀλλὰ θεὸν ἐκ θεοῦ τὸν υἱὸν, καὶ θεὸν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τῆς αὐτῆς θεότητος, οὐ τρεῖς θεούς.

D. Cæſar contra Arianos.

Epiphan. in Ancorato.

ATHEISMVS QVARTVS MELANCHthonis aduerſus Eſſentiæ Diuinæ vnitatem & perſonarum æqualitatem.

AT Melanchthon verè nunc Melanchthon, ex quo plura vaſa Chytræe ad contumeliam ſunt efficta, Magiſtri terens veſtigia, quàm bellè doctrinã Nicęnæ Synodi imbiberit & alios docuerit, audi: Neceſſe (inquit) eſt in filio aliquid eſſe Diuinæ naturæ, non totum. Ac poſt aliqua: Neceſſe eſt (ait) aliquam eſſe in Chriſto naturam Diuinam. Hæc ille anno huius ſeculi trigeſimo nono. Sed poſtea quadrageſimo quinto (vt errores alij ex alijs enaſci ſolẽt) ſpiritum ſanctum ait eſſe aliquid eſſentiæ Dei. Ait enim loquens de ſpiritu ſancto: Teſtatur per Ioelem Deus, non mitti creatam agitationem, ſed aliquid eſſentiæ Dei. Quibus verbis nihil aliud deſignare potuit, quàm aut multas eſſe naturas Diuinas, aut certè multas eiuſdem eſſentiæ partes. Id quod & perfidum eſt, & iuſtiſsimè antiquæ hæreſi tributum, ab ea antiquitate ad quam prouocas. Ac locis communibus editis anno quinquageſimo octauo: Non eſt (inquit) lacerata Diuina natura filij, ſed tamen fuit obediens Patri ſuo: quæ ſanè Ariana fuit hæreſis. Tum alibi, nouo loquendi more inuecto, Diuinas perſonas tres ſingulares intelligentes ſubſtantiuè vocat: Qui loquendi modus quantopere cohæreat cum ſancto Athanaſio, qui Nicænæ Synodo interfuit, tu ipſe intelligere potes. Cùm enim in eius Symbolo dictum ſit, non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens, profectò non tres intelligentes, ſed vnus intelligens dici debet. Ergo non ita ſunt locuti S.S. Dei homines, quẽadmodũ impius iſte pædagogus. D. enim Athanaſius ait: Iſtiuſmodi igitur abſurdis præter veritatẽ emergentibus, neceſſe eſt, id quod integrè & ſolidè ex ſubſtantia Patris editum eſt, eius eſſe proprium filium. Nam integrè & ſolidè impartiri patrẽ idem eſt, ac ſi dicas ex Patre gigni. Iam genitum eſſe, quid aliud ſignificat, quàm filij naturã? Hæc ille.

Melanchthon loc. commu. 1539 pag. 8. & p. 10.

In locis cõmu. an. 45. pag. 53.

Auguſt. li. de hæreſib. hæreſi 74.

Melanch. loc. com. pag. 40.

Philip. Melanch. locis comm. anni 45. & 58. pag. 22.

Oration. 2. in Arianos

Præterea D. Auguſtinus (vt alios eorum ſeculorum complures omittam) Omnes (inquit) quos legere potui, q ante me ſcripſerunt de Trinitate, quæ eſt Deus, diuinorum librorum veterum, & nouorum Catholici tractatores, hoc intenderunt, ſecundum ſcripturas docere, quod pater & filius, & S. ſanctus, vnius eiuſdemque ſubſtantiæ, inſeparabili æqualitate, diuinam inſinuet vnitatem. Ideoque non ſint tres dij, ſed vnus Deus: quamuis pater filium genuerit, & ideò filius nõ ſit qui pater eſt: filiuſque à patre ſit genitus, & ideò non ſit Pater qui Filius eſt: Spirituſque ſanctus nec pater ſit, nec filius, ſed tantum patris, & filij ſpiritus, patri & filio etiam ipſe coæqualis, & ad Trinitatis pertinẽs vnitatem. Sic D. Auguſtinus. Sed & Picardi Valdenſes in Bohemia, & Morauia, ſua illa peſtilenti confeſsione, quam huius ſęculi anno ſeptuageſimo quarto ediderunt, ſimilem blaſphemiam euomuerũt. Dei enim opera ad extra ita ſecundum diſtinctas perſonas diuidunt, & opus creationis autumant adeo peculiare eſſe Dei Patris, vt id neque ad filium Dei, neq; ad Spiritum ſanctum vllatenus ſpectet. Ex quo efficitur, tribus ſanctiſ. Trinitatis perſonis, nõ eandẽ eſſe deitatem, nõ eandem naturam, non eandem poteſtatem, non eandem ſapientiam, non eandem coæternam maieſtatem: Si quidẽ diſtinctas formas, & naturas habeant neceſſe eſt, quorum operationes, & actus diuerſi ſunt. Ecquid autem iſti aliud agunt, quàm quòd filium Dei ſua Diuinitate ſpoliant, & ita latiſsimè viã per Arianiſmum ad Atheiſmum complanant? Credo igitur Chytræe non tanti vnquam feciſſes Melanchthonem, quem maximum condum opum æſtimaſti, aut Picardicam ſectam Eccleſiæ Chriſti Catholicæ non antepoſuiſſes, ſi initio medullam veterum guſtaſſes, neq; verò priùs illius pædagogi tui placitis imbutus, & cœcatus ad omnem poſteà ſolem cum reliquis cœcutijſſes.

Tom. 3. de Trinitate lib. 1. cap. 4.

Picardi ſua confeſ. an. 1574. art. 3. fol. 9.

ATHEISMVS QVINTVS CALVINI, continens hæreſis Sabellianæ & Arianæ quædam ſemina, hæreſimq; nouam Autotheanorum.

AT QVI Lutherus, & Melanchthon, quantum ſubinde Caluino, mox cęteris oſtium patefecerint, primò ad conuellendam, deinde ad pernegandam ſanctiſsimam Trinitatem: ſic quidem, vt nec patrem tanquam primam perſonam, neq; filium, neq; ſpiritum ſanctum inuocatione dignentur, neque per eam iurare iam velint, tu ipſe non diffiteberis, ſi vis veritatis è corde tuo poſsit verum exprimere. Primùm igitur, cùm nullis Theologicis fundamentis innixus ex rabula θεολογώτατος, ac tanquam oraculum Caluinus voluiſſet haberi, illicò tanquam ſcrutator maieſtatis eſt oppreſſus à gloria. Cùm enim ignoraſſet duobus perfici vnãquamque perſonam ſanctiſsimę Trinitatis, altero quòd eſt eſſentia exiſtens: altero, quòd proprietas eſt, prius ille omiſit, ſequenti ſolo retento. Sic verò cùm præcipuum omiſiſſet, quòd dat exiſtere, atque operari ipſi perſonæ, nõ ſolum ſe perfidum Sabellianum oſtendit, qui perſonas in Trinitate tanquam nudas proprietates, & qualitates in vnica Dei eſſentia reſidentes fecerit, verùm etiam ſubſecutę labis Arianę ſe ſuſcitatorem egregiũ indicauit. Ariani enim (quòd S. ſcripſit Hilarius libro de pluribus Synodis, quibus eorum hæreſis damnata eſt) neſcio quam incorpoream & ſpiritualem dilatationem eſſentiæ Diuinæ faciebant, vt capacem trium perſonarum redderent. Ac verò Caluinus commentatus eſt, Diuinæ eſſentiæ habẽti vnam tantum-

modò exiſtentiam ineſſe latitudinẽ quandam ſpiritualem, & incorpoream, in qua ordine tres proprietates reſideant, ac ſi in ligneo baculo ſatis lato tria foramina diſpoſita eſſent, vnam quidem eſſentiam & vnam exiſtentiam habentia: Verùm enim uerò in latitudine tres foraminum proprietates cerneremus, quarum prioris proprietas non poſſet eſſe ſecundi, neque ſecundi ea quæ eſt tertij. Atqui cùm hac ſimilitudine inferatur Filium non habere à Patre eſſentiam, ſiue (quòd in idẽ recidit) eſſentiam Diuinam filij non communicari à Patre, quin verò æquè ei radicalem & primitiuam, atque Patri eſſe, quid effecerit, & qualis Lutheri diſcipulus fuerit, Chriſtiani & docti iudicent. Certè etiam ille συνουσιον id eſt, ſimul habentem eſſentiam, non ὁμοούσιον id eſt, conſubſtantialem filiũ fecit: vti ſupra vberius expoſuimus.

Præterea ignorauit, & ignorans negauit filium & ſpiritum ſanctum eſſe Patris natiua germina βλαστοὺς φυσικωτάτους, vt ſapientiſsimè D. Dionyſius inquit: Quo ſenſu alibi dixit Patrem eſſe Diuinitatem fontanam θεότητα πηγαίαν. Sic enim patres noſtri inter cæteras cauſſas, cur vnus duntaxat ſit Deus, non tres, hanc attulerũt, quòd pater ſit principium Diuinitatis: quòd ad ipſam tanquam ad fontem cæteri referant ſuam Deitatem: quòd (auctore D. Paulo) qui ſanctificat, & qui ſanctificatur ex vno omnes: Quòd denique à Deo patre omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur.

Tertul. lib. 4. Trinit. Hilarius libr. 4. de Trinit. in initio. Iuſtin. in Expoſit. fidei de Trinitate.

Et verò Tertullianus aſſeuerat filio Diuinitatem traditam eſſe, atque porrectam. D. autem Hilarius ſignificantiſsimè, & expreſsiſsimè: Nihil (ait) niſi natum habet filius. Et ſanctus Iuſtinus Martyr: Si pater (inquit) innaſcibiliter habet eſſentiam, filius naſcibiliter, Spiritus autem ſanctus per proceſsionem, inter eos ſanè diſtinctionem verſari licet cernere. Quibus verbis liquet, vnde agnoſcat diſtinctionem inter Diuinas hypoſtaſes, nempè eam quæ ſola ſumitur ex eſſe ingenito, genito, & procedente. Ille Græcè ſic, primò quidem: εἶναι τὴν διαφορὰν τῷ πατρὶ πρὸς τὸν υἱόν, καὶ τὸ πνεῦμα κατὰ τὸν τῆς ὑπάρξεως τρόπον, τὸ δὲ ταυτὸν κατὰ τὸν τῆς οὐσίας λόγον: Deinde ſubdit: εἰ γὰρ μὲν ἀγεννήτως ἔχει τὸ εἶναι, ὁ δὲ γεννητῶς, τὸ δὲ ἐκπορευτῶς, τὰ τῆς διαφορᾶς ἐπιθεωρεῖσθαι πέφυκε.

Porrò Chriſtus Dominus teſtatur, Patrem, ſicut habet vitam in ſemetipſo, ſic & dediſſe filio habere vitam in ſemetipſo. Et ego (inquit) viuo propter Patrem. Ego ſcio eum. Ego ab ipſo ſum. Quòd Pater mihi dedit, maius eſt omnibus his. Clarifica tu me Pater apud temetipſum, claritate quam habui priuſquam mundus eſſet apud te.

Ioan. 5. 6. 7. 10. 17.

Quare Caluinus Chriſtum fecit αὐτόθεον, hoc eſt, per ſe Deum, treſque Deos loco trium perſonarũ nouus Trideita confinxit, vnde mox noua hęreſis emerſit Autotheanorũ. Ignorauit igitur diuinas perſonas, licet non ſolùm ſint per ſe, verùm etiam in ſe (hoc eſt, non tantum hypoſtaſes, ſed & enypoſtata) ſic tamen vniri inter ſeſe, & vt ita dicam immeare inuicem ſine vlla cõfuſione, vt (quemadmodum loquitur Nazianzenus) Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint ἀδιαίρετοι, καὶ ἀσύγχυτοι, vnioq́; illa inſeparabilis, atque diſtinctio ſimul ſit, quã Græci περιχώρησιν, noſtri circuminceſsionem appellarunt. Prius illud Epiphanius, poſterius hoc diuinè D. Dionyſius (ſi quis vnquã alius) attigit. Nam cùm Epiphanius ageret aduerſus Noetianos: Non dixit (inquit) Dominus ego vado, & ego veniam. Sed ego, & ille, vt ſignificaret vtrumque tam filium, quàm ſpiritum eſſe enypoſtaton, id eſt, in ſe ſubſiſtẽtem. Rurſum, vt idẽ declararet de Patre, qui & ipſe eſt enypoſtatos, adiecit, ſpiritus veritatis, qui à Patre procedit de meo accipiet.

Hæreſis Autotheanorum.

Vide D. Bernard. ſerm. 80. in Cantica aduerſ. errorẽ, Gilb. Porretani.

At D. Dionyſius, cùm de diuinis nominibus generatim eſſet locutus, nempè quanam ratione cognoſci Trinitas à viatoribus poſſet, iam quid de Deo per eiuſmodi nomina enunciaretur, quidúe commune tribus perſonis, ſiue quid diſtinctum ſeu proprium eſſet, cùm diuinè agere incepiſſet, ſic inquit: Mutua, & reciproca (ſi ita dicendum ſit) principalium hypoſtaſeon manſio, & ſedes planè ſupra omnem modum vnitur, nullaque parte confunditur, ſimilis lucernarum luminibus, vt exempla domeſtica, & quæ ſub ſenſum cadunt vſurpem, quæ cùm in vna domo ardent, tota in ſe totis inſunt, & cùm pura ſint, certamq́ue habeant alia ab alijs peculiariter conſiſtentem diſtinctionem, vniuntur ipſa diſtinctione, & diſtinguuntur ipſa vnione. Nam certè in domo multis luminaribus poſitis, conſtat in vnum aliquod lumen omnium lumina coniungi, ac vnum indiſtinctum ſplendorem emittere, adeò vt nullus, opinor, poſsit huius lucernæ lumen à cæteris ex aere omnia lumina complectente diſtinguere, & alterum ſine altero cernere, quod in totis tota ſine permixtione temperata ſint. At verò ſi quis vnam facium, è domo ſubduxerit, ita ſimul educet vniuerſum eius lumẽ, vt nec quicquam aliorum luminum cum ipſo attrahat, aut de ipſo alijs deſerat. Erat enim ipſorum (vt dixi) totorum per tota completa, abſolutaque vnio, abſq; vlla prorſus miſcella, & alicuius partis confuſione, quippè cùm lumen re vera in aere corporeo, & ex materiato igne penderet. Vbi quidem ſupereſſentialem

D. Dionyſ. li. de diuinis nom. cap. 2.

μονὴ καὶ ἵδρυσις τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων.

ſentialem vnionẽ longè ſuperare dicimus, non ſolùm corporeas coniunctiones, verùm etiã illas, quæ in ipſis mentibus, intelligentijsq́ue exiſtunt, quas ſine mixtione, & modo natura ſuperiore habent lumina illa ſupercœleſtia, Deoq́; ſimilia, tota per tota iuxta participationem, ipſis, qui vnione omnia ſuperante participant, conuenientem. Ille ita Græcè, & aptiſsimè: ἡ ἐν ἀλλήλαις, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, τῶν ἐναρχικῶν ὑποστάσεων μονὴ, καὶ ἵδρυσις, ὁλικῶς ὑπερηνωμένη, καὶ οὐδενὶ μέρει συγκεχυμένη, καθάπερ φῶτα λαμπτήρων, ἵνα αἰσθητοῖς καὶ οἰκείοις χρήσωμαι παραδείγμασιν, ὄντα ἐν οἴκῳ ἑνὶ, καὶ ὅλα, ἐν ἀλλήλοις ὅλοις ἐστὶν ἀκραιφνῆ καὶ ἀκριβῆ τὴν ἀπ' ἀλλήλων ἰδικῶς ὑφισταμένην ἔχει διάκρισιν ἡνωμένα τῇ διακρίσει, καὶ τῇ ἑνώσει διακεκριμένα. καὶ γοῦν ὁρῶμεν, ἐν οἴκῳ πολλῶν ἐνόντων λαμπτήρων πρὸς ἕν τι πῶς ἑνούμενα, τὰ πάντων φῶτα, καὶ μίαν αἴγλην ἀδιάκριτον ἀναλάμποντα, καὶ οὐκ ἄν τις ὡς οἶμαι δύναιτο τοῦ δὲ τοῦ λαμπτῆρος τὸ φῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἐκ τοῦ πάντα τὰ φῶτα περιέχοντος ἀέρος διακρῖναι, καὶ ἰδεῖν ἄνευ θατέρου θάτερον, ὅλων ἐν ὅλοις ἀμιγῶς συγκεκραμένων. ἀλλὰ καὶ εἰ τὸν ἕνα τις τῶν πυρσῶν ὑπεξαγάγοι τοῦ δωματίου, συνεξελεύσεται καὶ τὸ οἰκεῖον ἅπαν φῶς, οὐδέν τι τῶν ἑτέρων φώτων ἐν ἑαυτῷ συνεπισπώμενον, ἢ τοῦ ἑαυτοῦ τοῖς ἑτέροις καταλεῖπον. ἦν γὰρ αὐτῶν, ὅπερ ἔφην, ἡ ὅλων πρὸς ὅλα παντελὴς ἕνωσις ἀμιγὴς καθόλου, καὶ οὐδενὶ μέρει συμπεφυρμένη, καὶ ταῦτα ὄντως ἐν σώματι τῷ ἀέρι, καὶ ἐξ ἐνύλου τοῦ πυρὸς ἠρτημένου τοῦ φωτὸς, ὅπου γε καὶ τὴν ὑπερούσιον ἕνωσιν ὑπεριδρῦσθαι φαμὲν οὐ τῶν ἐν σώμασι μόνων ἑνώσεων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐν ψυχαῖς αὐταῖς, καὶ ἐν αὐτοῖς νόοις, ἃς ἔχουσιν ἀμιγῶς, καὶ ὑπερκοσμίως, δι' ὅλων ὅλα τὰ θεοειδῆ, καὶ ὑπερουράνια φῶτα κατὰ μέθεξιν ἀνάλογον τοῖς μετέχουσι, τῆς πάντων ὑπηρμένης ἑνώσεως: Sed dies me deficeret, ſi perſequi velim, q̃ alij Apoſtolici viri viuaciſsima fide, eruditiſſima doctrina, caſtiſsima vita, martyrio etiã ipſo de tanto myſterio diſſeruerũt, vt à me ſanè auertatur oratio, Atheorũ iſtorũ ſordes cum Catholicorum gemmis neceſſariò conferẽte, & quaſi commiſcente, niſi quod retecta illorum effronti, & blaſphema inſcitia, video id verum eſſe, quod inquit Tertullianus: Hæreſes noſſe, debellaſſe eſt.

ATHEISMVS SEXTVS LVTHERI, Melanchthonis, & Schmidelini contra diuinarum perſonarum æqualitatem.

SED iam peperit vipera, & diſrupta eſt, ac infauſta atheiſmorum ſoboles ſimul erupit: itaque vbi horum vnus caput exeruit, ecce quàm multos aptos, & nexos inter ſeſe attrahit ſecum. Diximus Melanchthonem ſcripta reliquiſſe hæc verba: Natura Diuina non eſt quidem lacerata, aut mortua, ſed fuit obediens Patri, quieuit, ceſsit iræ æterni Patris. Hæc ille. At nunquid ſimile in Luthero eius duce legitur? Et legitur, & quonã in pretio habuerit fidei Symbola, quæ cantillatis, intelligitur. Præterea quanã arte populis ad æternam perniciem illuſerit, liquidò cernitur. Is enim in ſuis magnis Poſtillis ait, imperitos quoſdam facere Chriſtum hominem omnipotentem. Quòd ſanè Catholici ſemper rectiſsimè dixerunt, qui Chriſtum hominem Deum crediderunt, & credunt. At Neſtoriani Lutheranam iſtam prędicationem libenter excepiſſent, ſicq́; Lutherus, iam Arianus, & Neſtorianus apparet. Quã labem, vt nõ tam abs ſe abſtergeret, quàm vt initio non inhæreſcere ſibi oſtenderet, mirum eſt quãtum ſatanas ipſi nouorum errorum inſtillabat, perq́ue eum miſerrimis populis, ac (quòd ſanè dolendum eſt) nimis credulis quibuſdam Principibus ex eodem poculo propinabat, vnde vſque ad fœcem biberat. Alibi enim: Mihi (inquit) negotium fuit nuper cum Neſtorianis, qui pertinaciſsimè contra me diſputabãt, defendentẽ quod Diuinitas poſsit pati. Et infrà, Oportet dicere: Hæc caro, hic ſanguis, & cælum, & terram condidit. Viden' Chytræe ex Ariano, & Neſtoriano non Magiſtrum, ſed monſtrum iſtud tuum euaſiſſe Eutychianum? vt ſimile aliquid illi iam competat: Πρόσθαι λέων, ὄπισθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα, hoc eſt: Ante Leo, retro draco, mediumq́ue chimæra. Sed dices: Abſit vt Lutherus in Eutychianã foueam inciderit. Si enim id de illo quæſiuiſſes, hoc præciſè negaſſet. Sanè ſi hæc dicis, neſcis quid dicas. Ego verò quòd ipſemet Lutherus ſcriptum reliquit, in ipſum retorqueo, vt conſtet me iure poſſe & illi hoc dicere; Ex ore tuo te iudico ſerue nequam. Et alterum illud: Eſt qui non ſolùm quæſierit, & iudicauerit, verùm etiam æternum te punierit. Tam enim multa, & omnem nequitiam ſuperantia hac de re eodem in libro euomuit, nemo vt ſit, qui, ſi paulò cordatior eſſet, Lutheranas ilicò hæreſes non abominaretur, atq; abijceret. Nam nõ ſatis habuit aſſerere Eutychem nõ fuiſſe hæreticum, ſed adiecit fore in die iudicij cum Chriſto aliquos hæreticos iudices, inter quos cum Neſtorio numerat Eutychem: Leonem autem addit cum Cyrillo damnatum iri. Oro te Chytræe per æternã ſalutem tuam, cerniſnè hinc Apoſtatam vnum nouos iam aſſeſſores cæleſti Regi ex inferno attribuentẽ: ac verò impudentiſsimè inſultantem duabus ex quatuor prioribus Synodis Epheſinæ, & Chalcedonẽſi quibus interfuere tot verorum Theologorum agmina, totq́; ſapientiſsimi antiſtites, & quarũ decreta te dicebas conſtanter amplecti?

Conc. de natali Domini.

Lib. de Cõcil.

Lutheri error turpiſſimus.

Lutherus Saluator Lutheranorum.

pleĉti? Ac tamen (quòd certè ſuffuſus pudore veſtri vix audeo ſcribere) quaſi Redemptor & Saluator veſter eſſet Lutherus, adhuc neſcio qua re detineamini, quin reſipiſcatis. Sed quidquid ſit de noua Eutychiana & Neſtoriana hæreſibus, de quibus paulò poſt fuſiùs agam, Nunc ad Melanchthonẽ reuertor. Quæro igitur de Melanchthone: Quæro item de ijs qui nouam in Saxonia præeunte chorago Andrea Schmidelino concordiam fabricârunt, nõne iſthic facitis Dei filium minorem Patre? Minorem (inquam) ſecundum Diuinitatem? Habet enim expreſsè Nicænum & Athanaſij ſymbolum: Filium eſſe Patri conſubſtantialem, Deum verum, de Deo vero, æqualem ſecundum Diuinitatem. At fabri illi concordiæ diſcordis Chriſtum & ipſi (inquiunt) non ſolùm vt hominem, ſed item, vt Deum fuiſſe obedientem. Qui error cùm veram Chriſti Diuinitatem deſtruat, non es certè tam neſcius (opinor) quin & hinc Atheiſmum aſtu ſatanæ effiĉtum videas. Quòd ſi locum ſcire aueas, vbi iſtam blaſphemiã inſeruerint, is eſt tertio controuerſorum articulorum capite.

Pag. 556.

Credimus (inquiunt) docemus, & confitemur magno conſenſu, quòd Chriſtus quidem verè ſit noſtra iuſtitia, ſed tamen neque ſecundum ſolam Diuinam naturam, neq; ſecũdum ſolam humanam naturam. Credimus autem Chriſtum totum ſecundum vtramque naturam eſſe noſtram iuſtitiam, in ſola videlicet obedientia ſua, quam ille Patri ad mortem vſque abſolutiſsimam præſtitit.

Pag. 663.

Hæc illi. Sed & paginis ſequentibus (cùm hoc illis videretur ſeſe parum complanaſſe viæ ad præcipitium) operoſiùs rem exponunt. Tota (inquiunt) totius perſonæ Chriſti obedientia, quam ille Patri vſque ad ignominioſam crucis mortem noſtri cauſſa præſtitit, nobis imputatur. Et infrà. Cùm autem obedientia Chriſti non ſit vnius duntaxat naturæ, ſed totius perſonæ, & quæ ſequũtur. At ecquid hoc eſt boni viri? Num ſatis non fuerat dicere, perſonæ? Nequaquam: vtrique enim naturæ obedientiam haud tribuiſſetis, niſi totius perſonæ dixiſſetis. Nam & per totam perſonam ſignificari à vobis duas naturas nouo dicendi modo vos Theologiſſimi eodem in libro teſtamini.

Pag. 727.

Sed aliter Chriſtus nos docuit, ſecus locutæ ſunt veræ Synodi, per quas ſpiritus ſanĉtus veram concordiam peperit: Alio modo doĉtiſsimæ Academiæ docuère, vnà cum vniuerſa Chriſti Eccleſia, quæ (frangamini licet) fuit, eſt, erit firmamentum atque columna veritatis. Itaque cùm Chriſtus mortuus non ſit ſecundum Diuinitatem, ſed ſecundum carnem, ſecundum illam quoque naturam obediuit, ſecũdum quam mortuu eſt, non ſecundum Diuinam. Nam ipſa mors obedientia fuit ſumma, & abſolutiſſima.

Ac certè vt hoc ex charitate addam: ſi ſatanas corda veſtra non auerteret à reĉto verbi Diuini intuitu, reĉtiùs ac ſine tot ambagibus, quas ne vos quidem capitis, poteratis cum Apoſtolis loqui: Diuus enim Petrus cùm de Chriſti Domini obedientia in morte ſcriberet, diſertè ait; Chriſto igitur in carne paſſo, &c. & Apoſtolus antequã illa dixiſſet: Humiliauit ſemetipſum factus obediens ad mortem, ſcripſerat: Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens. Quibus verbis diuinè præmonuit, non ſecundum formam Dei, qua æqualis eſt Patri, ſed ſecundum formam ſerui, qua minor eſt patre, CHRISTVM obedientiam vſque ad mortem DEO Patri præſtitiſſe.

1. Petr. 4.

Philip. 2.

ATHEISMVS SEPTIMVS CALVIni et Bezæ duas in Chriſto perſonas inſinuantium, Chriſti humanitatem omni ſuper hominem gratia & præſtantia ſpoliantium, paſsionis Chriſti efficaciam, Dei omnipotentiam negantiũ: Lutheri Deum, vt Deum paſſum affirmantis: Caluini rurſum & Melanchthonis Chriſto anxietatem, dubitationem tribuentium: Brentij denique atque Bezæ verba Lucæ Act. 2. deprauantium.

AT Caluinus ne infæcundior Luthero, & Melanchthone haberetur, primò reprobat hanc ſententiam: Trinitas eſt vnus Deus: Deinde Patrem ait eſſe Deum per excellentiam: Filium minus eximiè. Tum addit, minimè ſibi, ac veritati aduerſari, quòd Gentilis quidam, quem Bernates necârunt, dixiſſet, Deum habuiſſe vim gignendi, quia voluit. Id quod ſi ita eſſet, neq; neceſſariò, nec naturaliter genitus fuiſſet, ſed & Patri eſſet inæqualis. Quæ ſanè omnia ſtatuunt Arianiſmum non minus, quã cùm Apoſtoli verba expendens, (Qui ſubiecit ei omnia) hæc ad Chriſti naturam diuinam, & humanam refert: cumque ait Filium impropriè dici creatorẽ, & Deum de Deo, lumen de lumine. Quod quid eſt aliud quàm hũc facere cũ alijs creaturam? Et tamen maximè proprius loquendi modus, ille fuit, quẽ item ad Arianos & alios hæreticos refellendos, ſapiens vſurpauit antiquitas. Habes igitur Caluinum ex iſta veſtri Lutheri reformatione, plus quàm ſatis Arianum: ſicut Sabellianum ſuperius agnoſcere potuiſti. Nunc accipe Neſtorianum, videlicet gradatim incedentem verſus Mahometiſmum & Atheiſmum, quem omnium hæreſum eſſe finem meritiſſimè

Epiſt. 2. ad Polon.

Lib. contra Gentil. in reſpon. 10. protheſeos.

Inſtit. Cal. lib. 2. ca. 14. 1. Cor. 15.

Ibidem. Athanaſ. & alij.

Calu. li. 1. Inſtit. c. 13.

ritiſsimè D. inquit Auguſtinus. Cùm igitur Caluinus dicat ſuſceptam eſſe extra tẽpora ab æterno Dei verbo perſonam mediatoris: Et hanc quidem perſonam non ab officio, ſed à re ipſa definiat, queãdmodum ex Boëtio fecit, nonne apertè indicauit, credere ſe cum Neſtorio duas eſſe perſonas, temporalem alteram, alteram æternam? Magiſtrum autem apertius prodidit Beza cùm aduerſus Brentium ſcripſit, duas in CHRISTO eſſe vniones hypoſtaticas, vnam in corpore, & in anima ſimul perſonaliter vnitis, alteram in λόγῳ & homine ad vnum CHRISTVM perſonaliter conſtituendum coëuntibus. Quo de errore admonitus dum eum corrigere ſtuduit, eruĉtauit verbum malum, & nouis blaſphemijs auxit. Sed & antea Caluinus ipſe, vt omnes articulos fidei de ſanĉtiſsima Trinitate, deque Chriſti Domini incarnatione, paſsione, deſcenſu ad inferos, infirmaret, auſus eſt in Lauſanenſi conciliabulo, cùm negaſſet per hypoſtaſim ſignificari perſonam, adijcere hæc verba: Se Athanaſij Symbolo, nec credere, neque diſcredere, donec ad ſcripturarum gnomonem illud examinaſſet. At quàm egregium examinatorem, & quantum Geometram? videlicet Caluinus, qui ne perceperat quidem notionem illarum vocum, quas vel ab Apoſtolis traditas, vel ex Diuinis ſcriptis formatas edidère ſapientiſsimi Nicænæ, & reliquarum Synodorum Patres, erat denique poſt tot ſecula expeĉtandus, vt eſſet definitarum rerũ examinator, & iudex: aut verò vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ malè proſpexerat ſpiritus ſanĉtus, qui in Lutheri, & Caluini tempora, in duos nempè eiuſmodi homunciones (quoniam ſi Deo placet, tam reĉtè inter ſeſe, ac cum Chriſti Eccleſia conuenerunt) definienda primarum quatuor Synodorum decreta non reiecerit: Verùm enimuerò non ſolùm in ſalebris iſtis hæſere Caluinus & Beza: ſed & currum (vt eſt apud vos Germanos in prouerbio) protruſerunt vlterius, ſicque in omne præcipitium & cœnum corruerunt. Tum verò quidquid Eraſmus, Lutherus, Melanchthon, Centuriatores, aduerſus verbum Dei incarnatum effutiuerunt, ipſi vel alijs verborum circuitionibus (vt ipſi viderentur ſemper nouarum rerum auĉtores) vel deteriora (ſi quæ poſsint eſſe alia) in ſua ſcripta transfuderunt.

Theodorus Beza in lib. Placidi & modeſti reſp. aduerſ. Brentiũ pag. 23.

Beza lib. de hypoſtatica duarum in Chriſto naturarũ vnione aduerſ. Iacobi Andreæ aſſert. p. 64. & 65.

Caluini ſuperbũ diĉtũ

AC prmùm, humanitatem illam Chriſti ſanĉtiſsimam, omni ſuper hominem gratia, & præſtantia ſpoliarunt, innixi obliquè ijs Apoſtoli verbis: debuit per omnia fratribus ſimilari, excepto vno peccato. Etenim quas Dominus ex vnione Diuinæ naturæ cum humanitate ſupra reliquorum Beatorum ſortem ſingulariſsimas dotes conſecutus eſſet, ignorantes, ne diſcere quidem (id quod verè reproborum eſt) voluerunt. Tum enim cognouiſſent, carnem aſſumptam ſic depoſuiſſe imperfeĉtiones ſuas, vt licet proprietates haud amiſerit, nouas tamen vires acquiſiuerit, quibus præſtare id poſſet, quod antea non poterat. Id quod cùm ex alijs, tum ex igniti ferri ſimilitudine Patres quàm potuerunt aptè monſtrarunt. Et ferrum enim eſſentiali vna facultate retenta, vim tamen nouam, multis accidentibus depoſitis acquirit, qua non fuerat antea præditum: Et corpori etiam alia ſunt idiomata, idque alias exerit funĉtiones, cùm animatum eſt, quàm cùm anima caret. Quamobrem ſi quis diceret, quoniam ferri proprium eſt non lucere, nec vrere, propterea id non lucere vnquam, aut vrere, facilè redargui poſſet, cùm ei reſponderetur, id effici ex alijs proprietatibus, quas per vnionem proprietatum ignis obtinuit.

Hebr. 2.

Damaſc. li. 3. c. 8. l. 4. c. 3.

AT neque hæ ſimilitudines tantæ ſunt, vt vnionis, & (vt ita dicam) fœderis, quod humanitati cum Diuinitate arĉtiſsimum, ac perpetuum interceſsit, eminentiam queant exprimere. Singulariſsima enim iſthæc vnio eſt. Quare quamuis tanta non ſit, quanta eſt trium perſonarum in vna eſſentia diuina, longè tamen eſt maior, quàm vt quæ in ſolius gratiæ, gloriæ, & virtutis communicatione ſit poſita. Propterea enim Neſtorium, perſonas filij Dei, & hominis diuidentem, & copulari illas dicentem eiuſdem poteſtatis nexu & communicatione, Synodus Epheſina refutauit, his verbis: Non poteſt vnire naturas ſola dignitatis, aut poteſtatis æqualitas. Dicere Deum & hominem ſibi inuicem velut dignitatis, & auĉtoritatis vnitate coniunĉtos, nouitas vocis eſt, & nihil aliud. Hæc illa Quæ Synodus cùm duorum item Apoſtolorum exemplo rem hanc illuſtraſſet, qui licet æquali eſſent maieſtate, dignitate, poteſtate conſtituti, non tamen inde fiebat, vt in vnam & eandem perſonam coaleſcerent, refutationi erroris anathema adiunxit: Si quis (inquit) in vno Chriſto diuidit ſubſiſtentias poſt vnitionem, ſola ſocietate coniungens, ea quæ ſecundũ dignitatem eſt, vel etiam auĉtoritatẽ, aut poteſtatem, & non magis conuentu, qui per vnitatem factus eſt, naturalem, anathema ſit.

Vide itẽ V. Synodum.

Anath. 3.

Ex earum ergo dotium humanitatis Chriſti denudatione, quam Sacramentarij audaĉter inuexerunt, ecquid aliud conſequi

ſequi poterat, quàm vt carni Chriſti viuificatio adimeretur,& naturæ humanæ à Diuinitate aſſumptæ adoratio, ac denique inuocatio ſubtraheretur? Quod quidem cùm facerét Neſtoriani, qui (vt ait D. Cyrillus) cœlum & terram ſuggillantes, Catholicos anthropolatras, id eſt, hominis adoratores vocitabant, omnium Patrum Catholicorum armis, & Epheſinæ Synodi anathemate cõfoſsi ſunt. Neceſſario (inquiunt) & hoc adijcimus. Annunciantes enim ſicut ſecundum carnem mortem vnigeniti filij Dei, id eſt, IESV CHRISTI, & reſurrectionem eius, & in cœlum aſcenſionem pariter confitentes incruentam celebramus in Eccleſijs ſacrificij ſeruitutem: ſic etiam ad myſticas benedictiones accedimus & ſanctificamur, participes ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis CHRISTI, omnium noſtrûm Redemptoris effecti, nõ vt communem carnem percipientes (quod abſit) nec vt viri ſanctificati, & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſsidentis habitationem, ſed vt verè VIVIFICATRICEM, & ipſius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus exiſtens, quia propriæ carni vnitus eſt VIVIFICATRICEM eam eſſe profitetur. Et ideò quamuis dicat ad nos: Amen, Amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non tamen eam vt hominis vnius ex nobis, exiſtimare debemus. Quomodo enim iuxta naturam ſuã VIVIFICATRIX caro eſſe poterit? ſed vt verè propriam eius factam, qui propter nos filius hominis eſt factus, & vocatus. Et hæc quidem Diuinitus illi Patres vnanimes. Quæ tamẽ fidei conſenſio ſemper fuerat, quemadmodum & ante concilium Epheſinum D. Hilarius oſtenderat: Et multò antea D. Ioannes Euangeliſta Antichriſtos eiuſmodi homines nominârat, quoniam ſoluerent Ieſum. Et poſtea concilium Hiſpalenſe ſcriptum reliquerat his verbis: Si humanitati Chriſti diuinitatem quis demat, ſiue humanitatem diuinitati detrahat, Chriſtum ſacrilega infidelitate, & blaſphema prædicatione diſſoluit. Sed Epiphanius cur Chriſtum adoremus ſequentibus & ipſe verbis planè declarauit: Sancta ergo Dei Eccleſia non creaturam adorat, ſed filium genitum, patrem in filio, filium in patre cum ſpiritu. Et horrendus, ac horribilis Angelis filius patris citra ambiguitatem ab his qui vitam cupiunt, creditur & adoratur. Et, ſi nondum regnat, quomodo ſemper reperitur adorari ab angelis, & Archangelis, & ante aduentum in carne, & in aduentu in carne, vti de ipſo ſcriptura dicit: Cùm induceret in orbem terrarum primogenitum, adorent ipſum omnes angeli eius? Sic quoque dilucidè D. Hieronymus in dictum illud Pauli: Ipſius factura ſumus, ait: Multi timore ne Chriſtum creaturam dicere compellantur, totum Chriſti myſterium negant. Nos liberè proclamamus non eſſe periculum eum dicere verum eſſe Deum, & hominem, & crucifixum, & maledictionem tota ſpei noſtræ fiducia profitemur. Ecquid hic trepidaremus, aut non clamaremus, quâ talem, hoc eſt, quâ hominem eſſe creaturam: cùm Paulus apertè ſcribat, hunc Dei filium factum eſſe ex ſemine Dauid ſecundùm carnem, factum ex muliere, factum ſub lege.

Cyril. in expoſit Nicenæ Synod. Vide epiſtolã Alexandrinorũ ad Neſtorium.

Obſerua q. decreta quatuor Synodorũ admittis, an hic de Sacrificio Miſſę, deq; veritate Eucharistię diſertiſſimè agatur.

Hilar. lib. 8. de Trinit.

1. Ioan. 4.

Epiphan. hæreſ. 69.

Ad Ephe. 2

Galat. 4.

QVAMOBREM præter id quod aduerſus hæreticos, qui Catholicos appellabant idololatras D. Athanaſius ſcribens dicebat: In Arianos & Ethnicos id delirium competere: In nomine verò IESV omne genu eſſe flectendum, neque carnem verbo DEI ignominiam attuliſſe: quin verò carnem per verbum DEI eſſe glorificatam & non creaturam adorari, ſed creatorem creato corpore indutum: alibi pulchrè reſpondet his verbis. Reſpondebitis (inquit) nos rem creatitiam non adoramus. O ſtulti cur non cogitatis creatum Domini corpus? num auferre adorationẽ eius vultis qui increatus eſt? Et quia increati corpus factum eſt, ideò eius corpus dicitur, cuius factum eſt: ac ei proinde ſacra offertis, veſtram adhibentes adorationem, eaque de cauſſa legitimè adoratur, & diuina colitur adoratione. Deus enim verbum eſt, cuius proprium eſt corpus. Ideò cùm acceſsiſſent ad eum mulieres, pedes eius tenuerunt, & Deũ adorauerũt. Hęc Athanaſius. Sed præter eam teſtiũ nubem, quam huc ex omni antiquitate inferre poſſemus, videat qui iſta non legit quæ doctiſsimus noſtri temporis Epiſcopus, cùm hac de re plurima lectu digniſſima collegiſſet, alicubi ſcripſit. Patres enim aliquibus de cauſsis Chriſtum hominem, & omnia quæ in ipſo ſunt, vnica adoratione latriæ pronunciarunt eſſe adoranda: tum quia vnicum in Chriſto ſuppoſitum filij Dei manet ſaluum, cui latria debetur, quę propter res aſſumptas nullo modo imminui poteſt, vel vitiari: tum quia ſuppoſitum communicatur omnibus, quæ ad ſe aſſumpſit. Fit enim homo, fit caro, fit anima humana: ideo etiam meritò ipſi in his redditur eadem latria, quoniam iſta nihil aliud ſunt, quàm filius Dei animatus, & incarnatus. Itaq; ob eas cauſſas Chriſto homini, animę, & carni eius, vnica cum filio Dei

Athan. in Arian. orat. 5.

Athan. de Incarnat. Chriſti.

Claud. Sainctes rep. 9. de adoratione Euchar.

Vide Epipha. in Ancorato.

diſpenſatur latria, propter vnicum filij DEI ſuppoſitum latriæ fundamentum, quod omnibus aſſumptis ſit commune.

PORRO & inde factum eſt, vt hanc naturarum concomitantiam in Euchariſtia Caluinus Neſtorium imitatus (vt idẽ Epiſcopus ſapienter notat) negaret, & neganda toti mundo (quantum in ſe fuit) proponeret. Neſtorius enim ſic arguebat: Hoc eſt non diuinitas mea, ſed corpus meum. Caro Chriſti comeditur, & diuinitas edi non poteſt, caro igitur Chriſti diuinitatem non habet. At ij qui Alexandriæ cõuenerant, quique Epheſinæ Synodo cum Cyrillo interfuerant, reſponderunt non fuiſſe dictum à CHRISTO: Hæc eſt diuinitas mea, ſed hoc eſt corpus meum, ſiue diuinitatis meæ: cùm aliud corpus viuificandi virtute non polleat, nec à diuinitate ſubmoueatur in Euchariſtia, tanquam ibi ſubiaceat communis, & non filij Dei caro, nec verbum viſibile eſſe queat per ſe: ſicut nec patibile: ſed per carnem, nec viuificare poſſit niſi per eandem diuinitatẽ: Quemadmodum ergo (inquit) diuinitas non eſt eſibilis, niſi per carnem, ita nec humanitas eſt adorabilis, vel viuificatrix, niſi per diuinitatem. Ideoq; vbique illas conuerti oportet, & maximè in Euchariſtia vt mutuas dent operas, & ſuas vires exerant. Hæc ille.

AT verò Bucerus, quem morientem ſcribunt eſſe profeſſum nondum natum eſſe Meſsiam, ſectarijs latiorem viam ſtrauit, qua non vnum fidei articulum redderent incertum ac dubium: ſed quid dico dubium? quinimò prorſus eximerent ex animis Chriſtianorum. Sic enim calliđiſſimus ſerpens intelligebat vim, effectúque redemptionis imminutum iri, ſi de CHRISTI deſcenſu ad inferos ſecus quàm oporteat crederetur: varios varijs infudit errores, vt incertitudinem ſecuta perfidia, aut tolleret, aut blaſphemè interpretaretur tantum fidei articulum, quem Prophetæ, Apoſtoli, prædicatione, epiſtolis, Symbolo: Deinde Synodi atque vniuerſa CHRISTI Eccleſia credendum eſſe liquidiſsimè declarauerunt. Caluinus autem aliud quiddam impium commentus eſt, cuius hæc verba ſunt: Nec verò deſcenſum Chriſti ad inferos omittere conuenit, in quo ad Redemptionis effectum non parum eſt momenti, vt eo præterito multum ex mortis Chriſti fructu depereat. Nihil actum erat, ſi corporea tantum morte defunctus fuiſſet Chriſtus, &cæt. Hæc Caluinus. Nihil ergo (inquit) actum erat? At quomodo is, qui veritas eſt dixit in cruce, conſummatum eſt? Quomodo & illud quod Apoſtolus dixit: Nos cùm inimici eſſemus, Deo reconciliauit per hoſtiam ſui corporis? Et aliud: Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam in odorem ſuauitatis, vt reconciliet ambos (populos) in vno corpore Deo per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo? Et illa quoque: Reconciliauit nos in corpore eius per mortem iuſtificati in ſanguine eius? Rurſus: Reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſsionem peccatorum ſecundum diuitias gratiæ eius? Quem propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine eius propter remiſsionem præcedentium delictorum? Quantò magis ſanguis Chriſti mundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſeruiendum Deo viuenti? Et: Vna oblatione conſummauit in ſempiternum ſanctificatos? Et: Vt per mortem deſtrueret diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis erant obnoxij ſeruituti? Videat igitur mihi Caluinus, an ita locutus eſt is, qui raptus ad tertium cœlum vidit res diuiniſsimas. Sed & Patres non aliter ſcripſerunt. Itaque iſtius ſacrificij in cruce peracti pleniſsimos fructus perpendens Diuus Auguſtinus, ſic inquit: Quis ergo tam iuſtus, & ſanctus Sacerdos, quàm vnicus filius Dei, qui non opus haberet per ſacrificium ſua purgare peccata, nec originalia, nec ex humana vita quæ adduntur? Et quid tam congruenter ab hominibus ſumeretur quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam aptum huic immolationi, quàm caro mortalis? Et quid tam mundum pro mundandis vitijs mortalium, quàm ſine vlla contagione carnalis concupiſcentiæ, caro nata in vtero, & ex vtero virginali? Et tam gratè offerri & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum Sacerdotis noſtri? Vt quoniam quatuor conſiderantur in omni ſacrificio: cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur, idem ipſe vnus, veruſq; Mediator, per ſacrificiũ pacis nos reconcilians Deo, vnum cum illo maneret, cui offerebat, vnum in ſe faceret pro quibus offerebat, vnus ipſe eſſet qui offerebat, & quod offerebat. Hæc D. Auguſtinus. At mitto ipſe alia ſexcenta, quibus horrenda blaſphemia Caluini refellitur aſſerentis Chriſtũ nihil in cruce, ſua morte egiſſe. Et verò infernalis in anima neceſſariò perpeſſum eſſe pænas, neque ad limbum deſcendiſſe, ad educendam inde captiuitatẽ, quam in cœlũ euexit, quemadmodũ Propheta prædixit.

Buceri religio.

Inſt. Cal. ca. 16. nu. 8. 10.

Epheſ. 5.

Epheſ. 1.

Coloſſ. 1.

Rom. 5.

Epheſ. 1.

Rom. 3.

Hebr. 9.

Hebr. 2.

Auguſt. de Trinit. li. 4. cap. 14.

Nauclcr. in Chron.

Atqvi vt ſatanas agnoſcatur architectus huius Lutherani, Caluiniani, Ariani Atheiſmi, qui multos alios ſecum inuoluit, cùm ex Bertholdo Rorbarenſi, qui ante ducentos annos Spiræ combuſtus eſt, peſtilens illa vox erupiſſet, Chriſtum in cruce ob dolorum acerbitatem de animæ ſuæ ſalute dubitaſſe: nõ ſatis habuit Lutherus, cum eo ſentire, (licèt ſiue ad tempus huiuſmodi quædam reticeret, ſiue primò per ſuos emiſſarios (vti ſæpe ſolebat) id ſpargeret in vulg⁹, dum procliuiorum ad impietatem hominum corda tentaret) verùm & Deum vt Deum eſſe paſſum apertè aduerſus Zuinglium pronunciauit. Melanchthon item eandem Chriſto Domino dubitationem, & anxietatem tribuit, quam deinceps Caluinus, abominandis verbis cumulauit, cùm diceret: Torqueri Dominum oportuiſse hac conſcientiæ anxietate, ac ſi à Deo derelictus fuiſſet, imò ac ſi Deum habuiſſet infenſum, diroſque in animà damnati, ac perditi hominis cruciatus pertuliſſet. At Beza quid? Hic quod ſcriptura diſertè dicit: Non derelinquas animam meam in inferno: quodque ad litteram de Chriſto citatur à D. Luca, inaudita impudentia Euangeliſtam corrigẽs, ſeu potiùs deprauans ſic inuertit: Non derelinques cadauer meum in ſepulchro. Brentius autem aliquando minus malè, ſed poſteà peſſimè: Nihil enim (inquit) aliud eſt deſcendere ad inferos, quàm perire. Sed & hunc articulum Ariani curabant è Symbolo expungere, & alij poſtea, qui ex eorum ſemine prognati nouos atheiſmos pepererunt.

Luth. li. de concilijs.
Lib. 2. Inſt. c. 12. n. 8. 10.
Act. 2.
Beza in annot. in acta Apoſtolorum. 2.

Accedit ad hæc, ex negatione carnis viuificantis, & ex aliarum dotium ſupernaturalium humanitatis Chriſti, negatio ſanctiſsimæ Euchariſtiæ: ex hac verò occaſio ſumpta omnipotentiæ Dei euertendę. Sic enim Beza in ea confeſsione fidei (licèt identidem edita) quam in conuentu Poſſiaco protulit, nunquam hoc attributum Dei, ſeu vocem omnipotentiæ inſeri voluit. Et Caluino, vel ipſi quoq; hæretici obiecerunt, eũ nunquam pluribus laudib⁹ Diuinã potentiã extollere ſolere, quàm cùm eam minueret, vel obſcuraret. Vetus omnium hæreticorum ars hæc fuit, aſtu ſatanę inuecta per Sadduceos, quos, cùm reſurrectionem negaſſent, Chriſtus reprehendit errantes, quod neſcirent ſcripturas, neque virtutem Dei: per Marcioniſtas, quos Tertullianus (vt diximus) redarguit, confitentes quidem Dei nomen, ſed ſubſtantiam eius, & amplitudinem negantes: per Arianos, quos D. Hilarius & reliqui: per Valentinianos quos D. Irenæus: per Origeniſtas, quos Epiphanius tanquam Atheos accuſant, quòd ſuis erroribus omnipotentiam Dei (licèt Deum quadantenus faterẽtur) tollerent. Hanc igitur virtutem Chriſti, in quo viuificandi erant omnes, quiq; carnem nobis ſuam edendam admirabili modo, ſed veriſsimo tradidit, cùm Sacramentarij negent, quonam modo omnipotentiam Dei ſartam tectam tuebuntur? Et Beza quidem easdem omnipotentiæ Diuinæ exceptiones, quas Plinius atheus affert, depromit, vt ſuo ſe iudicio prodat, qualis intrinſecus in Deum ſit. Ac Caluinus dum ridet ſapientem Theologorum diſtinctionem, quæ paſsim non in ſcripturis ſolùm, ſed & in ipſis rebus cernitur, quas præter naturæ ordinem, & naturarum proprietates Deus edidit poteſtatis nempè Diuinæ, alterius ordinarię, alterius extraordinarię & abſolutæ, in idem recidit, cùm iſtam poteſtatem abditam mutato nomine vocare coactus eſt. Ac cùm Diuinitati omnipotentiam adimeret, eamque non ſolùm intra naturalium proprietatum cancellos, verùm intra priuatum ſuum iudicium cohibere auſus fuiſſet, ecquid humanitati Chriſti, ecquid Diuinę Euchariſtiæ iniuriæ non irrogaſſet? Verùm enimuerò cùm & alij excellentes viri blaſphemias iſtas attigerint, præcipuè ij, qui de Caluini atheiſmis perdoctè ſcripſerunt, id ſatis eſto, neminem vnquam Patrum, aut Euangeliſtarum, & Apoſtolorum, aut denique Prophetarum locutum eſſe ita de Deo, Diuiniſque myſterijs, ſicut iſti ſceleratiſsimè fecerunt. Mirandum vt non ſit, ſi, cùm Diuino iudicio factum eſt, vt Neſtorij (ſicuti refert Euagrius) linguam vermes corroſerint, Caluinus quoque corpore à vermibus exeſo fætentem animam ad inferos exhalauerit.

Heshuſius & alij.
Matth. 22.
Tertul. aduerſus Marcionem.
P. Hilarius de Trinit.
Iren. 5. li.
Epiphan. de Origeniſtis
Claudi⁹ Sanctes.
Genebrard⁹ Stapleton⁹ & alij.

ATHEISMVS OCTAVVS LVTHERI, Brentij, aliorumq; Lutheranorum, Chriſti humanitatem Diuinitati æquantium, doctrinam Catholicam de communicatione idiomatum, adeoq; complures Symboli articulos conuellentium.

Dixeram, Lutherum non ſolum Arianam, & Neſtorianam, verùm etiam Eutychianam hæreſim amplexum fuiſſe. Sic enim decebat omnem iniuſtitiam, & perfidiam implere eum qui tam bellè Synodos, Academias omnes, Eccleſiam totam reformaturum ſe iactabat. Id ergo nũc planius faciam. Ac primò, queadmodum cùm timeret permiſcere naturas, diuiſit (vt oſtendimus) cum Neſtorio perſonas: ſic dum vitare Neſtorium voluit, incidit in Eutychis impietatem, prorſus vt in eum illud

illud quadrauerit, quod quidam Poeta cecinit:

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt.

Extat Lutheri liber, quem inſcripſit de cœna Domini. In ea Sacramentarios reprehendit, ſoli humanitati, non item Diuinitati paſsionem Christi tribuentes. Deinde ipſam Domini humanitatem euehit in Deitatem, quippè qui ait: Neceſſe eſt eam Chriſti eſſentiam, quę eſt cum Deo vna perſona, longiſsimè extra creaturas collocare, ideoq; tam longè, quàm Deus ipſe extra creaturas eſt. Quibus verbis ordinem ac dignitatem, nõ locum aut ſpatium notat. Nam eodem libro aſſerit, vbique eſſe Chriſti humanitatem. Et alibi: Credimus (inquit) quod CHRISTVS IESVS ſit iuxta humanitatem ſuper omnes creaturas collocatus, & omnia impleat. Et poſteà: Et habeat omnia in ſua manu, & ſit vbiuis præſens. Ex quibus verbis iudicium verorum Theologorum eſto, quàm prorsùs illud colligatur: ſi Chriſti humanitas extra ordinem creaturarum ſit, non eſſe creatam naturam, ſed eſſentiam increatam: quare nec amplius humanitatem, ſed diuinitatem eſſe dicendam. Quin verò ſi tantum humanitas Chriſti abſit à creaturis (quod ad dignitatem attinet) quantum abeſt ipſemet Deus, erit infinitæ dignitatis, atque eminentiæ: Quamobrem aut erunt duæ naturæ, aut CHRISTI humanitas erit conuerſa in deitatem. Aperiant igitur oculos ſeducti.

Lutherus ſerm. de Sacram. cœnę Domini

Origo hæreſis Vbiquitariæ.

Brentivs autem, quique hunc ſecuti ſunt (licèt poſtea, quæ hæreſum natura eſt, inter ſeſe pugnantia ſcripſerint) cùm quæcunque attribuuntur verè perſonis attribui poſſe pariter naturis opinati eſſent, perſonam Chriſti cum ipſius humanitate confuderunt: idiomatum enim communicationem non minus in naturis, quàm in perſonis fieri putarunt: cùm tamen naturæ eam inter ſe haud poſsideant communitatem, quam in eo aſſequũtur, in quo coadunantur, & ſubſiſtunt.

Hinc igitur ſuam vbiquitatem, ſiue παντηποτίαν, & omnipotentiam ſtatuerunt, dum feruore quodam diſputandi, & primas ferendi abrepti, arcem ſuam collocarunt in ijs ſcripturæ verbis: Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Patris. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Dedit illi Dominus ſpiritum ſine menſura: Omnia ſubiecit ſub pedibus eius: Pater diligit filium, & omnia dat in manus eius. Qui ſanè ratiocinandi modus, ſine cauſſarum & periſtaſum ponderatione hæreticos ſemper adegit in præcipitia. Ecquis enim tam ſtupidus ſit, qui aſſerat, cùm omnia cum Chriſto, dicat Apoſtolus, nobis eſſe donata, ideò electos dicendos eſſe omnipotentes? aut quoniam idem ipſe dixit, omnia poſſum in eo qui me cõfortat, ſibi quoque communicatam fuiſſe omnipotentiam? aut quia Chriſtus dixit: Omnia traham ad me ipſum, non eſſe id cum aliqua limitatione intelligendum, quo ſanè modo intelligebat CHRISTVS: hoc eſt, eos eſſe trahendos, qui velint ipſi quoque trahi?

Ioan. 20.
1. Cor. 15.
Ioan. 13.
Philip. 4.
Ioan. 12.

Lvthervs autem ſatis habens ſuperſeminare Zizania, & abire, in maiori confeſsione, nolle ſe (inquit) cum quoquã contendere de vbiquitate, tanquam de re minimè neceſſaria: cùm non alia quærenda ſit ratio corporalis præſentiæ Chriſti, quàm ipſius verba. Melãchthon verò prodigioſã, & vetuſtati eruditę ignotam eſſe vbiquitatem dixit, quam tamen (vti ſupra monſtratum eſt) Lutherus Eutychen laudans ſatis approbauit: Id quod ex eo adhuc ſatis liquidò colligi poteſt, quod neque is, neque Philippus ſuus in confeſsione Auguſtana, vel in Apologia Eutychianæ hæreſeos, vti neque Neſtorianæ mentionem fecerint, quam tamen ſuperiorum hæreſum fecerant, eo fuco viſi damnaſſe, quas re ipſa in corde fouebant, ſicuti monſtratum eſt.

Diſcordiæ Lutheranorum.

Ex Lutheranis deinde ſeſe oppoſuère nonnulli miniſtri, atque vt quidam referunt, Nicolaus etiam Selneccerus. Id ego ſcio cùm Dreſdę eſſem, à fide dignis accepiſſe me, eum concordiam Schmidelinianę contrariam Franckfordiæ ad Oderam edere voluiſſe, ſed alicuius hortatu, ne id ludibrio Catholicis eſſet, deſtitiſſe. Alij verò (vt Illyricus) ea de quæſtione dubitârunt.

Chemniti⁹, Ioachimus Mo linus, P. Eberus, Nicolaus Hẽmingi⁹, Victor Strigelius:

Schmidelinvs denique ipſe cum ijs, qui homini quadantenus adhærent, neſcius reſipiſcentiæ, vbiquitatem iſtam mordicus retinuit, quamuis ſexcenties fuerit conuictus. Extat defenſio diſputationis Ingolſtadij habitę à Theologis Societatis noſtræ, contra eundem Schmidelinum, edita ab Alberto Sperlingio: Ex qua diſputatione Claudius Sanctes Epiſcopus fatetur ingenuè complura ſe excerpſiſſe, quę quarta repetitione de veritate Euchariſtiæ aduerſus Vbiquitarios accuratè eſt perſecutus. Prodijt item non ita multò antea Gregorij Valentiæ Theologi noſtri erudita aduerſus duas ſectas Vbiquitariorum, & Sacramentariorum tractatio, quæ penitus Schmidelini diuerticula, atque commenta nouiſsima retexit, atque reiecit.

Theſ. 60. 57. 62. 80. 102.

AT

Dresdę anno 1571.

AT Ministri, qui Dresdæ ante quatuordecim annos conuenerunt, planè isti errori repugnarunt. In eo enim (præter alia) leguntur hæc verba: Commentitia ista communicatio physica, quæ nostro tempore cum Vbiquitate corporis Christi introduci cœpta est, vniuersæ orthodoxę Ecclesię, & toti orbi Christiano, inde vsque ab initio incognita fuit, atque etiamnum à Pontificijs reijcitur, & taxatur acerrimè. Posteà infrà. Commentitia illa vbiquitas horrendum in modum corrumpit oēs penè articulos fidei de Christo, ac discrimen Diuinæ & humanæ naturæ in Christô delet, atque euertit. Hæc tū Lutherani ministri Catholicos secuti. Quæ cùm ita sint, (fateor) vehementer miratus sum, cùm Misnensium ad humanitatem atque prudētiam natorum ingenia experirer, sic tamen nescio qua verecundia, vel respectu complures Christianam mentis vim, & lucem amisisse, vt cùm post decennium de ista nouissima Schmidelini concordia Dresdæ non vnus conuentus est habitus, prorsus contrarium decerneretur, & haberent pro sacrosanctis articulis fidei, quæ paulò antea pro prodigijs, & portentis reiecerant. In quo nō dubito Chytræe, conscientia tua moneri te, cæterosque cordatiores ab vestris ædificari in vanum, quia nempè Dominus non ędificat, neque in medio vestri est.

Nota.

SED age dispiciamus adhuc, quanti momenti in re fidei sit, ab Catholico tramite recedere, eaq; reuocare in dubiū, quæ semel optimè definita sunt: Lutherus enim nō adeò magnū se cōmisisse facinus existimabat, cùm diceret, quæstionem de omni præsentia humanitatis CHRISTI haud esse magni momenti: sed tunc in solitas spiras sese contorquebat satanas, vt cauda, vel sibilo pestilens venenum in multorum animas infunderet. Simili astu, & arte (vt huc non inutiliter digrediar) vsus est, cùm ab initio per Lutherum conuellere purgatorij fidem vellet. Rem enim (dixit Lutherus) non esse tanti, vt licet illud esse crederet, tamen ad id credendum cogeremur: sic etiam de vtraque specie Eucharistiæ, pugnantissimis modis primò locutus est. Verùm vbi ferus aper tantillum sepem aperuit, mox varijs bestijs aditum in eam pate fecit, atque omnia susque deque inuertit, & denique vtrique speciei istis ambagibus, tanquam per cuniculos veritatem, ac rem ipsam vniuersam subtraxit: Nam qui Laicis Diuina mysteria cōficiendi (qui tamen nihil conficiunt) potestatem à Deo concessam mentiebatur, & consubstantiationis inauditum commentum inuexerat, quid hoc erat, si non erat, vitalem Ecclesiæ cibum è faucibus Christianorum eripere, Sacramentarijs autem intereà quidlibet audendi licentiam pessimo exemplo porrigere, vt & ipsi eandem veritatem altercando funditus euerterent? Iam verò cùm de purgatorio dubios plurimos reddidisset, nullo negotio hucilluc impellere potuit ædificium, vt actis iam tot rimis ad terram prosterneretur. Quamobrem animæ iam non paucæ ad omnem illam conscientiæ licentiam, non libertatem solutæ, purgatoriū primò, deinde inferna, postremò cœlestia, Diuinaque pernegarunt. Istius ergo vbiquitatis semine tanquam venenato telo (latenti tamen) iugulum ipsum, vt ita dicam Symboli fidei petitum est. Quod enim nullius momenti erat Luthero, en quò tandem euasit? Si enim omnia Diuina attributa humanitati CHRISTI communicata sunt: iam CHRISTI Domini conceptio, natiuitas, passio, mors, descensus ad inferos, resurrectio à mortuis, ascensio ad cœlos, descensus ad iudicandum è plurimorum animis sublatus est, ipsaque inprimis Diuinitas oppugnata. Nam non magis Diuinitatis quàm humanitatis Christi erit opus ipsa mundi creatio (& quidem tanquam ab effectiuo principio) cùm tamen hæc vni diuinitati competat: creaturæ nequaquam. Sic item humanitas CHRISTI fuerit ante incarnationem, & ante conditum mundum, si æternitas, quæ principio & fine carens connumeratur inter diuina attributa, ipsi tribuatur humanitati. Ecquid verò obstabit, quo minus æquè in vtero aliarum mulierum atque Beatissimæ virginis eodem tempore fuerit Christus? Nam si per istos Christus (vt homo) per hypostaticam vnionem omnipotens factus est, necesse quoque inde fit, vt vbique adsit. Quæ omnia (vti reliqua pleraque absurdissima, & blasphema) reijcienda sunt.

Satanæ astus quo Lutherum in fœdiores errores paulatim præcipitauit.

Articuli fidei à Lutheranis sublati.

Blasphemiæ Vbiquitariorum.

ANIMAE porrò cum corpore vnio, quæ similitudo à Patribus vsurpata rationé attingit hypostaticam, potuisset aliquatenus istas dispellere tenebras, si ea qua decet methodo in diuinissimis istis mysterijs (sicut nostri Theologi faciunt) progredi voluissent: sicut enim (aiunt) duæ in homine naturæ sic distinguūtur, vt tamen non duas personas homine sue, sed indiuiduum vnum ex duplici natura spirituali, & corporea constituant, ita in CHRISTO fit, vt non duo Christi euadant, sed duæ naturæ sic cōiungantur, vt tamen (sicuti diximus) non confundantur, aut altera in alteram transeat, vel commutetur. Ac quemadmodum anima cum corpore coniuncta corpus animatum denominat, sic Diuinitas

tas cùm humanitate hominem Deum. Prętereà vt animæ cum corpore sunt quædam actiones communes, quales sunt sentire, appetere, tristari, gaudere, amare: Quædam autem propriæ, intelligere, velle: Sic Diuinitas quasdam actiones seu ἐνεργείας humanitati Christi communicat, rerum nempè omnium peritiam, & miraculorum effectionem: Quasdam autem suæ naturæ proprias, & quas ad sui perfectionem natura humana non requirit, sibi reseruat, cuiusmodi sunt omnipotentia, æternitas, & si quæ aliæ sunt eiusmodi. Vt verò anima multa per corpus gerit, per quod legit, ędificat, ferit, plura verò per se sine corporis adminiculo administrat, vt cùm quasi soluta carnis contagione meditatur, & contemplatur æterna: Sic Diuinitas multa per Christi humanitatem exercuit, per quam miracula edidit, cœlestem sapiētiam nunciauit mundo, salutem nostram est operata, in Eucharistia corpus ipsum Christi, & gratiam confert, corpora mentesque alit, Pontificis & mediatoris officium obit, & pleraque alia exequitur maximè salutaria. Verùm enimuerò, vt anima nō omnia verè, & essentialiter cum corpore communicat, sed duntaxat verbotenus: Corpus enim humanum non dicitur rationis, consilijque particeps nisi per accidens: Rursumq; corpus non communicat cum mente omnia, quæ sibi sunt propria nisi quadam consecutione: neque enim secabilitatem, morbos, mortalitatem, & similia ei tribuit: Ita Diuinitas non vniuersas suas proprietates humanitati largitur, & vicissim humanitas, suas Diuinitati nō tribuit, nisi per idiomatum cōmunicationem. Sic enim Christus homo æternus dicitur, omnipotens, vbique consistens, quia Deus etiam est, cuius hæc sunt attributa, & quasi notæ propriæ. Postremò quemadmodum actiones vtriusq; toti composito verè tribuuntur, quæ alioqui naturis separatis tantummodò cōuenirent, sic enim homo intelligit, vult, ratiocinatur, medicinam facit, negotia exercet, ęgrotat, cùm tamen intelligere, velle, ratiocinari, functiones sint animæ propriæ: ægrotare verò, sitire, esurire corporis: reliquæ vtrique communes: ita toti personæ Christi omnia absolutè tribui possunt, quæ singillatim de altera naturarum prædicantur. Christus enim ęternus est, & temporalis, infinitus & finitus, vbique, & non vbique, cōtraria profectò multa propter diuersas naturarum proprietates in se vnum colligens.

HAEC cùm ita sint, illa interim attentè retinenda sunt, quę iidem Theologi addunt. Inprimis non sicut anima & corpus hominem secundum substantiam componunt, ita non esse intelligendum Diuinitatem & humanitatem partes esse CHRISTI constituentes. Deinde si vnio Diuinitatis humanitatisque æquaret vnionem animæ & corporis, diuinitas esset forma humanitatis, eaque vnio esset essentialis, cùm tamen sit tantum personalis. Prætereà vnum efficiunt hominem anima & corpus, sicut potestas & actus, sicut materia & forma. Atqui vtraque natura hic actus est, & velut forma. Rursum ex anima & corpore efficitur tertiumquid, quod nec anima est, neque corpus, scilicet homo vtraque natura constans. Sed .n. Christus tantum significat vnam personam habentē duas naturas. Postremò ex anima & corpore fit quoddam, quod neque proprium est corporis, neque animæ, sed vtrique commune. Ex natura autem Dei, & humana, nullum suppositum efficitur, sed idquod erat Diuinum suppositum, sustentat vtramque naturam.

CVM igitur ab hæreticis plus quàm satis importunè in quæstionem vocaretur, qualisnam assumpta natura humana per vnionem cum Diuino verbo euaserit, non quidem essentialiter, hoc est, ex se, aut physicè, neque subiectiuè (nec enim hac de re agebatur, cùm planè constaret non posse sic esse, nisi talem, qualis est natura cæterorum hominum) sed ineffabili modo: Patres Synodi Chalcedonensis cùm essent oculatissimi: nec ad Nestorianos & Sacramentarios, qui peruersè colligebant, neque ad Eutychen atque Vbiquitarios qui falsum in argumentando sumebant (quemadmodum superius demonstratum est) declinarunt. Itaque sapienter definierunt, per vnionem haud fuisse sublatam naturarum differentiam, sed vtramque magis permansisse inconfusam.

CVM verò ex ijs quæ diximus Theologi eam esse idiomatum communicationem intelligant, quæ non vni naturæ ea quæ sunt alterius, sed vni supposito vtriusque naturę proprietates tribuit, Gratiam vnionis cordatissimè dixerunt esse ipsum ESSE personale: quod gratis datum est assumptæ naturæ humanæ in persona verbi. Id quod etsi sine mensura, hoc est, cum tota plenitudine Diuinitatis verbi fuit datum, sic tamen fuit, vt ipsa humanitas nullo modo illud sit, sed (quod superius quoque satis innuimus) vt subsistat per illud.

D.Thō. 3.p q. 6.art.6.

D.Tho.3.p. qu.7. art. 11.ad 1.

EAM proinde (de qua locuti sumus) similitudinem à Diuo Athanasio allatam adhibuerūt dicentes: Sicut anima rationalis & caro vnus est homo, sic Deus & homo

vnus

Epiſtola ad Neſtorium

vnus eſt Chriſtus. Quamuis enim (inquit D. Cyrillus) verbum habitauerit in nobis, „ & dictum ſit habitare in CHRISTO om„nem plenitudinem Diuinitatis corporali„ter: attamen intelligimus, eum talem ſibi „feciſſe habitationem, qualem & anima ho„minis habere creditur ad propriũ corpus. „

Epiſt. 3. ad Voluſianũ. Vide Aug. ad Dardanũ. epiſt. 57. Enchirid. cap. 36. Lib. de Trinit. varijs in locis. Lib. de Trinit. & vnitate Dei. Tractat. 57. in Ioannẽ. Iuſtin. Martyr. in expoſitiõe fidei. Cyril. ca. 8. l. ad Clidonium.

At D. Auguſtinus ad Voluſianum: ſicut (ait) anima vnitur corpori, vt homo ſit, ita in vnitate perſonæ Deus vnitur homini, vt Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ & corporis, in hac perſona mixtura eſt Dei, & hominis: ſi tamen recedat auditor à conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, vt neuter ſeruet integritatem ſuam. Quanquam & in ipſis corporibus aëri lux incorrupta miſceatur. Ergo perſona hominis vnio eſt animæ & corporis: Perſona autem Chriſti vnio Dei & hominis. Hæc illi: Quos Diuinitus inſpiratos cùm fidei magiſtros habuerimus, equidem non video, cur iſtam nouorum Atheorum fecem, iam ampliùs ſaltem apud ſe tolerent ij, qui ſe Chriſtianos vocant, & veram fidem in Chriſtum Dei filium profitentur.

ATHEISMVS NONVS LVTHERI MElanchthonis, & Aliorum contra Arbitrij libertatem.

SED iſti impietati tot errorum varietatibus circumamictæ tanquam inſidioſiſsimę beſtiæ iam omnis larua detrahenda eſt: Et quando comprobata tot rationibus veritas exploditur, obijcienda propius eſt ægrotorum oculis, ipſa prauitas morbi, vt Deus iuſtificetur, ſi minus reſipiſcere velint, qui diligũt magis tenebras quàm lucem.

Satanæ artes.

AD ſuperiora igitur ſtratagemata ſatanæ hoc acceſsit etiam, vt cùm reliquæ artes in decipiendis mentibus ſibi non ſucceſſiſſent, iam fuco aliquo inſigniore ſe adornaret, ne terribilis beſtia agnoſceretur: Intereà verò ineſcaret innumeros ad perditionem. Ille nempè (inquit Lactantius) inſidiatur vniuerſis, ſed eos qui Deum „neſciunt errore impedit, ſtultitia obruit, „tenebris circumfundit: eos autem qui „Deum ſciunt primùm dolis, & aſtutia ag„greditur, vt cupiditate, ac libidine irre„tiat, & peccati blandimentis deprauatos, „impellat ad mortem. Quod ſi dolo nihil „profecerit, vi & violentia deijcere conatur, „Hæc Lactantius.

Diuin. Inſt lib. 3.

ID ergo in omni hæreſi veriſsimum fuit, Eò autem veriùs eſt hoc tempore, quòd habet iram magnam, qui ſcit modicum ſibi tempus ſupereſſe, quo ſuas exerat artes, cęteroquin nocendi peritiſsimus, quòd per tot ſecula profecit ætate, atque perfidia. Itaque colligit omnia, vt quàm ampliſsimum ſuum reddat Regnum, ac deniq; mole ſua tanquam fulgur iterum in abyſſum ruat.

Lutherani verboten' Deum laudant.

NEQVE verò valentiore machina detrahere ad ſe cuncta putauit, quàm ſi quoſdam eo veneno infeciſſet, Diuinam vt bonitatem obliquè carperent. Quid igitur fecit? Vrſit Lutherum eiuſque ſectatores, vt eam verbotenus ſummis laudibus extollerent, ſæpeque illud vſurparẽt omnia nobis per filium gratuito donata fuiſſe: & Mediatoris fidem vnicum ſalutis portum eſſe. Hactenus haud malè. Sed tamen hæc ſatanas præmiſit, vt tentato vado in hominum ſimpliciorum corda altius ſeſe latenter immergeret, quos vbi reddidit ſecuriores de neſcio qua fidei non viuæ iuſtitia, ecce tibi laruata beſtia cornibus ſe prodidit, quibus Diuinam bonitatem ferire conaretur. Iuſtitiam verò iſtam tantam, nihil tamen in nobis deniq; efficere, niſi imputatione aſſeruit. Viden' ad Lutheri cauponã hederam ſine vino? Quin verò cùm clamare incepiſſet, ſpiritum ſanctum nobis eſſe datum, qui gratuita illa dona obſignaret, fiduciamq; nobis, & certitudinem ſuo teſtimonio confirmaret, mox alterum erexit cornu, quo Chriſti Domini meritũ, ac vim re ipſa tolleret. Docuit enim mox audaciſsimè Diuinum eundem ſpiritum, non intus cor tangere: non aciem mentis illuſtrare: non animos imbuere: neminem intus inflammare: Quid ita? ſanè vt ex omnium cordibus, omnis ad pietatem ſtimulus eximeretur: ac protinus ſalutaris ille timor abiiceretur, qui initium eſt ſapientiæ, quiq; vrget, vt à peccatis reſipiſcamus, atque addit calcar ad ritè colendum Deum, & ad Chriſti gratiam cuſtodiendã: Quibus fundamentis ſubrutis ecquid in mentibus hominum aut fidei, aut religionis non concidiſſet? Erexerat igitur primus hoc impietatis vexillum Simon Magus: Explicuère Marcion, Cerdon, & alij: At qui altius illud ſuſtulerunt, ſeſeque hoc tempore anteſignanos non vocati exhibuerunt, fuère Lutherus, Melanchthon, Caluinus, Beza, & reliqui. Et illi tamen antiquitus nunquam ſunt auſi tam præſens venenum euomere, vt apertè Deum facerent peccati auctorem. Quinimò eorum nonnulli maluerunt duos Deos, duóue principia, boni alterum, alterum mali cõſtituere, quales fuère Cerdon, Marcion, Manichæus, quique Gnoſtici (id eſt ſapientes) vocabantur. Adeò erat adhuc in eis aliquis pudor extrinſecus, ne prorſus inſipientes haberentur.

Maiores hęreticorũ huius temporis.

Tertull. Iuſtinus Auguſtinus.

Qua ratione adducti ſunt hęretici, vt Deum auctorẽ malorum facerent.

QVAERES quanam arte adeò euidentem blaſphemiam ſatanas inuexit? Dicam.

Illi cùm liberum arbitrium homini demerent, hominis lapſus Deo ſenſim tribuere inceperunt: cùm verò id facerent, iam Dei bonitatem æternam negarunt: Neque enim qui Deum eſſe bonum diffitentur, hi vel Deum eſſe fatentur. Qua de tota re acerrimè Tertullianus cùm alibi, tum ſecundo aduerſus Marcionem libro agit. Id verò vt faciat, docet inprimis bonitatem Dei creatoris eſſe æternam: præſertim ex hominis & mundi factura, atque ex ea quæ præſcripta eſt homini lege. Neque enim hominis lapſum Deo, ſed hominis libero arbitrio eſſe imputandum. Hæc enim (inquit) erit ius Diuinę gratiæ, potentior vtique natura, habens in nobis ſubiacentem ſibi liberam arbitrij poteſtatẽ, quod ἀντεξούσιον, dicitur: quæ cùm ſit & ipſa na„turalis, atque mutabilis, quoquo vertitur, „natura conuertitur. Ineſſe autem nobis τὸ „ἀντεξούσιον naturaliter, iam & Marcioni o„ſtendimus. Hæc ille Sed aliquanto poſt: „Niſi .n. (ait) homo deliquiſſet, optimũ ſo„lummodo Deum noſſet ex naturæ proprie„tate. At nunc etiam iuſtum eum patitur ex „cauſſæ ſuæ neceſsitate, tamen & hoc ipſo o„ptimum, dum & iuſtum. Et bono enim iu„uando, & malo puniendo iuſtitiam exhi„bens vtramque ſententiam bono pręſtat, „hinc vindicans iſtud, inde remunerans il„lud Sed cum Marcione pleniùs diſces. An „hoc Dei ſit totum. Hæc igitur quoque Tertullianus. Qui poſtea rationibus alijs hoc ipſum genus argumenti accuratiſſimè perſequitur, quas ipſe ſummatim huc inferam. Prorſus enim docet, homini delictum eſſe imputandum, quem ad rectè viuendum creauerat Deus. Neque propterea DEO id aſcribendum, quod afflatus DEI ſit anima, quæ delinquit, quia habet quidem vtiq; anima illas lineas Dei, qua immortalis, qua libera ſui arbitrij, qua præſcia plerunq;, qua rationalis: tamẽ & in his imago duntaxat Dei, non vſque ad ipſam vim diuinitatis. Neque etiamſi in diabolum tranſcriberetur culpa, vt inſtinctorem delicti, propterea in creatorem dirigendam, vt in auctorem diaboli, vtpotè qui angelus à Deo, & bonus factus ſit, non diabolus, id eſt, delator.

Tertul. hæreticis Deũ auctorẽ mali cauſanti bus aduerſ. Marcionẽ.

PORRÒ ſi poſt delictum hominis, iudex & ſeuerus fuerit Deus non ad malitiam, ſed iuſtitiam pertinere. Quæ iuſtitia cùm perpetuò in DEO cum bonitate conſpirarit, non rectè ſeorſum deputari Deum bonum, & ſeorſum Deum iuſtum: Imò verò omne iuſtitiæ opus, bonitati DEI procurare: quippè cùm timor iudicij ad bonum, non ad malum conferat. Si quando itaque DEVS legatur condens mala: de malis pœnæ non culpæ intelligi. Iuſtitiam proinde eſſe, atque adeò bonitatem DEI, quæ ſeueritas videatur. Et iudici non exprobranda quæ iuſtitiæ accidunt: non magis quàm medico ferramenta quæ ſecant, inurunt, amputant, & conſtrictant. Denique totum ordinem Dei bonitatis oſtendit ex eius miſericordia in errantes, patientia in non reſipiſcentes, & præſtantia in merentes.

DEINDE ad antitheſes veniens Marcionis, etiam ad bonitatem Dei pertinere probat talionis pœnam, ciborum immundorum prohibitionem, & ſacrificiorum onera. Nec minus etiam legales quasq; diſciplinas, ne illi, momento vocarent à Dei reſpectu. Imò verò etiam rapinam argenti & auri mandatam à DEO Hebræis in AEgyptios: pluris enim valuiſſe ſexcentorum milium operas per tot annos, & filiorum iacturam, quos merſerant. Nullam verò etiam contrarietatem eſſe in Deo, prohibente Sabbatis operari, & iubente arcam circumferri, etiam in Sabbato. Neque enim ſimilitudinum prohibitarum legi, refragari ænei ſerpẽtis, aut Cherubin & Seraphin aureas effigies: quæ longè diuerſas habebant cauſſas ab idololatria, de qua vetans ſimilitudinem fieri, ſubijcit: Non adorabitis ea, neque ſeruietis eis: fuiſſe enim etiam rationalem Dei inſtitutionem ſacrificiorum, auocantis ab idolis, quę tamen rurſus reiecerit.

NON rectè etiam leuem Deum dici, cùm reprobat aliquando probatos, aut probat quandoque reprobandos: nihil enim magis bono etiam iudici conuenire, quàm pro præſentibus meritis & reijcere, & adlegere. Proinde pœnitentiam apud Deũ prauè interpretari Marcionẽ: Nam & in Græco ſono (vtpotè μετάνοια) pœnitentiæ nomen, non ex delicti confeſsione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt.

EX his igitur quæ aptiſsimè ſcripſit Tertullianus, intelligi poteſt, quantum in eo deſudauerit, ſatanas, vt tot impietates in mundum importaret: quas antea vel ſolo naturæ lumine illuſtrati Philoſophi quidam, vt Plato, quem citat Theodoretus aduerſus affectiones gentilium, vel Iudæi qualis fuit Philo, vel denique Apoſtoli, & Irenæus contra Florinum, & Blaſtum, & Iuſtinus, ac reliqui omnes deteſtati ſunt. Lutherus autem in eaſdem aſſerendas, ſic toto pectore incubuit, vt ex aſſertione articuli trigeſimi ſexti, liberum inquiat arbitrium eſſe figmentum in rebus, & titulum ſine re, quia nulli eſt in manu ſua quippiam cogitare boni, vel mali, ſed omnia de neceſsitate abſoluta euenire, quod & Poeta voluit quando dixit, certa ſtant omnia lege, & CHRISTVS Matthæi ſexto,

Theodoretus li. 5. affe. Græc. Phil. li. de Agricultura. Et in li. de Trãsfugis. Iacobi. 1. Irenæus cõtra Blaſtum & Florinũ. Vide Euſ. l. 5. c. 20. hiſt. Iuſtin' ſiue qui auctor fuit li. de q. Gentiliũ & Chriſtianorum.

folium arboris non cadit in terram sine pa-
tre vestro. Et infrà: Non est dubium sata-
na magistro in Ecclesiam venisse hoc no-
men, Liberum arbitrium. Sic Lutherus.
Quin verò vt omnem sibi, alijsque viam
præcideret ad emendationem, in eadem
præfatione sic fuerat præfatus. In cæte-
ris articulis de papatu, de concilijs, de in-
dulgentijs, alijsque non necessarijs ma-
gis ferenda est leuitas, & stultitia papæ, &
suorum. Sed in hoc articulo, qui omni-
um optimus, & rerum nostrarum sum-
ma est, dolendum ac flendum est miseros
sic insanire. Hæc ille. Quibus vides
habitam à se fuisse pro optimo articulo,
& rerum Lutheranarum summa, negatio-
nem eius rei, sine qua Dei bonitas & iusti-
tia consistere vel apparere neutiquam po-
test. Variauit postea Melanchthon mo-
do aiens, modo negans: vt & aliquando
liberum arbitrium fateretur, aliquando
autem omnem libertatem, atque contin-
» gentiam tolleret. Is enim, concedendum
» est (inquit) quod scriptura Apostolica
» tribuat homini etiam nunc post lapsum,
» libertatem aliquam deligendi ea, quæ
» sunt subiecta rationi. Et infrà: Hæc Ma-
nichæa imaginatio (quæ videlicet liber-
» tatem, & contingentiam tollit) horribi-
» le mendacium est: & ab hoc errore men-
» tes abducendæ sunt, & docendæ agere ali-
quid liberum arbitrium. Aliquando ve-
rò hic ipse Melanchthon Vallam aduer-
sus Ecchium tutatus, quod ille liberum ar
bitrium conuelleret, in locis posterioribus
» deinde pugnantia dixit. Valla (inquit) &
» plerique alij, non rectè detrahunt volun-
» tati hominis libertatem. Et in Epitome mo
» ralis Philosophiæ. Stoicas illas (ait) de fato,
» seu Vallę absurdas imaginationes, quæ pro
» pter Diuinam gubernationem adimunt li-
» bertatem voluntatis, fugiamus.

Lutheri insania.

Melanchthonis inconstantia.

In locis posterioribus.

In com. ad c. 8. epi. ad Rom.

SED & alibi contrarium docuit, Deum
inquiens caussam esse peccatorum: Sicut e-
» nim (inquit) fatemur proprium Dei opus
» fuisse Pauli vocationem, ita fatemur opera
» Dei propria esse, siue quæ media vocan-
» tur, vt comedere, bibere, siue quæ mala
» sunt, vt Dauidis adulterium, Manlij seue
» ritatem Constat enim ex capite primo ad
» Romanos, Deum omnia facere non per-
» missiuè, sed potenter. Ergo non est (ait) cur
» frigidum glossema admittamus Deum ma
» la permittere, non etiam facere. Et hæc
quidem eo in loco Melanchthon. At vi-
deamus num sibi semper constiterit, post-
quam videlicet Catholicos Theologos
plus aliquid sapere intellexit, quàm eius
Grammatica complectebatur. Is igitur
» in locis, de caussa peccati. Est (ait) vera
» hæc, & pia sententia vtraque manu, &
verius toto pectore tenenda, Deum non »
esse caussam peccati, nec velle peccatũ. Et »
infra: Nec figuræ illę verborum in sermo- »
ne Hebraico pugnant, cum hac sententia. »
Indurabo cor Pharaonis, & similia. Certũ »
est enim Hebraica phrasi significari permis »
sionem, non efficacem voluntatem. »

Ex quibus antithesibus nemo sic trun-
cus fuerit, quin intelligat, quàm ista cohę-
reant secum, & cum ijs Lutheri verbis, in
quibus aiebat summam esse omnium rerũ
suarum, in negatione liberi arbitrij. Quin
verò istos duos, qui confessionis Augu-
stanę fabricatores fuerunt, vide mihi quàm
bellè eam tutati sunt ac docuere suis vel in
terpretationibus, vel apologijs. Quanti itẽ
discipulus Melanchthon fecit infamen il-
lam Magistri Lutheri iactationem, qua cũ
religiosorum statum apostata oppugnaret,
sic scriptum reliquit: De mea doctrina ita
certus sum, vt per eam & vester, & Ange-
lorum futurus sim iudex: Et, qui meam, »
non amplectitur doctrinam, nec potest nec, »
debet saluari.

To. 7. p. 405 ann. 22. VVitteber.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Horat. Poët

SED audistis Thrasonem, ac parturierũt
montes, & nati sunt tot ridiculi mures, qui
nunc se suaq́; quotidie corrodunt.

QVI verò illos subsecuti sunt Luthera-
næ farinę homines, visi quidẽ sunt interdũ
nonnihil melius sapere, cùm docuerunt vo
luntatẽ à coactione peccandi esse liberam,
spontaneam scilicet, qualis est voluntatis
actio circa naturalem suum finem, attamẽ
negarunt necessitate peccandi ineuitabili
liberam esse mentem humanam. Itaq; nec
fibras, neque ipsam huius tantæ blasphe-
miæ radicem succiderunt. Quæ cùm remã-
serit, liquidò patet, nullam per hos fuisse
vim meriti, gratiæq́; Christi efficacem ad
tollendum originale peccatum. Quamo-
brem & peccati regnum validissimè consta
biliuerunt, quicquid huic nescio cuius im-
putationis tanquam externi malagmatis
vmbraculum ad tegendam perfidiam ad-
mouerint. At nos Catholici & credimus,
& propter hoc loquimur, Christi Iesu Me-
diatoris nostri aduentum, mortem, gra-
tiam ad peccati destructionem sic fuisse
præordinata, vt prorsus illud efficeretur,
quod Euangelicis, & Apostolicis testimo-
nijs grauissimis constat: Dominum sanè
venisse, vt saluum faceret populum suum
à peccatis eorum: vt esset agnus Dei qui
tolleret peccata mundi, vt prædicaretur
in nomine eius remissio peccatorum per
omnes gentes, vt dissolueret opera dia-
boli. Sic item mortem acerbissimam pa-
ti voluisse, vt de peccato, damnaret pec-
catũ in carne, vt emundaret cõscientias no-
stras ab operib⁹ mortuis & ad destructionẽ
peccati per hostiã suam appareret. Sic deni-
que spiritus sui gratiam potissimum ideo
in corda nostra misisse, vt per legem vitę, li
beraret nos à lege peccati, & mortis, in qua
venundati eramus, & vt peccatum ampli-
us in nobis non dominaretur, qui non iam
sub lege, sed sub gratia sumus, quoniam il-
le est, qui cùm omnia possit verbo virtutis
suæ, purgationẽ peccatorum facit. Qui sit
benedictus in secula.

Somnia nouorum Luther. de lib. arbitrio.

Matth. 1.

Ioan. 1.

Lucæ 24.

1. Ioan. 3.

SED quam vidimus teterrimam istam
in Luthero doctrinam herbescentem, iam
vberes spicas in Caluino proferentem cer
namus: cùm enim duo illa pessimè decla-
rassent, naturæ nostræ corruptionem, &
Dei præscientiam: Ex ista potissimum
Caluino satanas præcipitium fecit ad aper
tissimos Atheismos. Deum enim asseruit
voluntate efficaci, siue actiua non per-
missiua tantum velle ipsum peccatum.
Neque verò hoc tam ad suos fines ordina-
re, quàm operari in nobis: Quin verò sic
operari vt nos excitet, atque re ipsa præ-
moneat, ne (quod Catholici dicunt) pute
mus à Deo duntaxat nos deseri, aut diuina
interdum gratia in peccando destitui. Imo
& addidit, ad peccandum nos à Deo de-
stinari, ac necessitate plus quàm fatali im
pelli. Beza eadem adhuc operosius scri-
psit, eo libro, quem aduersus Sycophan-
tam, hoc est Castalionem inscripsit: & de
hac tota re suis illis, quos iam se comperis-
se iactabat aphorismis (rectius atheis-
mis) est persecutus. Eorum autem quar-
to scribit DEI consilium non solùm
in eo esse situm, vt gubernet ac rectè diri-
gat opera creaturarum suarum sicut (in-
quit) Pallas Pandari sagittam direxit, sed
vim ei operantem, atque efficientem in
omnibus rebus attribuit. Vigesimo au-
tem tertio, Deum docet ita per suas cre
aturas quæ sunt eius organa operari, vt
eas non tantum sinat agere, & operari,
& earum actionum exitum dirigere, sed
excitare, impellere, mouere, regere, quod-
que adhuc deterius est, eò illas creare, vt fa
ciant quicquid statuerit. Ac tamen posteà
subdit, hoc quidquid est à Deo rectè, ac si-
ne vlla iniustitia fieri. In quo vides in-
famem atheismum, qui vbi sceleratissimè
Deo caussam omnium scelerum efficacis-
simam ascripsit, mox illum breui enco-
mio laudat. Quod si quæras vnde in tan-
tam vesaniam impij ceciderint, ex Luthe
ro quidem primùm id factum est, qui osti-
um (vt dixi) tãtæ nequitiæ patefecit. Dein-
de ex infixa altius, quã oportebat, in Calui
ni corde praua opinatiõe de prædestinatio
ne Dei ad malum. Atqui & ex ijs quæ su-
pra diximus, quæúe ex Tertulliano aduer-
sus Marcionem attulimus, pestilẽs ista do-
ctrina corruit. Cùm verò vix vnquam ne
ijs quidem, qui solo naturæ ductu ageren-
tur, tale aliquid in mentem venerit, sapien
ter Theologi vniuersam hanc rem expli-
cuerunt, vt quoniam arbor bona malos
fructus facere non potest, & radix si sancta
sit, ramos quoque sanctos esse oportet, ac
Deus lux sit, nec tenebræ in eo vllę esse
possunt: propterea sanctissima Dei volun-
tas à peccati (quatenus deformitatis, & de-
fectus à recta regula seu rationis, seu vo-
luntatis diuinę) vel operatione, vel voli-
tiõe, vel iussione liberrima sit. Sed & *a* Cal
uinus (vt mentiretur iniquitas sibi) cùm
contra Libertinos, & Anabaptistas scribe-
ret, à veritate coactus est fateri, tria esse, quę
in sua illa blasphemia latent venena, quæ
ipsemet vocat valdè execranda: Nimirum
si Deus auctor peccati statuatur. Nihil e-
nim, ait, inter Deum & satanam discrimi-
nis esse futurum: homines posthac tãquam
bruta præcipites, nullius nempè conscien-
tiæ freno in pessima queq; ruituros: Quan-
tacunque facinora approbatum iri, tan-
quam res honore, laudeúe dignissimas: stu-
pra nimirum, homicidia, sacrilegia, cęte-
raq́ue adhuc abominabiliora. *b* Iudicet
igitur seipsum de suo ore impius: & qui vel
ab ipso Bernensium senatu eo de articulo
damnatus est, sentiat nunc quàm fidam sa-
tanæ remuneratori operã præstitit. Cæte-
rùm qui præter antiquissimos Patres ad-
uersus hunc teterrimum atheismum (qui
quidem maximè viget inter hęreticos pe-
nè omnes, & in Anglia potissimum regnat)
calamum & studium acuerunt, hi præci-
pui fuerunt D. Thomas, cæterique schola-
stici doctissimi, vnà cum Valdensi aduer-
sus Viclephum: Sanctes item proprio Gal-
lico libro, quem imitatus Thomas Staple-
tonus accuratissimè (vt solet) imposturas
Caluini retexit, quibus tantam impieta-
tem callidè tegere satagebat.

Instit. li. 3. c. 16. sect. 1.

Matth. 12.

Rom. 11.

1. Ioan. 3.

a Caluinus c. 13. aduer. Libertinos

Caluini inconstans doctrinã.

b Anno 1555. 3. Aprilis præsen. tibus ministris quorum præcipui erant, Andreas Zebede⁹, Nionẽsis minister, & Ioãnes Angelicus minister Bursini

D. Tho. 1. p. q. 13. art. 16. & q. 19. art. 9. ad arg. Itẽ. 12. q. 79 art. 3. & q. 87. art. 2.

Thom. Valdẽsis in doctrinali fidei l. 1. c. 28

Sãctes tractatu des Atheismes de Caluin. art. 10. Quę Dieu n'est point aucteur des pechez.

Thomas Stapleto. l. de Iustific. xi. i per totũ. vbi agit de caussis peccati.

ATHEISMVS DECIMVS LVTHE-
ri doctrinam Catholicam de anima-
rum post mortem locis labefa-
ctantis.

CVM verò ex ea pestilenti doctrina se-
queretur, in renatis, qualiacunq; bo-
na & adeò Christiana opera esse damnabi-
lia, mirum est, quantos satanas in corde
Lutheri descensus posuerit. Nullam enim
bonorum operum mercedem forè hinc
sensim tortuosus intulit serpens. At subla-
ta mercede Christianarum virtutum, &
operum tollebatur & pœna. Vtroque

autem hoc ſubmoto, Deus ipſe (quantus quantus nomine tenus ab hæreticis iſtis vſurparetur) negandus fuerat. Id quod varijs artibus ſemper etiam in Ethnicis, atque Philoſophis accidit, qui quod in virtute ſummum bonum ponerent, licet eius perfectionem nondum agnoſcerent, humani tamen generis hoſti omninò placere non poterant. Quare ſic illos eſt perſecutus, vt aduerſus eos qui hac de re melius ſaperent, eaſdem alijs quas hoc ſeculo Lutheranis fecit, rationes inſtillauerit: Primò Stoicis, poſtea Epicureis, denique Theodoro Cyreneo, atque Diagoræ, ſicuti & Protagoræ fecerat. Nam cùm à Stoicis virtutis præmia negarentur, intulit Epicurus, ne DEVM quidem igitur punire mala, niſi remuneraret bona, ac proinde nullam eſſe DEO curam inferiorum rerum. Quod cùm alij excepiſſent, adijcere ſunt auſi, ne DEVM quidem eſſe: Tam facilè ruit, qui ſemitam rectitudinis deſerit. Ac quidem puto Carneadi, ſiue alijs eius ſcholæ nunquam veniſſe in mentem, vt ex ſuorum placitis blaſphema illa Epicureorum, atque atheorum dogmata ſequerentur. Sed ita fit, cùm beſtia tangit montem, & ad diuinarum rerum ſplendorem cum luto, & ſordibus accedit. Poterat igitur Lutherus, & reliqui ijs ſaltem vocibus vti mercedis, præmij, ſpei, quibus Chriſtus ipſe vſus fuerat, cuius ſapientia nec ſuæ bonitati derogat, cùm ſua in nobis dona coronat, neq; meliores Euangelij ſui interpretes, quàm qui per quindecim ſecula fuerant, expectabat. Quod ſi quis interroget, cur Lutherus tanto præcipitio oſtium aperuerit, citò me expedio. Quoniam hæreſis ad atheiſmum, vti ad ſuum centrum, aut ſphæram ſemper properat.

Hęreſis cētrum Atheiſmus.

CVM hæc ita ſint, mirum non eſt ſi quidquid cœleſtium coronarum pijs, aut inferni pœnarum impijs diuina ſcriptura proponit, ſic ille expoſuerit, vt etiam hinc latiſsima ad atheiſmum via complanaretur. Quis enim de inferno, ac reliquis locis, quos recta fides nos docuit, nutare incipiens, iam amplius de religione fuerit certus? & ſceptici quidem vt ſextus Philoſophus de Pyrrhonijs diatypoſibus inquit, nulli rei incertæ, & controuerſæ aſſentiebantur: Imò verò ne tùm quidem dogmata ſtatuebant, cùm voces ſcepticæ inſtitutionis pronunciarent, nimirum vel hanc οὐδὲν μᾶλλον; hoc eſt, nihilo magis: aut illam οὐδὲν ὁρίζω, hoc eſt, nihil definio. Quas voces cùm in tanto religionis negotio vſurpet Lutherus, an ſcepticā non Chriſtianam voluerit ſtatuere religionem non nemo intelligit. Certè quæ ad articulos fidei ſtabiliſsimos attinebant, incertiſsima reddidit, reddita facillimè è cordibus hominum, vt fecit, euulſit.

PRIMVM igitur ſtultitiam Papiſtarum taxat (ſic enim ille pro ſua modeſtia loquitur) qui poſt mortem fecerint quinque loca, infernum damnatorum: infantium non baptizatorum: purgatorium: limbum patrum: Deinde (inquit) in nouo teſtamento addiderunt Paradiſum propter verbum Chriſti: Hodie mecum eris in paradiſo: denique cœlum apertum. Hæc ille. Quibus verbis quantò magis cogito, equidem non video, quid ſibi Lutherus vellet, niſi quòd non ſolùm non curaret paradiſum, & cœlum apertum, ſed ſtultitiam hæc eſſe omnia (vt dixit) ita crederet, ac deniq; ne prorſus impius haberetur, Chriſti nomine (ac ſi ſine vllo loco is eſſet noſter paradiſus) omnem perfidiam ſublato etiam inferno tegeret. Sed videamus tam certi Euangeliſtæ tam incerta quæ ſequuntur. Primum (inquit) locum dicunt eſſe damnatorum, qui eſt cruciatus ignis æterni. Verùm an impiorū animę torqueantur ſtatim poſt obitū non poſſum adfirmare, &c. Apparet eos etiā dormire, & quieſcere, ſed nihil adſero.

Lutheri hæſitantia in rebus fidei.

To. in Geneſim c. 25. p. 154. impreſſum Norimber. anno 1555.

Secundus locus eſt non baptizatorū infantium, illos dicunt quidem damnatos eſſe, ſed non pati pœnā ignis, aut vermium. Sed tantum carere viſione Dei.

TERTIVS circulus eſt purgatorij, in quod nec damnati, nec infantes ingrediuntur, ſed qui credunt quidem, & tamen non ſatisfecerunt pro peccatis. Quartus eſt limbus Patrum, ad quem deſcendiſſe Chriſtū dicunt, & effregiſſe & patres liberaſſe, non ex inferno, ſed ex limbo, qui affligebantur deſiderio, & expectatione Chriſti, non pœnas, aut cruciatus ſuſtinebant vllos. Hiſce nugis repleuerunt Eccleſiam, & orbem terrarū, nos radicitus iſta omnia euertimus. &c.

De quinq; Animarū receptaculis.

HAEC quidem vt blaſphemè, ſic impiè Lutherus. Nam Eccleſia Chriſti ex multis Diuinę ſcripturæ locis, ex Apoſtolico Symbolo, ex ſpiritu Dei, qui eam regit, diſertè teſtatur, & inferos eſſe ſub terra, & Chriſtū ad patrum limbum deſcendiſſe, & ſanctos cum Chriſto regnare, ac ſequi agnum quocunque ierit. Purgatorium autem eſſe ſic credit, vt tamen Luthero, & alijs eiuſmodi eum locum haud obtigiſſe certò ſciat, cū non minus quàm Dathan, Abiron, & Chore ad inferna deſcenderit.

S. Baſil. 2. Exameron. & in deut. cap. 9. S. Cle. Rō. ep. 4. Clem. Alex li. 7. ſtrom. Damaſc. l. 2. de fide orthod. ca. 6. Apoc. 21. 2. Cor. 5. Luc. 16. Act. 2. Gen. 37. Aug. ad Heſych. ep. 80. Pagninus. Iſa. 14.

Et ſupremum quidem illud cælum, quòd cùm nullo motu cieatur, ſanctiſsimę Trinitatis eſt thronus: quodque cùm domicilium ſit intellectualium entium, rectè intellectuale, ſicut à D. Baſilio Empyreum

Matth. 11. Rabi Dauid Kimi in cōmēt. pſ. 9. & in Gen. 37. & in pſ. 133. Num. 16. 1. Reg. c. 28. Ioſep. li. 6. antiq. ca. 15. Iuſtin. dial. cū Tripho. Baſil. ep. 80. Ambr. in 1. c. Lucæ. Hiero. in 7. c. Iſaiæ. Aug. li. de cura pro mort. c. 15.

eum eſt vocatum, tum ex indito, tum ex cælitum ſplendore in ipſum redundante, eò magis cognitum eſt Theologis, & pijs, quāto minus patuit vel olim Philoſophis, & Aſtrologis, quorum ſenſus eò conſcendere non poterant: vel hoc ſæculo hæreticis, qui eruto ſibi fidei oculo aciem intendere nequeunt in ciuitatem illam, quæ (vt habet ſcriptura) non eget ſole, neque luna, vt luceant in ea: Nam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius eſt Agnus.

At & inferna loca eſſe ſub terra paſsim Diuinæ ſcripturæ docent, atque Eccleſia profitetur. Quare D. Auguſtinus ad Euodium ſcribens: Quis ergo (inquit) niſi infidelis negauerit fuiſſe apud inferos Chriſtum? Atque alibi ait, ſicut diuerſæ cuſtodiæ ſunt agentium in officio, ſic diuerſas cuſtodias eſſe mortuorum, & diuerſa merita reſurgentium. Septuaginta verò Interpretes, ac Græci idipſum monſtrârunt, cùm non ſepulchrum, neque τάφον (vt quidam temerè) ſed ᾅδην & τάρταρον, hoc eſt infernum verterunt. Quod & Rabini præſtantiores per Scheol intellexerunt: ac D. Hieronymus poſt Chaldæum paraphraſten vertit Gehinnon, ſicuti Chriſtus Dominus antea Gehennam vocauerat.

a Can. 29. de conſ. d. 1. c. Sacramē. *b* Can. 79. & 95. 26. 9. 7. Can. ſacerd. 5. *c* Can. 2. & 6. 3. 9. 2. 5. q. oblationes. *d* Can. 4. *e* Cap. 14. *f* Cap. 34. 39 *g* Can. 10. *h* Can. 17. *i* Cap. 10. *l* Ca. 15. 16. 31. *m* Cap. 2. *n* 26. qu. 6. c. ſi aliquis. *o* De cōſec. d. 1. cap. viſum eſt. *p* Can. 66. de ſimonia c. ad Apoſ. *q* Seſ. 8 ar. 5. *r* In decreto vnionis. *ſ* Seſſ. 6. can. 30. & ſeſſ. 25. c. 1.

Sic Purgatorij locum ſexdecim Synodi varijs temporibus, ac locis docuerunt. *a* Carthagin. III. & *b* IIII. *c* Viennenſe, *d* Valentinum, *e* Aurelianenſe II. *f* Bracharenſe I. & *g* II. *h* Antiſiodorenſe, *i* Vormacienſe, *l* Triburienſe, *m* Toletanum, VII; *n* Epanenſe, *o* Cabilonenſe, *p* Lateranenſe Maximum, *q* Cōſtantienſe, *r* Florentinum, *ſ* Tridentinum.

Idem de limbo patrum, & de receptaculo puerorum nō baptizatorum, cùm illud ex varijs D. Scripturę locis, tum hoc efficaciſsimis rationibus ex D. iuſtitia petitis aſtruxit, quæ videlicet ſuum vnicuique diſtribuit.

Geneſ. 37. 1. Reg. 28. Lucæ 16. Iren. libr. 5. Greg. lib. 13. mora. c. 22. Damaſc. li. 3. cap. vlt. Beda lib. 3. in Iob c. 7. Inno. 3. ca. maioris tit. de bapt.

Sicut enim in prælijs occaſio ſeſe multiplex offert meriti, demeriti, victoriæ, caſus. Signo autem receptui dato, cernis hos triumphantes, illos ob prædam lætos, alios (licet victores) accepta vulnera non ſine dolore curantes, reliquos vel fugatos cum dedecore, vel amiſsis omnibus captiuos, aut interfectos: Sic multò magis poſt hanc vitam, quam D. ſcriptura militiam non ſine cauſſa vocat, cùm primum eſt pugnę finis indictus: Animæ victrices aliæ, ſiue olim ad limbum patrum quaſi in portum ſeſe recipiebant: ſiue poſt Chriſtum ad cælum euntes pleniſsimū gaudium aſſequuntur: aliæ victrices quidem, ſed quæ adhuc vulneratę quaſi per ignem (vt inquit Apoſtolus) expiandę, ad Purgatorij locum deſcendunt. Reliquę addicuntur æternis pœnis. Cùm interim ij, qui inter milites per ſacramētum fidei nondum conſcripti occubuerūt, vt laborum, aut vulnerum fuerant, ſic & triumphi, aut doloris ſunt expertes.

Nota pul. Vide Atheum fabulas Theologicis rebus immiſcentem.

ATHEISMORVM COLLVVIES À Lutheri & Caluini diſcipulis Nearianis, Sabellianis, Samoſatenicis, & Ebionitis in orbem inuecta.

CAPVT VII.

SED quam diximus in Luthero impietatem apparuiſſe herbeſcentem, in Caluino autem ſpicas (ſeu potius ſpinas) proferentem, iam videbimus in nouis Arianis, Sabellianis, Samoſatenicis, & Ebionitis ſic maturuiſſe, vt illud in eos quadrare poſsit, quòd inquit Pſaltes: Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ terræ. Quamprimùm enim ceciderunt iſtę hęreſum tenebrę ſuper bonā Germaniæ, ac Gallię partem, exilire ex antris immanes ferę, quærentes quos deuorarent, & ſua quęq; aconita euomentes. Tum apertum bellum indictum eſt Deo, duoque à ſatana Geneuam, atq; ad Bernates Heluetios, tanquam ad propriam officinam miſſi ſunt, reliqui in Poloniam, & Vngariam, atque in Tranſſyluaniam iuêre, quòd hæ Prouincię Maometanis proximę, peſtilentibus quibusq; atheiſmis fouendis, & propagandis materiam, vires, tutelam, eſſent ſuppeditaturæ. Nos commentarijs Tranſſyluanicis, quibus eam hiſtoriam à mille quingentis annis vſque ad nos perſecuti ſumus, ea quæ de iſtis Atheorum dogmatib⁹ ipſi vidimus, ob oculos omniū poſuimus. Nunc autem quando, quóue loco, & per quos vniuerſa colluuies atheiſmorum hoc vno ſęculo ex ſeminib⁹ Lutheranis & Caluinianis erupit, dicendum eſt planius. Sic enim ſatanę aſtus liquidiſsimè ad Dei gloriam innoteſcet, & vnuſquiſq; intelliget, quàm vera illa ſint, quę Diuina ſcriptura prę monuit: Qui modica ſpernit, paulatim decidet. Quæúe D. Auguſtinus: Quomodo enim (inquit) coluber nō apertis paſsibus, ſed ſquamarum niſibus repit, ſic lubricus deficiendi motus minutatim occupat.

Pſal. 103.

S. Aug. lib. 12. de Trin. ca. 10. & 11.

Anno igitur huius ſęculi trigeſimo ſecundo, Michael Seruetus Hiſpanus apparuit, qui aduerſus ſanctiſsimā Trinitatem, Deique eſſentiam dimicationem ſuſcepit. *a* Nullam enim eſſe diſtinctionem perſonarum in diuinis blaſphemauit, atheiſmū Praxeæ iam ante mille & quadringentos annos

a Seruetus li. 5. de Trinitatis errorib. pag. 189. Et in dialogo 1. pag. 229. & in reſponſ. ad art. 1. ex his quos collegerat Caluinus. Ita miniſtri Tranſſyluanici libro 2. cap. 4. Aug. lib. de hæreſibus §. 40. Hilarius de Synod.

annos à Tertulliano, & alijs expugnatum ab inferis reuocãs, ac Noeti, & Sabellij, quæ à D. Auguſtino recitantur, Pauli item Samoſateni, atque Photini hæreſes ſuſcitans, ſicut oſtendit S. Hilarius: *b* Adiecit; Chriſtum ante Beatiſsimã Virginem nihil, ſed ſolum ideam in mente Dei fuiſſe, quomodo nos fuimus ab ęterno. In quo Ebionem, & Cerinthum, Samoſatenumq́ue, & Photinum licet agnoſcere: quamuis à Praxęa, & à Noeto diſſentiret, qui Chriſtum áſſerebant eſſe æternum, & patris perſonam cum filij perſona confundebant, vnde & Patripaſsiani vocati ſunt. Sed & Deum Patrem ſic homini Chriſto ſuam cómunicaſſe Diuinitatem ſenſit, vt non per ęternam generationem, ſed per vnitionem gratiæ fuerit quidem Deus, at factus, at temporalis, at minor patre. *c* Neſtorij itaque laqueo præter aliarum hæreſum nodos implicitus eſt docentis, Chriſtum fuiſſe Deum per inhabitantem Deum, tanquam in templo. Denique hic Geneuæ flammis *d* traditus eſt, à Caluino, qui hanc hiſtoriam conſcripſit, homo vt auram inanis glorię vndequaque captans, ſic ne ſibi queſtus periret, ſi quis alter nouator Geneuenſem thronum ſubriperet, ſatanæ officium diligenter exercuit, qui ſolitus eſt ſic amicos per alios amicos ſuos accipere.

b Seruetus li. 3. pag. 92. de errorib⁹ Trinitat. Tranſſylua nici mini ſtri lib. 2. c. 3. & 4. Irenæus lib. 1. c. 25. & 26. Aug. §. 44. de hęreſ. & 45.

c Theodor. li. 4. hæret. fabularũ.

d Anno 1555.

e Anno 1558.

Ac & *e* triennio poſt eadem in ciuitate Geneuę ſatanas nouum cudit Arianiſmum per Valentinum *f* Gentilem, Gribaldũ, & alios. Gentilis autem eo in errore depreheñſus, *g* coactus recantare id fecit. Mox fugiens Cracouiam, quæ Poloniæ minoris eſt ciuitas, Paulum Pſeudopaſtorem Cracouienſem ſeduxit, & ex improbo Caluiniſta facilè peſsimum fecit Arianum. In habentibus enim Symbolum facilis eſt tranſitus. Itaque & non dubia ſpe metendi id quod ſeminabat, dum diligenter in hoc incumbit, à Zuinglianis *h* necatus, eam tamen peſtem reliquit in Polonia viuam, cuius hæc erant præcipua capita.

f Benedict⁹ Aretinus de ſupplicio Valentini.

g Acta publica Geneuæ.

h Anno 1566.

Patrem, & filium, ac ſpiritum ſanctum tres eſſe ęternos ſpiritus *i* eſſentiali numero differentes: Antiquas enim illas ſordes & ipſe corraſit eorum, qui à Theodoreto Peratæ vocati docebant tres perſonas eſſe tres mentes, & tres Deos: quem errorem poſteà exceperunt ferè ante annos mille *m* Philoponus, recentius autem Abbas Ioachimus, atque alij, quos omnes Lateranenſis Synodus damnauit.

i Gentilis protheſi 26 & 33. & Benedictus Aretinus.

l Theodor. de fabulis hæreti. lib. 1. cap. 18.

m Suidas in verbo Philoponus. Niceph. li. 1. 18. ca. 48. Abbas Ioachimus libro contra Lombard. Lateranen. Syn. c. 2. in decretalib.

Deinde *n* patrem eſſe longè maioré filio, ac Spiritu ſancto. Patrem enim aiebat eſſentiatorem, reliquas duas perſonas eſſentiatas: Arianos ſecutus cuius hanc ipſam hęreſim, à Synodo Nicæna conuictam, & condemnatam fuiſſe *o* Epiphanius pręter alios meminit.

n Protheſi 8. & 10. 22. 24. 28. 40. & Antid. tertio in li. Antid. pag. 26.

o Epiphan. hæreſ. 69.

Sed & aliam adiunxit hæreſim, cùm filium, ac ſpiritũ ſanctum *p* docuit eſſe ex nihilo, vel ex tempore, & non ab æterno productos. Id quod *q* Ariani antiquiores pręrdocuerant, filium aientes creaturam eſſe, & factum ex non extantibus, licet poſteà recentiores (vt aliæ ſemper inter iſtos ex alijs ſciſſuræ erumpunt) cœpiſſe eſſe filium aſſeruerint.

p Protheſi 11. & 21.

q Aug. de Trinit. lib. 6. cap. 1. Et contra Maxim. lib. 1.

His ergo fundamentis iactis cœpit ſuperſtruere ſatanas, quod ſibi propoſuerat, vixq́ue ſeptennium agebatur, cùm ſatis lignorum ad excitãdam flammam ſibi viſus collegiſſe, fecit, vt colloquium in Polonia noui Ariani peterent ijs de rebus quæ ad religionem ſpectabant: petitum igitur obtinuerunt non bono exemplo, magno ſanè damno, tam inſignis & pij Regni. Ex ijs verò, quæ Petricouiæ acta ſunt, vbi locus conuentui delectus eſt, intelliget quiſque cordatus, quonam res euaſerit, & quãtum perfidia eſt audax, niſi freno iuſtitiæ, ac veritatis cohibeatur.

SVMMA COLLOQVII CVM NOuis Arianis Petricouiæ in comitijs, in Regno Poloniæ habiti 1566. ante Dominicam quæ dicitur Lætare.

CVM Petricouię comitia haberentur, in quibus de ſalute Reipublicæ contra immanem hoſtẽ Moſcum deliberabatur, placuit magnæ nobilitatis parti, Rege Sigiſmundo permittente publicum colloquium de religione inſtituere. Primùm igitur ex parte altera erant ſelecti quatuor teſtes futuræ actionis viri Illuſtres, duo ex minore, totidem ex maiore Polonia. His adiũctus erat Scriba, vir nobilis. Totidem fuere aduerſariorum & teſtes, & miniſtri, quorum miniſtrorum hæc ſunt nomina: Gregorius Paulus dux hæreſis Tritheitanæ, Lutomirius, Pacleſius, Homanus: Scriba verò homo nobilis, qui contra duas epiſtolas Caluini ad fratres Polonos ſcripſit, Ioannes Cazanouius. Sed quęſtio erat de pręſide, quis & an vnus eſſe deberet. Placebat alteris, vt alternis diebus, vnus ex vtraque parte pręeſſet: vbi cùm diſcordes eſsẽt, tandem duo electi ſunt, vnus vnius, alter alterius partis. Porrò cùm iam ad rẽ ipſam accederẽt, ſummus Regni Magiſter, quem Marſchalcum vocant (is autem erat vnus ex teſtibus) pręfatus eſt, & ad colendam pacem ac reditum, aduerſarios inuitabat, his verbis ſubiectis: Iam igitur, inquit, conſtituta propoſitione qua de agendum eſt,

Oppugnatur hæc enunciatio, Pater, Fili⁹, & Spiritus ſanctus ſũt vnus Deus. Quaſi vni⁹ Dei nomine ſolus pater intelligendus ſit.

in

in Dei vnius in Trinitatis nomine exordimini. Vbi protinus quidam eorum toruè inſpiciens reſpondit: Nos verò hîc non dicimus, Amen. Neque enim nos nouimus iſtum Deum Trinitatem. Tum alij: Nulla iam alia (inquiunt) propoſitione nobis opus eſt, cùm ſe hæc obtulerit. Nos autem DEO fauente & volumus, & parati ſumus demonſtrare, quòd Spiritus ſanctus non alium nos DEVM in ſcriptura doceat, niſi ſolum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, id eſt, DEVM vnum in Trinitate. Is erat ad rem acceſſus, verùm vt eò melius res ipſa percipiatur, poterit tota iſta actio in tria capita diſtingui.

I. In primis quatuor ſeſsionibus nihil aliud, quàm veri ac puri verbi DEI teſtimonia in medium afferebamus, idq́ue ideò quòd aduerſarij ſententijs verbi DEI gloriari, ſeq́ue iactare apud vulgus ſoleant, vt illud tantò facilius decipiant, inq́ue hæreſes inducant. Primùm igitur legebatur noſtrum ſcriptum, cuius hæc erat ſententia. Nos quidem, ô amici, haud difficulter poterimus vobiſcum eam rem tranſigere. Nam vbi primùm Biblia aperueritis, & initium veteris & nouæ legis conſideraueritis, ſtatim offendetis id ibi aſſeri, quòd vos pernegatis. Sic enim Geneſis primo, ſcriptura loquitur: Faciamus hominem ad imaginem noſtram. Noſtram, inquit, non meam; poſteà verò addit: Et fecit DEVS. Nouæ autem legis initium, hoc eſt: Verbum erat apud DEVM, & verbum erat DEVS. Videtis vt in veteri lege loquatur, vnus DEVS tanquam de tribus; hîc verò, quod filius verbum æternum (Nam quod ab initio erat æternum eſt) erat apud DEVM. Et erat idem non alius, vti vos perperam interpretamini, DEVS. Multa & alia ſunt nobis verbi Diuini teſtimonia: Verùm ne longiùs progrediamur, videtis vt ſtatim ab ipſo Bibliorum principio redarguamini. Iſti verò ſecundo conſeſſu ſcripto noſtro reſponderunt, quod ipſorum reſponſum, quàm à nobis tertio ſcripto funditus euerſum fuerit, ille demùm intelliget, quicunque illud leget. Sed & extremum eorum reſponſum idem teſtatur. Vbi cùm iam planè nihil directè reſpondere poſſent, obiecerunt nobis quaſdam æquipollẽtes enunciationes minimè ad rem pertinentes, & quaſi ex alia theca petitas. Is erat primus inſultus colloquij quatuor actibus abſoluti.

II. In ſecundo conflictu tanquam in tabula depicta conſenſionem primitiuæ Eccleſiæ ad noſtra vſque tempora deductam, quàm manifeſtiſsimè demonſtrauimus. Nempè quòd non alia vnquam doctrina in Eccleſia DEI viguerit quàm qua filius DEI eſt verus DEVS. Nemo eſt autem qui neſciat, non niſi duos poſſe eſſe Deos verum aut falſum. Quod ſi filius DEI verus eſt DEVS, non poteſt eſſe alius quàm vnus ille, quem concordi conuentu celebrat vniuerſa Sancta ſcriptura. Audi Iſrael: Dominus Deus tuus vnus eſt. Et ego ſum DEVS, ante me non eſt alius DEVS, & poſt me non erit, & præter me non eſt. Hîc aduerſarij huic noſtro veterum Eccleſiarum conſenſui, contrarias eorundem ſcriptorum ſententias oppoſuére, quibus tamen nihil oſtendebant, nec quicquam aliud afferebant, quàm illud ſuum: vnus eſt DEVS Pater. Quas ſententias vbi ad ſatietatem vſque recitaſſent, ſtuduimus eas paucis verbis refutare. Concedimus quidem, dixerunt noſtri, vnum eſſe Deum Patrem, ſed DEVM Patrem ſapientem, & ſpirantem, hoc eſt, vnum cum filio, & Spiritu ſancto. Ad quæ illi: Quandoquidem (inquiunt) Patrum teſtimonia tam veſtra quàm noſtra vera ſunt, conſequens erit, vt iſti Patres ſibi ipſis ſint contrarij. Faceſſant igitur iſti. Nos verbo Dei inhæreamus, quibus orthodoxi. Vos verò inquiunt, quemadmodum neque verbum Dei, quod vobiſcum faciat, ſicut iam oſtenſum eſt, ita neque conſenſum Eccleſiæ, quo magis confirmemini habere poteſtis. Patres autem illi ſancti non ſibi ipſis aduerſantur, neque enim amentes fuére, nec bilingues, vti vos eos traducitis, ſed ad ſcripta eorum intelligenda neceſſe habetis arcana quadam claue. Hic vbi clamantes aſſeuerarent, eos ſibi ipſis eſſe contrarios: Noſtri illis propoſuerunt ex ijſdem Patribus deſumptos eiuſmodi locos, contra quos nihil poterant mutire, quibus in locis ſeipſos interpretantur, & declarant manifeſtè, videlicet nihil inter duo enunciata intereſſe, immò æquipollentia eſſe. Vnus eſt DEVS, hoc eſt, DEVS Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & vnus eſt DEVS pater. Nam illi ſemper intelligunt Deum

patrem

patrem esse vnius cum filio, & Spiritu sancto essentiæ, prout inquit Tertullianus: cùm, inquit, nominatur Deus pater, intelligitur & filius, etiamsi non nominetur. Hic erat finis alterius congressus, tribus actibus absoluti.

III. Porrò in tertio conflictu ad historias ventum est. Nam vbi & testimonijs verbi Dei & cõsensu sanctæ Ecclesiæ conuicti essent, receperunt se ad historias, quas iam in promptu habebant, quas illi cùm proferrent, studuerunt potissimum duplici turpissima reprehensione fidei Christianæ auctoritatẽ derogare. Prima fuit, cùm pertinacissimè assererent, quasi hęc nostra fides in Nicęno primùm concilio fabricata, & in lucem edita esset: Altera cùm dicerent, quasi magna vi à Cæsare Constantino, & ab illis Episcopis constituta, atq; stabilita esset, vbi se dolore affici professi sunt ob caussam illorum quinque discipulorum Arij nolentium approbare verbum ὁμοούσιον, carpentes sanctos illos Patres Athanasium, Cyrillum, Augustinum, Epiphanium, Chrysostomum, & illos præstantes Imperatores, Gratianum, Valentinianum, & Theodosium, qui suis edictis fidem Christianam sanxerunt. Quæ omnia scripto complexi nobis obtruserunt. In quo scripto palàm vituperarunt Concilium Nicænum, sanctos Patres, & pios illos Imperatores, fidemque eorum. Contrà verò comprobârunt Concilium Arianum Syrmij habitum, eique subscripserunt, laudantes tam discipulos illos Arij, fidemque ipsorum, quàm Constantium Cæsarem fautorem Arianorum.

De hoc cõcilio lege Nicepho. l. 9. cap. 31.

Hęc nos vbi audiuimus, scriptumq; eorum magno cũ animi nostri dolore accepimus, huiusmodi eos verbis postremo consessu allocuti sumus: Non sine graui animorum nostrorum mœrore id ex vobis amici intelleximus, quod vos palàm profitemini, Arij esse amatores. Nos verò omninò parati eramus demonstrare fidem vestram, quàm ea recens, quàm vana sit, non tantum sanctis literis, consensu Catholico, ac historijs, sed quocunque tandem voluissetis scriptorũ genere. At quoniam expressis verbis contestati estis vos Arianarum partium fautores esse, pręclusistis iã hoc pacto, viam & nobis vobiscum, & vobis nobiscum deinceps hisce de rebus differendi. Non enim vos latet, quàm Arius fuerit hostis omnis Catholici nominis. Nobis autem, qui exigua fidelium pars sumus, neque conuenit, neq; nos decet caussam totius orbis Christiani transigendam suscipere. Quod si faceremus, neminem esse existimamus, qui non hoc nobis vitio potius vertat, quàm tribuat laudi: pręsertim cùm & Apostolicis mandatis, & legibus Romanis ab eiusmodi curiosis quæstionibus arceamur. Attamen ecce vobis scriptum, quo ostendimus, non ex mutilatis, sed certis & fidei probatę historijs verbum ὁμοούσιον adeò doctrinam de Deo vno, & Trino ante Nicęnum concilium fuisse, illosque trecentos decem & octo Episcopos qui illic aderant, nihil aliud quàm antiquam, & à maioribus acceptã fidem (quos nos nescimus, quid noui inuexisse putatis) clariorem reddidisse. Sed neque vis cuiquam, vti vos existimatis, vlla illata est, quod testatur historia Socratis l. 1. ca. 8. Ad hęc omnes historici testantur, Constantinum illum religiosissimum Imperatorem nihil ausum fuisse in consensu illo amplissimo eloqui, nisi prius ab Episcopis petita venia. Vos verò cùm omnia perperam interpretemini, Dei ideo vindictam aliquando experiemini. Iam verò videmus nullam vobis ampliùs esse sortem in hac hęreditate.

His illi auditis vale nobis dixerunt & verbis, & scripto. Hic verò cùm vnus surrexisset, ad precandum omnes cohortatus, Deum aduersarijs propitium precatus est. Tandem cùm finis actioni imponendus esset, cecinimus vulgatum Hymnum sacrosanctum in hęc verba: Deo patri, & filio, & spiritui sancto omnipotenti Deo laus sit, & honor perpetuus, Amen. Vbi statim aduersarij cùm hęc verba ferre non possent, cœperunt sese subducere, negantes se velle dicere, Amen.

Is fuit finis colloquij. Deinde die Dominico, qui Lętare dicitur, conuocatus est vniuersus nobilium cętus, vt rem gestam agnosceret, vbi summus Regni Magister ex consensu reliquorum testium professus est totum negotium, ita quemadmodum hîc perscriptum est, gestum, atque transactum esse. Idque ipsimet etiam testes comprobarunt.

Colloquij cum Trinitarijs finis.

VELITATIONES ALIAE ARIAnorum, & Antitrinitariorum in Transsyluania aduersum Deum.

ET hæc sanè agebantur in maiore Polonia cùm interim in Transsyluania noui indies cudebantur Atheismi, mutuasque sibi operas pręstabãt Sarmatę & Daci. Non diu igitur post prodijt pestilẽtissimus liber, quem bipartitum de falsa & vera vnius Dei patris, & filij & spiritus sancti co-

cti cognitione inscripsere, qui sese dictitabant Ministros Ecclesiarum in Sarmatia, & in Transsyluania. Vt verò popello fucum facerent, consentire inter sese vtriusque eius Regni Ministros initio libri placuit addere. Quo libro quoniã plurimi ad æternum interitum fascinati sunt, expedit omninò altius repetere quędam, quæ satanæ modum aperiant, quem tam horrendis blasphemijs insinuandis adhibuit, tum verò quid liber ille contineat dicam.

A latere Ioannis Sepusij adolescentis Transsyluaniæ Principis Medicus nõ discedebat qui olim in Transsyluaniam venerat, & Georgius Blandrata vocabatur. Hic iam vsque ad fæces epoto Serueti, & Valentini Gentilis veneno, operam dabat, vt latè diffunderetur: Principẽ igitur quẽ vtriusq; speciei prætextu, à fide Catholica auerterat, sensim in Lutheranismum tanquam in secundum gradum præcipitij deducit, Dionisij Alexij Lutherani concionatoris opera, quem, cùm Claudiopoli pastorem ageret, ad id munus à principe in aulam euocari curauerat: vbi verò principem ea in hæresi satis promotũ videt, Dionysium submoueri ex aula, & in eius locũ Franciscum Dauidis substitui curat. Hic enim è Catholico factus Lutheranus, mox in Caluinismum ruens, paulò post Blandratæ, & aliorum insidijs in Arianismum, deinde & in Samosatenismum decidit.

Astus hæreticorum in Principe inficiẽdo sua labe.

Francisci Dauidis in religione inconstantia.

Aulicis autem quibusdam interioribus, & apud Principem gratiosioribus secretò hac ipsa labe iam aspersis, paulatim Caluini dogmata principi propinantur, quæ cùm temerè hausisset, sat commodè eum in Arianæ impietatis barathrum pręcipitarunt. Adiuuabat infaustum rei progressum Medicus alter Italus Franciscus Stancarus, qui medicinam specie profitens, re ipsa satanæ regnum propagans, & in proceris Hungari domibus latitans, eadẽ quoad eius fieri poterat venena spargebat. Per tentatis igitur alijs, cùm (si ad suas impostu ras accessisset auctoritas principis) cogitassent rem multò vberius processuram: Franciscum Dauidem eò adigunt, vt præsente principe sanctissimam Trinitatem ex suggestu perneget, Christi Dei filij Diuinitatem blasphemet, sicut in æde D. Petri Segesuariæ fecit. Id autem vt res magis innotesceret, & noceret, reseruauerant in tempus comitiorum, quæ in ea Transsyluanię ciuitate anno huius seculi sexagesimo sexto erant habenda. Prædicatam impietatem alij libenter exceperunt, alij detestati, sed pauci hiscere ausi sunt ob reuerentiã principis. Tunc Lutherani, & Caluiniani inter sese agere, vt Eniedi, & Albæ Iuliæ Arianos ad disputationem prouocarent, haud intelligentes, vbi fidei vnitas non est, veritatem inde haud posse elucessere: hæc verò si desit, inde quoque longissimè abesse Deum. Et sanè nisi Dominus ædificauerit, frustra laborant, qui cùm extra Ecclesiam sint, Ecclesiam putent extruere. Tum igitur consiliarij politici ad principem facilè se adiunxerunt, quem quò magis ruere cernebãt, eò magis grauiore peccati mole impulsi & ipsi ruinas aceruabant. Porrò verissimum illud est, agentes, & consentientes pari non solum pœna, sed prius culpa puniri. Intereà suis calcar addebat satanas, vt Trãssyluaniæ finibus haud cõtenti, in Vngaricam quoq; planiciem descenderent, in qua virus illud spargerent: ij igitur diabolico sanè astu vnâ cum principe Varadinum ad disputationem deligunt. Conuenere Ministri reliquarum hæresum Petrus Melius Dobricinensis, Petrus Caroli, Georgius Czegedius, & alij eius farinæ. Ibi post vehementem vtriusque contentionem Franciscus Dauidis auctoritate principis nixus, quem cùm haberet discipulum callidè tamen iudicem isti controuersiæ delegerat, licentissimè triumphum inclamat, ac si Christum de solio infælicissimus deiecisset. Hæretici sanè alij cùm scripturas citassent, & ab Arianis earundem scripturarum vim, varijs commentis audacter eludi viderent, intellexère, quàm sibi antiquæ fidei regula ex Patribus & Synodis erat necessaria. Itaque etsi huc accurrissent, noluit tamen Deus hæreticorum opera aduersus hæreticos vti in veritate asserenda. Nam & propterea non sinebat Iesus se à dæmonibus nominari: Et verò à spiritibus qui obsederant quosdam, responsum fuit Iudęis, qui eos adiurabant: Iesum scio, & Paulum noui, vos autem qui estis? Blandrata deinceps, & Franciscus Dauidis cristas erigentes, spe concepta, forè, vt breui quoquouersus ea impietas serperet, aliquos deligunt iuuenes, quos ea prauitate imbutos Patauium mittant, vt comparata maiore literatura, si quem ea in Academia decipere possint, id faciant. Cæterum suo tempore in Vngariam redeant, latius pestem illam disseminaturi. Pataui cùm se Catholicos finxissent, & quicquid addiscebant, id ad Christi Diuinitatem negandam detorquerent, posteà de studijs suis monstrarunt, quàm illud nimis verum sit, vnumquodque recipi per modum recipientis. Rediere igitur in Transsyluaniam, quorũ vnus infęlicissimè mortuus est, cùm præceps è scala collum fregisset, alijs, si qui supersunt paulò post sensuris, (nisi resipiscant) nõ defuturum causę suæ Deum.

Ex disputatione cũ Arianis Protestantes intelligunt fidei regulã esse necessariam.

Act. 19.

um.

um. Ex Germania item accerſitum Ioannem Somerũ hominem loquacem, ſed qui Græcè noſſe videretur, cùm à Lutheranis defeciſſet, Claudiopolitanæ ſcholæ præficiunt: In huius locum, quòd vnà cum vxore & ſocru peſtilentia correptus diem non multò poſt obijt, Matthiam quendam Polonum tanquam Hebraicæ linguę peritum ſic ſufficiunt, vt tamen ei præeſſet Iacobus, qui ſe Paleologum vocabat, & in Græcia natus fuerat. Huic mandant tanquam Gręcas literas vti Græco callenti, vt Biblia corrigat, correctionem eam intelligentes, qua vulgatam, & à multis ſeculis à Chriſti Eccleſia receptã verſionem deprauaret, atq; ad ſua dogmata aptaret. Sic enim & Lutherus, & Caluinus, & alij fecerant, vt de ſuis quisque lapidibus gladium non Diuini verbi, ſed ſuum acuentes facilius mentes Chriſtianas à veritate auerterẽt. Sed tamen & hic poſtea nouis ſuis dogmatibus cũ illis pugnãs aufugit, donec ante bienniũ ad

Anno.1583.

ductus Romam hæreſes, & Atheiſmos abiurauit, ac poſtea in eaſdem relapſus, combuſtus eſt. Ea igitur dũ agerentur, librum, vt

Ann. 1567.

diximus, ediderunt, teterrimæ & infernalis blaſphemię pleniſsimum, quem in duos diſtribuerunt, quorum ſummam huc adijciens eò breuius refutabo, quòd magna pars ſuperius refutata ſit.

SVMMA ET REFVTATIO PESTIlentiſsimorum duorum librorum, quos Transſyluanici miniſtri contra Sanctiſsimam Trinitatem euulgârunt.

AC primùm libri illi ſine auctoris nomine prodierunt. Quo vno nomine ſe prodidit impietas. Qui enim malè agit, odit lucem. Id ſanè nũquam in vllo perſpectũ eſt antea cõtigiſſe, qui eſſet miſſ⁹ à Deo.

DEINDE vt radicitus tollant quicquid Chriſtus Dominus hactenus per ſexdecim ſecula ſuæ afflauit Eccleſiæ, à Chriſto inquiunt, & Apoſtolis prædictum fuiſſe, poſt aſcenſionẽ ilicò venturum Antichriſtũ, Chriſti fidẽ penitus aboliturum, itaq; parum duraſſe Chriſti Regnũ. At impij in caput ſuũ mentiũtur. Diuina enim vox prolata per Angelũ, dicẽtem de Chriſto; Et regnabit in domo Iacob in æternũ quomodo conſiſtet? Et illud Aggei: Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc vnum modicũ eſt, & ego cõmouebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & mouebo omnes gẽtes, & veniet Deſideratus omnibus gentibus, & implebo domum iſtam gloria dicit Dominus exercituũ. Meum eſt argentum, & meum eſt aurũ dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſsimæ, plus quàm primæ dicit Dominus exercituum? Atque iterum illud Eſaiæ: Et aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte, non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges eorum adducantur. Gentes enim, & Regnum quod non ſeruierit tibi peribit, & gentes ſolitudine vaſtabuntur? vt mittam ſexcenta alia id ipſum teſtantia. Quin verò ſi Chriſti Regnũ fuerat ilicò penitus abolendum vbinã reſeruatum erat exemplar, ꝗ iſtis aſſeruaretur, vt ad illud omnia inſtaurarẽt? Deinde cũ is dici poſſit Antichriſt⁹. qui contrarijs ſtudijs, & profeſsione doctrinæ, ac moribus contrarios Chriſto fines doceat, ecquid vel doctrinæ, quæ ab Apoſtolorum tempore fuerit ſublatum eſt à Catholicis? Aut ecquid ab ijſdem obtrectatũ eſt virginitati, præſtantibusq; alijs virtutibus quæ in Apoſtolis Chriſti viguerũt? Sed nec tẽpus Antichriſti, nec quę de hoc à Daniele, à D. Ioanne Euãgeliſta, & ab alijs ſcripta ſunt, vlla ratione cum illorum blaſphemijs cohærent, vt alibi docuimus.

Li.1. cap. 1. — Luc. 1. — Agge. 2. — Iſaiæ. 60.

Vide ſcriptũ meum traditũ Magno Duci Moſcouiæ hac de re, & Theſes Thyræi de Antichriſto doctiſſimas.

PORRÒ aiunt, Chriſtum & Apoſtolos docuiſſe vnum eſſe Deum Patrem, & vnũ hominem Chriſtum. Sed paulò poſt, à Catholicis tres Deos ſeu Trinitatem, eoq; vno duos Chriſtos factos fuiſſe. At & hæc blaſphemia eſt, & ſine vlla fronte mendacium. Nec enim niſi vnum Deum agnoſcimus, huncq; ſimpliciſſimum. Neq; in tribus perſonis ſanctiſsimæ Trinitatis plus quàm vnam ſimpliciſſimam eſſentiam profitemur, ac diſertiſsimè in Symbolo vnam numero diuinitatem, & cum Diuo Athanaſio paſsim canimus: Non tres Dij, ſed vnus eſt Deus. Sed & hæc ſuperius à nobis confutata ſunt, & impietas iſta omni anathemate confoſſa eſt ex Dei verbo, & vnanimi Patrum conſenſu.

Li.1. cap.3.

ADDVNT, cœptam fuiſſe tempore Diui Ioannis Euangeliſtæ prædicari Trinitatem, atque omnes Patres deinceps, & ipſum adeò Athanaſium, atque alios eam doctrinam propagaſſe, quę inſuper eodem Athanaſij tempore ferro, & flammis ab ijſdem fuerit defenſa. Sed neq; primum illud verum eſt. Cur enim D. Ioannes, qui ſcripſit aduerſus Cherintum, cæteroſque iſtarum peſtium præcurſores, non ſcripſiſſet aduerſus alios? Cùm enim poſt Chriſti Domini reſurrectionem ſexaginta & octo annos ſuperſtes fuiſſet, quidni hæc vidiſſet, ac confutaſſet? Deinde quinam fuere iſti, qui eo tempore Trinitatem prædicare cœperunt? edant origines ſi poſſunt. Cùm autem Polycarpus D. Ioannis Euangeliſtæ fuiſſet auditor, cumque iſtum vidiſſet D. Irenæus, qui Valentinum, Marcionem, & reliquas illas fęces ſpiritu veritatis extinxerũt, ſicuti & Iuſtinus Martyr, atque Tertullianus, qui eadem penè ętate fuerunt, cur non aliquam certè mẽtionem

nem illorum feciſſent? cur inquam non feciſſent, cùm tamen iſtas nouorum Arianorum, & aliorum etiam tũc blaſphemias oppugnaſſent?

Tertull. de præſcript. cap.36.

ET ſanè Tertullianus quænam Apoſtolorum doctrina ex ipſorum epiſtolis, quæ paſſim aſſeruabantur, oſtendit, cùm ait:
„ Age iam qui voles curioſitatem melius ex
„ ercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Ec-
„ cleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ cathe-
„ dræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur,
„ apud quas ipſæ authenticæ literæ eo-
„ rum recitantur, ſonantes vocem, & repræ-
„ ſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proximè
„ eſt tibi Achaia, habes Corinthum. Si non
„ longè es à Macedonia, habes Philippos, ha-
„ bes Theſſalonicenſes. Si potes in Aſiam ten
„ dere, habes Epheſum: Si autem Italiæ adia-
„ ces, habes Romam, vnde nobis quoq; au-
„ ctoritas præſto eſt: Statu fælix Eccleſia, cui
„ totam doctrinã Apoſtoli cũ ſanguine ſuo
„ profuderunt: vbi Petrus paſsioni domini-
„ cæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu
„ coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes poſtea-
„ quam in oleum igneum demerſus, nihil
„ paſſus eſt, in Inſulam relegatur. Videa-
„ mus quid dixerit, quid docuerit, quid
„ cum Aphricanis quoque Eccleſijs conteſ-
„ ſerârit. Vnum Deum nouit creatorem
„ vniuerſitatis, & CHRISTVM IE-
„ SVM ex virgine Maria filium Dei crea-
„ toris, & carnis reſurrectionem: Legem, &
„ Prophetas cum Euangelicis & Apoſtolicis
„ literis miſcet, & inde potat fidem eam: a-
„ qua ſignat, ſancto ſpiritu veſtit, Euchari-
„ ſtia paſcit, martyrio exhortatur, & ita ad-
„ uerſus hanc inſtitutionem neminem reci-
„ pit. Hæc eſt inſtitutio, non dico iam quæ
„ futuras hæreſes pręnunciabat, ſed de qua hę
„ reſeș prodierunt, ſed non fuerunt ex illa,
„ ex quo factæ ſunt aduerſus illam. Etiam
„ de Oliuæ nucleo mitis & opimæ, & ne-
1.Ioan.2. ceſſariæ aſper oleaſter exoritur, etiam de
„ papauere fici gratiſsimæ, & ſuauiſsimæ vẽ-
„ toſa, & vana caprificus exurgit. Ita & hære-
„ ſes de noſtro fructicauerunt non noſtræ: de
„ generes veritatis grano, & mendacio ſylue
„ ſtres. hæc Tertullianus.

DEINDE falſiſsimum eſt, D. Athanaſij tempore doctrinam de ſanctiſsima Trinitate ferro & flammis fuiſſe defenſam, (licet Arianorum libri à Conſtantino Imperatore prohibiti ſunt.) Quin verò diriſſima quæque ab Arianis (vt hoc tempore à Caluinianis) pertulere Catholici in vniuerſo orbe terrarum, quæ tam nota ſunt, quã quæ notiſſima.

PRAETEREA Ioachimum Abbatem aiunt, & fratrem Bernardum de Luxemburgo, hoc autem ſeculo Eraſmum, Seruetum, & cæteros quoſdam ſecum in doctrina conſentire. Sed vide & hic impias frontes ſine fronte. Ioachimus enim, cùm tres doceret diſtinctas eſſentias, hi verò cùm vnam aſſerant, ecquid ſimile habent? At quod inquiunt, ſuperatum fuiſſe Lombardum à Ioachimo in Synodo Lateranenſi, Gregorio nono Pontifice, & hoc mendacium eſt. Quęnam enim vnquam iſto Pontifice Synodus fuit coacta? ſub Innocẽtio quidem tertio Lateranenſis habita eſt, ſed & ante hãc Lombardus, & Ioachimus, è viuis exceſſerant. Quæ cùm ita ſint, videamus quænam alia impietatum fragmenta ſuis iſtis ſordidis veſtibus adſuant. Probant enim Coranum Mahometis legem boni Turcæ præcurſores: Mox agunt de imaginibus ſanctiſſimæ Trinitatis, nec contenti ſimpliciorum quorundam picturas conuellere, eas item quæ ab Eccleſia Catholica ritè vſurpatæ ſunt, ſcommatibus, & blaſphemis carminibus proſcindunt, quæ tota res quoniam optimè ab Apoſtolicis viris & à Synodis, ac Patribus, ac denique à Concilio Tridentino rurſum explicata, non ita verò pridem pereruditis theſibus à Petro Thyræo Societatis noſtræ Theologo ex diuino codice, ijſdemq; grauiſsimis teſtibus collecta eſt, habeant Sarmatæ, & Daci ex eodem Thyræo, quæ iſtis ad ſanctiſsimæ Trinitatis vnius Dei gloriam reſpõdeant. Neq; enim nos illo melius hæc digerere in ordinem, aut ad captum cuiuſque proponere ſciremus. Sic autem inquit.

DE SACRIS DEI IMAGINIBVS, quibus apparitiones occaſionem dederunt, deque ipſarum multiplici vſu.

Petri Thyræi Theſes pereruditę de ſanctiſſimæ Trinitatis imagine, & alijs.

1 EX dei apparitionibus, & manifeſtationibus, quædã imagines apud Chriſtianos in vſu eſſe cœperũt. Quod.n. ſcriptura fecit verbis: hoc artifex effinxit ſignis: nec peccatum putabat incurrere penicillus, vbi ſine crimine fuit calamus. Licita cenſebatur imago, vbi probabatur litera.

2. Illæ verò numero tres ſunt: Vna Dei patris eſt, altera ſpiritus ſancti, tertia ſuperbenedictæ Trinitatis. Nam filij perſonam quæ repræſentant, non ex ſimilibus apparitionibus profectæ ſunt, ſed habitus, quo vt homo, inuẽtus eſt, per omnia nobis, præterquam in peccato *a* ſimilis, ipſis occaſionem certiſsimam præbuit.

a Hebr.4.

3. Pater vno eodemq; modo figuratur, vt ſpeciem ſenis, & dierũ antiqui referat. Spiritus ſanctus vna ſimiliter columbæ forma exhibetur. Trinitatis alia, atq; alia imago reperitur.

4. Com-

4. COMMVNIOR est illa, qua vnà cum patre, & ſpecie columbæ pingitur filius, eo quo nobiſcũ in terris conuerſatus eſt modo. Altera, qua tres viri ita figurantur, vt nullus alio aut forma, aut ætate videatur maior. Tertia qua vnus quaſi homo cum triplici vultu aut capite exhibetur. Quartę cuiuſdam mentionem facit Ioannes Gerſon *a* qua ita in virginis vtero formata perhibetur, vt tota carnem humanã aſſumpſiſſe videatur.

a Gerſon in ſerm. habi. to Pariſijs in Natiuit. Domini To.4.f.47.

5. Ex his duæ à grauiſsimis viris improbatæ ſunt, *b* duæ verò pium vſum habere poſſunt. Reiicitur quarta, quod grauis erroris occaſio ſit, & quaſi tota Trinitas carnẽ aſſumpſerit, videatur demonſtrare. Reprobatur tertia, quod Trinitatem neſcio quale monſtrum oculis noſtris obijciat: vtraque parum habet decoris, parum, vel nihil Chriſtianam pietatem promouet.

b Latomus de cultu imagin. Io. Heſſels in Decalogo c.66. Anto p.3. t.8.c 4.§. 11.

6. SECVNDAE illi occaſionem dedit viſio Abrahamo exhibita, *c* de qua ſic B. Auguſtinus: *d* cùm (inquit) tres viri viſi ſunt, nec quisquã in ijs vel forma, vel ętate, vel poteſtate, cæteris maior dictus ſit: cur non hîc accipiamus viſibiliter inſinuatam per creaturam, viſibilem Trinitatis æqualitatem, atque in tribus perſonis vnam, eãdemque ſubſtantiam?

c Geneſ. 18.
d Aug. li. 2. de Tri. c. 11.

7. PRIMAM verò, & Eccleſiæ auctoritas, & Patrum conſenſus, atque ipſa approbat ſacra ſcriptura: quæ patrem proponit tanquam antiquum dierum, *e* ſpiritus ſancti præſentiam in ſpecie columbæ demonſtrat, *f* Filium denique humanam naturam ex virgine aſſumpſiſſe varijs rationibus cõfirmat.

e Daniel. 7.
f Matth. 3.

8. COMMENDAT has imagines, in primis veneranda antiquitas. Habuit Nolenſis Eccleſia ante annos mille, & amplius ſanctæ Trinitatis imaginem, cum aſcriptis à S. Paulino his verſibus: *a*

a Paulin. Epiſt. 12.

Pleno coruſcat Trinitas myſterio,
Stat Chriſtus agno, vox Patris cœlo tonat,
Et per columbam ſpiritus ſanctus fluit.

Columbas aureas & argenteas in forma ſpiritus ſancti ſuper Diuina lauacra & altaria appenſas fuiſſe aſſerit, & iuſtè defendit contra Seuerum hæreſiarcham Synodus Conſtantinopolitana Secunda. *b* In colũba Euchariſtiam aſſeruauit Baſilius Magnus. *c* Meminit eiuſdem picturæ ſemel atq; iterum S Paulinus.

b Synod. Conſtant. T.3.fo.436.
c Meminit Amphiloch. in vita Baſilij. Paulinus in carmi. duodecimæ epiſt.

9. Quod ſi antiquiſsimus vſus eſt agni, digito præcurſoris demonſtrati, atque ipſum Tharaſius in confeſsione fidei ſuæ *d* inter alia rectè decreta recipit: Si Conſtantinus, illo antiquior *e* in labio fõtis, vbi baptizatus eſt, eandem imaginem maximis ſumptibus conſtituit: quid eſt, quod vel de patris, vel de ſpiritus ſancti, vel de totius Trinitatis imaginibus dubitare poſsimus?

d Synod. 7. act 3
e Teſte Damaſo in Syl ueſtro.

10. Si quod ſcriptura fingit verbis, hoc artifex poteſt ſignis: quid prohibet, aut omnibus temporibus fuiſſe Dei imagines, aut certè omnibus eſſe potuiſſe?

11. Eſto quandoque prohibitæ, & populo Iudaico interdictæ fuerint Dei imagines: *f* Sed tamen non ob id interdictæ fuerunt, quia de genere earum eſſent rerum, quæ per ſe malæ ſunt: ſed quod periculum eſſet, ne ipſas pro Dijs coleret, neue incommutabile nomen lignis tribueret & lapidibus *g*: ſed nec vnquam tam neceſſarius imaginum vſus fuit, quin ob certas cauſſas interdici potuerit.

f Exod. 20.
g Sap. 14.

12. Reperiuntur verò homines, qui prorſus ipſas è medio ſublatas volunt. Et alij quidem propterea quod imagines ſint: alij quod ſpirituũ ſint imagines, quos certa forma effingere, nihil ſit aliud, quã grauiſſimo errori occaſionẽ prębere. Priores vniuerſis imaginibus bellũ indicunt: Poſteriores has Dei, de quibus ſermo eſt, tollunt.

13. Priores illos, iam veneranda antiquitas *a* veteris nouique teſtamenti exempla, *b* grauiſsimorum conciliorum auctoritas, *c* Patrum omnium ſenſus atque conſenſus, *d* mirabilia quæ per imagines olim DEVS, noſtrisque temporibus exhibuit, condemnant. Poſterioribus illud breuiter ſit dictũ, non minus rudiores, poſſe in errorem induci, ſacrarum ſcripturarũ auctoritate, quę Deo membra tribuit, quàm ſimulachris & imaginibus, quæ quod ſcripturæ auribus inferunt, oculis obijciunt.

a Geneſ. 1. Damaſ. l. 4. de fide orthodox. c. 17. Concil. Nicænum 2. act. &c.
b Num. 21. Ioſue. 22. Galat 3. Exodi 52. &c.
c Concil. Antioch. Nic. 2. 6. Conſtanti. ca. 82. & 72. 8. Conſtan. cã. 3. & 7. 20

14. Non quod eſt Deus, imago docet: Sed quibus ſe figuris ſpectandum proponit, demonſtrat. Nec imago naturam: ſed perſonam, quæ oculis ſeſe & ſenſibus offert, effingit. Neque enim cùm imaginem hominis videmus, dicimus nos animal ratione prędi tum, ſed hominẽ videre. Inuiſibilis Dei natura, per imaginem exprimi nullo modo poteſt. Non debemus (inquit Apoſtolus) ęſtimare auro, aut argento, aut lapidi ſculpturæ artis, & cogitationis diuinum eſſe ſimile. *e* Cui enim ſimilem faciemus Deum? aut quam imaginem ponemus ei? *f*

d Tertu. l. 2. cõt. Marc. Diony. de cœleſt. hier c. 15. Euſeb. l. 7. hiſt. ca. 14. Baſil. in oratiõe in S. Barlaam Chryſ. orat in S. Meletiũ. Aug. l. 1 de cõſenſu Euãg. c. 10. 20. Greg. l. 7. Epiſt. Epiſt. 53. Damaſ. li. 4 de fide ortho. c. 16. 17. &c.
e 1. Damaſ. l. 4. Eccl. hiſt c. 26. Nicęn. 2. act. 5. &c.
f Simeõ Metaphr. in vita D. Luc.

15. Quocirca, oportet hic locum habeat, quod grauiſsimè definit Synodus Tridentina. *g* Quod ſi aliquando (inquit) hiſtorias, & narrationes ſacræ ſcripturæ, cùm indoctæ plebi expediet, exprimi & figurari contigerit: doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quaſi corporis oculis conſpici vel coloribus, & figuris exprimi poſsit. Miſerabilis (inquit Auguſtinus) animæ noſtræ ſeruitus eſt: ſigna pro reb⁹ accipere, & ſuper creaturã corpoream, oculũ mentis ad hauriendũ æternum lumen leuare non poſſe. *a*

Nulla

& Theo. in coll. lib. 1. Niceph. li. 2. c. 43. &c.
e Act. 17.
f Iſaiæ 40.
g Trident. ſeſſ. 25.

16 Nulla igitur iniuria fit Deo, quando eius imago figuratur. Nihil incommodatur rudi populo: quia inſtruendus eſt, vt rudis eſſe deſinat. Addo cum Greg. *b* qđ abs re non facimus, ſi per viſibilia inuiſibilia demonſtramus: quia & Apoſtol. ex ijs quæ ſenſibus noſtris obuia ſunt, docet mẽtem potuiſſe ad diuinitatem cognoſcendã aſſurgere. *c*

a D. Aug. de doctrina Chriſt. lib. 3. cap. 5.
b Greg. li. 7. epiſt. 53
c Rom. 11.

17. Quod ſi myſterium Trinitatis, vniuerſo populo Chriſtiano credendum in Symbolo proponitur: certè quo manifeſtiùs illæ Propheticæ viſiones, per quas Trinitatis perſonas ſacræ literæ inſinuãt, oculis rudium, per conuenientes picturas exhibentur, eò magis in eo diuino propoſito ſatis fieri poſſe videtur.

18. Neque enim populus per conciones tantùm inſtruendus eſt, ſed etiam per imagines iuuandus: & perfectiùs hærent, quæ ſubiecta ſunt oculis, quàm quę demiſſa per aures: Et pulchrè docet B. Gregorius *d* eos qui literas ignorant, in parietibus videndo legere, dum picturas intuentur, quæ in codicibus legere non valuerunt.

d Greg. lib. 7. Epiſtol. 109. Nicænæ. 2. Greg. Nyſ. orat. in Theodo. martyr.

19. Valet igitur ante omnia hic imaginũ vſus ad Dei, Trinitatiſq; qualemcunq; cognitionem populo Chriſtiano inſinuandam, & diuinam illam maieſtatem, quantum per humanas vires licet, quomodocũque obumbrandam. Sed & docti, hoc imaginũ Dei, atque Trinitatis vſu, ea, quæ vel didicerunt, vel legerunt, in mentem reuocant, memoriamque confirmant: quemadmodum ſacrorum Bibliorum hiſtoriam facillimè diſcet, qui identidem inſignium virorum geſta in talibus depicta intuebitur. *e*

e Damaſ. li. 4. ca. 17. Auguſt. li. 22 contra Fauſtũ ca. 73.

20. Quid, quòd eædem imagines, & beneficiorum, & humanitatis Dei nos commone faciunt? quando nunc ipſum cum Adam atq; Noe familiariſsimè conuerſantem, *a* & generis propagationem, numeroſamq; prolem promittentem: nunc dona ſua in Apoſtolos profundentem pictura obijcit. *b*

a Geneſ. 7.
b Actuũ. 1.

21. AT nec inſtruunt ſolùm, nec ſolũ memoriã iuuãt, beneficiaq; collata ad mentẽ reuocant, verùm etiam amorem noſtrum erga Deum imperant, & quaſi extorquent, quia non in ipſa pictura hæret animus, ſed pictura animum ad Deum quem repræſentat, deducit. *c* Certè à fletu ſibi non temperabat Gregorius Niſſenus *d* quando picturam Abrahæ filium Iſaac immolantis conſpiciebat. Et B. Chryſoſt. ex cera fuſilem picturam, pietate plenã amauit plurimum. *e*

c Greg. lib. 7. epiſt. 51.
d Actio. 4. in 7. Syno.
e Chryſoſ. in oratiõe quod veteris & noui teſtamenti vnus ſit legislator.

DE DVPLICI CVLTV, QVI DEI *imaginibus à Catholicis exhibetur.*

22 HIC vſus imaginum Dei atque Trinitatis apud Catholicos. Quocirca manifeſtum eſt maximis de cauſis, illas & retinendas, & magno loco habendas eſſe. Cultus verò qui ijs Chriſtiano ritu exhibetur, nõ ob iam dictas cauſſas pręſtatur: ſed idcircò, quia imagines ſunt, defertur.

23. HIC duplex eſſe poteſt. Nam aut idem cum illo eſt, quem ipſi creatori exhibemus, aut longè illo inferior. Idem erit, ſi mens per imaginem in creatorem transferatur, longè alius, ſi in ipſa imagine hæreat, eamq; vt ſacram quandam rem reuereatur.

24. SANCTAE ſiquidem & ſacræ ſunt imagines, non propter materiam, non propter colores, non per manus impoſitionem ſed hoc ipſo, quod ad aliquid Sanctũ ſignificandum ſunt conſtitutę. Quemadmodum & ſanctæ literæ ſunt, quia Chriſti Euangelium continent.

25. HONOR & cultus, qui imagini vt rei ſanctæ exhibetur longiſsimè diſtat ab illo, qui Deo præſtatur: longè ab illo, qui Sanctis cum Chriſto regnantibus: longè ab illo, qui virtute præditis hominibus: in hos enim propriè poteſt honor conuenire. Verùm quemadmodum ſacra ſunt, & in honore habentur, quæ ad diuinum cultũ ſunt deſtinata, templa, vaſa, quibus in templis vtimur, aliaq; id genus: ita etiam ſacris imaginibus ſuum honorem deferimus.

26. HOC eſt ꝙ his verbis expreſsit Nicæna Synodus *a* ſecũda: venerandis & ſanctis imaginibus ſalutationem & honorariam adorationem omnes exhibeant, non (ſecũdum fidem noſtram) veram latriam quæ ſolùm diuinę naturæ competit: ſed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis crucis, & ſanctis Euangelijs, & reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum, & luminarium reuerenter accedimus.

a Synod. Nicæn. act. 7.

27. Nam ſi cultus & honor, rei oportet reſpondeat dignitati: ex eoque ſummæ dignitati, ſummus honor debetur, mediocri mediocris conueniat: cũ etiam ſacris rebus maior inſit dignitas, minor verò ijs, quæ res ſacras ſignificent, certè honor aliquis in imagines eſt conferendus. Et paulò pòſt.

28. QVOD ſi nulla veſtis, tàm verè corpori vnitur veſtito, quàm imago illi rei, quam repræſentat, eo ſaltem tempore, quo rem pręſentem exhibet: veſtique cum corpore verè eundem cultum abſq; crimine tribuimus, quod peccatum eſt, Deum in imagine tanquam in veſte adorare?

29. B. Auguſtinus *a* humanam Chriſti naturam, quæ filio vnita eſt, cultu latrię adorari poſſe, docet exemplo purpuræ Regię, quam ſimul cum Rege tuto adoramus: & non poterit idem honor Deo, ipſiuſq; imagini exhiberi, quando ipſa Deum reprę-

a Auguſt. de verbis dom. ſer. 58.

ſentat

ſentat,animuſq́; inter Deum & ipſam non diſtinguit,ſed Deum & cum imagine,& in imagine,& per imaginem videt?

30 Certè non duo ſunt hîc,quæ adorantur,ſed vnum colitur in alio,& tantùm abeſt,vt in hoc negotio Idololatriæ crimen admittatur,& diuinus honor ad creaturas transferatur,vt etiam multò minùs imagini in hoc adorationis genere, quàm in priore illo tributum eſſe videatur.

31 Nempè omnem hîc cultum Deo tribuimus,imagini nihil. In hunc ſenſum loquitur Ambroſius: *b* Qui coronat(inquit) imaginem Imperatoris, illum vtiq; honorat,cuius imaginem coronauit: & qui ſtatuam contempſerit Imperatoris, Imperatori vtique cuius ſtatuam conſputauerit, feciſſe videtur.

b Ambroſ. ſermo. 10. in Pſalm. 118.

32 Docuit natura gentes virorum Illuſtrium ſtatuas ponere, atque in ſtatuis ipſos celebrare. Tulit non minus acerbè Theodoſius depoſitã fuiſſe ab Antiochenis Placillæ ſtatuam, quam ſi viuæ vxori contumeliam intuliſſet *a* B.Chryſoſtomus Theodoſium ob imaginum ſubuerſionem & læſum & contumelia affectum conqueritur.*b*

a Trip. lib. 9.ca.32.

b Chryſoſ. ad pop. Antioch.ho. 2.& 3.& Trip. lib. 10.cap.15.

33 Quocirca in his Dei Trinitatiſq́; imaginibus,ante omnia illud obſeruandũ, quod rudem populum docendum decreuerit Synodus Tridentina *c* nouerit ſcilicet Deum non ijſdem , quibus depingitur membris circumſcribi. Tum deinde ſciendum non ſtatim repræhendẽdos pictores,quod quędam in picturis exprimant,quibus ipſæ hiſtoriæ,vnde imagines petũntur, nullã certam authoritatem præbent.

c Trident. ſeſſ.25.

34 Quæ enim à pictoribus adiunguntur, & ſcripturarum ſacrarum non nituntur authoritati, illa ſi aut neceſſariò addenda cenſentur,aut certè conuenienter, & probabiliter, & communi Eccleſiæ conſenſu permittuntur, omni meritò reprehenſione vacare debent.

35 Sed nec omnium,quæ in his imaginibus inueniuntur,quærenda ratio eſt. Hîc locum habere debet,quod in parabolis Euangelicis obſeruandum docuit Chryſoſtomus,*d* vt non nimia cura angamur, ſed vt cùm,quid per parabolam intendatur, didicerimus, inde vtilitate collecta, nihil vlterius anxio conatu inueſtigemus. Et hæc quidem Thyræus,quæ ad ſanctiſsimæ Trinitatis imaginum blaſphematores pertinent.

d Chryſoſ. hom. 48. in Matth.

SEQVENTI porrò capite Tranſſyluani miniſtri,quã ipſi doctrinam de ſanctiſſima Trinitate non capiunt(nec enim Athei id poſſunt)eam vocant Sophiſtarum, ipſi nõ tam diabolares, quã certè diabolici Sophiſtę. Affingunt aũt Catholicis cõmentum quaternitatis,cũ ipſimet eſſentiá,à tribus putidiſsimè,tanquã noui Luciani ſecernant,vt illud in eos optimè quadret:Quod ignorãt,blaſphemant. Vbi verò adſcripſerunt ſummã librorum ſancti Auguſtini de Trinitate,idq́; cõcisè,& aridè, ne quis erga diuitias illorũ librorũ afficiatur, ſuas inſigni mendacio blaſphemias cumulant: neq; enim verũ eſt,quod aiunt,Auguſt. docuiſſe,poſſe creaturã ſuis viribus ſolo lumine naturali venire ad cognitionẽ diſtinctam eſſentiæ Dei. Quippè qui tantũ inquiat,in anima hominis,quaſi in ſpeculo imaginem eſſe Trinitatis.Cæterũ qui acerrimè Pelagianam hæreſim expugnauit, optimè nouerat,puteum iſtũ altum eſſe, & non eſſe nobis, in quo hauriamus. Proinde fidei nõ rationis atq; humanæ ſcientiæ donũ eſſe ſanctiſsimam Trinitatem credere. Hoc autẽ filiũ Dei, qui eſt in ſinu patris enarraſſe,cũ diſtinctè & doctiſsimè dixit:Ite,prędicate, docete, baptizate in nomine patris,& filij, & ſpiritus S.Quã ſanè fidẽ tot eminentibus miraculis cõprobauerat,vt niſi eius verbis crederent,iſti operibus ſaltem fidẽ adhibere debuiſſent. Certè D.Auguſt.vt mentes noſtras altius eueheret, nec puriorem,nec magis incorpoream, neq; magis ſpiritualẽ, nec remotiorẽ, à ſimulachro rerũ, & qualitatum corporearum afferre ſimilitudinẽ poterat, licet inferiora hęc noſtra longiſsimè diſtant à Diuino illo myſterio æternis temporibus tacito.Sicut enim(inquit)memoria fœcunda purè, & impatibiliter generat intelllectũ, & per intellectum vel cũ intellectu voluntatẽ, ita pater purè,& impatibiliter producit filium,& cũ filio ſpiritum ſanctum. Et ſicut tria hæc ſunt vna animi eſſentia, ita & hi tres vnum ſunt,ſiue vna eſſentia.Et ſicut tria hæc ſunt purè ſpiritualia, corporis expertia, ita hi tres. Sed hæc illi non intelligunt, quia nec credunt.Scriptum eſt enim, niſi credideritis, non intelligetis.

ADDVNT verò Eraſmum ſecum ſentire,qui licet in multis alijs rebus præceps & inſolens fuit,(vt ſuo loco monſtrabitur)& nouis Arianis viam ſtrauit, quemadmodũ ſuo loco oſtendemus,ſanè ſi viueret, vel egregiè iſtos exciperet, vel ſe qualis erat intus,manifeſtiùs foris proderet. At cũ hæc omnia non ſatis habere firmitatis ſentirẽt, ad blaſphemias redeunt,notionemq́; & eſſentiã,atq; eiuſmodi alia diuinitus prolata ad myſterium ſanctiſsimæ Trinitatis enũciandũ vocant portenta,ipſi profectò monſtroſi & portentoſi. Deniq; nugacibus,& apertiſsimis contradictionibus priorem librum abſoluunt,cùm cordatiſsimas Theologorum ſcholaſticorũ diſtinctiones more malorum dæmonum ſubſannant. Is enim

eſt mos ſatanæ,vt quos videt nõ poſſe proſterni,hos(quaſi victor euaſerit)irrideat. Porrò ſi quis huius libri contextum attentiùs obſeruet,intelliget, impios ſibi telam iſtam non tantũ ex lana & lino, (vt prohibet ſcriptura)ſed ex commentis priſcorũ Atheiſmorum , ac(tanquã araneas)ex viſceribus,& veneno texuiſſe. Sed ad ſecundum librum venio.

IN eo igitur in primis iactant Eccleſiæ hoc ſeculo à Deo purgatæ rationem hanc initam fuiſſe. Nimirum Lutherum,& Melanchthonem, quaſi alteros Moyſen,& Aaronem veniſſe , per quos abſterſi fuerint craſsiores errores:ſubſecutos eſſe Zuingliũ, atque Caluinum,& Petrum Martyrem,ac alios tanquam Prophetarum agmina, qui ſubtiliora correxerint. Deniq; Seruetum, tanquã Chriſtum : & Eraſmum tanquam D.Ioanem Baptiſtam Præcurſorem apparuiſſe,per quos ab omnibus erroribus liberata ſit Eccleſia.Itaquę & ſeſe primò Lutheri doctrinæ, mox lumine ſcientiæ aucto Zuinglio,& Caluino: Denique circumquaque iam veritatis luce perfuſos(hoc eſt penitus cœcos factos)Serueto adhæſiſſe. Sed & hîc vide mihi quantum glorįantur ſeſe profeciſſe. Quid enim ſi qui,& quidẽ plurimi ex ijs in Mahometiſmum,aut Iudaiſmum poſteà ruerint? Nam hi quoq; ſe denique raptos eſſę vſq; ad tertium cœlum gloriabuntur, vbi myſteria nouerint,quæ nemini antea effari licuerit. Pręterea impudentiæ eſſentiam vide. Prophetæ enim,ac Pręcurſor nunquã inter ſeſe diſſenſerunt. At & Lutherũ, cum Caluino pugnaſſe ipſi fatentur,ac res ipſa clamat, licet ne ipſi quidem faterentur. Deinde Lutherus & Caluinus inter ſeſe, atq; alij aduerſus iſtos non ſolũ calamum, verùm & faces adhibuerũt, quibus Seruetus cõbuſtus eſt; Valentinus necatus, vt diximus. Itaq; ſi Prophetæ,aut D.Ioannes Baptiſta Pręcurſor Chriſtũ crucifixiſsẽt,ſanè videri poterat aliquid inter iſtos ſimile fuiſſe. Verùm creſcentibus nõ lumine(neq; enim lumen pugnat cum lumine)ſed tenebris craſsioribus,quę ex peccato emerſerunt,factum eſt, quod Deus aiebat per Prophetã: A ſeculo confregiſti iugum meum,rupiſti vincula mea,& dixiſti: Nõ ſeruiã.In omni enim colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo proſternebaris meretrix.Quęnã etenim adeò abominanda vnquã hæręſis fuit,cui illicò iſti ſeſe nõ ſubiecerint?Sed & nunc pręclari iſti liberatores veritatis cùm alij Trideita, alij Ariani,alij Samoſatenici ſint, ac Ebionitæ cuiuſnam Chriſti quem tam multiplicem fingunt,erunt præcurſores?.

Hierem.2.

NEQVE verò,vt ad Lutheranos,& Caluinianos mea conuertatur oratio,propterea putent ſe quicquam effeciſſe,quod hi videntes ſuos greges imminui ,tum denique ſcripſerint aliquid contra noua iſta Arianorum monſtra,quæ ipſimet ſeſe peperiſſe non negant,vt Lutherus, Gaſtius, Antonius Coruinus, Bucerus,Anabaptiſte,Trinitarij,& Balthaſar Pacimontanus ſcriptũ reliquerunt:Aut igitur iſti ſcribentes,vt fidem ſanctiſsimæ Trinitatis tuerentur, in peſsimas alias hæreſes iuſtò Dei iudicio pręcipitârunt: * Aut ſi quid ea de re ſolidi euulgarunt, in vitula noſtra arauerunt,nimirũ ex noſtris Synodis, & Patribus,quos prius blaſphemè accuſauerant , tanquã ex fidis armamentarijs tela omnia petere coacti ſunt:Quos non dubito,quin dum verſarunt, ſæpè expalluerint,reclamantemq́; conſcientiam ſenſerint, atq; inde agnouerint,quãtò tutius ſit columnis illis firmiſſimis,quàm putridis iſtis hæreticorum arundinibus inniti.

Lutherus in Gen. pa 609.
Gaſtius lib. 2.de exor. & erroribus Anabapt. lud.4.
Coruinus in dialog. de Anabapt.
Bucerus in 3.ca. Marc.
* Nota.

SED quod attinet ad alterum poſteriòris libri caput, eandem ſapit ingentẽ ſumma cum impietate imperitiam. Cùm enim quicquid de diſcrimine inter legẽ & Euangelium tradunt,mendacium ſit, profectò & mentiuntur,cùm inquiunt D. Auguſt. cæteroſq́; Catholicos tribuere Patribus veteris teſtamenti, vitã æternam, hancq́; cum iuſtificatione confundere. Primùm enim, nec D.Auguſt. nec noſtri vitam æternã,& iuſtificationẽ veteri teſtamẽto tribuerũt tanquã ex vi veteris teſtamenti: ſed ex fide Chriſti,& meritis eiuſdem venturi. Deinde et ſi vnam,atq; ſimplicem dici rectiſſimè poſſe diuinã legẽ, non dubitamus,cùm eius auctorem, & ſcopum præcipuum ſpectemus, tùm quòd Deus vnicus eſt omnis terræ,omniumq́; tẽporum legislator,tùm quòd eò tota refertur,vt hominẽ in hac,atque altera vita cum Deo coniungat(ſic enim Apoſtolus ait,vnus eſt Deus,qui iuſtificat circumciſionẽ ex fide, & præputium per fidẽ)attamen diuidi eam fatemur,& ex parte diuerſi ſtatus, & modi, ſiue in Dei mente , ſiue in humanis mentibus per fidẽ & gratiam:Et ex diuerſitate temporis,quo vtriuſq; teſtamenti lex fuit promulgata. Et ex diuerſitate perfectionis, nihil enim ad perfectum adduxit lex. Et è diuerſa ratione impellendi homines ad finẽ. Breuis enim(inquit D.Auguſt.)eſt differentia legis,& Euangelij:Timor,& amor.Et ex parte materię multò perfectioris , in qua lex verſatur Euangelica:Et deniq; ex parte efficatiæ,quippè quæ iuſtificet: Virtus enim Dei eſt(inquit Apoſtol.)in ſalutem omni credenti.Et lex ſpiritus vitæ in Chriſto Ieſu liberauit me, à lege peccati , & mortis: Ex operibus autem legis non iuſtificabitur omnis caro corã illo. Quæ omnia quomodo

Rom.3.
Cont. Adim. Maniche. ca. 17.
Rom.1.
Rom.8.

do intelligenda ſint, Tridentinum concilium apertiſsimè explicuit: Theologi orthodoxi aduerſus hæreticorũ blaſphemias ſæpiſsimè tutati ſunt: Thomas verò Stapletonus, & Gregorius Valentia Theologus Societatis noſtræ accuratè ſunt perſecuti,
Ingolſtadij anno 1580.
ille ſuo inſigni opere de iuſtificatione, hîc breui diſputatione Theologica de vera & falſa differentia veteris & nouæ legis cõtra fundamentum Lutheranæ doctrinę à Caluino etiã receptũ, & à Melanchthone, Kẽnicio, & alijs paſsim ſectarijs repetitum, quo vaniſsimè poſuerũt promiſsiones Euangelicas, non ſicut promiſsiones legis veteris ab obſeruatione mãdatorum tanquã à conditione pendere.

TERTIO capite agunt Tranſſyluanici miniſtri de λόγῳ, & Chriſtum inquiunt vocari verbum, quod verba Dei prædicauerit: quę expoſitio eò magis eſt impia, quò affertur ad diuinitatem Chriſti pernegandam: Neq; verò iſti aut vnanimẽ Eccleſiæ conſenſum à tempore Apoſtolorum obſeruârunt, qua ſaltem putaſſent, teſtibus omni exceptione maioribus plus eſſe ſpiritus datum ad diuinas literas ſcrutandas, ac veritatẽ venandam, quã vni vel alteri hæretico ad atheiſmum rectiſsima, & præcipiti via tendenti: Aut aduertere animum noluerunt ad eam vocẽ, de qua loquitur pſaltes, cùm inquit vox tonitrui in rota:
Pſalm. 76.
Nam & ideò filij tonitrui, filij Zebedæi dicti ſunt, quorum Ioannes alter fuit, qui diuina altiſsimè inſpiciens, & profundiſsima verbi diuini cõſubſtantialis Patris eructãs, aquila etiam volans eſt dictus, atq; prædictus.
Ezech. 1. c.
Sanè verò nouarum iſtarum peſtium labem agnoſcent ij, qui antiquiſsima illa Eccleſiæ lumina, & S. Cyrilli Alexandrini proëmium in Ioannem, Nicephorum autẽ de reuelatione Euangelij tempore Iuliani Apoſtatæ, et Anaſtaſium Antiochenum libro de rectis fidei dogmatibus attentè perlegent.
Niceph. li. 10. c. 33.
Anaſt. Antioch. li. 1.
„Si enim hîc (inquit) quę extrema „ſunt diuini opificij neutiquã à nobis mor„talibus exactè cognoſcuntur: Quis enim „altitudinem cæli dimenſus eſt? aut quis ap„prehendit maris profundum? Quonã pa„cto hanc creatricem rerum omnium natu„ram ſe arbitrari poſſe comprehendere non „extremę ſit deſipientiæ? Intonet igitur ſu„pernus ille filius tonitrui, è cœlo edo„ctus ſapientia? Hæc ille. Sed & S. Ioannes Chryſoſto.
Chryſ. ho. 2. in Ioan.
Moſes (ait) exorditur: In princi„pio fecit Deus cœlum, & terram. Ioannes „verò: In principio erat verbum. Quantum „creator à creatura diſtat, æternus ab eo, qđ „non niſi cum tempore extitit, &c. Verùm enimuerò, cùm iſti ſe magnos quoſdã Hebraicarum linguarũ interpretes haberi velint, qui interim è lacunis Iudęorũ, qui diuinam ſcripturã mirificè deprauârunt, blaſphemas iſtas ſordes abſorbuerũt, ne Chriſtus agnoſceretur Deus, mirum videri poſſet, (niſi impudens cœcitas in ipſam lucem impingeret) quin cùm huius verbi Dauar apud Hebręos multiplex ſit acceptio, cùm vel factum, *a* vel acceptum, *b* vel iudicium, *c* vel ſermo hominum, & Dei *d* deſignentur, non viderint tamen (quoniã & adhuc ſine intellectu ſunt) tum filium Dei potiſſimum ea voce deſignari, cùm ſumma illi Maieſtas, ſummaq́; Dei operatio tribuitur: Qualia illa ſunt, verbo *e* Domini cœli firmati ſunt. Miſit *f* verbum ſuum, & ſanauit eos: Expreſsiùs verò à D. Ioanne, tum Euãgelij ſui initio, tùm tertia Epiſtola ſua. Certè Targum, & ſapiẽtes, ijq́; antiquiores Rabini profundum huius ſanctiſsimæ veritatis theſaurum non ſolũ agnouêre, ſed ſuſpicientes adorauerant. Vbicunq; enim occurrit Tetragrãmaton Iehoua, legunt ſummã ob nominis reuerentiam, * Meimar Chaldaica voce, quę verbum ſignificat.

a Exod. 18. Nõ eſt bonum hoc verbum ꝙ facis. 2. Reg. 2. Amos 3.
b Non addetis ſuper verbũ hoc quod præcepi vobis.
c Deut. 19. hoc eſt verbũ homicidæ & Ioſue 5.
d Ier. 1. Dedi verba mea in ore tuo.
e Pſalm. 33.
f Pſal. 107.
* Vide Petrum Galati. lib. 3. de arce Cath. fidei c. 4.

Sic vbi Iſaias inquit: Iſrael ſaluatus erit in Deo (Iehoua) ſaluatione ſeculorum, vel ſempiterna: habet Ionathæ Targum; Iſrael ſaluatus erit, Bemimeri, id eſt, in verbo, vel per verbum Dei ſaluatione ſempiterna.
Iſa. c. 45.
Is porrò locus promiſsionem de Chriſto habet, atq; conſummandam per eum ſalutem: nam & ideò IESVS eſt dictus. Qui ab eodem Propheta vocatur Hebraicè Iehoua, quod ſolius Dei nomen eſt: & ab Chaldaico interprete Meimar, id eſt, verbum. Sic in Oſeæ:
Oſeæ 1.
Et domus Iuda miſerebor, & ſaluabo eos Baihoua, Elohehem in Domino DEO ſuo. Id quod Chaldaicus interpres vertit: Et ſuper domum Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in verbo Domini DEI eorum. Sic etiam Iſaias alibi: Adiecit Dominus loqui ad me.
Iſa. 8.
Quod Targum habet: Adiecit verbũ Dei loqui mecum. Et rurſus: Ego, inquit, auxi-
Iſa. 41.
liator tui ait Deus, & Redẽptor tuus ſanctꝰ Iſrael. Quę ſic Chaldaica verſio; VERBVM meũ in auxilio veſtro dixit Deus & Redẽptor noſter ſanctus Iſrael. Rurſus: Manus quoq; (inquit) mea fundauit terrã, & dextera mea menſa eſt cœlos.
Iſa. 48.
Quod Targum ſic: In verbo, vel cũ verbo, quoq; meo fundaui terram. Et Hierem. Si à facie mea non formidabitis, &c. poſui arenã terminũ mari.
Hier. 5.
Chaldaica verſio habet: Si corã verbo meo non formidabitis, quæ poſuit arenã. Et Amos: Ecce formans mõtes, & creans ventũ, & annuncians homini eloquium ſuum, & gradiens ſuper excelſa terrę Dominus Deꝰ exercituum nomen eius.
Amos. 4.
Septuaginta verò interpretes loco illorum verborum: Eloquium ſuum, verterunt, Chriſtum ſuum. Ac quod Dauid habet: Quoniã magnificaſti ſuper omne verbum tuum. (ſic enim teſte D.
Pſal. 137.

ſte D. Hierony. Hebraicus habet codex) Septuaginta verterunt pro verbo Sanctum tuum: Et vbi ait: Dixit Dominus meus Domino meo, ſede à dextris meis. Targum habet: Dixit Dominus verbo meo, qui Pſalmus euidentiſsimè tribuitur Meſsiæ Chriſto. Sed & Eccleſiaſticus, & Sapiens diſertè pronunciant, ſermonem omnipotentem, hoc eſt, verbũ æternum veniſſe de ſolio Regio.
Eccl. 1. 4. 24. Sap. 18.
Et huc facit illud. Ego ex ore altiſsimi prodij, primogenita ante omnem creaturam. Et cùm eandẽ ſapientiam, ſeu verbũ Dei vocat vaporem virtutis DEI, Emanationem quandam claritatis omnipotentis Dei, ſinceram adeò, vt nihil inquinatum incurrat in eam: candorem lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, Dei Maieſtatis, imaginem bonitatis illius: non ſecus atq; Apoſtolus ad Hebræos ſcripſit, cùm Dei filium ſapientiam vocauit, & virtutem, & ſplendorem gloriæ, & characterẽ perſonæ eius.

QVIN verò de eodem verbo Dei increato apertiſsima eſt mentio apud antiquos, & ſecretiores Hebræos, nulla vt ratione accipi queat pro verbo ſacris literis cõſignato, ſed pro Dei filio vero DEO.
Vide Zoarem.
Affert verò alia loca eruditiſsimus vt in alijs, tum in Hebraicis Genebrardus, quibus Trinitarios, Samoſatenicoſq́; confecit, ex quibus illa præſertim:
Genebrar. li. 2. de Trinit.
Quod Dominus Moſi fatetur, ſe tantum apparuiſſe Patriarchis nomine Dei omnipotentis, nec verò nomen ſuum Adonai eis manifeſtaſſe. Targum enim Ieroſolymitanus ſic interpretatur: Et reuelaui me per verbum meum Abrahæ, Iſaac, & Iacob in Deo cœlorũ: Nomen autem verbi Domini non notum feci eis.
Exod. 6.
Genebr. de S. Trin. l. 2.
Quin etiam habent hoc peculiare reliqui Chaldæi Paraphraſtæ, vt plurimam mentionem faciant verbi Domini, maximè locis ijs, in quibus Deus inducitur loquens cum homine, quaſi ipſe fuerit λόγος Dei, qui aderat Patribus, & ſub varijs figuris, & imaginibus nunc Angeli, nũc nubis, nunc flãmæ ipſis loqueretur. Ego (ait Moſes) ſequeſter, & mediator fui inter Deum, & vos, hoc eſt, iuxta Onckelum: Ego ſteti inter verbum Domini, & vos.
Deu. 5.
Non præualebunt (inquit Hierem.) tibi, quia ego tecũ ſum, vt ſeruem te, hoc eſt, (interprete Chaldęo Ionatam) non præualebunt tibi, quia in auxilio tuo verbum meum eſt, vt eripiã te.
Hierc. 15.
Cuius etiam rei opinio Philoſophos ipſos imbuit. Nam Philo Iudæus, ſiue id habeat ex ſuis, ſiue è Magiſtro ſuo Platone nihil hoc loco intereſſe videtur, ſæpè λόγον τοῦ θεοῦ inculcat. Apud Mercurium Trimegiſtum nihil extat λόγῳ DEI frequentius, nihil crebrius. Apud Chalcidium in Platonis Timæum Stoici nõ tantum conſtituũt ſpiritum, qui deſignauerit in hanc venuſtatem, ſpeciem, ordinem, mũdum, prout noſtra Geneſis prodidit, ſed & per eſſentiam rerum ire dicũt λόγου, hoc eſt, vt ille vertit rationem ſolidam, atque vniuerſam. Hanc verò rationem (ait) ipſum eſſe opificem volunt. Et paulò pòſt: Licet cuncta corpora aliquo diffluãt, ſyluam tamen (ſic ὕλην quã materiam nominamus) transfert: ſylua, inquam, ſemper eſt, itemque opifex Deus, ratio ſcilicet (λόγος) in qua ſit fixũ, quo quid tempore tam naſcatur, quàm occidat. Eodem libro ſcribit Platonicos, ideam intellectum æterni DEI, æternum dixiſſe. Item principalem ſpeciem iuxta vos eſſe primũ intelligibile, iuxta Deum perfectum intellectum DEI. Hæc autem noſtram de verbo Dei ſententiam confirmare apparet ex Amelio Platonico Philoſopho, qui lecto principio Euangelij noſtri Ioannis queſtus eſt, eum in ſuum ipſius librum tranſtuliſſe Magiſtri ſui myſteria, & quæ erant Platonis arcana, ſua, propriaque feciſſe: per Iouẽ, inquiens, barbarus iſte cum noſtro Platone ſentit verbum Dei in ordine principij eſſe conſtitutum.
Auguſt. li. 10. de ciui. c. 29. & l. 8. confeſſ.
Chriſtum eſſe Deum Hebræis.

ET hæc quidem ille, quę poſteà efficaciſsimis ex D. ſcriptura argumentis proſequitur, à quibus ſuperſedemus, cùm eius libri extent, quoſq́; hæc nõ mouerint, in reprobum ſenſum eſſe datos, ſatis queat haberi pro certo.

VIXERE autem mille quadringentos ante annos Iuſtinus Martyr, Tertullianus, & alij, qui dum vel ipſo ſanguine iſtos Antichriſti errores conuincebant, quos nunc Samoſatenici Tranſſyluanici diſſeminãt, gentibus & pãganis vetuſtiſsima ante Chriſtum Dominum teſtimonia depromũt ex ipſis gentilibus, quibus maximã fidem habebant:
Iuſt. ſerm. exhort. ad gentes.
Quemadmodũ ſunt, quę Orpheus, & alij, ac pręcipuè Sybilla Erithrea: qui omnes diuino oculo maximum aliquid prouidente coacti ſunt in hanc rem multa ante ſecula, quæ Chriſti aduentum præceſſerant, aliqua planiſsimè eloqui. Sic igitur Orpheus:
Orpheus.

Εἰς δὲ λόγον θεῖον βλέψας, τούτῳ προσέδρευε,
Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος, εὖ τ' ἐπίβαινε
Ἀτραπιτοῦ, μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα:
Εἷς ἔστ' αὐτογενής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.

Tu verò diuinũ verbũ intuens huic aſside,
Dirigens cordis mẽtale vas, & rectè in ſiſte,
Viam, ſolumq́; intuere mundi Regem:
Vnus eſt per ſe genitus, & ab eo vno cuncta
prognata ſunt.

Vide Cyrillũ Alex. lib. 1. contra Iulia. notat enim & hoc.

E ò verò id quoque ſpectat, quod idem Orpheus, & Poetæ alij pro patre & filio, & ſpiritu ſancto, Phanetem, Vranõ, & Chronon, & pro filio DEI ex ſubſtantia patris ab æterno genito, Mineruam ex cerebro Iouis natam: Ac Sabini Sanctum, Fidium, &

ſemipatrem dixerunt, nempè Satana fabulis Poetarum tradita antiquiſsimæ fidei myſteria inuoluente; Suidas autem de Mercurio Trimegiſto ſic ſcriptum reliquit:

Mercurius ter maximus, is fuit ſapiens Aegyptius. Floruit autem ante Pharaonem, & ter maximus appellatus eſt, quoniã de Trinitate oraculum edidit, in Trinitate dicens vnam eſſe diuinitatẽ, his verbis; Erat lumen intellectuale, ante lumen intellectuale, & erat ſemper mens mentis luminoſa, & nihil aliud erat, quàm horum vnitas & ſpiritus omnia continens. Sed vi-
Lib. 10. ca. 28. & 29. deat qui velit D. Auguſtinum alia de hac re afferentem ex Platonicis in libris de ciuitate Dei.

At Erythrea Sybilla ante Chriſti aduẽtũ,
Καὶ λόγου ἡ Βηθλεὲμ πατρὶς θεόλεκτος ἐλέχθη.
Dicta legi Bethleẽ eſt diuino patria nutu.

Et certè Sybillarum eiuſmodi teſtimonia maximi fecere omnes antiquiſsimi Pa-
Clem. li. 6. Strom. tres. Nam & Clemens Alexandrinus aſſerit Paulum adhortatum fuiſſe gentiles, vt legerent Sybillarum oracula. Et Euſebius, Lactantius, Auguſtinus, atque alij ea ex illis commemorant, quæ ab omni antiquitate etiam inter gentes diuinitus ſeruata, & obſeruata ſunt, vt etiam plerique ſtupidi Barbari animum erexerint ad tantarum rerum de verbo Dei IESV fidem.

Sed & eandem poſteà ſemitam triuêre, qui ſecuti ſunt omnibus ſeculis oculatiores Theologi, ac ſanctiores Patres. Itaque neceſsitatem ponendi VERBVM DEI filium, diuinaſque perſonas, inde quoque perceperunt, quod Deus omnium gradus creaturarum infinities ſuperemineat. Cùm verò naturæ cuiuſque intellectualis proprium ſit verbũ, quod alteri naturæ non conuenit: Nam de intellectus ratione eſt, vt is aliquid formet, vt paulo infrà exponam, ſanè ſummæ & Angelicæ naturæ verbo Deus VERBVM innumerabilibus nominibus antecellit. Et cùm verbum quidem noſtrum prius ſit potẽtia, quàm actu, ac proinde imperfectè, neque per ſe ſubſiſtens; verbum id eſt, Filius Dei, ſemper actu eſt, itaque nec cogitationis nomen verbo DEI propriè con-
Vide D. Thom. in p. c. Ioan. Euang. uenit. Cùm autem verbum diuinum eiuſdem ſit naturæ cum DEO, idcircò neceſſarium eſt, vt ſit aliquid ſubſiſtens in natura diuina.

Huc verò pertinet (vt Chriſtianis aliquatenus hoc loco ſatisfaciamus) id, quod ſapientiſsimè Theologi addiderunt, cùm ad hanc rem vtcunque inſinuandam de duplici verbo oris & cordis locuti, alterum dixerunt id eſſe, quod exterius profertur: Alterum, quod interius concipitur.
Pſalm. 44. Eructauit (inquit per pſaltem Regium Deus) cor meum verbum bonum: verbũ autem cordis imago eſt quædam, & ſimilitudo rei per intellectum producta, & immanens, id eſt, quoddam ſimulachrum intellectu formatũ, & ei inhærens, vnde meritò partus cordis, & filius mentis poſſet nuncupari. Eſt enim à natura vis talis inſita omnium menti, vt rerum exteriorum in ſe ipſa velut in tabula quadam imagines pingere ac formare queat. Quamobrem cùm intelligimus imaginari dicimus, quia per intellectum rerum imagines cognoſcendo formamus. Mira profectò intellectus facultas, vt in ſe ipſo producat (vt propriè cum ſcholis loquar) in eſſe cognito, quicquid Deus produxit extra in eſſe reali. Et ſicut Deus omnium creator eſt, ita quoque omnium plaſmator quodammodo intellectus ſit. Quodnam miraculum maius, quàm vt in mente alius mundus intelligibilis ſit, qualis extra iſte ſenſibilis eſt? ibi cœlum, ſol, aſtra, maria, & cæt. ibi arbores, ibi aues, &c. Quapropter ſapientiſsimè Ariſtoteles: Intellectus (inquit) agens eſt, quo eſt omnia agere: Intellectus paſsibilis, quo eſt omnia pati, id eſt, recipere imagines. Ergo rerum ſimulachra intellectu producta, & immanentia ſicuti diximus, verba dicuntur.

AT differt ab intellectu increato creatus noſter intellectus, quòd hic formas fictitias, & imaginarias, quas intelligendo in ſe ipſo fingit, intellectus verò diuinus veras, & reales ob infinitam ſui virtutem atque efficacitatem ad extra producit. Et ideò ſic intelligendus eſt Deus, mundum iſtum ſenſibilem condidiſſe, ſicuti cùm aliquis mundum alterum in ſua mente intelligendo format. Intellectus enim noſter intellectus diuini ſimilitudinem quandam habet, vt ſit ipſe (inquiunt ſcholaſtici aptiſsimè) effigiatiuus, quorum & ille formatiuus.

HIC igitur intellectus tam efficax & potẽs, qui non fictitia in ſe ipſo, ſed realia ad extra verba intelligẽdo, & dicendo producit, nunquid eſſentiam ipſam infinitam, & increatam diuinitatis, ſicut creabiles eſſentias non intelligit? ſanè inquient. Quæro iterum: An Deus propriam intelligens eſſentiam, ſicut in cæteris, per intellectum verbum producat, necne? Ecquis vel proteruus Philoſophus verbum in diuinis negauerit? Abſurdiſsimum enim eſſet, vt qui ad eſſentias creabiles, & finitas tam potẽs, & fœcundus eſt, ad ſe ipſum & eſſentiam ſuam infœcundus, & ſterilis inueniretur. Quamobrem per Iſaiam ait. Nunquid ego qui alios parere facio: ipſe non pariam? & qui cæteris generationem tribuo, ſterilis e-

ro?

ro? Quaſi diceret. Num qui ad alias naturas fœcundus, infœcundus ad me ipſum, atque ad meam naturam fuero?

ATQVI, licet naturalis ratio nequeat in Dei notitiam euehi, niſi quatenus is principium eſt, & cauſſa conditarum rerum, principium inquam & cauſſa per ſuam ipſius virtutem, ſapientiam, bonitatem, in quibus vnitæ non diſtinctæ ſunt diuinæ perſonæ, non tamen non credendum eſt ſanctiſsimæ Trinitatis myſterium, quod mens noſtra id non capiat. Quot enim ſunt alia iſto articulo inferiora myſteria, quæ tamen credit, & ſi non percipit? Quin verò ab ipſis naturalibus rebus, in quibus non minima eſt cum ſanctiſsima Trinitate ſimilitudo nonnulla poſſunt adminicula peti, ex quibus diuina verbi generatio, ac ſpiritus ſancti proceſsio, ſiue ſpiratio certiorem infuſam earum fidem in nobis foueãt. Neque enim aliquis negauerit, cùm effectus quiſque ſuam cauſſam conetur imitari, iam mentes humanas è creaturarum proceſsione ſiue emanatione ſeſe aliquatenus poſſe attollere, vt diuinas illas proceſsiones contemplentur. Cùm enim haud paucæ in creaturis proceſsiones ſint, hæ quantò ſunt perfectioris naturæ, tantò interiores, atque perfectiores reperiuntur. Et quidem in ijs, quæ anima carent quandam eſſe generationem quis neget? ſub aſpectũ enim oculorum cadit ignis generatio ex igne. At quoniam generatio hæc ad geniti materiam (nempè extrinſecus) tranſit, nec verò reſidet in gignente, propterea imperfecta eſt, minuſque intrinſeca. In plantis autem quibus eſt anima vegetans, interior, atque perfectior generatio cernitur. Quicquid enim è plãta genitum eſt, ab eo quod eſt ipſius intimum proficiſcitur, & initio generationis cum ipſa coniunctum eſt, cuius & vnum quoddam eſt. Ac cùm poſteà id ab ea ſeparatur, fit, vt nõ omninò perfecta, prorſuſue intrinſeca ſit iſta proceſſio. Animalium eò perfectior, ac magis intrinſeca, quod potius ſpiritualis ſit, quàm corporea, cùm operatio, & actus ſiue functiones ſenſuum ſint, quæ in ipſis ſenſibus manent. Sed & neque penitus interior eſt iſta proceſsio, actuum enim eorum cauſſa eſt extrinſecum aliquod obiectum. Quamobrem perfectior, & magis intrinſeca generatio eſt, quæ fit per intellectum, qui vbi id, quod intelligit, concepit, ſine extrinſeca ea ope, edit intrinſecus operationes ſuas: Ac format verbum, atq; ſimilitudinem cognitæ rei, erga quam item afficitur. In quo ſanè ea Trinitatis imago intelligitur, quã intellectus, verbum, amor, quæ ſunt in nobis non obſcurè deſignant. Et tamen ne id quidem adhuc eſt perfectum. Cùm enim omnis noſtra cognitio ortũ ducat à ſenſu, ac proinde iſthæc haud tota intrinſeca, proceſsio ſit, inde fit, vt adhuc ſit manca, neq; omninò perfecta. Angelicæ igitur naturæ interior atq; perfectior eſt proceſsio: quippè è ſenſib9 nequaquã oritur, ſed intrinſeca eſt vniuerſa. Sed enim quoniã ipſi quoq; Angeli à Deo pẽdent, verbi & amoris in ijs proceſsio non adeò intrinſeca dicenda eſt, quin ab aliquo extrinſeco ſic pendeant, vt aliquid imperfecti in ijs ſit reliquum. In Deo igitur, qui ſit ſuperbenedictus in æternum, cùm is naturas omnes, & creata, quæ ſunt opera manuum ſuarum infinities, vt dixi, ſuperemineat, perfectiſsimè omniũ, ac penitus intimæ hæ proceſsiones ſint neceſſe eſt, cũ neq; ab extrinſeco aliquo procedant, nec ab eius ſubſtantia differant. Ex quo æterna verbi generatio, ſpirituſq; ſancti ſpiratio neceſſariò creduntur, vti & quadãtenus colligũtur. Sed hæc vt dixi, miris alijs modis, vt ſapientia Dei ſuppeditat abundanter ijs, à quibus colitur, diuinitus paſsim tractata ſunt, atq; quatenus fas eſt, euoluta: Quãobrem hæc nunc fuerint ſatis.

IAM verò in quarto ſecundi libri capite pergunt Tranſſyluanici Miniſtri de vno Deo, eiuſque potentijs omnibus ſic loqui, vt non minus vnam perſonam, quàm vnã naturam ipſius eſſe doceant. Addunt varias quidem huius vnius naturæ, atq; perſonæ potentias eſſe, quarũ vna dicatur filius, altera ſpiritus ſanctus. Filium verò, & ſpiritum ſanctum intelligunt Dei voluntatem atq; imperium. Porrò potẽtias illas aiunt) nullo modo à Deo diſtingui haud ſecus, quàm veri Theologi de diuinis attributis enunciant. Ex quo ſanè efficitur, naturam filij Dei apud eos æquiuocum eſſe: vt ſignificet filiũ Dei, qui aliquando non fuit: ac Dei voluntatẽ quæ ſemper fuit, ſed à Deo nõ diſtinguitur. Superiorib9 aũt atheiſmorum refutationibus hęc omnia quẽadmodum & ijs rationibus, quas paulò antè attulimus, corruerunt.

QVATVOR ſequentibus capitibus diuerſas quatuor eiuſdem ſententiæ explanationes promunt, in quibus & eiuſdem impietatis cum eadem imperitia coniũctæ veſtigia produnt, ac venenum euomunt, quo à Satana imbuti alios conantur inficere. Septimo enim capite Chriſtum hominem inquiunt poſſe vocare Deum, & quidem DEVM verum, eumque eſſe DEI filium proprium, cùm non è virili ſemine, ſed ex Spiritu ſancto conceptus fuerit ſic tamen verum Deũ, quod ſummus ei Deus diuinitatem ſuam veram impertierit, non quidem per generationem diuinam (quæ cõſtans Catholicorum eſt fides) ſed per gratiæ vnitionem, & inhabitationem. Verùm

hæc cuncta ſuperius tanquam Neſtorianæ blaſphemiæ plena exploſa ſunt. Cùm verò Catholicis linguæ Hebraicę inſcitiam affingunt, ex qua omnes de Trinitate errores extitiſſe inquiunt, ſuam ipſi eiuſdem linguæ maleuolam ignorantiam produnt. Aiunt enim apud Hebræos eſſe varia nomina, ex quibus ſolū Iehoua Deo vero ſit proprium, reliqua verò alijs interdum tribui. Quamobrem neceſſe non eſſe, vt cùm Chriſtum eſſe Deum dicimus, hunc eſſe verum Iehoua intelligamus, ſed elohim, quo quidem nomine Angeli quoq; vocentur. Sed errant ipſi, qui temerè arcem Hebraiſmi ſeſe tenere putarunt. Etenim hæc nomina Ia & El, de Chriſto quoque verè enunciātur, ac Iehouam ipſum deſignāt, & Deo vero verè, proprieq́ue tribuuntur.

NONVM & decimum caput ſequitur, quibus dum nituntur aduerſariorum argumenta refellere, in nouos errores, & laqueos incidunt, qui ſatis ex ſuperioribus rationibus apparuēre.

VNDECIMO capite, inaudito modo primū D. Ioan. Euangelij caput non tam exponunt, quàm prophanant, cui prophanationi ſi Patrum & Chriſti ipſius, ac D. Ioannis expoſitiones, & verba obieceris, ſpiritum veritatis facilè quiſq; in Catholicis, vertiginis autem & impietatis in iſtis Antichriſtianis agnoſcet.

DVODECIMO, ac tertiodecimo quod eſt poſtremū ſecundi libri caput, conantur quædam loca duarum Epiſtolarū D. Pauli ad Coloſſenſes, atque ad Hebræos, ad ſuas eaſdem impietates detorquere: Ad quæ vt ſatis fuerit dicere, nunquam ab Eccleſia Chriſti eum in modum fuiſſe expoſita, ſic verè ſtipites eſſemus, ſi paucos perfidos (quorum ne nomen quidem (vt dixi) auſi ſunt eo libro adſcribere) præ tanta teſtium nube, atque adeò præ ipſa Chriſti veri Dei enarratione æſtimaremus, hoc eſt, ſi CHRISTVM Franciſco Dauidis poſtponeremus. Qui quidem cùm poſteà pernicioſiſsima, & ſibi pugnantia protuliſſet, vniuerſam eius impiæ farraginis, quæ duobus illis libris Tranſſyluanorum miniſtrorū comprehenſa eſt, doctrinam funditus euertit.

FRANCISCVS DAVIDIS CVM NEfarias Theſes quaſdam publicè aduerſus Chriſtum propoſuiſſet, à perfidia, de qua dictum eſt, in profundiores impietates delapſus, publicè in Tranſſyluania Comitiorum conſenſu à Chriſtophoro Bathoreo Tranſſyluaniæ Principe capitis damnatur, & infœliciſsimè moritur.

ERGO noua noui alterius Chriſti per iſtos ſylueſtres potius quàm Tranſſyluanicos miniſtros apparitio, librique illius peſtilentiſsimi conſcriptio, quales fructus pepererit, quamúe paucíſsimorum annorum ſpatio ea doctrina durauerit, vel in ijs, qui illam in publicum ſparſerunt, Franciſcus Dauidis, qui cum Blandrata rem cōtexuerat, in ſe ipſo monſtrauit. Per hunc enim (vt alibi ſcripſimus) tanquam emiſſarium Blandrata virus iſtud & atheiſmos longè, lateq́ue curauerat ſpargere: Sed non eſt conſilium aduerſus Dominum, neque aduerſus Chriſtum eius: Ac verò ſuper quem ceciderit hic lapis confringetur. Frāciſcus igitur Dauidis Claudiopoli in Trāſſyluania natus, cùm peſsima quæque Iudæis adhærens ex putidiſsimis recentiorum rabinorum lacunis hauſiſſet, viam ſibi ſtrauit ad Chriſtum omninò è mentibus (ſi potuiſſet) hominum tollendum, atque hoc pręcipuè per theſes quaſdam Chriſti gloriæ aduerſas prorſus & contrarias, quas integras hûc aſcribere non libet, ne Chriſtianas mentes offendam, ſumma tamen earundem capita recenſebo, vt lector hominis agnoſcat impietatem, nouiq́ue Euangelij fructus, ac ne venenum tam peſtiferum cuiquam nocere poſſet, tanquam antidoton breuem annotationem adiungam, adhibitis literis alphabeti: vt annotationis ipſa ratio melius intelligatur.

PRIMA THESIS, ID EST, Blaſphemia.

IN earum igitur theſium prima Chriſtum *A* contemptim hominem illum IESVM Nazarenum Ioſephi vxoris filium vocat, ex eiuſdemq́ue Ioſephi ſemine *B* cōceptum aſſeuerat impius.

ANNOTATIO.

PRIMÒ vide hîc plurimū blaſphemiæ ſpiritum. Hominem illum vocat Chriſtum, quem ne virum quidem dignatur appellare. Quē ſanè DEVM, DEI viui filium, Iehoua, & Emmanuelem, Deum fortem, verbum Dei, & alijs eminentiſsimis nominibus, Prophetæ, Apoſtoli dixerūt, vniuerſaq; Chriſti Eccleſia vocauit, nec dæmones ipſi veritate coacti potuerunt diffiteri. A

QVA fronte ex Ioſephi ſemine conceptum, & natum dicit, quem antea cum alijs Miniſtris Tranſſyluanicis, è ſpiritu ſancto conceptum affirmauerat? ſic verò proficit impietas ſemper in peius. B

II BLASPHEMIA.

IN altera Chriſtum rurſum hominem illum nuncupans, C per ſpiritum *D* propheticum locutum pernegat, adeoq́ue omnia, quæ dixit, ex DEI ipſius ore *E* proceſſiſſe.

ANNO-

ANNOTATIO.

C ITERVM perfidus vt conceptam, è Chriſtianis animis fidem de Chriſti diuinitate eximat, hominē illum contemptim vocat. Vt oculatus quiſq; animaduertat, à ſatana hæc verba impio eius cordi dictata fuiſſe.

D ERGO per Arianos, & Samoſatenicos ne Chriſtus quidē fuit Propheta: Nec Propheta magnus ſurrexit in nobis, ſicut Euangelij vox eſt: Nec quæ ipſe Dominus prædixit de templi deſtructione, de vnctione Magdalenæ in vniuerſo orbe terrarum annuncianda (vti reipſa fit) deq; exitu D. Petri, ſignificans qua morte clarificaturus erat filium Dei: ac de alijs innumeris, quæ ne mundus quidem (ait Euangeliſta) capere poſſet, ad prophetiam attinent. Quin verò ſi D. Ioannes Baptiſta plus quā Propheta à Dei filio nominatus eſt, ecquem nos DEI ipſum filium nominauerimus?

Luc. 7.

Ioan. 21.

E Eò igitur ſatanæ ſpectabat iniquitas, vt quamuis per ſpiritum S. locutum diceret (in eadem theſi) Chriſtum IESVM, non tamen ex ore DEI proceſsiſſe, quæcunq; dixiſſet, aſſeueraret.

III. BLASPHEMIA.

III. THESIS habet Chriſti & Apoſtolorum verba ad Moſaicæ legis F & aliorum Prophetarum normam expendenda eſſe, quæ ſola inquit *G* morum vitæ & diuini cultus regula nobis eſſe debet.

ANNOTATIO.

F ET hinc videtis Lutherani & Caluiniani quorſum euaſerit illa à vobis mordicus retenta opinatio, vel potius hæreſum veſtrarum contectio, cū reiecta Eccleſiæ fidei regula ad vnum ipſum verbum ſcriptum prouocabatis. Quid igitur hîc facietis, cùm modò Euangelia reijcienda Franciſcus Dauidis ſatis apertè dicat, niſi cum veteri teſtamento conueniant? Quis igitur iſtius interpretationis fuerit iudex? Anne autem vos partem Euangeliorum pro veſtris erroribus exponentes, partem ſubtrahentes, intelligitis anſam dediſſe iſtis pernegandi Chriſti?

G HOC eſt, vt ad Iudaiſmum quiſque reuertatur, poſteà in Mahometiſmum ruat. Id quod amandata iam Euangelij recitatione Claudiopoli fieri ſuprà oſtendimus.

IIII. BLASPHEMIA.

IIII. Adiungit aſſertionem, de differentia veteris & noui fœderis, quam huiuſmodi inquit eſſe, vt in nouo ſpiritus *H* in veteri literæ miniſterium fuerit, adeò vt hoc per illud nec antiquatum, I nec immutatum fuiſſet.

ANNOTATIO.

ET quodnam venenum hîc ſubſit, quidq́ue diſcriminis veri ſit inter vetus ac nouum teſtamentum, ſuperius dictum eſt, cùm ſecundi libri Tranſſyluanicorum Miniſtrorum alterum caput refutatum eſt. *H*

PORRÒ quidquid ſatanas per impium hunc loquitur hoc loco, eò ſpectat, vt prorſus diuinarum literarum vſus ipſe quoque tollatur. Id quod per Schuenckfeldium, & alios occultius, nunc per Nearianos apertius tentatur. Et vt animi elatio, reliquaq́; in peccatis obduratio fimus eſt, per quem vberrima ſeges eorum excreſcit: Sic non deſunt, qui eodem ſcelerum cœno obruti (neque verò reſipiſcentes) mercedem hanc errorum in ſeipſis ſentiant, vt & ita credāt, hoc eſt, vt nihil credant.

REDIERE igitur typicæ, ac legales ceremoniæ in Tranſſyluaniam & aliò apud multos, vt ipſi vidimus: Redijt Moſaicæ legis cum Chriſtiana commixtio, contra quē Apoſtoli, ſpiritu ſancto dictante, decreuēre in prima Hieroſolymitana Synodo. Excitata eſt iterum ſepulta cum honore Synagoga, vt cum dedecore Chriſtiana ſepeliretur Eccleſia. Sed hæc latiùs in meis commentarijs Tranſſyluanicis. I

V. BLASPHEMIA.

QVINTA affirmat Chriſtianam religionem ad Hieroſolymæ vſque excidium *L* perduraſſe tantū, nec locum niſi ex parte habuiſſe in orbe aut habiturum eſſe, donec Ieſus, iterum ad nos redierit, & in hoc mundo in ipſa vrbe Hieroſolyma inſtaurata ſuper carnali populo Iacob, vt cęteri *M* Reges terræ ſolent, iuſtiſsimè tamen ac ſanctiſsimè regnauerit.

ANNOTATIO.

ET id quoque ex veſtra officina, ô Lutherani, & Caluiniani prodijt. Cùm enim per quindecim ſecula per vos Eccleſia Chriſti euanuerit, donec nouum, & inauditum Eliam, Inceſtuoſum nempè Apoſtatam Lutherum, depoſito ſcapulari, erectis cornibus vidimus, quidni perbreue Chriſti regni tempus fuerit? Sed pereat impietas, viuat Chriſti veritas. Ciuitas ſupra montem poſita abſcondi non poterat: Bonum ſemen in agro Dominico creſcere debebat, & debet vſque ad meſſem, nimirum vſque ad ſeculi conſummationem, atque quod prædictum eſt in omnibus gentibus prædicandum eſſe Euāgelium, id ſine impedimento currere per medios hoſtes debebat, vt facit. Itaque cum Donatiſtis anathema eſtote, (vt aiebat D. Auguſtinus) qui peſtilentem hunc errorem reuocaſtis in lucem. *L*

Matth. 5.

Matth. 13.

CAETE-

M CAETERVM Iudaiſmum, & Origeni-
ſtarum errorem ſapit, quidquid Franciſcus
Dauidis de CHRISTI temporario regno
huius mundi mentitur. Nec enim regnum
eius erat, nec futurũ fuerat de hoc mundo.

VI. BLASPHEMIA.

VI. THESIS definit CHRISTVM regem
populi Dei eſſe N deſignatione tamen ſo-
la, quoniam inquit ex omnium Propheta-
rum oraculis certum eſt illum nullum a-
liud regnum, quàm terrenum, & quale ſu-
pra dictum eſt, habiturum.

ANNOTATIO.

N O VIDE vt ſenſim ſatanas nomen, & po-
teſtatem Chriſti Ieſu labefactare niti
tur. Nam quod addit, ex omnium Prophe-
tarum oraculis CHRISTVM nullũ aliud
regnum, quàm terrenum habiturum blaſ-
phemia in ſpiritum ſanctum eſt. In diebus
autem regnorum illorum (dixit Deus per
Daniel. 2. Danielem) nempè poſt Chaldaicum, Per-
ſicum, Grçcũ, Romanum, ſuſcitabit Deus
cœli regnum, quod in æternum non diſsi-
pabitur: & Regnum eius alteri populo non
tradetur, comminuet autem & conſumet,
vniuerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æter-
num: ſecundum quod vidiſti, quod de mõ
te abſciſſus eſt lapis ſine manibus, & com-
minuit teſtam, & ferrum, & æs, & argentũ,
& aurum. Deus magnus oſtendit Regi, quę
vẽtura ſunt poſteà, & verum eſt ſomnium,
& fidelis eſt interpretatio eius. Atqui vt
Regni Chriſti præcipua in eo poteſtas erat
futura, vt animas cum ſuo fine, id eſt, cum
Deo coniungeret, idque & imperium & iu
dicium perpetuò gerere debebat, quod per
Pſalm. 71. Dauidem prenunciatum fuit, dicentem:
Deus iudicium tuum Regi da, & iuſtitiam
Pſalm. 85. tuam filio Regis. Et rurſus: Da imperium
tuum puero tuo, & ſaluum fac filium an-
cillæ tuæ, ſic verum illud futurum erat,
quod Angelus Danieli prædixerat forè, vt
Daniel. 9. auferretur peccatum, & adduceretur iuſti-
tia in ſempiternũ, & vngeretur Sanctus San
ctorum.

VII. VIII. & IX. BLASPHEMIA.

VII. VIII. & IX. Theſi de CHRISTI P
regno terreno neſcio quæ impia iam con-
futata ſomniat, præterea nihil in terra nũc
Chriſtum agere, ac nec Deum quidẽ am-
plius dici poſſe, quemadmodum inquit,
cùm in mundo verſaretur, fortaſſe poterat
ratione officij.

ANNOTATIO.

P QVOT ſyllabæ, tot hîc ſunt blaſphe-
mię, & atheiſmi. Aſcendit enim ad de
Pſalm. 110. xteram patris Chriſtus, de quo dictum e-
rat: Dixit Dominus Domino meo, ſede à
dextris meis: & cui poteſtas adhuc vt homi
ni data fuit in cœlo, & in terra, quiq; vt fi-
lius Dei & hominis cœlum, terramque, &
hominum corda poſsidere debebat iure
creationis, merito redemptionis, & dono Bernar. l. 3. de conſideratione ad Eugenium
Patris, vt D. inquit Bernardus. Itaque & cu
ram ſuorum habet, & lucerna cœli eſt A-
gnus, quem ſequuntur Sancti quocunque
ierit, & factum eſt imperium ſuper hume-
rum eius, quod nunquam auferetur in æ-
ternum. Si igitur impius iſte ſic ſenſiſſet, vt
diuina ſcriptura diſertiſsimè oſtendit, nun
quam in tantam impietatis abyſſum pro-
lapſus fuiſſet.

X. BLASPHEMIA.

X. Theſis habet CHRISTVM adoran-
dum haudquaquam eſſe, S nec dum vitam
in terris ageret, alio quàm ciuili honore af-
fici rectè potuiſſe.

ANNOTATIO.

DATO vno inconuenienti plurima ſe- S
quuntur. Caluiniani, & ante eos Lu-
therani vix quidquam magni momenti af
ferre à pleriſque putabantur, cùm Sanctos
non eſſe venerandos, hoſce non orare pro
nobis aſſeuerarent. Si cauſſa quærebatur,
reſpondebant ne fieret Chriſto Mediatori
iniuria, quodque iam mortui eſſent, nec
noſtra intelligerent: Homines autem non
eſſe venerandos. Tum igitur per ruinam
Sanctorum ſtruebat ſibi ſatanas gradus ad
Chriſtum paulò pòſt pernegandum, quem
nunc iſte atheus, nec præſentem eſſe, nec ad
orandum dicit. Sed de hoc nos ſuperius e-
gimus abundè. Nam & quod Lipſiæ reuo-
catum fuit in dubium, & publicis theſibus
propoſitum, an humanitas Chriſti eſſet ad-
oranda, ijſdem rationibus refutatum fuit,
& quonã ſpectaret adoratio, declaratum.

XI BLASPHEMIA.

XI. Aſſeuerat cultum T nullum Chriſto
deferendum, niſi quem eius pręcepta ſer-
uando ipſi deferimus.

ANNOTATIO.

VTINAM dixiſſes: credendo: & poſt- T
eà obediendo. In fide enim & charita
te æquè nos radicatos eſſe oportere ſapien-
ter dixit Apoſtolus, nimirum ne pręcepto
rum obſeruatio ſecerneretur à fide. Nam
vt nõ inuocas in quem non credis, quomo-
do obedies, quẽ inuocandum, & cui fidem
eſſe habendã pernegas? Sed mirũ eſt, quonã
modo hęretici ſuo ſe laqueo ſuſpẽdant. Dũ
Lutheranus & Caluinianus eſſet Frãciſcus
Dauidis, ſolã fidem in Chriſtũ ad veri cul-
tus rationẽ adhibendã cenſebat. Nunc fa-
ctus Arianus, ſeu Samoſatenicus ſolam prę
ceptorum obſeruationem neceſſariam pu-
tat, reiecta fide.

XII. BLASPHEMIA.

XII. Theſis V definit nos nec Chriſto cõfide
re debere, niſi quaten⁹ ea, q̃ nobis dixit ve-
ra eſſe credam⁹, & q̃ nobis Dei nomine ꝓ-
miſit accepturos nos eſſe, firmiter ſperem⁹.

ANNOTATIO.

V IMPLICAT & hoc contradictionem.
Nimirum ne Chriſto confidamus, ac ta-
men firmiter ſperemus nos ea, quæ promi-
ſit eſſe accepturos. Et verò ea eſſe vera, quæ
dixit credamus. At ſe filiũ Dei dixit, idque
omnibus rationibus & miraculis monſtra-
uit. Deinde dixit: Qui credit in filium Dei,
hic habet vitã æternam. Et qui in filij no-
mine non petit, nunquã exauditur à patre.

XIII. BLASPHEMIA.

XIII. Theſis X Chriſtũ inuocare omninò
prohibet.

ANNOTATIO.

X HVC ſcilicet ſpectabat ſatanas, vt quẽad
modũ ex Sanctorũ interceſsione (ſic-
ut paulò ante diximus) inuocatio Chriſti
de medio tolleretur, ſic modo ex inuocati
Ant. Poſſ. lib. de impoſturis Chytræi. onis Chriſti negatione, tantò magis Sancto
rum charitas, communio, lux, & lumen, in
quo omnia conſpiciũt, infirmaretur. Qua
de tota re copioſè nos alibi cõtra te Chy-
træũ, copioſiſsimè aũt & accuratiſsimè (v-
ti veriſsimè) Eccleſia Chriſti paſsim egit.

XIIII. BLASPHEMIA.

XIIII. Continet Chriſtũ Y in præſentia in-
ter Deũ & nos mediatoris officio minimè
fungi.

ANNOTATIO.

Y ET vides lector, ſuperbiam & perfidiã
ſemper aſcendere, digna vt iſthæc ſint
lacrymis potius quàm argumentis. Cæterũ
quorſum illud, quod Apoſtolus dicit Chri
Heb. 5. ſtum Apoſtolum eſſe & Pontificem cõfeſ-
ſionis noſtræ? Quare enim Apoſtolus eſt
confeſsionis noſtrę, niſi quia, ſicut Syno-
dus Epheſina prima dicit, ſacrificat Deo &
Patri fidei noſtræ confeſsionem, quæ à no-
bis ipſis, & per ipſum ipſi DEO Patri inceſ-
Lib. 11. in Ioan. ca. 7. & l. 2. de recta fide ad Regin. ſanter offertur. Quemadmodum etiam do
cet D. Cyrillus. Quorſum etiam illud D.
Ioannis: Et ſi quis peccauerit, aduocatũ ha-
1. Ioan. 2. bemus ad Patrem Ieſum Chriſtum iuſtũ?

XV. BLASPHEMIA.

XV. Theſis Chriſti Z Sacerdotiũ negat,
& ſi modò Sacerdos reuera vnquã fuit, tũc
re ipſa finem habuiſſe affirmat, cùm in cru
ce exſpirauit, nec alia ratione eius oblatio-
nem nobis prodeſſe, aut prodeſſe poſſe, quã
propter ipſius oblationis (quamuis iam
tranſactæ) efficaciam, quæ perpetuò du-
ret.

ANNOTATIO.

Z QVOD veteris teſtamenti omnes figu-
ræ & Prophetię ſacrificium fore oſtẽ-
debant, id ſatanas per iſtius Athei impu-
riſsimi ſpurciſsimam animam negare eſt
auſus. Ac cùm oblationem fateatur expian
dis peccatis efficacem fuiſſe, & Sacerdotiũ
habuiſſe in perpetuum dicat, cur in dubiũ
vocat ſacrificium ijs verbis? (ſi modò Sacer-
dos re vera vnquam fuit) ſanè quem diabo
lus agitat, huc illûc circumfert, ac denique
mergit in profundum, ſicut plumbum in
aquis vehementibus. Quem verò ſpiritus
ſanctus animat, ſiſtit in petra firmiſsima, &
venerunt venti, & fluxerunt torrentes, ac
ſtetit, & ſtat fidelis anima Catholica.

XVI BLASPHEMIA.

XVI. Theſi IESV A Chriſto in ſua quie
te placidè verſari dimiſſo, nihil inquit, nũc
ab eo nos iuuari apud Deũ, vel credamus,
vel curemus, niſi quatenus dum hîc inter
nos fuit, ſalutiſq; viam nobis oſtẽdit, & ad
Deum accedendi modum docuit.

ANNOTATIO.

PLVS Mahometi Turcæ, quàm latro i- A
ſte Chriſto Dei filio tribuit. Et cũ Chri
ſtus ſit via, veritas, vita, oſtium, mediator,
Aduocatus per redemptionem, per quem
Angeli, & Sancti in cœlis, viuentes autem
adhuc in hac miſeriarum valle acceſſum
habẽt ad patrem, audet iſtud diaboli man-
cipium eundem vnica theſi de gradu diui-
nitatis velle deponere. Videt igitur Blan-
drata, qui ſe paſsim in Tranſſyluania iacta
bat eſſe medicum corporis & animæ, vt il-
li in Albana diſputatione exprobratũ fuit,
quantum diſcipulum fecit, vt ab huius fru-
ctibus præceptorem agnoſcere poſsis. At
tamen (proh hominum cæcitatem) audent
adhuc illum neſcio quem magnum æſti-
mare, vel ſummum ſcribere. Sed ſimiles
habent labra lactucas. Porrò Turcę talem
non tuliſſent aduerſus Mahometem ſuum
blaſphemantem: Eius verò aduerſus Chri-
ſtum diſcipulos debacchantes, ſapientiſsi-
mi quidem non ſolùm ferũt, ſed efferunt.
Id verò quod Chriſtus dixit: Qui me eru-
buerit coram hominibus, & ego erubeſcam
eum, perquirant de ſe ipſis, num aliquando
futurum ſit, vt Chriſtus ipſe quærat & iu-
dicet. Et certè quæret ac iudicabit, qui non
irridetur Deus.

CVM igitur ex his theſibus, alijſque
pernicioſiſsimis hæreſibus factum eſ-
ſet, vt anno huius ſeculi ſeptuageſimo octa
uo à Chriſtophoro Bathoreo Tranſſylua-
niæ Principe nobilitas euocata, vnà cum 1578
cæterarum hæreſum Tranſſyluanicis mi-
niſtris Franciſcum Dauidem morti adiu-
dicaret, calculum Blandrata ſuum in comi
tijs adiecit, ne videlicet amici ſui veteris,
quẽ ad eas blaſpemias dudũ lactauerat, peri
culum, & ipſe ſubiret, ſi conſentientium or
dinum ſententiæ ſe oppoſuiſſet. Sic ſapien-
tia DEI iuſtificata eſt, vt à quo miris arti-
bus Franciſcus Dauidis fuerat deceptus,
ab eodem admirabiliore iudicio Chri-
ſti

ſti Domini condemnaretur. Pleriq; nobiles ea labe infecti, nec ipſi auſi ſunt hiſcere. Hortãtibus amicis, vt ſaltem Chriſtum fateretur eſſe noſtrum ſaluatorem, reſpondit, quid ego ſaluatorem illũ fatebor, qui nec ſeipſum ſeruare potuerit? Iudaicam ſanè, & plus quàm impiam blaſphemiam. Itaque & antea dudum pœnam in corpore luebat atrocem. Sic enim viuus fœtebat, vt ad Iudicum tribunal vxor ipſius vocata, quòd cum coniuge agere nollet, quid (inquit) mãſerim apud eum, cuius viuentis eſt intolerabilis fœtor? Superſtes autem erat adhuc eadem mulier anno ſuperiore, quo in Tranſſyluania fui, cùm Pontificis Maximi Gregorij XIII. & Stephani Poloniæ Regis ſumptibus ſeminarium ei genti Catholica fide excolendæ inſtitutum eſt. Qua occaſione plurima iſtorum nequiſsima facinora & audiui, & vidi, propter quod & loquor. At antea Franciſcus Dauidis in arcem Deuam, quæ propè Mariſium ſita eſt coniectus in carcerem, vt de eo extremum ſupplicium ſumeretur, in inſaniam incidit. Turmæ dæmonum apparenti dixit: Ecce qui me comitem itineris expectant. Sic os illud impium, quod filij DEI inuocationẽ negauerat, cùm DEVM inuocare non potuiſſet, infælicißimam animam dæmonibus tradidit. Cui Demetrius quidam Claudiopoli ſucceſsit. Hic verò (cùm adhuc impunè extent Franciſci Dauidis libri) plurimos ea in impietate fouet. Eoque deuentum eſt, vt Euangelijs reiectis, veteris teſtamenti prophetias ſabbathis Iudaizantes legant, Chriſtiana omnium penè reijciant, ſtupidißimos autem eatenus errores exuxerint, vt mulieribus quoque non paucis animam non eſſe perſuaſerint. Hi igitur fructus feralis libri, nimiæque conniuentiæ tantæ impietatis fuerũt, vt ex his omnibꝰ qd Lutherana, & Caluiniana ſemina produxerint nemo, qui nõ ſit truncus, haud intelligat. Et Lublini in Polonia ſuperiore hoc anno cùm à quodam malè feriato Italo Samoſatenici inuiſerentur, alios errores prioribus peſtilentiores receperunt: ſenſimque ſatana ſuam telam texẽte eò præcipites ruerunt, vt ſcripturam omnem haud eſſe neceſſariam dicant, ſpiritus verò ſui teterrima commenta pro neſcio qua ſpirituali perfectione, ac vera religione, ſimiles in hoc Schuenckfeldij vẽditent. Inuiſenti igitur eos Italo cœtus ille malignantium de multis admonitus, quaſi nouum ijs ſydus emicuiſſet, ecce nos (inquiunt) ad pedes tuos, quæcunque iuſſeris faciemus. Et hic homo ex ijs eſt, quos paucißimos Miniſtri Tranſſyluanici eo de quo egimus illorũ libro teſtantur tãquã Apoſtolos cælitus fuiſſe demiſſos, Videlicet (ſi Deo placet) vniuerſa Chriſti, ac omniũ ſeculorum anteactorũ Eccleſia ſapiẽtiores, hoc eſt, Mahometi, atq; Antichriſto viam ſedulò cõplanantes. Ite igitur heretici, & digna hæc patellis opercula deligite, vt idem dæmonũ caſus, qui Franciſcũ Dauidis abripuit, vos ſiue in corpore, ſiue extra corpus maneat. Sanè ex ijs, quæ hactenus allata ſunt liquet, nullum in Symbolis vel Apoſtolico, vel Niceno, vel Cõſtatinopolitano articulum eſſe, quẽ vos huius ſeculi hæretici & Athei euertere non fueritis conati. Quod non ita pridem Germanicè editum eſt, quo ab hæreticis omnes articulos fidei euerti planè conſtat. Id autem Latinè redditum, & aliquibus locis nunc à me auctum ſic habet.

1582.

Fructus noui Euangelij.

Eccleſiæ non obediunt, inſano tamẽ homini ſtatim obtemperãt.

SYMBOLVM PSEVDOEVANGElicorum Miniſtrorum omnium.

CAPVT VIII.

QVAM perperam vulgo à ſectarijs hoc tempore perſuadeatur, quod in controuerſijs iſtis nũc tritis fidei, religioniſue eorum, qui ſeipſos ab Eccleſia Romana ſeparauerunt, & contra illam inſurrexerũt, non multum ſit momenti, & quod de rebus tantùm vilißimis, ac ſi lites, & diſcordiæ eſſent tantummodò familiares, in his agatur: Quam verò ijdem Pſeudoeuangelici concionatores deuaſtationem & Babylonicam confuſionem in totã ferè Germaniam, ac quocunq; potuêre (proh dolor) inuexerint, hinc facillimè colligitur, quòd in toto Symbolo Apoſtolico nullus articulus ſit, quin ab impijs iſtis hominibus mutatus, atque corruptus ſit.

Contra primum enim articulum Chriſtianæ noſtræ fidei:

Credo in Deum Patrem, creatorem cæli & terræ, *Lutherus impiè errauit.*

In verſione Lutheri Germanica.

LVTHERVM enim arguunt ſanctißimæ Trinitatis oſorẽ verba illa ſublata in ſua verſione, quæ quidem verba vulgata editio Apoſtolicę Epiſtolę D. Ioannis habuit. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Quæ verba qui antiquitus omittebãt, eos infideles, & perfidos interpretes D. Hieronymus non iniuria vocauit.

In reformatione precum.

EVNDEM eiuſdem ſanctißimæ Trinitatis oſorem arguit, ſublata illa ab eo precandi formula: Sancta Trinitas vnus Deus miſerere nobis.

2 CAROLSTADIVM arguit Lutherus adeò impium, atq; peruerſum fuiſſe, vt nõ crediderit vel in terris, vel in cælis vllum Deum exiſtere.

Calu. Inſti. li. 1. cap. 9.

3 CALVINVS blaſphemat, Deum non ſolũ impiorũ auxilio vti, verũ etiam eorũ cõſilia & cogitationes efficaciter dirigere,

auctoremque non minus eſſe peccatorum, quàm bonorum: Id quod Lutherus & alij negantes liberum arbitrium producere in medium inceperant.

Thilman. Heshuſ. cõ Caluinum & Bezam.

4. Quidam Zuinglianorum, quales ſunt Theodorus Beza, & Petrus Martyr negant Omnipotentiam Dei, quod facta vt infecta ſint, facere nequeat: quaſi hoc ad Omnipotentiam Dei ſpectaret, ſed de hoc actũ eſt ſupra.

5. Præſertim autem tantam potentiam Deum non habere inquiunt, vt naturale corpus in ſua eſſentia vno ac eodem tempore in multis locis ſimul eſſe poſsit: qui ſi crederent CHRISTO, captiuarent intellectum ſuum in obſequium eius, & plus eum poſſe, quàm natura poſsit crederent.

Heshuſius in ep. ad Illyricum de peccato originali an ſit ſubſtantia.

6. De Illyrico ſcribit Heshuſius ex ipſius doctrina ſequi, quòd non Deus, ſed diabolus animas hominum creauerit.

Epiſt. 6. ad Caluin.

7. SERVETVS ſomniat DEVM in ligno, lignum: in lapide, lapidem: in arbore, arborem eſſe. Nempè quod formam & ſubſtantiam ligni, lapidis, & arboris verè habeat.

Aduerſus ſecundum articulum,

Et in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dominum noſtrum: *docent.*

Vide ſuprà in Atheiſmis.

1 LVTHERVS contra Latomum ſcribens ferre non poteſt hanc vocẽ ὁμοούσιον; conſubſtantialem, dici de Filio Dei.

2. Melanchthon partem ſubſtantiæ, non totam eſſentiã accepiſſe Chriſtum à Patre in locis communibus non ſemel aſſerit.

3. Caluinus facit Chriſtum & ſpiritũ ſanctum per ſe Deos, vnde Autotheanorum hæreſis orta.

Petrus Caroli. in explicat. cõt. Georg. Blãdrat.

4. Georgius Blandrata, Franciſcus Dauidis, & ſectatores eorum nolunt hoc fateri, aut admittere, Deum habuiſſe naturalem Filium, à Patre ab æterno genitum, neque eſſe illud æternum verbum cui duplex natiuitas videlicet diuina, & humana aſcribi debeat: Inde purum ex illo hominem faciunt, eumq; præ cæteris hominibus aliquã habuiſſe prærogatiuam, ante aſſumptionẽ autem carnis non fuiſſe. Neque neceſſariũ putant eum Redemptorem, & Saluatorem tanquam Deum & hominem in mundum veniſſe, ſed ſufficere eum fuiſſe hominem. Audent quoq; dicere, non alium in ſcriptura filium Dei inueniri, quàm eum, quẽ virgo Maria in hoc mundo peperit.

Stancarus contra Pinczouianos.

5. Sarnitius, Liſmaninus, Georgius Niger, Budnæus, & alij vt Stancarus teſtatur, Arianiſmum rurſus excitarunt, & docuerunt filium minorem eſſe patre: reijciuntque interim Symbolum in Concilio Nicæno decretum, & Symbolum Athanaſij blaſphemè nominant Satanaſij, hoc eſt ſatanę ſymbolum.

Beza in Coloſſ. n.

6. Theodorus Beza dicit filium Dei non eſſe natum ex ſubſtantia, & eſſentia Dei.

Idem Beza in l. de hypoſtatica duarum in Chriſto naturarũ vnione.

7. Idem Theodorus Beza duas in Chriſto perſonarum vnitates fingit, vnam animæ cum corpore, alteram diuinitatis cum humanitate, quòd nihil aliud eſt, quàm dãnatam Neſtorij hæreſim ab inferis reuocare.

Adamici Anabaptiſtæ blaſphemant in Chriſtum Ieſum filium Dei Dominum noſtrum, quem proferunt non eſſe filium Deum.

Orantes in ſecreto veram negant diuinitatẽ Chriſti in eo, quod docent, nõ Chriſtum, ſed patrem ſolum eſſe adorandum.

Contra tertium articulum,

Qui conceptus eſt de Spiritu ſancto, &c.

1 BVCERVS cùm animam ageret faſſꝰ eſt, verùm Meſsiam adhuc non veniſſe, venturum tamen.

Li. 1. de Trinit. cap. 17. & 18. & epiſtola 1. & 3. ad Caluin.

2. Hoffmannici fabulantur, Deum ex ſe ipſo, & non ex virgine Maria hominem factum eſſe, atq; ita in Chriſto vnam tãtum eſſe naturam.

3. Seruetus tanquam electum ſatanæ inſtrumentum adeò eſt impudens, vt in ſanctißimæ Trinitatis contumeliam ſcripſerit, Chriſtum non ſolùm virtute ſpiritus ſancti, verùm etiam ex ſubſtantia Dei patris, hominem eſſe natum: itaque duas Chriſto tribuit perſonas, vnam ex DEO, & alteram ex virginali vtero Mariæ genitam.

In Colloquio VViſmarien. Beza in 1. cap. ad Rom. Sarcerius in Poſtilla de feſto Natiuit. Mariæ.

4. Mennon etiam excogitauit, Chriſtũ è cœlis ex ſubſtantia patris ſecum corpus detuliſſe: Quemadmodum & Schuenckfeldius ſenſit: quod ſanè conuenit cum Sarcerio de Anabaptiſtis ſcribente, chriſtum cœleſte, & ſpirituale ſecum è cœlis corpus detuliſſe, & ex virgine Maria nihil aſſumpſiſſe, ſed corpus eius tanquam per canalem pertranſiſſe: Carnem verò ex elementis huius mundi attraxiſſe, quam denuò mundo reliquerit, cùm in cœlum abſque carne aſcenderit.

Caſſander de duab. in Chriſto naturis.

5. Adamus Paſtoris ſibi ſomnia fingit, & inquit: Quemadmodum Chriſtus vna tantum eſt perſona, ſic vnã naturam, & non plures habuit.

Li. de Diuina Maieſtate humanitatis Chriſti.

6. Schuenckfeldius in tantam incidit impietatem, vt aſſeruerit, Chriſtum etiam ſecundum humanitatem verum eſſe exiſtimandum Deum, & non creaturam, & magnã putat eſſe blaſphemiam, humanã Chriſti naturam nominari creaturam.

VVitẽberg. contra Illyricum.

7. ILLYRICVM VVitembergenſes arguunt, quod ſenſerit ex ſacra ſcriptura probari non poſſe filium Dei æternum illud verbum, & figuram ſubſtantiæ patris dici.

Caluinus Inſtructio ne aduerſ. Anabapt. & Libert.

8. Anabaptiſtæ non credunt, Chriſtum fuiſſe verum hominem, ſed faciunt ex corpore ipſius phantaſma, hoc eſt, nudam apparentiam, ſiue corpus apparens.

Luth. ſup. epi. ad Hebręos interprete Bucero.

9. Portētoſi huiuſmodi errores inde plerunque orti ſunt, quod Lutherus expreſsè docet, humanitatem Chriſti non omnia ſciuiſſe, neque cogitaſſe, & hominem ipſum Chriſtum non fuiſſe omnipotentem. Item Chriſtum ab initio ſuæ conceptionis, & natiuitatis non fuiſſe plenum gratia, ſed cùm ſucceſsiuè creuerit corpore, ſic etiam donis Dei creuiſſe.

In confeſſ. ad Carolū art. 1.

10. Sic & Zuinglius docuerat Chriſtum creuiſſe ſapientia cùm ſecundum humanā naturam finitus, & terminatus fuerit.

Contra quartum articulum,

Paſſus ſub Pontio Pilato, &c.

Caluin. cōtra Libert.

1 LIbertini docent, Chriſtū nō verè, ſed tantum per phantaſma mortuū eſſe.

Staphil⁹ in defenſiōe.

2. Andreas Muſculus contrarium ſentit, videlicet diuinitatem Chriſti etiā paſſam, & mortuam fuiſſe.

Dubitātius dialog. 1. cap. 3.

2. In qua ſententia item fuit Lutherus, vti ex libro ipſius de concilijs conſtat.

Stancar. li. de Trinit. & mediatore Chriſto.

3. Stancariani volunt, Chriſtum tantum ſecundum humanam naturam Mediatorē noſtrum eſſe.

Vide ſupplicem libellū Naumburgi Principibus oblatū, & Illyricū cōt. Oſiand.

4. Oſiander econtrario affirmat, Chriſtum eſſe iuſtitiam noſtram quo ad diuinitatem tantum, & docet totam Chriſti diuinitatē eo modo in nobis realiter habitare, quemadmodū & in homine Ieſu habitauit.

Loſſ. in 14. c. Marci.

5. Loſsius & alij ſomniant, Chriſtum nō ſolùm impatibiles inferni dolores, verùm etiam cruciatus æternæ damnationis paſsū fuiſſe, cùm in mōte Olineti calicem paſsionis ſuæ extimeſceret.

Caluin. in harm. Euang.

Eodem modo & Caluinus ſcribit, Dominum abſq; ratione, & ſpiritu oraſſe ijs verbis, tranſeat calix iſte: Orationem iſtā nec cogitanti ſibi excidiſſe, & proinde emēdaſſe.

Brētius in Ioā. hō. 54. Idem in catechiſ. anni 54. Brentius in Luc. par. 2. hom. 54.

Brentius inquit, Deum aliter placari noluiſſe, quàm vt Chriſtus pœnas peccatorū ſuſciperet: Hoc eſt (vt ipſe loquitur) cruciatus, & dolores mortis, & inferni. Præſertim autem verba hæc Chriſti; Deus Deus meus quare me dereliquiſti, explicuit: Chriſtū doloribus inferni circumdatū, & flāmis infernalibus accenſum fuiſſe.

Robertus Stephanus reſponſ. ad catalog. 4. error. art. 47.

Quidā impudenter aſſerunt, Deū in ara crucis adeò Chriſtū dereliquiſſe, vt nec diei lumē illi cōcedere dignatus fuerit. Hinc etiam Chriſtum nō aliter exiſtimaſſe, & ſciuiſſe, quàm ſe fuiſſe derelictum, quin verò etiam omninò deſperaſſe. Caluinus itē in Harmonia Euangelica ait, Chriſtū emiſiſſe vocem deſperationis.

AEpin. cōment. in pſal. 16.

HIS omnibus Aepinus defendere auſus eſt, Chriſtum poſt mortem crucis, ęternam flammam, & infernalem cruciatum paſſum fuiſſe, vt pro animabus à corpore ſeparatis ſatisfaceret.

Contra quintum articulum,

Deſcendit ad inferos, &c.

Brētius in catechi. anni 51.

1 DEſcendere ad inferos ſignificat ſecundum Brentiū idem quod mori.

Dubitant. dialog. 1. cap. 5.

2 OEcolampadius inquit: Hæc verba deſcendit ad inferos tantum eſſe declarationem dictionis illius (ſepultus.)

Li. 2. Inſtit. cap. 41.

3 Caluinus vult, hūc deſcenſum ad inferos ſignificare certamen cū horrore mortis.

Bucer. c. 27 Matth. Caluin. lib. 2. Inſtit. c. 16.

4 Doctrinam de Lymbo Patrum, Lutherus, Bucerus, & Caluinus exiſtimāt tantum eſſe ſomnium, & fabulam, & fictitiā quandam. Imò verò Lutherus & Paradiſum, & infernum, & Purgatorium tollit, vti ſuprà oſtendimus.

Li. 3. Epiſt.

5. Zuinglius docet, Chriſtum non realiter, ſed potentialiter deſcendiſſe.

Li. de omni præſentia Chriſti.

6. Beza ſcribit, Chriſtum non reſurrexiſſe per ſepulchrum clauſum hoc modo, vt corpore illud penetraſſet, ſed ſepulchrum ceſsiſſe corpori reſurrecturo.

Sicut Chytræus admonet in 1. c. Matth.

7. Schuenckfeldius vult, Chriſtum poſt reſurrectionem non habuiſſe amplius humanam naturam, ſed eandem in diuinam commutaſſe. Sic Vbiquitarij, Brentiani, Andreas Schmidelinus, & reliquæ illæ peſtes Tubingenſes, ac VVirtembergenſes.

Beza in li. de omni præſentia carnis Chriſti.

8. His & Bullingerus aſſentitur, vbi inquit Chriſtum in aſſumptione ſua ſuper omnes creaturas exaltatum fuiſſe, atque ita creaturam eſſe deſijſſe.

Contra ſextum articulum,

Aſcendit ad cœlos, &c.

Tiletan⁹ de Sacramēt. cōtra Kemnitium.

1 ILlyricus negat aſcenſionē CHRISTI eſſe factam, ſed fingit eleuationem ad locum aliquem conſtitutum, per quam ad cœlos, hoc eſt, ad aerem aſcendit, ad oſtendendam gloriam ſuam.

Brētius in Lucā part. 2. hom. 50. & cōt. Bulling.

2. Brentius contradicit, & ait Chriſtum, & humanam ipſius naturam quadrageſimo die ad cœlos primò aſcendiſſe, ſed ab initio incarnationis in cœlo fuiſſe. Nunc autem non ſolùm in cœlo, & in venerabili Sacramento, verùm etiam vbiq; & in omnibus locis adeſſe.

Schmidel. in diſputat. Tubingēſi.

3. Sedere ad dexterā, Brentio, & Schmidelino non aliter ſignificat, quàm corpus Chriſti omnipotenti maieſtate, integra & vbiquitaria præſentia, & alijs diuinæ naturæ proprietatibus eſſe præditum.

Vveſtpha. in libello cōtra Ioā. à Laſco.

4. VVeſtphalus iniquum putat dictionē hanc (ſurſum) quaſi locum eſſe explicandā. Is verò contra dictionis ſenſum, contra ſententiam Patrum, contra conſenſum omnium Chriſtianorum, Chriſtum inquit aſcendiſſe ad cœlos non aliud deſignare, quàm euanuiſſe.

5. Petro Martyriani, Bezani, & præſertim Caluiniani, hoc modo Chriſtū ad dexteram Patris alligant, vt nec in pluribus locis, nec in venerabili Sacramento realiter eſſe poſsit.

6. Contra Brentiani, vel Vbiquitarij adeò vbiquitatem ſuam extendūt corporis Chriſti, vt etiā in herbis, lapidibus, & omnibus creaturis ſit re ipſa, & (vt dicunt) realiter.

Contra ſeptimum articulum,

Inde venturus eſt, &c.

Calu. Inſti. li. 2. ca. 17.

1 CAluinus in eos inuehitur, qui putāt Chriſtum per merita cōſecutū fuiſſe, vt ſit Iudex mundi, caput Angelorū, & Imperium habeat ſummū. Audet propterea blaſphemè negare, Chriſtū ſibimet promeritum eſſe aliquid, dum mortali carne hìc in terris vixit.

Lindā. dialog. cap. 3.

2. Recentiſsimi huius temporis hæretici pleriq; omnes nō credunt Chriſtū ſecundum merita cuiuſq;, ſed ſecundum fidem iudicaturum eſſe.

Contra octauum articulum,

Credo in Spiritum ſanctum, &c.

In eius ad Caluin. ep.

1 CAſanouius negat proceſsionem ſancti ſpiritus à patre, & filio.

In cap. 4. epiſtolę ad Rom.

2. Petrus Martyr inquit, Theologorum Eccleſiæ Græcorum & Latinorum de proceſsione ſpiritus ſancti diſceptationē eſſe purè ſcholaſticam.

Georg. Maior contra Blādratam.

3. Trinitarij Vngarici volunt non poſſe probari ſpiritum ſanctū in ſacris literis nominari verum Deum.

Trinitarij in concilia bulo Tordano, ex cōfeſſione. Dobricinē. Petri Melij, ſicut etiam dicitur de Fareliſtis.

4. Ijdem non admittunt, filium, & ſpiritum ſanctum eſſe perſonas, ſed tantū virtutes Dei. Et ex ſpiritu ſancto faciunt creatam motionem in Sanctis, vel operationē Dei, vel ſingulare aliquod donū à Deo proueniens. Vt ipſum autem diuinitate priuent, nolunt ipſum tanquam Deum coli, & adorari.

5. Quidam dicunt: Quemadmodum filius eſt minor patre, ſic quoq; ſpiritus ſanctus minor filio.

Vide ſupra in Atheiſmis.

6. SERVETIANI omnino excluſerunt ſpiritum ſanctum ex Trinitate, cuius non eſſe tertiam perſonam impiè blaſphemant.

Contra nonum articulum,

Sanctam Eccleſiam Catholicam.

Paſsim vide ſupra de verbo Dei, & de atheiſmis iſtorū.

1 LVTHERVS & Caluinus contra verā puritatem & ſanctitatē Eccleſiæ docent: Plebem Dei ſemper manere impurā, ſemper peccatis conſperſam, & non aliter purificari, quàm ſola imputatione, hoc eſt, quod Deus omnes puros eſſe exiſtimet, cùm tamen reuera ſint impuri.

2. Libertini explicuerunt Sanctorum cōmunionem ad bona temporalia tātummodo pertinere.

Contra decimum articulum,

Remiſsionem peccatorum.

Vide ſupra

LVtherani, & Caluiniani docent perfricta frōte remiſſionem peccatorum nō veram, ſed tantum imputatā eſſe, quę Chriſtianis abſque bonis operibus, absq; Sacramentis, & per ſolam fidem imputatur.

Contra vndecimum articulum,

Carnis reſurrectionem.

Lindan.

DAuid Georgiani negant carnis reſurrectionem. Libertini autem admittunt, prælata tamen ſpirituali eorum renouatione. Reſurrectionem autē carnis, quæ in hoc articulo intelligitur iam dicunt trāſijſſe.

Contra duodecimum articulum,

Et vitam æternam.

In prælect. 1. Geneſ. Vide ſupra

1 LVtherus aſſerit, animas Sanctorum ante reſurrectionem non eſſe in cœlo, neq; faciem Dei intueri, ſed in ſingulari quodam loco detineri, & quieſcere, probi quidem in lætitia, improbi verò in timore & tremore.

Vvirtēbergēſes in fūdamento.

2. Vvirtembergenſes in fundamēto paulò ante edito, arguunt Iacobum Andreę tā cœlum quàm infernū negare, ex eo quod tantum allegoriam, hoc eſt nudam ſignificationem, & ſic Talmudiſticum, & Alcoranicum cœlum faciat.

Contra totum Symbolum generatim docent aliqui Pſeudoeuangelici concionatores.

Caniſius in præfat. de corruptelis verbi Dei contra Magdeb. vbi de D. Ioāne Baptiſta & de miniſtrorū Vngaricorum impietate.

1. Aliqui in Trāſſyluania non aliter tria illa Symbola ab Eccleſia approbata ſuſcipere volunt, niſi cum illa proteſtatione, ſi cum verbo Dei & ſacra ſcriptura conueniant.

In colloq. Albæ Iuliæ habito, & in concilia bulo Tordano.

2. Pręſertim autem blaſphemant quidā eorum, Nullā eſſe Trinitatem, ſed tantū vnum Deum Patrem.

Ex epi. Tigur. Paſtor. ann. 53. ad Seruetum.

3. Eodem modo & recentiores Trinitarij, cum Serueto blaſphemant contra ſanctiſsimam Trinitatem, & nominant illam ſpectrum ſatanæ, monſtrum marinum, & cerberum tricipitem. vide tu verò iſtos ſpectra ſatanæ, monſtra marina, & cerberos tricipites.

Beza in li. de omni præſentia carnis.

4. Aliqui Prædicantium in Polonia dicūt tres eſſe deos, tres omnipotentes, tres æternos, & tres eſſentias.

5. Heshuſiani negant vnitatem harum trium perſonarum ſanctiſſimæ Trinitatis.

Symboli aſymboli Atheorum finis.

SYMBOLVM APOSTOLORVM Eccleſiæq; veteris.

CAPVT IX.

At horrido iſto eiulatu, diſſonoq; atheorum ſtrepitu iam omiſſo, oſculetur nos oſculo oris ſui benedictus De°, ſonetq; Chriſti Eccleſiæ vox in auribus noſtris, priſcā illam maiorum fidem, vt num Catholici eā retinuerint, quam conſtat hæreticos deſeruiſſe, intelligi queat. Vox enim ipſius dulcis, & facies eius decora.

Symbolum Apoſtolicum in duodecim diſtinctum articulos.

ARTICVLVS,

1. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ:
2. Et in Ieſum Chriſtum, filium eius vnicum, Dominum noſtrum.
3. Qui conceptus eſt de ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine.
4. Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.
5. Deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis.
6. Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.
7. Inde venturus eſt iudicare viuos, & mortuos.
8. Credo in ſpiritum ſanctum:
9. Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem:
10. Remiſſionem peccatorum:
11. carnis reſurrectionem:
12. Vitam æternam. Amen.

Deſignatio Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei à Nicæna Synodo expoſitæ, ſub Deo amabiliſſimo Rege Conſtantino, in conſulatu Paulini, & Iuliani Illuſtrium, anno ab Alexandro 639. menſe Iunio ante 13. Kalend. Iul. Indictione 23. in Nicæa Bythiniæ Metropoli

CRedimus in vnum Deum, patrem omnipotentem, omnium viſibilium, & inuiſibilium factorem. Et in vnum dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Filiū Dei de patre natum, vnigenitum, id eſt, de ſubſtantia patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine. Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, ὁμοούσιον patri, hoc eſt, eiuſdē cum patre ſubſtantiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlis, & quæ in terra, qui propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit. & incarnatus eſt, homo factus paſſus eſt, & reſurrexit tertia die, & aſcendit in cœlos, inde venturus iudicare viuos & mortuos. Et in ſpiritum ſanctum. Eos autem qui dicunt: erat aliquando quando non erat, & antequam naſceretur non erat: & quia ex nullis ſubſtantibus factus eſt, aut ex alia ſubſiſtentia vel ſubſtantia, dicunt eſſe τρεπτὸν aut conuertibilem, vel mutabilem Filium DEI, anathematizat Catholica, & Apoſtolica Eccleſia.

SYMBOLVM ATHANASII.

QVICVNQVE vult ſaluus eſſe: ante omnia opus eſt, vt teneat Catholicam fidem.

Quam niſi quiſque integram, inuiolatamque ſeruauerit: abſque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc eſt, vt vnum Deum in Trinitate: & Trinitatem in vnitate veneremur.

Neque confundentes perſonas: neque ſubſtantiam ſeparantes.

Alia eſt enim perſona patris, alia filij: alia ſpiritus ſancti.

Sed patris, & filij, & ſpirit° ſancti vna eſt diuinitas: æqualis gloria, coæterna maieſtas.

Qualis pater, talis filius: talis ſpiritus ſanctus.

Increatus pater, increatus filius: incratus ſpiritus ſanctus.

Immēſus pater, immenſus filius: immenſus ſpiritus ſanctus.

AEternus pater, æternus filius: æternus ſpiritus ſanctus.

Et tamē non tres æterni: ſed vnus ætern°.

Sicut non tres increati, nec tres immēſi: ſed vnus increatus, & vnus immenſus.

Similiter omnipotens pater, omnipotēs filius: omnipotens ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres omnipotentes: ſed vnus omnipotens.

Ita Deus pater, Deus filius: Deus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres dij: ſed vnus eſt Deus.

Ita Dominus pater, Dominus filius: Dominus ſpiritus ſanctus.

Et tamen non tres Domini: ſed vnus eſt Dominus.

Quia ſicut ſigillatim vnamquamq; perſonam Deum ac Dominum confiteri Chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos aut dominos dicere Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo eſt factus: nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre ſolo eſt: non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus ſanctus à patre, & filio: nō factus nec creatus, nec genitus, ſed procedens.

Vnus ergo pater, non tres patres: vnus filius, nō tres filij: vnus ſpiritus ſanctus, nō tres ſpiritus ſancti.

Et in hac Trinitate nihil prius, aut poſterius, nihil maius aut minus. ſed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt & coæquales.

Ita vt per omnia, ſicut iam ſuprà dictū eſt: & vnitas in Trinitate, & Trinitas in vnitate veneranda ſit.

Qui vult ergo ſaluus eſſe: ita de Trinitate ſentiat.

Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutē: vt incarnationem quoque Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat.

Eſt ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, Deus & homo eſt.

Deus eſt ex ſubſtantia patris ante ſæcula genitus: & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.

AEqualis patri ſecundum diuinitatem: minor patre ſecundum humanitatem.

Qui licet Deus ſit & homo: non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus.

Vnus autem non conuerſione diuinitatis in carnem: ſed aſſumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino non confuſione ſubſtantiæ: ſed vnitate perſonæ.

Nam ſicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.

Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit à mortuis.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis: & redituri ſunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala, in ignem æternum.

Hæc eſt fides Catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmiterq; crediderit: ſaluus eſſe non poterit.

SYMBOLVM CONCILII CONſtantinopolitani.

EDITIO I.

CREDIMVS in vnum Deum patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inuiſibilium conditorem. Et in vnum dominum Ieſum Chriſtum, filium Dei vnigenitum, ex patre natum ante omnia ſecula, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, natum, non factum, homouſion patri, hoc eſt, eiuſdem cum patre ſubſtātiæ, per quem omnia facta ſunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de ſpiritu ſancto ex Maria virgine, Homo factus, paſſus eſt ſub Pōtio Pilato, ac ſepultus, & tertia die reſurrexit. Aſcendit in cœlos, ſedet ad dexteram patris, inde venturus eſt cum gloria iudicare viuos, & mortuos. cuius regni non erit finis. Credimus in ſpiritum ſanctum, dominum & viuificatorem, ex patre procedentem, cum patre & filio adorandum & conglorificandum. Qui locutus eſt per prophetas. Et vnam Catholicam & apoſtolicam Eccleſiam. Confitemur vnum baptiſma in remiſſionem peccatorum, expectamus reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi. Amen.

EXPOSITIO SYMBOLI NIceni Ioanne Theophilo interprete.

Dilectis & amantiſſimis, Anaſtaſio, Alexandro, Martiniano, Ioanni, Paregorio, presbyteris, & Maximino diacono, cæteriſq; orthodoxæ fidei patribus, monachis, vobiſcumq; monaſticam vitam agentibus ac in fide Dei ſodalitatis, Cyrillus in Domino ſalutem.

CHARITATEM veſtram, eruditionis ſimul ac virtutis amantem, nunc quoque haud mediocriter commendare poſſum, atque adeò omni encomio dignā eſſe dico. Etenim diuinas doctrinas deſiderare, & vt ſacrorum dogmatum rectitudinem aſſequamini, omnem operam impendere, quo pacto quis non valde admiraretur? Hoc enim opus vitam ſine termino ac beatam conciliat, neque irremuneratum erit tale ſtudium. Dicit enim alicubi ad cœleſtem patrem & Deum dominus noſter Ieſus Chriſtus: Hæc autem eſt æterna vita, vt cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. [Ioan.17.] Recta ſanè & irrepræhenſibilis fides, quam fulgor ex bonis operibus comitatur, omni bono vos implet, & decoram nactos gloriam oſtendit. At operum fulgor, ſi expers videatur eſſe rectorum dogmatum, inculpatæque fidei, humanæ animæ nullo modo mea ſententia vtilis fuerit. [Comparatio.] Nam ſicut fides abſq; operibus mortua eſt, ita ſi vertas & dicas opera abſque fide mortua, verum eſſe fatemur. [Iacob.2.] Igitur ſimul fulgeat cum honeſtæ vitæ gloria, etiam immaculatæ fidei candor. Integri enim ita erimus ac perfecti, iuxta ſapientiſſimi Moſis legem: Perfectus enim, inquit, eris coram domino Deo tuo. [Deut.18.] At qui cōtempſerunt rectam habere fidem diſcereque noluerunt, quamuis honeſta vita ſeſe ornent, comparantur nimirum viris ingenua quidem faciei forma, oculis verò diſtor-

tis & hinc inde errantibus:atque adeo cõpetit in eos, quòd à domino per Hieremiȩ vocem ad Hierusalem, Iudȩorum matrem, dictum est: [Hier.22.] Ecce non sunt oculi tui, neque cor tuum rectum. Oportet igitur, vt † ante alia sanam in vobis mentem possideatis, & sanctæ scripturæ memores sitis, alloquentis & dicentis: [† inter] [Esaiæ.30.] Oculi tui rectè viderunt. Visus autem rectus internorum & absconditorum oculorum est, posse sermones, qualescunque de Deo fiant, pro suo virili videre limpidè & exactè. [1.Cor.3.] Videmus enim in speculo & ȩnigmate, & cognoscimus ex parte:quippe reuelans tenebrarum profunda, lumen veritatis infundit his qui ipsius cognitionem rectam capere volunt. Operæprecium autem, vt coram Deo procumbentes dicamus: [Psalm. 12.] Illustra oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Quandoquidem si à sacrorum dogmatum rectitudine excidero, nihil aliud fuerit, quàm manifestè in morte obdormire:à qua rectitudine excidimus, quando scripturas diuinitus inspiratas non sequimur, sed vel minimè laudatis opinionibus, vel exhortationibus circa fidem non rectè incedentium capti, inclinationem metis eorum tollimus, & nostras in primis animas incommodamus. Eundum igitur rectam fidem parare [† πτέον.] sibi studentibus, ad id, quod sacris prȩdicationibus videtur, quas & per spiritum [Luc.1.] sanctum tradiderunt nobis, qui ab initio spectatores & ministri fuere verbi, quorũ vestigia sequi studuere etiam celeberrimi patres nostri, qui venerabile & vniuersale fidei decreuerunt symbolum, in Nicea olim congregati. Quibus sanè & ipse Christus assedit, qui dixit: [Matt.18.] Vbi fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, illic sum in medio eorum. Nam quod præsederit inuisibiliter sanctæ & magnæ illi synodo, quomodo ambigeretur? Basis etenim quædam & fundamentum immotum & inconcussum per vniuersum orbem iactum est, syncerae irrepræhensibilisque fidei confessio. Adhæc quo pacto abfuisset Christus, quandoquidem ipse est iuxta sapientissimi Pauli vocẽ fundamentũ. [1.Cor.3.] Fundamentum enim aliud nemo ponere poterit, præter id quod positum est, quod est Iesus Christus. Eapropter expositam ab illis & determinatam fidem seruârunt inculpati etiam hi, qui secuti sunt eos, sancti patres populorumque pastores, & ecclesiarum luminaria, ac opportuni sacrorum doctores. Nihil autem omninò prætermissum vel contemptum ex his, quæ vtilia & necessaria viderit quis in Patrum confessionibus, hoc est, expositionibus, quas de recta & inadulterata fide fecerunt ad depræhendendum & subuertẽdum vniuersas hæreses ac impias blasphemias, & ad solidandum ac confirmandum eos, qui in fide rectè incedunt, & quibus fulgidus illuxit lucifer, [2.Pet.1.] diesque (vt scripturæ dicunt) infulsit, sanctique spiritus gratia veritatis lumẽ immisit.

Quoniam autem vestra pietas scripsit, quod nonnulli pro sua libidine torqueãt verborum symboli virtutem, vel non intelligentes rectè, vel etiam quorundam scriptis dediti, in sensum reprobum elati, & quod etiam ego debeam super illis sermonem vobis parare, manifesteque expositionis virtutem interpretari censui ea quæ nunc animo occurrunt, cursim dicenda. Sequentes autem modis omnibus sanctorum patrum confessionem & opinionẽ rectè & citra vllã deflectionem, quæ ab illis dicta sunt, examinabimus.

PORRÒ nunc & sancta synodus Ephesina ista, quæ iuxta voluntatem Dei congregata, aduersus Nestorij peruersam opinionem, sententiam tulit & sanctã & diligentem, simulque pari sententia condemnauit aliorum vaniloquentiam, quotquot vel post illum, vel ante illum fuere, qui eadem cum illo saperent, dicereque vel componere auderent. Etenim cõsentaneum erat, cõdemnato semel ob tam prophanam vaniloquentiam viro, vt non vnus duntaxat feriretur, sed (vt sic dicam) vniuersa illorum hæresis atque calumnia, quam contra sua pia Ecclesiæ dogmata fingentes, duos introducunt filios, & impartibilem diuidunt, cœlumque ac terram anthropolatriæ, hoc est, hominis cultus sugillant. Vnicum enim dominum nostrum Iesum Christum, & superiorum spirituũ sancta multitudo † vobiscum adorat. [† nobiscũ.]

VLTRA, ne ignoretur à quibusdam vis symboli, quod in omnibus Ecclesijs Dei authoritatem obtinet, & prædicatum est, sanctorum patrum sententias, hoc est, expositiones, in commentarios illic factos referri iussit: vt scirent hi qui eos legunt, quomodo sanctorum patrum expositionem, hoc est, syncerum rectæ fidei symbolum, intelligi conueniat. Opinor autem & vestræ charitati eum libellum obuenisse, quem de hisce rebus conscripsimus:illum & nunc tractabo, & vbi iuxta verba sua symbolum proposuero, singula quæ in eo traduntur, manifestè, vti decet, interpretabor. Scio enim Petrum maximè venerabilem scripsisse; [1.Pet.2.] Parati semper sitis omnibus qui petunt, ad reddendam eius, quæ in vobis est, fidei rationem.

CREDIMVS, in vnum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & inuisibilum factorem: Et in vnum dominum Iesum Christum filium Dei, genitũ ex Deo patre vnigenitum, hoc est, ex sub-

stãtia eius, Deum de Deo, lumen de lumi- Deũ verũ de Deo vero, genitũ, nõ factum, consubstantialẽ patri: per quẽ omnia facta sunt, tam ea quȩ in cœlo, quã quæ in terra. Qui propter nos homines & propter nostrã salutem descendit, & incarnatus est, homoq; factus est. Passus est, & resurrexit tertia die, ascendit in cœlos, & venturus est ad iudicandum viuos & mortuos. Et in vnũ spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt; Erat aliquando, quando non erat, & antequam nasceretur, non erat, & quod ex nihilo factus sit, vel ex alia subsistentia vel essentia dicunt esse, vel conuertibilem vel commutabilem filium Dei, hos anathematizat catholica & apostolica Ecclesia.

CREDENDVM dicentes in vnum DEVM, funditus quodam modo gentilium opiniones amouent: qui cùm [Rom.1.] se crederent esse sapientes, infatuati sunt, & mutauerunt gloriam incorruptibilis DEI, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis & volatilium, quadrupedumque ac reptilium: coluerunt autem & creaturam super creatorem, elementisq; huius mundi seruierunt, multos & innumerabiles esse deos suspicantes. Igitur ad subuertendum errorẽ qui multos deos tradit, vnum Deum nominantes, sacras scripturas omnibus modis imitãtur, & veritatis honestatẽ vniuersis, q in toto mũdo sunt indicant. [Deut.6.] Hæc & sapiẽtissimus Moses statuẽs, manifestè dicit: Audi Israel, Dominus Deus tuus, dominus vnus est. Et idẽ [† γενεσιουργός.] qui omniũ natiuitatis author ac dominus, alio loco inquit: Nõ sint tibi dij alij præter [Exod. 20.] me. Præterea & per vocẽ sanctorũ Prophetarum; [Esa.42.] Ego Deus primus, & Deus post hac, & non est extra me. Insuper celeberrimi patres, optimæ fidei fundamentum iacientes sentiendum & asserendum, quod vnus & solus sit & natura vereque DEVS, dixerunt credendum in vnum Deum.

PATREM OMNIPOTENTEM.

Eundẽ & agnominauerũt patrẽ omnipotentẽ, vt cũ patre simul & filij manifestaretur illatio, per quẽ est pater, qui simul subsistit, semperq; coexistit. Neq; enim per tempus factus est pater, sed erat, quod est, semper pater existens super omne quod factum, & in summis dignitatibus. Nam imperare & dominari omnibus, splendidam adeoque incorruptibilem ei dat gloriam.

AB ipso autem condita esse dicunt omnia, quæ in cœlis & quæ in terris, vt & hinc, nullã ei cũ vlla creatura cognationẽ esse, cognoscatur: incomparabile enim discrimen est factoris & facturæ, ingeniti & geniti, naturæque subditæ ac seruilis, & dominij dignitatibus sublimatæ, quæ DEO dignam & ornatissimam gloriam sortita est.

PORRÒ meminerunt & filij, ne videantur nomen commune ipsi attribuere, id quod fortè & nobis quoque accommodaretur. Vocati enim sumus & nos filij Dei, & sic solertissimè adijciunt ea, per quæ videre licet dignitatem naturalis gloriæ, quȩ in ipso est supra omnem creaturam. Genitum enim, & non factum, esse dicunt. Sanè per hoc quod nõ est factus, intelligunt eum creaturis non esse * coordinatum substantiabiliter: [† coadunatum.] affirmantes autẽ ipsum esse genitum ex substantia Dei & patris, sine tempore & incomprehensibiliter. Erat enim verbum in principio, posthac & partus veritas. Humano autem more & hoc dictum * sit, designantes admodùm conuenienti † sermone, [† for. esse designãtes.] Deum dixerunt Deo natum filium. Hîc enim omninò vera natiuitas, illic autem omninò intelligendum & dicendum genitum ab eius, qui genuit, substantia non esse alienum, sed eius propriam, quia & ex ipsa, iuxta rationem illa dignã & assimilẽ. Incorporeum enim, nõ vt corpus nascetur, sed magis sicut lumen ex lumine, sicut in fulgurante lumine, quod ex radijs fit, lumen intelligitur, & ex illo secundum ineffabilem & indicibilem processionem, & in ipso secundum vnionem & identitatem naturalem. Sic enim esse dicimus in patre quidem filium, in filio autẽ patrem: Nam filius in propria natura & gloria patrem suum describit. Proinde apertè dicit ad vnum sanctorum discipulorum, Philippus is erat: [Ioan.14.] Non credis quod ego in patre, & pater in me est? Qui videt me, videt & patrem: [Ioan.10.] Ego & pater vnum sumus. Igitur consubstantialis est filius patri. Proinde hac ratione DEVS verus ex DEO vero natus esse creditur. Et natiuitatis quidem nomen, etiam in creaturis positũ inueniemus, iuxta id quod de natis ex sanguine Israel, [Isaiæ 1.] à DEO dictum est: Filios genui & exaltaui. Porrò appellationẽ hãc per gratiam illis factam esse, lucrum erat: at de naturali filio nihil tale pabusum verbi dictum est, sed omnia verè. Et propter hoc solus ex omnibus dicit: [Ioan.14.] Ego sum veritas. Itaque certas ac securas reddunt animas nostras, patrem & filium vbique ac natiuitatem nominantes, & Deum verum ex Deo vero, lumenque ex lumine effulsisse dicentes, vt natiuitas simplex quiddam ac incorporeum sonet, & existens ex illo & in illo, & alius in propria persona intelligatur, (Pater. n. est pater, & non filius: & filius natus, & nõ pater) & in identitate naturæ proprium vtrumque esse quod est. Cæterùm omnium factorem, tàm visibilium quàm inuisibiliũ, affirmãtes patrem, per filiũ omnia facta esse dicunt. Nõ minorẽ gloriã, quasi forte quadã illo digna, ei tribuerunt? Minimè. Vbi. n. omnino minus vel etiã maius in-

in identitate ſubſtantiæ videri poteſt? ſed
quod Deus & pater non ſoleat alio modo
operari,quod & creare,quàm per filium in
ſpiritu , ſicut per virtutem ac ſapien-
Pſalm.32. tiam ſuam . Scriptum eſt enim: Verbo do-
mini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius
omnis virtus eorum. Adhæc & ſapientiſsi-
Ioan.1. mus Ioannes inquit: In principio erat ver-
bum , & verbum erat apud Deum , &
Deus erat verbum. Adiecit neceſſariò,
quòd omnia per ipſum facta ſunt , & ſine
ipſo factum eſt nihil.

ἰσοκλεᾶ καὶ ἰσουργόν. IGITVR quia demonſtrârunt con-
ſubſtantialem, eiusdemq; gloriæ & opera-
tionis cum patre filium, opportunè com-
memorant ipſum hominem factum, diſpé
ſationisq; cũ carne ſacramentum declarãt,
bene nimirum ſcientes hanc eſſe abſolutiſ
ſimam,& in nullo deficientem fidei tradi-
tionem. Non enim ſufficit ita credere in ip
ſum, vt ſentias ſolùm ,quòd Deus de Deo
patre natus ſit ,conſubſtantialiſque illi cha
racter ſubſtantiæ eius ſit, ſed etiam neceſ-
ſarium, vt ad hęc ſcias,quod propter ſaluté
ac vitã omnium,demiſerit ſe in euacuatio-
nem,aſſumpta ſerui forma,& proceſsit ho-
mo natus ſecundũ carnem ex muliere, pro
pter hoc ꝙ dicunt; Qui propter nos homi-
nes,& propter noſtram ſalutem deſcendit,
incarnatus eſt,homo factus eſt. Vide quàm
appoſitè, & quàm decorè ſermo illorum
progreditur? Deſcendere enim dixerunt,
vt per hoc ſuper omnia intelligamus eſſe et
natura & gloria,qui ꝑpter nos humiles, vi-
ſitando voluit noſtrã ſimilitudinẽ aſſume
re,& cum carne apparere mundo. Scriptũ
Pſal.49. eſt enim in libro pſalmorũ; Deus manife-
ſtè veniet,Deus noſter,& non ſilebit. Intel-
ligi autem poterit deſcenſus,ſi quis volue-
rit,etiã alio modo,népè ex cęlo & ſupernè.
Scripturæ mos. Solet enim ſancta ſcriptura, ea q̃ mentẽ ex-
cedunt,verbis nobis familiarib' ſignificare.
Vnde cũ ſanctis diſcipulis ſuis loqueretur.
Ioan.16. dicit: Exiui à patre,& veni in mundum: ite
rum relinquo mundum ,& vado ad patrẽ.
Et iterũ: Vos de infernis eſtis, ego de ſuper-
Ioan.8. nis ſum . Inſuper & hoc dicit; Ego à Patre
exiui,& venio. Scribit autẽ ſanctus etiã Io-
Ioan.16. Ioan.3. annes: Qui deſurſum venit , ſupra omnes
eſt. Nam quamuis in ſumma celſitudine eſ
ſet ,& cum patre ſuo ſecundũ ſubſtantiam
ſuper omnia ,vtpotè identitatis naturæ cũ
ipſo coronã ferens, non eſt tamen arbitra-
Phil.2. tus rapinam ,ſe eſſe æqualem Deo ,ſed ſeip-
ſum exinaniuit accepta forma ſerui, in ſi-
militudinẽ hominũ factus: & habitu inuen-
tus vt homo, humiliauit ſeipſum. Enimue
ro quoniam Deus verbũ erat, noſtram qui-
dẽ carnem indutus eſt , manſit autem & ſic
Deus . Et propterea ſacratiſſimus Paulus
Deum in ſimilitudinẽ hominis factũ eſſe
dicit,inuentumque eſſe vt hominẽ figura.
Erat enim Deus in ſpecie humana . Nec aſ-
ſumpſit carnem inanimatam , ſicut hære-
ticis quibusdam ſentiendum videtur , ſed
animatam anima mentali . Ipſum igitur
verbum, quod ex ſubſtantia patris progreſ
ſum,& filiũ vnigenitũ, Deũ verum de Deo
vero, lumẽ* Deũ de lumine, ipſum per quẽ
omnia facta ſunt, deſcendiſſe dixerunt pa-
tres: incarnatumq; eſſe & hominem factũ,
hoc eſt, habuiſſe natiuitatẽ ſecundum car-
nem ex muliere,& proceſsiſſe in ſpecie ſi-
mili nobis. Hoc enim eſt, hominem eſſe fa
ctum. Igitur vnus dominus Ieſus Chriſtus,
idem vnigenitus, Dei patris verbũ , factus
eſt homo, non relinquens autem eſſe quod
erat. Manſit enim in humanitate Deus , &
in ſerui forma dominus, & in exinanitio-
ne ſimili nobis plenitudinẽ habens diuini
tatis,& in infirmitate carnis virtutum do-
minus , & in menſuris humanitatis propri
um habens, quod ſuper omnem creaturã.
Etenim quæ erat ante carnem, irrepudiabi
liter habet, vt quod Deus erat , & filius ve-
rus,& vnigenitus,& lux, vita & virtus. Quę
verò non erat, ea adſumpſit: vnde propter
diſpenſationẽ videtur. Nam quæ carnis e-
rant, propria fecit, non enim erant alterius
cuiuſdã ſed magis eius, quę inenarrabiliter
ei erat vnita ,carnis. Ita & ſapiens Ioan- Ioan.1.
nes: Verbum, inquit , caro factum . Fa-
ctum autem eſt caro, non ſecundum tranſ-
lationem vel conuerſionem vel commuta
tionẽ, transformatione facta in carnis na-
turam, neq; habens temperationem, vel cõ
mixtionem, vel (vt à quibusdam prædica-
tur) conſubſtantiationẽ. Impoſsibile enim
eſſet, quoniam ſecundum naturam ,incom
mutabiliter & inconuertibiliter ſe habet.
Carnem autem ex virgineo & illibato cor
pore, vt dixi, anima mentali animatam aſ
ſumpſit,& ſuã propriam fecit. Cęterũ mos
eſt ſcripturæ diuinitus inſpiratæ, ab ſola
aliquando carne totum hominem ſignifi- Caro quid
care. Effundã enim, inquit ,de ſpiritu meo Iohel.2.
ſuper omnem carnẽ. Neque tunc promiſit
Deus gratiam ſpiritus carnibus, anima mẽ
tali non animatis, ſed magis hominibus,
ex corpore & anima conſtitutis. Itaq; ver
bum non reliquit eſſe, quod erat : factum
eſt homo, ſed in ſpecie ſimili nobis appa-
rẽs, manſit verbũ Et non prius homo intel
ligitur Chriſtus, deinde ſic progrediens, ita
vt eſſet Deus : ſed Deus exiſtens verbum,
factum eſt homo, vt in eodem DEVS ſi-
mul & homo intelligatur idem. Qui au-
tem ipſum in duos diuidunt filios, & au-
dent dicere . quod ex ſemine Abrahæ ho-
minem ſibi ipſi adaptarit DEVS, & com-
municarit illi dignitatem gloriæ & ho-
noris ac filiationis , & præpararit illum
vt

vt ferret crucem , moreretur, & reuiuiſ-
ceret, inque cœlum aſcenderet , & ad dex-
tram ſederet patris , vt ab omni creatu-
ra honoretur , & honorem propter Deũ,
in quem reſpicitur, ſortiatur: primùm qui
dem duos filios introducunt, deinde Sacra
menti virtutem imperitè ſubuertunt. Non
enim ex homine DEVS factus eſt Chri-
ſtus, vt dixi: ſed DEVS exiſtens verbum,
factum eſt caro, hoc eſt, homo. Exinani-
tus verò eſſe dicitur, eo quod ante exinani-
tionem plenitudinem habuit in propria
natura, ſecundum quam intelligitur Deus.
Non enim ex eo quod inanis quiſpiam ſit,
ad plenitudinẽ peruenit: ſed magis ex diui-
nis dignitatibus & ineffabili gloria humi-
liauit ſemetipſum, non humilis exiſtens
homo exaltatus & glorificatus. Accepit au-
tem formam ſerui , * vt liber, non ſeruus
for. † & liber. exiſtens, ad libertatis redijt gloriam. In ſi-
militudine hominum factus eſt, qui in for
ma & in patris æqualitate, non homo exi-
ſtens, vt fieret in ſimilitudine Dei , ſecun-
dum participium locupletatus eſt. Quid
igitur ſubuertunt diſpenſationis ſermo-
nes,& veritatem circumſcribunt? contra o
mnes diuinit' inſpiratas ſcripturas inſurgẽ
tes, quę Deũ eſſe ſciũt,& hominem factum
filium , vnumque ipſum vbique nomi-
nant, vnde & in libro Creationis mundi
Geneſ.32. ſcripſit Moſes , quod tranſmiſit quidem
diuinus Iacob flumen Iabec pueros ſuos,&
manſit ſolus, luctatusque eſt homo cum eo
vſque ad manè , & vocauit Iacob nomen
loci eius, Species DEI: Vidi enim , inquit,
Deum facie ad faciem,& ſaluata eſt anima
mea. Ortus eſt autem ei ſol, quando trãſijt
ſpecies DEI, Iacob verò claudicauit coxa
altera. Nam patriarchæ DEVS anteà oſten-
ſus eſt, quod & homo futurus eſſet olim
vnigenitus eius verbum,& quod obluctan
tem habiturus eſſet Iſraelem , & quod co-
ràm eo non eſſent rectè inceſſuri. Claudi-
Pſal.17. cant autem quodammodo , ſicut ipſe in-
quit per pſallentem lyra: Filij alieni men-
titi ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt,&
claudicauerunt à ſemitis ſuis . Hoc enim
opinor ſignificare, quòd Iacob altera coxa
claudicârit. Veruntamen illud conſidera,
quod cùm homo luctatus ſit cum eo, vidiſ-
ſe ſe dicit Deum facie ad faciem,& ſpeciem
ipſam nominat DEI. Manſit enim verbum
Dei & homo factus, in forma patris: ſecun-
dum ſpiritualem ,inquam , imaginem , &
ſecundum omne quod incommutabiliter
habet . Proinde dicebat ad Philippum,
characterem ſubſtantiæ patris ſeipſum o-
ſtendens etiam cum carne : Qui videt
Ioan.14. me , videt & patrem . Et cùm quendam
cœcum à natiuitate , quem curauerat,
offendiſſet in templo , Tu credis , in-
quit, in filium Dei ? Illo autem ad hoc
dicente : Quis eſt domine , vt credam
in eum? Reſpondit , dicens : Et vidiſti Ioan.9.
eum , & qui loquitur tecum , ille eſt . Vi-
dit autem ipſum cœcus non nudum , vel
ſine carne, ſed in ſpecie ſimili nobis: & cre-
didit in eum quem vidit , non tanquam
in filium alteri filio vnitum , ſed tanquam
in vnum natura & verè, qui non abſq; car-
ne hominibus apparuiſſet . Porro Moſes
in benedictionibus inquit : Date Leui Deut.33.
manifeſtationem eius,& veritatem eius vi-
ro ſancto, quem tentauerunt tentatione,&
obiurgati ſunt apud aquam contradi-
ctionis . Qui dicit patri & matri , Non
vidi te , & fratres ſuos non agnouit . Or- Exo.28.
dinauerat quidem vniuerſorum Deus,
poderem fieri Aaron varijs modis con-
textam , quam ſoli ſummo ſacerdoti ge-
ſtare licebat,& concedebatur. In pectore
autem ſummi ſacerdotis fuère lapides qui-
dam elaborati numero duodecim, in quo-
rum medio figuratum erat., Manifeſta-
tio & Veritas ,duo iterum alij lapides.
Cæterum per hos , duodecim Apoſtolo-
rum chorus ænigmaticè demonſtrabatur,
quaſi in circulo Emmanuelem cingẽs, qui
eſt Manifeſtatio & Veritas: Manifeſtauit e- Ioan.14.
nim nobis veritatem cultus eius qui in
vmbris & figuris, finem imponens. Quoni-
am autem pontifex factus ſit nobis vni-
genitus Dei verbum , quando & homo
factus eſt, quomodo dubitari poteſt, cùm
diuinus Paulus ſcribat ; Conſiderate A- Heb.3.
poſtolum & pontificem confeſsionis no-
ſtræ Ieſum, qui fidelis eſt ei qui fecit ip-
ſum . Enimuero ſacerdotij dignitas, hu-
manitatis menſuris (vt non abſimilis) re-
ctè intelligitur : & minor quidem , vt
Dei verbi naturæ ac gloriæ competat ,non
dedecet autem diſpenſationem cum carne:
facta enim eius, ſunt humana. Igitur da- Deut.33.
te, inquit, Leui (hoc eſt , ſacerdoti) ma-
nifeſtationem & veritatem . Quali au-
tem dicit Leui , hoc eſt ſacerdoti , decla-
rauit , dicens : Viro ſancto . Non enim
fecit peccatum dominus noſter IESVS
CHRISTVS. Vndè Paulus de eo ſcri-
bit : Talis decebat vt eſſet nobis pontifex Heb.7.
ſanctus, innocens, impollutus, ſeparatus à
peccatoribus,& ſublimior cœlis factus: Il- Num.20.
lum tentauerunt in tentatione , obiurgati
ſunt eum apud aquas contradictionis . O
rem admirabilem . Virum dicens eum,
Deũ ſtatim declarauit. Quem enim exacer
bauit & tentauit Iſrael & in eremo,& ad a-
quam contradictionis , fideliter indica-
uit pſaltes, dicens: Dirupit petrã in eremo, Pſal.103.
& potauit eos in abyſſo magna,& eduxit a
quam

quam de petra, & deduxit quasi flumina
aquas. Et quid posthoc? Et tentauerunt, in-
quit, eum in corde suo, & locuti sunt con-
tra Deum, & dixerunt: Num poterit Deus
præparare mensam in eremo, qui percus-
sit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes
inundauerunt? num & panem poterit da-
re, vel parare mensam populo suo? Intel-
ligis igitur quomodo obiurgati fuerint
mirificum Deum, quem certè & virum
dicit Moses. Nam & diuinus Paulus sic
1.Cor.10. intelligens, scribit: Biberunt enim ex spi-
rituali sequente petra. Petra autem erat
Christus. Vir igitur cui obiurgabantur, ip-
se erat ille, qui nondum incarnatus, tenta-
batur ab Israelitis. Neque enim alius erat
filius, qui ante carnem: alius autem ab ipso,
qui ex semine Dauid, sicut audet quidam
Ioan.1. dicere, sed vnus & idem. Ante incarnatio-
nem quidem erat verbum: post partum
autem, qui ex sancta Virgine, incarnatum
& homo factum, sicut scripserunt diuini
patres. Alio quoque signo comprobauit
Moses. Nam cùm interrogaret quispiã, &
discere cuperet, de quoniã viro mentioné
fecisset, qué & tentasse & obiuxisse Israeli-
tas diceret, tantũ nõ protensa manu Iesum
Deut.32. monstrat, & inquit: Qui dicit patri & ma-
tri, Non vidi te, & fratres suos non agno-
uit. Meminimus autem vnum sanctorum
Euangelistarum scripsisse, quòd docente
aliquando & quosdam erudiente Christo,
astiterunt mater eius & fratres: deinde ac-
currente quodam ex discipulis, & dicen-
Marc.3. te; Ecce mater tua & fratres tui stant foris,
volentes te videre, extensa manu sua in di-
scipulos suos, dixit: Mater mea & fratres
mei hi sunt, qui audiunt verbum Dei, &
faciunt. Qui enim fecerit voluntatem
patris mei in cœlis, hic frater meus, & so-
ror, & mater est. Hoc (opinor) est id, quod
Deut.32. Moses dixit, inquiens: Qui dicit patri &
matri, Non vidi te, & fratres suos non ag-
nouit. Vltrà & sapientissimus Daniel in
specie simili nobis Visum est, inquit, vni-
Dan.7. genitum DEI verbum. Vidisse enim se
dicebat antiquum dierum sedentem super
thronum, & mille millia millium assisten
tium, & millia millium ministrantium, &
interserit inter hæc, quæ addit: Videbam
ego in visione noctis, & ecce cum nubibus
cœli, quasi filius hominis veniens, & vsque
ad antiquum dierum peruenit, & coràm
ipso adducta sunt, & ei data honor & re-
gnum, & omnis tribus & linguæ seruient
ei. Ecce enim iterum manifestè & euiden-
ter vidit Emmanuelem, ascendentem ad
eum qui in cœlis est, patrem & DEVM.
Act.1. Nubes enim suscepit eum, quem & non
hominem simpliciter, sed tanquam filium
hominis, dicit. DEVS enim erat verbum
factum in similitudine humana, quomo-
do & sapientissimus Paulus intelligens, in Phil.2.
similitudine hominum eum factum esse
dicit: inuentum autem vt hominem habi-
tu, & in similitudinem carnis peccati vi-
sum esse his, qui super terram. Si autem
homo fuisset, & ob copulationem cum
DEO, tanquam DEVS honoratus, dixis-
set propheta quasi DEVM, vel quasi fili-
ùm DEI, eum qui cum nubibus venit, vi- Dan.7.
sum esse: sed hoc non dicit, sed illud dicit,
Sicut filium hominis. Vidit vtique Deum
existentem, & hominem factum filium,
hoc est, in similitudine hominum factum,
iuxta Pauli vocem. Veruntamen, quam-
uis in carne apparuerit, vsque ad anti-
quum dierum peruenit, hoc est, ad sempi-
terni patris rediit thronum. Et ipsi data
sunt honor & regnum, & omnis tribus &
linguæ seruient ei. Id nimirum est, quod
ab ipso dictum est: Pater, glorifica me Ioan.17.
gloria quam habui, antequàm mundus
esset, apud te. Quòd autem incarnatum
verbum Dei confideat, & æqualis gloriæ
sit cum DEO & patre, etiam in carne, tan-
quam vnus existens filius, etiam quando
factus est homo, manifestat sapientissimus
Paulus, scribens: Talem habemus ponti- Heb.8.
ficem, qui sedet in dextera throni magnitu
dinis in sublimibus. Præterea & ipse Do-
minus noster Iesus Christus, interrogan-
tibus ipsum Iudæis, nunquid ipse esset ve-
rè Christus? Si dixero vobis, inquit, non Luc.22.
creditis: & si interrogauero, non respon-
debitis. Amodò erit filius hominis sedens
à dextris virtutis Dei. Igitur etiam incar-
natum filium in diuinitatis solio sancto-
rum prophetarum chorus contemplatus
est. Videamus autem & noui testamenti
præcones, totius orbis doctores, quibus
ipse Christus dicebat: Non vos estis qui Matt.10.
loquimini, sed spiritus patris vestri, qui
loquitur in vobis. Inueniemus igitur di-
centem diuinum Baptistam: Post me ve- Matt.3.
nit vir, qui ante me factus est, quia prior
me erat. Deinde quomodo qui post ipsum
erat, prior ipso fuit? Quia enim Christus
secundum tempus carnis, tardiùs venit
quàm Ioannes, quomodo non omnibus
manifestum? Quid igitur ad hæc dixerit
quis? Soluit nobis ipse saluator, quod quę-
ritur; dicebat enim Iudæos alloquens: Pri- Ioan.8.
usquàm Abraham fieret, ego sum. Nam
erat quidem & ante Abraham diuino mo-
re. Intelligitur autem post ipsum, secun-
dum quod homo apparuit. Deinde & Pa-
tre clamante manifestè, Gloriam meam Esa.42.
alteri non dabo, (Deus enim alius præter
ipsum nullus est) dixit nobis Christus:
Quando venerit filius hominis in gloria
patris sui cum sanctis angelis. Quòd autem Marc.8.
expe-

expectamus filium hominis de cœlis de-
scensurum, iterum scribit sapientissimus
Tit.3. Paulus: Apparuit enim gratia Dei saluatoris
omnibus hominibus, vt abnegantes impie-
tatem & mundanas cupiditates, sobriè &
iustè & piè & placidè viuamus in hoc secu-
ἐπιεικῶς. lo, expectantes beatam spem & illustratio
nem gloriæ magni Dei. & saluatoris no-
stri Iesu Christi. Dicebat autem & in alio
Rom.6. loco, mentionem faciens de carnalibus Is-
raelitis, quòd ipsorum sint promissiones,
& legislatio, & testamentum, & ex ipsis
secundum carnem Christus, qui est super
omnia Deus benedictus in secula, amen.
Igitur vestigia patrum sequentes, & non
deflectentes, ipsum diximus ex Deo patre
natum vnigenitum filium, incarnatum
esse & hominem factum, passum, mortu-
um, tertia die resurrexisse ex mortuis.
Nam * impassibilis, citra controuersiam,
quantum ad suam naturam attinet, est ver
bum Dei, & nullus tam attonitus est, qui
putare possit naturam quæ super omnia,
passionum capacem. Quia autem factus
est homo, propriam fecit carnem quæ ex
sancta virgine. Hoc igitur modo, dispen-
sationis verba sequentes, in carne propria
passum esse humano more eum, qui extra
omnem passionem est, vtpotè Deum, af-
firmamus. Nam si Deus existens, factus
est homo, minimè autem cessauit esse De-
us, si factus est creaturæ portio, & mansit
super creaturam: si legislator existens, fa-
ctus est sub lege, & legislator erat adhuc:
& dominus existens, diuino modo serui
formam induit, & minimè abiiciendam ob
tinet domini dignitatem: si vnigenitus
existens, factus est primogenitus in multis
fratribus, & est vnigenitus: quid est mira-
ἀνθρωπίνως θεϊκῶς. bile, si carne pass' humano modo, impassi-
bilis & sic intelligitur diuino modo? Hinc
est quòd & sapientissimus Paulus eum, qui
Verbum, quod in forma & æqualitate Dei
& patris erat, eundem subditum esse fa-
ctum dicit, & vsque ad mortem, mortem
autem crucis. In alia autem epistola sua de
Col.1. eodem dicit: Qui est imago Dei inuisibi-
lis, primogenitus omnis creaturæ, quia in
ipso condita sunt omnia, tàm quæ in cœlo,
quàm quæ in terra: & ipse est ante omnia,
& omnia in ipso condita sunt: & datũ est,
1.Cor.15. Coloss.1. inquit, caput Ecclesiæ, factum autem &
primitias dormientium, & primogenitum
ex mortuis, quamuis vita & viuificans sit
verbum ex Deo & patre, vtpotè & ex vita
natus eius qui genuit eum. Deinde quomo
do factus est primogenitus ex mortuis &
primitiæ dormientium? Nam quia mor-
tis susceptiuam carnem propriam fecerat
gratia Dei, sicut dicit sapientissimus Pau-
lus, pro omnibus gustauit mortem carne,
qua ipse pati potuit, non abiecto autem
eo, quod ipse erat vita. Itaque etiam si di-
ceretur carne passus esse, non natura deita-
tis suscipiet passionem, sed (vt iam dixi)
propria caro, quæ passiones capit. Vnde
& B. propheta Esaias, hominem factum Esa.53.
Deum carne cognoscens, dicebat de illo:
Sicut ouis ad occisionem ductus est, & si-
cut agnus coràm tondente, sine voce fuit,
sic non aperuit os suum. In humilitate ip-
sius iudicium eius sublatum est, & genera-
tionem eius quis enarrabit? quia aufertur
de terra vita eius. Quamuis autem si qui-
dem aliquis fuisset homo, & specialiter
intelligeretur filius coniunctus Deo, sicut
dicunt impiorum dogmatum introdu-
ctores: quomodo adhuc difficile inuenie-
tur, qui generationem eius enarrabit? Fa-
ctus igitur est ex semine Dauid & Iesse.
Dei autem verbi natiuitatem, hoc est, nati-
uitatis modum, quis dicere poterit? Aufer- Esa.53.
tur enim à terra vita eius, hoc est, existen-
tia, posuit enim, pro existentia, vitam. Su-
blimè autem fertur, natatque super omnes
qui in terra, Dei ineffabili natura sermo,
excellit enim omnem cogitationem, hu-
manęque menti accessum non concedit.
Adiungam autem & hoc dictum superio-
ribus: Vnus dominus, vna fides, vnus ba-
ptismus, sicut dicit sacratissimus Paulus. I- Ephe.4.
taque cùm vnus sit dominus, & vna fides,
& vnus baptismus: quis Dominus, & in
quem credimus, & baptizati sumus? Atta-
men decere dixerit quis, verbum quod ex
Deo patre est, vt dominetur nobis, &
credamus in eum, in ipso autem consum-
matum esse & salutare baptisma, sic enim
sanctis Apostolis præcepit, dicens: Euntes,
docete omnes gentes baptizãtes eos in no- Mat.28.
mine Patris & Filii & spiritus sancti. Cæte-
rùm diuinus Paulus dominationis glori-
am, & fidei confessionem, & sancti ba-
ptismi virtutem manifestè tradit, dicens:
Ne dixeris in corde tuo, quis ascendet in
cœlum? hoc est, Christum deducere, vel Rom.10.
quis descendet in abyssum? hoc est Chri-
stum ex mortuis reducere. Sed quid dicit
Scriptura? Prope te verbum est in ore tuo
& in corde tuo, quod si dixeris, Dominus
Iesus, & credideris in corde tuo, quòd De-
us ipsum excitauit ex mortuis, saluaberis.
Scribit auté iterum: Nescitis quòd quicũq;
baptizati sumus in Christum Iesum, in Rom.6.
mortem eius baptizati sumus? Ecce, oro,
quàm solerter & manifestè vrget domina-
tionis & fidei confessioné, ipsamque sancti
baptismatis gratiam, in eum qui passus est
mortem, & resurrexit à mortuis. Credimus
igitur in duos filios? Igitur prætercurre-
mus verbum quod ex Deo patre effulsit,
alterique ab illo qui passus est filio, domi-
natio-

nationis gloriam attribuemus? ipſam quo
que fidei confeſsionem,& cœleſtem glo-
riam? Adhæc,quomodo non ſtolidum eſt,
& indubitanter impium, ſic ſapere vel di-
cere? Quid igitur dicemus? Vnus dominus
verè, vnaque fides, & vnum baptiſma. E-
tenim eſt vnus filius & dominus, verbum:
quod non hominem ſecundum connexio-
nem ſuſcepit,& participem illum ſuarum
dignitatum declarauit, communicauitq́;
ei filiationem & dominationem, ſicut di-
cunt quidam delirantes: ſed ipſum verbũ
Deus ex Deo,& lumen de lumine, incar-
natum & homo factum eſt, in eius mor-
tem baptizati ſumus, qui paſſus quidem ip
ſe eſt humano modo in propria carne, mã
ſit autem impaſsibilis diuino modo,& vi-
uit ſemper. Vita enim eſt ex vita Deo &
Patre. Sic victa eſt mors, quæ in vitale cor-
pus inſultare auſa eſt. Aboletur autem ſic
& in nobis corruptio,& infirmatur ſic mor
tis ipſius imperium. Proinde dicebat Chri
ſtus: Amen amen dico vobis, niſi mandu-
Ioan.6. caueritis carnem filij hominis,& biberitis
eius ſanguinem , non habebitis vitam in
vobis ipſis. Viuifica igitur ſunt, ſanctum
corpus & ſanguis Chriſti. Corpus enim, ſi-
cut dixi, eſt non hominis cuiuſdam, qui vi
tę particeps eſt, ſed potius proprium vitę ſe
cundum naturam: perſpicuum autẽ quod
vnigeniti.

Haec ſentit nobiſcum amantiſsimus
Chriſti, ſanctorum patrum chorus, & Pro-
clus ipſe, qui nunc ſanctę Conſtantinopoli
tanæ Eccleſiæ thronũ adornat religioſiſsi-
m⁹te piëtiſsim⁹ pater & coepiſcop⁹. Scripſit
.n.& ipſe ad Orientales pijſsimos epiſcopos
in hæc verba: Et incarnatus quidẽ eſt abſq;
conuerſione, qui ſpeciei expers: naſcitur au
Luc.2. tẽ ſecundum carnem, qui principio caret:
proficit verò ſecundũ corpus ætate, qui na
tura perfectiſsim⁹ eſt: & paſſiones ſuſtinet,
qui paſsionibus ſuperior, non quo erat, ſu-
ſtinuit contumelias, ſed quo factus eſt, ſuſ-
ceptis corporis paſsionibus. Reprehendi-
tur igitur vbiq; praua fides illa hæc ſcriben
tium vel ſentientium, vtpotè prophanè lã
guida,& veritatis dogmatibus diuerſa con
tinens. Poſtquã autem beatiſſimi patres ſer
monem de Chriſto abſoluerunt, Spiritus
ſancti mentionem faciunt, credendum e-
nim dixerunt in illum ſimili modo, vide-
licet vt in patrem & filium. Eſt enim ipſis
conſubſtantialis: & profunditur quidem,
hoc eſt, egreditur ſicut à fonte Deo & patre,
conceditur autem creaturæ per filium. Vn
dè inſpirauit in ſanctos apoſtolos, dicens:
Ioan. 20. Accipite ſpiritum ſanctum. Igitur ex Deo
& Deus ſpiritus eſt, & non alienus à ſub-
ſtantia, quæ ſuper omnia eſt: ſed ex ipſa,&
in ipſa & proprius eius.

Ipsa eſt ſanctorum patrum rectiſsima
& ab omni errore aliena fides, hoc eſt, fidei
confeſsio. Verùm vt Paulus dicit, Deus ſe- 2.Cor.4.
culi huius excœcauit mentes infidelium,
vt non fulgeat illuſtratio Euangelij gloriæ
Chriſti. Itaque nonnulli relicta veritatis
via, eunt per petras, non intelligentes neq; 1.Tim.1.
ea quæ loquuntur, neque ea de quibus af-
firmant. Vrgentes enim filiationis gloriam
in ſolum verbum, quod ex Deo patre na-
tum, quaſi filium alium, qui ex ſemine Ieſ-
ſæ & Dauid, coadunatum ei dicunt, partici
pemq́ue filiationis ac diuinæ gloriæ, & in-
habitationis verbi ipſius,& ab ipſo habuiſ-
ſe omnia, proprium verò omninò nihil.
De iſtiuſmodi, vt opinor, ſcripſerunt Sal- 2.Pet.3.
uatoris diſcipuli: ſubingreſsi enim ſunt 2.Tim.3. & 4.
homines quidam impij, de quibus & olim
in hoc iudicium anteà ſcriptum, qui tranſ-
ferunt Dei gratiam in procacitatem, & v-
nicum horum & dominum noſtrum Ie-
ſum Chriſtum abnegantes. Ieſus autem
Chriſtus nominatur meritò verbũ, quod
in humana forma apparuit, quia interrogã
tibus ſcripſerunt aduerſarij, qui præ mul-
ta inſipientia Neſtorij & Theodori opinio Locus obſcurus.
nem & ſcripta non cauent: Eum qui ex ſan
cta virgine, non ſinite eſſe Deum,& filium
verum Dei & patris: illiq́ue ſoli tribuite
paſsiones,& amouete ipſum verbum, vt ne
dicat Deus paſsibilis. Hæ ſunt diligentiæ
illorum adinuentiones, & cogitationum
confuſio. Igitur nec nominetur Chriſtus
vel vnctus, ſpecialiter & ſeorſim verbum,
quod ex Deo patre, quemadmodùm enim
alienum ab eo eſt pati, quando extra carnẽ
intelligitur, ſic & vnctio incongra, & alie-
na ab eo. Ieſum enim à Nazaret vnxit Deus
ſpiritu ſancto, perfectum autem omnibus Act.10
modis verbum Dei,& non opus habet vn-
ctione, quæ per ſpiritum ſanctum eſt. Igi-
tur negate diſpenſationem, ſpoliate vnige-
nitum à ſua erga mundum charitate, ne no
minetur Chriſtus à vobis. An non indignũ
ipſi, ꝙ in his menſuris, ſicut nos, factus eſt?
Igitur quia & hoc indignum eſt, eo nemo
confiteatur quod factus ſit homo, vt & ipſis
dicit Chriſtus: Erratis neq; ſcientes ſcriptu Matt.22.
ras, neque virtutem Dei. Igitur eos qui hãc
opinionem delegerunt, vt hoſtes veritatis
habentes, fugiamus ipſorum pernicioſam
vaniloquentiam, ſequamur autem ſancto-
rum patrum ſententiam & ſanctorum A-
poſtolorum Euangeliſtarumq́ue traditio-
nem. Ipſum enim verbum, quod caro fa-
ctum eſt, loquebatur in illis. per quod &
cũ quo, Deo & Patri honor, gloria, impe
rium cum ſancto ſpiritu in ſecu-
la ſeculorum. A-
men.

DIFFINITIO CONCILII CHALcedonenſis,

Editio I.

Dominvs noſter & ſaluator Ieſus
Chriſtus notitiam fidei diſcipulis ſuis
firmans, dixit: pacem meam do vobis, pacẽ
meam relinquo vobis: vt nullus diſſonet
à proximo circa dogmata pietatis, ſed vt
pariter veritatis oſtenderent prædicatio-
nem. Quia verò non deſinit per zizania
ſua diabolus contra ſemina pietatis inſur-
gere, & ſemper aliquid nouum contra ve-
ritatem inuenire: propter hoc Dominus
(vt conſueuit) prouidens humano generi,
pijſsimum & fideliſsimum ad æmulatio-
nem erexit Imperatorem, & vndique ſacer
dotij præſides ad ſe conuocauit, vt gratia
domini omnium noſtrum Chriſti operan-
te, omnem quidem mendacij à Chriſti
ouibus peſtilentiam remoueret, floribus
autem veritatis eas pingueſcere faciat.
Quod & perfecimus communi iudicio do-
gmata expellentes erroris, & inenarrabilẽ
patrum renouauimus fidem, ſymbolum
trecentorum decem & octo omnibus præ-
dicantes. Et eos, vt proprios patres etiam
aſſcribimus, qui poſteà in magna Conſtan-
tinopoli congregati ſunt centum quin-
quaginta,& eandem fidem ipſi quoque cõ
firmauerunt. Diffinimus igitur, ordinem
& omnes formulas cuſtodientes, quæ de
fide ſunt conſtitutæ,& nos à ſynodo quon-
dã in Epheſo facta, cuius præſides fuerunt
ſanctiſsimę memorię Cęleſtinus Romano
rũ,& Cyrillus Alexandrinorũ, præfulgere
quidem rectæ & immaculatæ fidei expoſi-
tionem ſanctorum & beatiſsimorum trecẽ
torum decem & octo patrum, qui in Nicea
temporibus piæ memoriæ Conſtantini
Imperatoris congregati ſunt, ſeruari au-
tem & ea, quæ apud Conſtantinopolim à
ſanctis quinquaginta patrib⁹ decreta ſunt,
ad expellendas quidem omnes germinan-
tes hæreſes,& ad confirmationem eiuſdem
Catholicæ & Apoſtolicæ noſtræ fidei.

ALIA DIFFINITIO CHALCEDOnenſis Synodi, comprehendens eorum, quæ in concilijs, Nicæno primo, Conſtantinopolitano primo, Epheſino primo decreta ſunt, approbationem, & duarum naturarum in vna Chriſti perſona aſſertionem.

Editio I.

Ad cognoſcendam quidem confir-
mandamq́; perfectiſsimè pietatem,
conſultiſsimum ſatis hoc diuinæ gratiæ
ſymbolum, ſaluberrimumq́ue ſufficeret.
De patre namq;, & filio, ac ſpiritu ſancto
quod pleniſsimæ fuerat inſtitutionis, edo-
cuit, & incarnationem Domini fideliter
excipientibus euidenter inſinuat. Verùm
quoniam quidam ea, quæ ſyncera veritas
prædicat, deprauare conati, nouas auditu
ſuas hæreticas perfidias ediderunt: & alij
quidem diſpenſationis dominicę ſacramẽ-
tum, quod noſtri cauſſa eſt celebratum,
auſi fuêre corrumpere, dum à ſancta virgi-
ne partum proceſſiſſe diuinum, vocis abne
gatione diſsimulant: & alij confuſionem
ſiue permixtionem rurſus inducunt, vt v-
nam eſſe naturam diuinitatis & carnis ſtul
tè confingunt, ac per hoc vnigeniti confu-
ſione portentuoſa, diuinam naturam paſ-
ſibilem eſſe ſignificant: Eapropter ab vni-
uerſa contra veritatem machinatione ve-
niente, volens eos excludere, quæ modò
præſtò eſt, ſancta & magna hęc Synodus,
quod antiquitus in fide prædicatur, immo
bile hęc dicens, ante omnia ſtatuit, vt tre-
centorum decem & octo patrum venera-
bilium fides illibata permaneat. Et propter
eos quidem,* qui cùm ſpiritui obuiare ni-
tuntur, eam traditionem, quæ in auguſtiſ-
ſima Conſtantinopolitana vrbe poſteà, cõ
gregatis centum & quinquaginta patribus,
de ſubſtantia ſancti ſpiritus fuerat decreta,
confirmat. Hanc etenim cunctis innoteſ-
cere memorati fecerunt, non quaſi aliquid
deeſſet pręcedentibus, indicentes, ſed de
ſpiritu ſancto quid ipſi ſentirent, contra il
los, qui eius poteſtati refragari conati ſunt,
ſanctarum ſcripturarum teſtimonijs illu-
ſtrantes. Propter eos ſanè, qui diſpenſatio-
nis dominicę tentauêre peruertere ſacra-
mentum,& hominem ſolùm de ſancta Ma
ria virgine procreatũ eſſe vaniloquijs ſuis
autumant impudenter, ſancti Cyrilli, qui
Alexandrinę fuit paſtor Eccleſię, ſynoda-
les epiſtolas ad Neſtorium ſcriptas atque
orientales, vtique ſibi conuenientes, am-
plexa eſt, ad arguendum quidem Neſtori-
anam dementiam, interpretationem verò
deſiderantium pio zelo concipere ſaluber-
rimi ſacramenti ſententiam. Quibus epi-
ſtolam quoque beatiſs. Romanę antiquio-
ris vrbis antiſtitis, ac venerabilis Papę Leo-
nis, Flauiano ſanctę memorię Archiepiſco-
po ſcriptam, ad expugnandam prauitatis
Eutychianę perfidiam, vtpotè maximi Pe-
tri confeſsioni ſatis conuenientem, & ve-
lut monimentum cuiuſdam ſtatuę com-
munis extantem, contra cunctos hæreti-
cos meritò copulauit, vt recto dogmati
ſua firmitas inconcuſſa permaneat. Nam &
in duos filios diſpenſationis tentantibus di
uidere Sacramentum reſiſtit hoſtiliter, &
eos, qui paſsibilis audent dignitatis vnige-
nitum dicere, collegio ſacerdotali detru-
dit,& confuſionem & commixtionem in
duabus Chriſti naturis excogitantibus re-

luctantes, & cœleſtem vel alterius cuiuſdam ſubſtantiæ eſſe, quam de nobis aſſumpſit ſibi formam ſeruilem, delirantes, exterminat: nec non & eos, qui duas quidem ante vnitionem, vnam verò pòſt vnitionem naturas in Chriſto fabulosè confingunt, anathematizare non ceſſat. Beatiſs. igitur ſequendo patres, vnum & eundem filium confiteri Dominum Ieſum Chriſtum, concordantibus omnes inſtitutionibus edocemus, eundem in deitate perfectum, eũdem in humanatione perfectum, Deum verè & verè hominem eundem ex anima rationali & corpore, conſubſtantialem patri ſecundũ deitatem, cõſubſtantialem nobis eundem ſecundum humanitatem, per omnia ſimilem nobis ſine ſorde peccati, ante ſecula quidem à patre progenitum ſecundum deitatem, in vltimis verò diebus eundem propter nos, & propter noſtram ſalutem ex Maria virgine, quæ Deum peperit ſecundum incarnationem vnum & eundem Chriſtum, filium Ieſum, Dominum, vnigenitum, quæ in duabus naturis inconfusè & immutabiliter, indiuisè atq; inſeparabiliter omnes agnoſcimus, nuſquam ſublata differentia naturarum propter vnitionem, ſed potius vtriuſque naturę proprietate ſeruatà, & in vnam concurrentem perſonam, non in duas deductum diuiſúmue perſonas, ſed vnũ & eundem filium, Deum verum, Dominum Ieſum Chriſtum, ſicuti nos ab initio prophetæ de eo & ipſe nos Ieſus Chriſtus inſtituit, & paternum nobis tradidit Symbolum. His igitur à nobis vndique cum omni deliberatione ac diligentia pariter ordinatis, decreuit ſancta atque vniuerſalis hæc Synodus, aliam fidem nemini licere proferre, ſiue conſcribere, aut exponere, vel ſentire, vel aliter tradere. Sed eos, qui audent vel componere aliam fidem, vel proferre, vel docere, vel tradere aliud Symbolum volẽtibus ad cognoſcendam ſe conuertere veritatem ex ritu pagano, ſiue Iudaico, vel qualicunque hæretico: eos, ſiquidem Epiſcopi ſiue clerici ſunt, alienos eſſe Epiſcopos ab epiſcopatu, & clericos à clero: Quòd ſi monachi vel laici fuerint anathemathizari.

„ ET poſt lectionem definitionis, omnes
„ reuer. Epiſcopi clamauerunt: Hæc fides pa-
„ trum. Metropolitani modò ſubſcribant.
„ Quæ benè definita ſunt, dilationem
„ non ſuſcipiant. Hæc fides Apoſtolorum.
„ Huic omnes conſentimus. Omnes ita ſapi-
„ mus. Magnificentiſs. & glorioſiſs. Iudices
„ dixerunt: Quæ à ſanctis patribus ſtatuta
„ ſunt, & omnibus placuerunt, manifeſta fiãt
„ diuino vertici.

„ ATQVE hæc Chytræe de pręcipuis quatuor primarum Synodorum decretis, & de gregalium tuorum Atheiſmis ijſdem repugnantibus: quæ ſatis oſtendunt, quàm vobis Synodi faueant, & quàm tu impudẽter ad eaſdem prouocaris. Ac ſufficere ea quidem poſſent, quia tamen alia ſuppetũt non minus efficatia ad tuam impudentiam coarguendam, quæ ex earundem aliarumque vel geſtis, vel canonibus colligi poſſunt, nec ea prætermittenda videntur. Afferamus igitur quæ fuerint inſtituto noſtro opportuna. Et verò quamuis poſſent fortaſſe vna ſectione omnia comprehendi, in plures tamen tribuamus, vt clarior ac dilucidior ſit tractatio. Et à Nicæni Synodi definitione de anni & Paſchæ emendatione ordiamur.

DE ANNI ET PASCHAE Emendatione, Sectio IIII,

OLIM A NICAENIS PATRIBVS facta, ac nunc ab Eccleſia Catholica ad priſtinam normam ac rationem reuocata: Quæ ab hæreticis neſcientibus quid loquantur reprehenſa ſatis oſtendit, quanti Chytræus, & reliqui veritatem, & decreta Synodorum probatarum, & puræ, quam vocant, Eccleſiæ faciant.

IAM verò te Chytræe non fugit, quanto ſtudio laboratum ſit in Synodo Nycæna, vt poſt rectiſsimam de Dei filio fidẽ expoſitam ſacroſanctum Paſchæ feſtum ritè celebraretur, ſchiſmaq́; tolleretur inter magnam Orientalium partem, atque Eccleſiam orthodoxã. Nec Patres ea de re tam tuliſſe decretum, quàm Apoſtolicum canonem renouaſſe, Pontificumque Romanorũ, qui anteceſſerant, veſtigijs inſtitiſſe atque ad extremum non deſtitiſſe, quouſque Chriſtianus orbis vniuerſus tanti momenti rem executioni demandaſſet, vniuſque labij in eius feſti celebritate cerneretur. Qui poſteà ſecus facerent, ij & cũ Audianis, & Quartodecimanis hæreticis ſenſiſſe, & iniuriam Deo inferre voluiſſe deprehenſi, anathemate percutiebantur, atque ab Eccleſiæ communione eijciebantur. Id autem ſtudij an procurrente tempore Romanæ inprimis Eccleſiæ Chriſtus Dominus reſeruari voluerit, ſpero nõ inficiaberis, ſi ſummatim in tanta deliberatione cauſſas, & rationem decreti Nicæni altius repetiero: ac cùm idem oſtendero nouiſsimè à Romano Pontifice fuiſſe diligentiſsimè, ac iuſtiſsimis de cauſis reuocatum ad vſum, ſimul intelligas vtrine, tu, tuique, an nos Catholici purioris Eccleſiæ, ac priorum Synodorum decreta pluris faciamus.

LABORATVM AB HEBRAEIS, ETHnicis, & Chriſtianis in motu Solis & Lunæ exæquando, vt dies feſti rectè diſponerentur.

CAPVT I.

QVI labor Hebręos, & Chriſtianos exercuit, illos ad ſuum, hoſce ad noſtrũ Paſcha ac deinceps ad reliqua feſta inde pẽdentia ritè celebranda, idem Ethnicis ad ſuos faſtos (ſeu potiùs nefaſtos) diſponendos negotium fecit. Cùm enim Lunaris annus cum Solari non concordet, ac motus cæleſtes (quos non ſine cauſſa mathematici ſurdos vocant, quoniam vix vnquam certò poſſunt deprehendi) eiuſmodi ſint, vt ſemper aliquid numerãdum relinquatur,
Io. Leo in deſcript. Africæ. pagin. 42. propterea variæ hypotheſes, & rationes antiquitus excogitatæ fallaces fuerũt. Et Hebræis quidem atque Chaldæis, ſicut & Arabibus annus erat trecentorum, & quinquaginta quatuor dierum: ac proinde ſuperabatur ab anno Solari noſtro vndecim
Iul. Africa. in primũ cap. Gen. diebus. Itaque Hebræi, vt ratio Lunæ motui ſolis reſponderet, tertio quoque, & interdum ſecundo anno lunarem menſem intercalabant, quod hodieque faciunt, & annum tredecim menſium efficiunt, ijque dies ἐπακταὶ, Epactæ vocantur, ſicut qui mẽſis ab ijs intercalatur, eum cum hac copula Veadar nominant, quaſi duplex Adar, qui in noſtrum Februarium incidit, & ijs poſtremus eſt anni menſis, licet etiã veteres Hebræi ſolerent interdum repetere Martium, vt menſis intercalaris eſſet venisan, quoniam Niſan ijs dicitur Martius. AEgyptij autem cùm in portiones, id eſt, menſes duodecim annum ſolarem diſtribuiſſent, ſingulis quidem menſibus tres dierum decades attribuentes, euoluto deniq; anno quinque etiamnũ ſuperadijciebant dies, quadriennijs verò exactis diem intercalabant in ortu caniculæ, exactumq́ue illud quariennium vocabant ἐνιαυτὸν ἡλιακὸν, θεοῦ κυνικὸν, annum ſolarem, Dei, canicularem, quanquam & præter hũc, qui conſtabat ex quatuor annis Aegyptiacis, & die ex quatuor quadrantibus conflato, maior alter canicularis erat ex 365. magnis compoſitus, ac deinceps maximus, qui Toth, quique item in ortum caniculæ incidebat.
Plin. 2. lib. Teſtatur autem Plinius eam quarto quoq; anno vnius diei intercalationem Aegyptijs ex obſeruatione Eudoxi fluxiſſe, cùm libro ſecundo ita loquatur: Omnium quidem ſi libeat obſeruare minimos ambitus, redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modo, verùm & reliquarum tempeſtatum ex parte. Et eſt principium luſtri eius ſemper intercalari anno caniculæ ortu. Verumtamen ipſorum temporum decurrentium ratio docuit tantam rem eſſe adhuc accuratius obſeruandam, ipſumq́ue annum corrigendum.

GRAECI autem antiquitus in ſolis curſu obſeruando, & anno in decem menſes partiendo, viderunt ipſi quoq; procedente tempore non ijſdem ſemper intercalationibus correctionem anni eſſe adhibẽdam. Qui item eos ſunt ſubſecuti, hi quamuis ad veritatem propius acceſsiſſent, haud tamẽ integrè aſſequebantur, curriculum ſolis Zodiacum obeuntis: Quare & inter ſeſe tum de horis, tum de horarum partibus, atque momentis variârunt. Quod ſanè fecit, vt tantillo ſubinde mutato, vniuerſa penè ratio temporis obſeruandi eſſet immutanda: & quidquid exciderat, id noua ſubtractione, vel quaſi deuoratione corrigendũ, aut adeò intercalatione ſupplẽdum. Nam & proptereà Græci dies quoſdam vocabãt tanquã inſititios ἐμβολίμους, & alij: ἐπαγομένας ἡμέρας, qui dies anno æquabili extra ordinem menſium adiecti explendis anni ſpatijs potiùs adijciebantur, quàm inſererentur. Inde item voces illæ Græcorũ diebus eiuſmodi attributæ προσθεταὶ, ἐξαιρέσιμοι, ὑπέρβατοι, πέριτται. Quamobrem qui Græcorum menſes cum Latinorum menſibus comparare conati ſunt, ſicut Theodorus Gaza fecit in libello de menſibus Atticis, nequicquam laborarunt. Nam & illi tam inſtabiles erãt, vt ſemper incerti vagarentur, & annus Romanorum lege Iulia definitus, qui certiſsimus habebatur, ita ſolſtitiorum & æquinoctiorum ſedes anteuertebat, ſicuti dicetur.

HINC igitur patuit Leoſtrati ὀκταετηρίδας mẽdoſas fuiſſe: nec annum Methonis, qui belli Peloponeſiaci tempore vixit, certum prebuiſſe vſum. Is autem annus aureus fuiſſe numerus, à Diodoro ſcribitur, atq; ab aſtronomis vocatus Cyclus decemnouennalis, quoniam ab eo credebatur vndeviginti annis luna cunctas ſuas varietates abſoluere, & ad ſua principia reuerti. In quo quidem Cyclo deſcripti erant ortus omnes, & occaſus, prognoſticã quoq; tempeſtatum, ſerenitatum, & ſtatus totius illius temporis. Sed trecentis ac decem octo pòſt annis, dies vnus, & penè duodeuiginti ſupererant horę, quo ſolis curſus lunã anteibat. Itaq; ἐνδεκαετηρίδας Methonicas, editio primę periodi Calippicę aboleuit: à qua deinceps reliquę periodi Calippicę ad tẽpora Cęſariana erãt deducẽdę. Sed & hæ minus omninò quadrârũt. Calippus enim haud rectè putârat, cùm exiſtimaſſet ſua periodo annorũ ſex ſupra ſeptuaginta nihil reliquũ fieri de ſcrupulis lunę cũ rationib' ſolis, ſeu nullã ſupereſſe ὑπεροχὴν ἡλιακὴν hoc eſt, exceſſum ſolarẽ ſupra lunam.

Ann. mundi. 3690.

Diodor. libro 12.

Et Hipparchus quidem, qui summi vir iudicij, & à Plinio naturæ consiliorũ particeps, & à Ptolemeo vir veritatis amicus φιλαλήθης vocatus est, non solùm plura, quę pertinebant ad cælestes motus emendauit, verùm etiam cum Chaldaicas obseruationes, atq; calippicas rationes cum veris & medijs sizygijs contulisset, primus è Græcis animaduertit μετάπτωσιν cursus lunaris intra quatuor periodos calippicas fieri, q̃ppè q lunã duorũ trientiũ diei suis tẽporib⁹ priscas calippi neomenias anteuertere sępè animaduerterat. Itaq; ait: ἡμεῖς δὲ μῆνας μὲν ὅλους εὑρίσκομεν περιεχομένους ἐν τοῖς ιθ ἔτεσιν, ὅσους κἀκεῖνοι (hoc est Methõ, & Calippus) τὸν δ' ἐνιαυτὸν καὶ ἔτι τοῦ τεταρτημορίου ἔλαττον ἐπιλαμβάνοντα μάλιστα μέρος μιᾶς ἡμέρας ὡς ἐν τοῖς τῶ ἔτεσιν ἐλλείπειν παρὰ μὲν τὸν μέτωνα ἡμέρας πέντε, παρὰ δὲ τὸν κάλιππον ἡμέραν μίαν. ac tamen cùm nouilunium cum æquinoctio cõiungens. προεμπτώσεις ἰσημερινὰς, καὶ σεληνιακὰς, easdem esse existimasset, falsus est, cũ in 304. annis non solùm lunam, sed & æquinoctia vno die priscas sedes anni Iuliani anteuertere sit deprehẽsum. Sic & Philolai, ac Democriti, vt Oenopidæ, & Aphrodisij fallaces anni, cyclique fuerunt.

Hipparchus ἐν τῷ περὶ ἐνιαυσίου χρόνου.

At Romani (inquit Plutarchus in Numa) initio hoc vnum duntaxat obseruantes, vt dies 360. annus contineret, ἓν μὲν φυλάττοντες, ὅπως ἑξήκοντα, καὶ τριακοσίων ἡμερῶν ὁ ἐνιαυτὸς ἔσται, septingentos totos annos & eò amplius eorum vestigijs institere, qui nondũ ista optimè callebant: quare intercalationem omnem aut omittebant aliquando, aut nõ rectè adhibebant: vnde intercalarium ea varietas extitit, vt ratio fastorũ mox etiã æstiuis mensibus immutaretur, vti Suetonius refert. Superuenit Iulius Cæsar, qui vir cũ iudicij acris esset, ac pro more illius gentis Pontifex Maximus, curam illorũ sacrorum (quæ tamen erant execranda) haberet, omnẽ illam temporum inconstantiam, vagã adhuc, & incertam in ordinem statutæ definitionis per Sosigenem coëgit, & dies omnes, qui confusionẽ parere potuissent, cõsumpsit. Quãobrem anno cõfusionis in 444. dies protenso ad numerum Solis, qui diebus circiter 365. & quadrante cursum conficere tunc putabatur, annus directus est, decem diebus veteri obseruationi superadiectis, quartoque anno dies vnus est iussus, vt intercalaretur. Sed & 30. post annos ab Augusto Cæsare correctus est annus, cũ ex anteuersa ratione intercalandi, tres dies plus, quàm opus fuerat à falsis illis Sacerdotibus intercalati fuissent. At verò tẽpus ipsũm, & solertior obseruatio docuerunt, istã quoq; anni quantitatẽ non omninò congruere cũ solis annua reuolutione, cũ eo nempè tempore, quod sol à principio arietis duodecim obit Zodiaci signa. Atq; idcircò experimẽto probatũ est, quod æquinoctiũ vernum Iulij Cæsaris tempore fuerat octauo Kalẽdas Aprilis, hoc est, 25. Martij id recessisse in sextum, vel quintum Idus, hoc est, in decimam, vel vndecimam Martij diem, quoniam annus ille veram anni quantitatem excedebat.

POST CHRISTI DOMINI ADVENtum, eâdem in re quoque fuisse variatum, sed semper vt magis tempus procedebat, ita liquidiorem cœlestium notitiam creuisse.

Caput II.

Ptolemevs verò, qui Adriano Imperatore vixit, annum constare ait 365. diebus, & quarta vnius minus trecentesima parte diei, hoc est minutis quatuor secundis quadraginta octo, ex horis videlicet quinq;, minutis quinquaginta quinq; secũda 12. Quare annis ab Kalendarij emendatione per Cæsarem procurata plus quinq; diebus anticipasse æquinoctium colligere tur, sed multò plures anticipasse iam certo certius deprehensum est. Atqui præter Eusebium Cæsariensem, & alios, ac præter Dionysium Abbatẽ cognomẽto μικρὸν, qui cyclum Paschalem ab eodem Eusebio cõditum se emendasse putauit, cùm eum cũ cyclo solis composuisset, eq́; ambobus cyclis periodum magnam confecisset annorum 532. quæ ab eo vocatur periodus Dionysiana, cuius initium consurgit ab anno Actiacę victorię 39. in quem Christi natalem confert: Maximus quoque Monachus Heraclio imperãte volumen magnum in lucem edidit de computo annali aliquot annos ante quàm Beda libros de temporibus suos scriberet anno Domini 641. isq́ue liber inscribitur ψηφισμὸς τῶν τοῦ ἡλίου, καὶ τῆς σελήνης ἐτῶν ἐκ τοῦ μαξίμου τοῦ μοναχοῦ. Cũ aũt Albategnius Arabs, qui post septingẽtos annos secutus est Ptolemeũ, propius in anni quantit[illegible]e obseruanda ad veritatem accessisset, & hanc alibi alij acutiùs inspicerent, errorem qui latè serpebat, orbi terrarũ indicârunt. Trecenti verò elapsi sunt anni, cũ Europa penè vniuersa atrocissimis bellis afflicta, Orientalibus item Asiaticis ingens illud bonarum literarum naufragium passis, miserè iacebat in tenebris: Ex quibus inter cæteros primi illius Alphonsi qui suę Hispanię leges dedit, filius Alphõsus & Rex, & eruditissimus, mathemata Regijs sumptib⁹ illustrauit. Quadringenta enim millia aureorũ expẽdisse fertur ad eorum restitutionem, atq; ad remunerandos Mauros, & Saracenos, quos eo nomine Corduba, & ex Africa euocauerat. Nã hi disciplinas

Ptol. 3. Almag. de vera anni quantitate elicienda.

plinas eas ab Aegyptijs, atque ab Arabibus siue inuentas, seu conseruatas adhuc integriores retinebãt. Tum igitur anni mensura diligentiùs expensa est. Extantq́ue notæ omnibus tabulæ, quæ dicuntur Alphõsinæ, quas postea præstantissimi apud Latinos viri magnoperè æstimârunt. At deinceps alij suas addiderunt obseruationes. Quamobrem tandem neque temerè, nec sine magno diuinæ Prouidentiæ consilio nõ iam à Iulio Cæsare Pontifice Ethnico Romanorum gentilium, sed à Gregorio tertiodecimo vero sub Christo põtifice Christianorum, annus ad rationem Nicænæ Synodi correctus est, id quod sanè alij Romani pontifices tentauerant, sed ob bellorũ motus, quibus quatiebatur Christiana Respublica, assequi non potuerant, cùm rei huius perficiendæ hora nondum venisset, ab eo, qui facit omnia in pondere, in numero & in mensura. Qui sit benedictus in secula. Caussas porrò Chytræe si quæras, cur hanc inæqualitatem permiserit Deus, non ita multò pòst tangam.

QVAE A SYNODO NICAENA DE Paschæ obseruatione decreta sunt, ea prius fuisse ab Apostolis decreta.

Caput III.

Primò autem satis constat nihil à Nicænis patribus noui decretum fuisse, cùm decretum de Pascha ederetur: vnde efficitur, nec aliquid à Romano Pontifice fuisse nouatum, sed quo spiritu Nicænos, eodem nunc Latinos patres Apostolorum constitutionem, quanam ratione omnes ritè obseruarent ostendisse.

Extant B. Cyrilli Patriarchæ nouẽ & triginta paschales Homeliæ, quas ille cùm vocet ἑορταστικὰς, duob⁹ & triginta annis, quibus Alexandrinam rexit Ecclesiam, ad populum habuit. In his quidquid hac de re in Nicæna Synodo tractatum est, id Apostolicas vocat traditiones, atque Euangelicam tum traditionem, & prædicationem, tum constitutionem. Id ipsum Epiphanius asserit apertissimè, qui Audianos refellens, licet apud multos inquiat esse dubiam Apostolorum constitutionem, (eo nempè tempore, quo hæretici Iudaizantes in pascha vocabãt illã in dubium) ait tamen non solùm nõ esse reprobatam, sed omnem regularem ordinem in ipsa contineri, nihilq́ue à fide adulteratum, nihil à confessione, neque ab Ecclesiastica gubernatione ac regula alienum.

Epipha. aduersus Audianos.

Εἰς τοῦτο δὲ (inquit) οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοὶ παραφέρουσι τὴν τῶν ἀποστόλων διάταξιν οὖσαν μὲν πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ, ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμον, πᾶσα γὰρ ἐν αὐτῇ κανονικὴ τάξις ἐμφέρεται, καὶ οὐδὲν παρακεχαραγμένον τῆς πίστεως, οὐδὲ τῆς ὁμολογίας, οὔτε τῆς ἐκκλησιαστικῆς διοικήσεως, καὶ κάνονος, καὶ πίστεως.

Cvm verò schismatici illi Synodũ carperent, atque ab ea dicerent propter personarum acceptionem relictum fuisse patrũ ordinem de pascha celebrando, diemque transmutatum in officium Constantini Regis, quod cũ huius instaret natalis dies, tum pascha transmutassent, respondet Epiphanius: Et sanè, si eadem die pascha quotannis celebraretur, & decretum esset, vt hoc fieret, probabile erat, quod ab ipsis dicitur. Quando verò singulis annis non potest sic ordo in eadem supputatione hærere, corruit ipsorum sermo, διέπεσεν ὁ αὐτῶν λόγος.

Non enim (inquit) propter natalem Rex hoc curauit, sed propter Ecclesiæ vnionem. Deinceps inferius. Hi verò (ait) non intellecta mente Apostolorum, & sermone, qui in constitutione habetur, putauerunt oportere cum Iudęis pascha peragere: οὐ γὰρ διὰ τὸ γενέθλιον ὁ βασιλεὺς ἐπεμελήσατο, ἀλλὰ διὰ τὴν ἕνωσιν τῆς ἐκκλησίας: & infrà; οὗτοι δὲ μὴ νοήσαντες τὸν νοῦν τῶν ἀποστόλων, καὶ τοῦ λόγου τοῦ ἐμφερομένου τοῦ ἐν τῇ διατάξει ἐνόμισαν μήπου ἄρα μετὰ τῶν ἰουδαίων χρὴ πάσχα ἐπιτελεῖν.

Ac postquàm plura de Audianis locutus est, qui Ecclesiam sciderant, quiq́; multò anteà Romanis Pontificibus oblatrauerant, addit, si cum Audianis pascha fuisset celebratum, tum bis pascha peractum iri ante & post ęquinoctium, tum totum opus erroris non item veritatis plenum inuentum. Denique ad extremum infert. Nam ante æquinoctium non implebitur annus, neque implebitur circulo cursus ex Deo hominib⁹ cõstituto, nisi pręterierit Aequinoctium. Et poterant (subdit) de hoc multa dici, quomodo rectè fecerunt patres, imò potiùs per ipsos Deus correxit Ecclesiam, vt tota veritatis certitudo huius colendissimæ festiuitatis, post æquinoctium fieret, & quæ sequuntur, &c. καὶ ἦν μὲν περὶ τούτου πολλὰ λέγειν, ὡς καλῶς ποιήσαντες οἱ πατέρες, μᾶλλον δὲ δι' αὐτῶν ὁ θεὸς κατόρθωσε τῇ ἐκκλησίᾳ τὸ πᾶν ἀκρίβασμα τῆς ἀληθείας τῆς πανσεβάσμου ταύτης ἑορτῆς παναγίας μετὰ ἰσημερίαν μὲν ποιεῖσθαι.

Accedit ad Epiphanium Acesius ille Nouatianorum Episcopus. Sic enim Diuinæ sapientię placuit astutos comprehendere in astutia sua, & facere, quod dicit Psaltes: Inimici nostri sunt Iudices. Is ergo post lætam Nicænæ Synodi definitionem Constantino Imperatori ipsa in

Synodo interroganti, vtrum vellet definitioni fidei ac celebratiõis Paschæ assentire, respondit: Nouum nihil Imperator Synodus constituit. οὕτως γὰρ ἄνωθεν ἅπαντες ἐκ τῶν ἀποστολικῶν θρόνων παρειλήφαμεν, καὶ τὸν ὅρον τῆς πίστεως, καὶ τὸν χρόνον τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς, hoc est: Sic enim omnes à principio à sedibus Apostolicis accepimus, & definitionem fidei, & tempus festi Paschæ. Eusebius autem Cæsariensis: Mota est (inquit) eo tempore haud parua quæstio, ex eo quòd cunctæ per Asiam parœciæ, velut ex antiquiore traditione 14. luna salutaris Paschatis festum celebrandum esse putabant: qua die Iudæis agnum immolare præceptum fuerat: quasi omninò eadem luna in quamcunque illa septimanæ diem incidat, ieiunia sint soluenda, cùm reliquis Ecclesijs per vniuersum orbem consuetudo non esset ad hũc modum celebrãdi Paschæ, quæ ex Apostolica traditione morem hactenus durantem seruat, quod videlicet ieiunia nullo sint alio loco, quàm resurrectionis Saluatoris nostri die soluenda.

PRAETEREA idem Eusebius libro 5. cap. 27. Qui verò, inquit) in Palestina erãt Episcopi, quorum paulò antè meminimus Narcissus, & Theophilus, & cum eis Cassius Ecclesiæ Tyri, & Clarus Ptolemaidis Episcopi, & alij qui cum istis venerunt, postquàm de traditione celebrandi Paschæ, quæ ad ipsos ex successione Apostolorum descenderat, multis tractassent, circa calcem scripti sui ista ad verbum subiecerunt: Satagite autem nostræ epistolæ exemplar per totam parœciam mittere, ne rei simus erroris eorum, qui suas animas tam facilè seducunt. Significamus autem vobis, quod & Alexandriæ eàdem die, qua nos Paschæ festum agunt. Et quæ sequuntur. Caussa autem, cur Orientales in eodem errore perstarent, illa potissimum erat, quam affert Theodoretus libro tertio

„ in Epitome hæresum cap. de Quartodeci-
„ manis. Profitentur enim (inquit) Ioannem
„ Euangelistam in Asia prædicantem docu-
„ isse celebrare Pascha decimaquarta luna,
„ ac praue intelligentes Apostolicam tradi-
„ tionem vsi sunt falsis actis Apostolorum,
„ alijsque apocryphis libris, vnde & Polycra-
„ tem eadem mutuasse credendũ est. Atqui
„ hoc ipsum attigit magnus Athanasius in

epistola ad Episcopos Africanos, cùm de Synodis Arimini, & Seleuciæ habitis loqueretur. Syros nempè & Cilices, & qui in Mesopotamia degunt, in Pascha cum Iudæis celebrando claudicasse. Sed gratiæ (inquit) Domino nostro, quia & de fide, & de sacro illo festo in concordiam itum est.

EXTAT autem in Bibliotheca, quæ Romæ est in Vaticano, ad quam Orientales Patriarchæ confugere solebant, cùm Ariani, alijque hęretici Synodos ipsas corrupissent, decretum de Pascha descriptum ex actis sanctæ Nicęnæ Synodi à Ioanne, cui cognomen erat ἀπὸ τῶν σχολαστικῶν, Patriarcha Constantinopolitano, qui Iustiniano Imperatore decreta Synodorum collegit, & in vnum volumen redegit. Is autem sic habet:

Πέπρακται δὲ οὕτως τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἱερᾷ συνόδῳ συνελθοῦσι ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ θεοσεβοῦς, καὶ μεγάλου βασιλέως Κωνσταντίνου, ὃς οὐ μόνον τοὺς προγεγραμμένους ἐπισκόπους εἰς ταυτὸν εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν, ἀλλὰ καὶ συμπαρὼν τῇ τούτων ὁμηγύρει συζητεῖ τὰ συμφέροντα τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. ἐπειδὴ τοίνυν ἐξεταζομένου τοῦ πράγματος περὶ τοῦ δεῖν συμφώνως ἄγειν τὸ πάσχα ἅπασαν τὴν ὑπ' οὐρανὸν ηὑρέθη τὰ τρία μέρει τῆς οἰκουμένης συμφώνως ποιοῦντα ῥωμαίοις, καὶ ἀλεξανδρεῦσι, ἐν δὲ κλίμα τῆς ἀνατολῆς ἀμφισβητοῦν, ἔδοξε πάσης ζητήσεως περιαιρεθείσης, καὶ ἀντιλογίας, οὕτως ἄγειν, καὶ τοὺς ἀδελφοὺς ἐν τῇ ἀνατολῇ, ὡς ἄγουσι ῥωμαῖοι, καὶ ἀλεξανδρεῖς, καὶ οἱ λοιποὶ πάντες πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν, καὶ ὑπέγραψαν πάντες, οἱ τῆς ἀνατολῆς, οἱ δια- «
φωνοῦντες πρὸς τοὺς ἄλλους. hoc est: Sic autem «
acta sunt, quę omnibus placuerunt, qui in «
sancta Synodo conuenerunt, temporibus «
pij in Deum, & magni Imperatoris Con- «
stantini, qui non solum Episcopos superius «
descriptos in vnum congregauit, vt pacem «
nostrę genti faciat: Sed & ipse in eorum cœ- «
tu prę sens conquirit, quę Ecclesię Catho- «
licę conducunt. Quia igitur postquàm ex- «
cussum, & expensum est, oportere ab vni- «
uersis, qui sub cœlo sunt vno modo agita- «
ri Pascha inuentę sunt tres partes Orbis, «
quę Pascha concorditer agunt, cum Roma- «
nis & Alexandrinis, vna verò Orientis du- «
bitat, & disceptat, visum est sublata omni «
quæstione & controuersia, ita etiam agant «
fratres qui in Oriente sunt, sicut Romani «
& Alexandrini, ac cęteri omnes, vt omnes «
vno die Pascha celebrent, & subscripserunt «
omnes Orientales, qui in alijs discrepabant.

SED iam benè habet: Romanos inprimis Apostolicam semitam instituisse: Orientis partem ab ea tum recessisse. Nunc superiora adhuc sęcula recenseamus, ac diligenter inspiciamus, & per quos nam diuina sapientia voluerit Ecclesiam dirigi, si quando in scopulos eiusmodi impingeret, aut schisma in ea contingeret: & à quibus nam purioris (vt dicis) Ecclesię decreta ser uentur.

VRSERANT igitur olim Asiatici, quorum primus erat Polycrates Ephesius decima quarta die lunę, (vti soliti erãt Iudæi) in quamcunque diem incidisset hebdomadæ Pascha, id esse celebrandum. At quis attollere signum veritatis debebat, ad quod accurrerent orthodoxi? Si Orientales id fecissent, erant eorum castra plena turbarum, atque dissidij: si quis alius id sibi sumpsisset, auctoritate, quãta opus erat nõ erat fultus. Itaq; ad eũ hoc attinebat, in quo Christi Domini promissa, & data vigebat auctoritas, nempè confirmandi fratres suos. Sic igitur Victor Romanus Pontifex & Martyr, qui decennium Ecclesiam rexit, fartam tectam eandem de qua dictũ est, Constitutionem Apostolicam tenuit, & ex Apostolorum principis traditione, Synodique Romæ coactæ decreto docuit, non nisi Dominico die, quo Saluator à mortuis resurrexit, ieiunium esse soluendum, festumque illud celebrandum. Tum Galliarum Episcopi Præside Irenæo, deinde Narcissus Hierosolymitanus, & Theophilus Cæsariensis: Prætereà Ecclesię Pōti, quibus præfuit Palma vir Apostolicus: Deniq; Achaicæ quoq; pręsidente Bachillo Corinthiorum præsule varijs Synodis conuocatis B. Victorem D. Petri successorem sequendum esse censuerunt. Sic verò, hic Theophilo Episcopo, cęterisque Christianis, qui Alexandriæ agebant, inter cętera scripsit.

„ MVLTA mihi gratulatio est dilectis-
„ simi fratres, quod manifestato (sicut opta-
„ mus) per gratiam Dei lumine Euangelicę
„ claritatis, & ab Ecclesia iam magna ex par-
„ te perniciosi erroris nocte depulsa, creditæ
„ nobis dispensationis fructus crescit, & au-
„ gmentatur in Domino, celebritatem san-
„ cti Paschę die Dominica agi debere, & præ
„ decessores nostri iam statuerunt, & nos vo-
„ bis illud eàdem die celebrari solenniter
„ mandamus: quia non decet, vt membra à
„ capite discrepent, nec contraria gerant. A
„ quartadecima verò luna primi mensis vs-
„ que ad vigesimum primum eiusdem men-
„ sis diem eadem celebretur festiuitas. Hæc
„ Victor.

QVI cùm prædecessores diciteos, qui se antecessere, designauit sanctos Eleutherium, Soterem, Anicetum, Pium, Higiniũ, Thelesphorum, Xistum, Alexandrum, Euaristum, Anacletum, Clementem.

CAETERVM vt in ijs, quæad sacrum Pascha, ritè celebrandum pertinebant, ab Orientalibus aut ab alijs, qui nolebant acquiescere, dimoueri nunquam potuit, quo minus diuinitus sibi concesso munere fungeretur, sic obijcientibus multa schismaticis, ipse tamen præualuit, quippe prętera lia videbat ea ratione Iudaismum in Ecclesiam inuehi, queadmodum Blastus quidã sensim tẽtabat. Factum est aũt, post aliquot annorũ decades, vt Nicæna Synodus eandẽ Romani Põtificis sententiam cõprobauerit, atq; per vniuersum orbem promulgari iusserit, nõ minus quã idem ille Victor Apostolicã constitutionem inuictus defenderat, quam S. Clemens D. Petri successor scriptam reliquerat his verbis:

Δεῖ οὖν ὑμᾶς ἀδελφοὶ τοὺς τῷ χριστοῦ τιμίῳ ἐξηγορασμένους αἵματι τὰς ἡμέρας τοῦ πάσχα ἀκριβῶς ποιεῖσθαι μετὰ πάσης ἐπιμελείας, μετὰ τὴν τροπὴν ἰσημερινὴν, ὅπως μὴ δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἑνὸς παθήματος μνείαν ποιεῖσθαι, ἀλλ' ἅπαξ τοῦ ἔτους τοῦ ἅπαξ ἀποθανόντος. μηκέτι δὲ παρατηρούμενοι μετὰ ἰουδαίων ἑορτάζειν, οὐδεμία γὰρ κοινωνία ἡμῖν νῦν πρὸς αὐτούς, πεπλάνηνται γὰρ καὶ αὐτὴν τὴν ψῆφον, ἣν νομίζουσιν ἐπιτελεῖν, ὅπως πανταχόθεν ὦσι πεπλανημένοι, καὶ τῆς ἀληθείας ἀπεσχοινισμένοι, ὑμεῖς δὲ φυλάσσεσθαι ἀκριβῶς τὴν ἰσημέριον τροπὴν τῆς ἐαρινῆς ὥρας, ἥτις γίνεται δευτέρᾳ καὶ εἰκάδι τοῦ δωδεκάτου μηνὸς, ὅς ἐστι δύστρος, ἐπιτηροῦντες ἕως εἰκάδος πρώτης σελήνης, καὶ πλάνης γινομένης ἀγνοίᾳ δὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐπιτελέσωμεν τὸ πάσχα, ἐν ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἑορτάσωμεν τὴν τοῦ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ ἀναστάσιμον ἡμέραν, ἀλλ' ἐν κυριακῇ μόνῃ.

Κλημ. βιβλ. ε. κεφ. ιζ.

Clem. lib. cap. 16.

HOC est: Oportet ergo fratres, vt qui
pretioso sanguine redempti estis, dies fe- «
sto paschę accuratè, & diligẽtissimè post æ- «
quinoctium celebretis, vt neq; bis eodem «
anno vnius passionis memoriam renoue- «
tis, sed semel quotãnis memoriã semel mor «
tui peragatis. Nec verò amplius cum Iudęis «
tempus celebrandi Pascha obseruetis, quã- «
doquidem nulla iam nobis cũ eis commu- «
nitas est. Falsi enim sunt in ipsa ratiocinati- «
one, quã se absoluere existimant. Quãobrẽ «
omninò aberrarunt, atq; à veritate sunt se- «
parati. At vos æquinoctij verni conuersio- «
onem diligenter obseruate, quæ cadit in vi- «
gesimum secundum diem duodecimi mẽ- «
sis, qui est Dystros, notantes vsque ad vige- «
simam primam lunam, ne in aliam hebdo- «
madam incidat luna quartadecima, & per «
errorem bis vnoquoque anno Pascha agi- «
temus, aut diem resurrectionis Domini «
nostri Iesu Christi alio die præterquam «
Dominico tantum celebremus. Hactenus «
Apostolica constitutio.

DYSTRON porrò eundem à Gręcis fuisse vocatum mensem, quem Romani Martium nominarunt obscurum non est. At verò AEquinoctium vernum CHRISTI Domini, & Beati Clementis tempore 22. die mensis Dystri agebatur, qui cùm quarto die mensis Martij inciperet, & ab eodem quarto die vsque ad vigesimũ quintũ, viginti duo dies numerentur, fit vt æquinoctium vigesima quinta die Martij fuerit, cùm Dominus noster pas-

cha cum discipulis suis egit. Confirmat hoc id, quod Eusebius Cæsariensis in omnimoda historia canonum chronicorum scripsit, quod quidem Anastasius Antiochenus in libro variarum quæstionum recitat. Postquàm (inquit Eusebius) vmbrosum pascha cum discipulis suis comedit, & pascha auctoritatis præcipuæ introduxit, quinta die hebdomadis, qui erat lunæ decimusquartus, mensis verò Martij 22. Indictione 15. ipsa eàdem nocte in eiusdem mensis diem 23. ferente traditus est, ac illo ipso die crucifixus, resurrexit 25. die Dominico.

Euseb. Cæsar.

Anastas. Antioche.

Porrò idipsum, quod B. Clemens fusius scripsit, in eo qui circumfertur Apostolicus canon, (licet breuissimè) sic habetur: Si quis Episcopus, aut presbyter, aut Diaconus sanctum diem paschæ ante vernum Aequinoctium cum Iudæis celebrauerit deponitor. Græcè sic: εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν πρὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας μετὰ ἰουδαίων ἐπιτελέσει, καθαιρείσθω.

DEVM SAPIENTISSIME, VT IN alijs plerisque rebus, quæ hoc seculo contigerunt, sic in hac anni correctione iuxta Nicenæ Synodi decretum, permisisse, vt laboraretur, tum vt vna Catholica Ecclesia Romana magis agnosceretur, tum vt hæretici manifestiores fierent.

Capvt IIII.

SI vllo seculo post natum Dominum, exeruit se mirabilem diuina sapientia, quo quidem seculo traditam Ecclesiæ suę potestatem ad sui maximam gloriam, pro missionumque constantiam, ob oculos omnium poneret, hoc sanè fuit. Ignotum igitur primò alterum orbem aperuit. Ad quem itum est? Ad sedem Apostolicam, ad Romanum Pontificem, vt inde propagandę Christianæ religionis, & cœlestium donorum aperiendæ inter remotissimas gentes officinæ auctoritas, & gratia deriuaret à Deo, vnde ad reliquum orbē Christianis mysterijs imbuendum profecta superioribus seculis fuerat. Tibi (dixerat Christus Dominus) Petre dabo claues regni cœlorum, quæ solueris in terris soluta erunt in cœlis. Petrus igitur & Petri successores aperiant, quę clausa sunt. Inter Hispanos aūt & Lusitanos, orta erat Christiana æmulatio non vt tēpla, & altaria, & virginum, ac religiosorum cœnobia euerterent in Europa, sed vt hæc eadem antiquissimæ Apostolicę Ecclesię signa notissima & firmamenta certissima inueherent, innouas terras, Euangeliumque maturescente mundo quaquauersum annunciare-tur. Ventum igitur est quoque ad Romanum Pontificem, omnia vt pacatè fierent: Noui mundi sua quæque pars regibus Catholicis, & religiosissimis obtingeret, operarij verò qui mitterentur, non qui seipsos intruderent, eò verbum Dei inferrent. Nihil itaque in tanta re dissensionis à Deo pacis est consecutum. Sic vnanimes pectora, & regna ipsi reges in alia regna effuderunt. Quamobrem & ditiores quàm auri fodinę animarum myriades ad Christi fidem reiectis idolis, atque perfidia per Catholicos, Romanique Pontificis duntaxat administros accurrerunt, hodieque accurrunt.

Fremebat deinde Satanas immensas illas prouincias ab Christianis regibus, dum pacem domi haberent, sanctissimo crucis explicato vexillo liberè peragrari: Quare inter Christianos reges seminata discordia bella horrenda exciuit, neque solùm Ethnicos & hæreticos, verùm etiam ipsas regum Catholicorum maiestates inter sese commisit. Hic quosnam amabo pacis & compositionis auctores voluit Deus? Romanos vtique Pontifices, Apostolicam sedem. Nulla inter Catholicos & Christianissimos reges solida pax, nulla prouinciarum restitutio, nulla armorum depositio prius consecuta est, quàm ijs hortantibus, allegatisque suis, per quos ea denique omnia Deo iuuante ad effectum perducta sunt.

Interea magis quoque infremuit Satanas, quòd regna, quæ in abditis mundi partibus excitauerat, & diuturna possessione retinuerat, sibi summa cum ignominia vidit adempta, quare omnes explicuit artes, vt in Europam inuaderet, iniuriamque idolis illatam Christi diuinitatis pernegatione, sanctorumque eius veneratione, imaginibus quoque rabidè sublatis & idolis vocatis, vexauit hominum mentes, quæ emotę sic nutarunt, vt integrę prouincię pestilentibus hęresibus haustis venenum passim euomerent: sic verò pręsentibus pestibus vbique serpentibus corda hominum auocarentur à contemplanda Dei gloria, quę iam in Orientalibus, & Occidentalibus Indijs splendidissimè emicabat, nimirum Christo Iesu innumera edente per catholicos ipsos miracula. Quid ergo factum? Itum est ab omnibus Regibus, & ab Antistitibus Christianis ad Romanum Pontificem, atque ad vnam illam Romanam Apostolicam sedem. Inde autem conuocata legitima Synodus ex omni gente, quæ sub cœlo est, Satanam eiecit, hęreses anathemate confodit, Christianos principes & Episcopos in vna immobili petra statuit. Illa verò, quæ hęre-

retici tanquam simię conuenticula habuerunt, abiêre in fumum, ac tantum abest, vt quicquam certi constituerent, vt cùm de componenda inter sese pace crebro agitassent, inde semper magis discordes euaderent. Cùm autem vnam vel alteram hæresim attulissent, decem inde referrent.

Fvrebat item Satanas, & Turcis in viscera Christianorum introductis, ac rebellibus ensem aduersus legitimos Reges stringentibus, opus erat fœdere, subsidioque firmiore. Properatum igitur est ad Romanos Pontifices. Tum principes vna fide, vnoque amore coniuncti: dexteræ datæ; atque auxilia, de Romanis Pontificibus accepta sunt. Sic Turcica vis, terra, marique repressa est: Hæresis denique plus viginti prælijs profligata, reliquit ampliora Regibus spatia, quàm putauerat, & bella ipsa, quæ excitauerat, cecidisse in suam perniciem, & rebellium internecionem, paulò pòst sensit. At cùm antea per vnum Lutherum Apostatam Satanas cornua sustulisset, ac ille desertis, castris bellum omni pietati indixisset, is ipse Deus, qui alijs seculis laboranti Ecclesiæ sæpè subsidiarias religiosorum ordinum copias miserat, afflauit pauperum animos, & Ignatium nostrum cum prioribus illis paucis Societatis nostrę Ducibus ad Romanum Pontificem misit, cuius auctoritate muniti operam Ecclesiæ suam nauauerunt intrepidi: Sic impijs pij, hæreticis Catholici, dissentientibus vnanimes restiterunt, iamq; hi non solùm in nouo orbe, verùm etiam in vestris visceribus collegia & seminaria, veras nimirum pietatis officinas, suppeditante omnia eodem Romano Pontifice, aperuerunt vbique: vt quantò hæresis sicut fluctus in scopulos illisa vehementius dissipata est, atq; in dies dissipatur, tantò hi magis indies vinciantur vnanimes, ac roborentur, vicariamque inter sese operam ponentes, & aliorum sanctorum in Ecclesia ordinum vestigia terentes, vides Chytræe, quid paulò pòst Christi beneficio effecturi sint: Nempè cū tot adolescentum millia, tot ciuitates & populi ad pietatem eruditi Christianæ Reipub. maturuerint, atq; interim alij multò plures ijsdem quasi in hortis, ad frugem adoleuerint.

Postremò qui per aliquot secula tēporum incertus ordo labi fuerat animaduersus, dum docti Reges, & alij ea in re insudabant: vel bellici tumultus pleraq; omnia (vt dictum est) impediebant, reseruata tota res est Romano Pōtifici, totaq; illa variatio, & incertitudo per eundē sublata est, quę item antiquitus exercebat Ecclesiam.

Qvòd si adhuc quæris, cur præter hasce, quas attulimus rationes cœlestium conuersionum incertitudo à Deo permissa sit, vt in hoc seculum præcipuè caderet, ne id quidem celabo.

Praeclare Epiphanius cū quartadecimanos reprehenderet nolentes cum Ecclesia Catholica legitimum Paschæ tempus celebrare, causam affert, cur istam anni inæqualitatem Deus permisisset. Anni (inquit) contraria transgressione tardantes, propter diuersos inter se solis ac lunæ cursus hanc inæqualitatem efficiunt, nō quod offendiculum à Deo sit decretum, sed exacta certitudine hac à Deo ordinata iuxta sapientem penitus ipsius gubernationem, quam largitus est proprio seculo, dum definita ordinauit lumina, & tempora, annos item ac menses, & solstitia, & dum prouidis hominibus harum rerum studium, ac curam contribuit, ex sua erga homines benignitate. Quæ ille sic Græcè: οἱ γὰρ ἐνιαυτοὶ ἀνθυπερβατῶς ὑστεροῦντες διὰ τοὺς διηλλαγμένους πρὸς ἀλλήλους δρόμους ἡλίου τε καὶ σελήνης ταύτην τὴν ἀνισότητα ἐκτελοῦσιν, οὐ σκάνδαλον παρὰ θεοῦ ὡρισμένον, ἀλλὰ τῆς ἀκριβείας ταύτης ἐκ θεοῦ τεταγμένης, κατὰ τὴν πάνσοφον αὐτοῦ διοίκησιν, ἣν ἐχαρίσατο τῷ ἰδίῳ αἰῶνι τοὺς ὡρισμένους τάξας, φωστήρων τε, καὶ μηνῶν, καὶ ἐνιαυτῶν, καὶ τρόπων, καὶ προνοητικοῖς ἀνθρώποις ἐκ τῆς αὐτοῦ φιλανθρωπίας, ἐπιμελείας.

Ac prorsus ita est, vt in reliqua suæ Ecclesiæ œconomia, sic in solemnium gestorum Christi partitione, ac quasi in propriarum sedium collocatione, admirabilem extitisse multiformem sapientiam Dei. Neque verò statim voluisse, vt quod, tanquā depositum, suis dispensatoribus crediderat, id statim omnibus aperiretur, nisi quo tempore expediret, tum rectissimæ fidei statuendæ, ac pietati instaurādę, tum Christianæ religionis oblatratoribus conuincendis. Itaque vt Satana cribratore, Ethnicis persecutoribus, & Iudæis, schismaticis, hęreticis oppugnatoribus permisit sapientissimè Deus, vt ex mutua cum Catholicis contentione veritas pręedicata roboraretur, & maiorem claritatem emitteret, sic nostro seculo reseruata est præclarissima omnium, quotquot vnquam fuēre victoria. Ac cùm Petri primatus à Christo in Ecclesia institutus, hoc potissimum seculo esset à plurimis impetendus, futurumq; vt penè pedibus conteri videretur, quippe qui & Antichristi regnū, & idololatriæ seminarium à pessimis quibusque esset (vti quondam est factum à Manicheis, & id genus alijs) blasphema voce appellandum, varia, & quidem pręsentissima tot venenis antidota Dominus Iesvs animarum nostra-

nostrarum optimus medicus præparauit. Itaq; varijs rationibus, inter quas Kalendarij correctio fuit, occasioné diuinitus præbuit, vt potestaté à se in Ecclesiæ bonũ Petro ac eius successoribus traditã redderet manifestissimam, neque ad alios quàm ad quos factus est sermo Dei, eam spectare ostenderet. Nã & quod scriptum est, claues regni, non vnius cœli, sed plurium cœlorũ (sicut aptissimè dixit Origenes) Petro datum iri, cùm in primis ad spiritualium rerum scientiam impertiendã, & iudicium exercendum pertineret, suo etiam tempore, ac modo referẽdum erat ad cœlestes cõuersiones liquidius manifestandas: quandoquidem ad diuinæ potentiæ gloriã potissimum futurum erat, vt non à mathematicis tantum proficisceretur, sed ab eo potissimũ, cui dictũ est, cõfirma fratres tuos, & pasce oues meas: præterea qui per vicarium visibilẽ suum, regit Ecclesiam, diuersaq; in corpus hoc mysticum influit dona, donec euadat in virum, & in mensurã plenitudinis Christi, is est, qui baptizat, qui docet, qui claudit, & aperit: quiq; Petro propterea claues pollicitus, quibus abscõdita à seculo subinde, ac suo tempore resserarentur, eas & dedit, cũ fidelis sit Deus, qui repromisit, vti docet Apost. Sanè D. August. qui sapientiã Christi altissimè gustauerat, sic loquitur sapienter: Nunquid perfectè de Trinitate tractatũ est, antequã oblatrarent Ariani? nunquid perfectè de pœnitentia tractatũ est, antequam obsisterent Nouatiani? Nunquid perfectè de baptismo tractatum est, antequã contradicerent foris positi rebaptizatores? Hæc ille. At nos quę ad Catholicã religionem ab omnibus omniũ oppugnationibus vindicandã pertinẽt, ea videmus hoc seculo rursus ita ijsdem modis claruisse, vt nihil supra. Hæreses autem cũ antea separatim exortæ diuinum ordinem perrumpere nequiuissent, quo violentius cunctę quasi conglobatim sese aduersus Ecclesiã hoc tempore intulerunt, eò miserius tanquam ab immobili petra fluctus dissipatæ fuerunt. Ad ipsam porrò auctoritatẽ Pontificis Maximi quod attinet, quandoquidẽ ea nõ propter illum, sed propter gregem Christianum instituta est, Deo adhuc præsentiora mundo labenti remedia reseruanti, placuit, vt cœlestium conuersionũ ad rectissimum Ecclesię ordinẽ statuendũ certior cognitio haberetur, sicut nouus orbis, vt diximus, penè ex Oceano emersit. In quo quidẽ orbe aut fidei fundamẽta collocari, aut tẽpora ritè disponi, nec Græcis concessit quantumcunq; orbis terræ Patriarcham se vocitet Constantinopolitanus, aut Iudicem Alexandrinus: neq; Spithamã eius terræ permisit hæreticis, qui iactantes Euangelium, nec Euangelio credentes, ipsam in qua poterant esse Catholicam Ecclesiam, dissecti in plurimas sectas, perditè deseruerũt. Quæ cũ ita sint, docemur hinc quoq; altitudinem diuitiarum Dei tantò omnium mentibus esse eminentiorem, quantò maior est domo, qui fabricauit illam.

Hom. 6. in Matth.

Lucæ 22. Ioan. 21.

Ephesi. 4.

Matth. 16. Hebr. 10. D. August. enarrat. in Psalm. 54.

ACCEDIT quòd cũ prȩter sublunariũ rerum generationem, & conseruationem, quæ à cœlestibus motibus pendent, alia ex alijs Deus ex ingenti suo illo penu semper depromat, verissimè id testari quoque nos possumus, quod D. Antonius olim quibusdam sapientiam eius mirantibus, Bibliothecã haud videntibus respondit, inquiẽs: Meus liber (Philosophi) est ista mundi machina.

SANE verò si cùm primum facti sunt cœli cuncta nobis patuissent, consuetudine viluissent, vel torpuissent ingenia, vel altius hæsisset in multorum animis, qui soli sapere viderẽtur, labes illa pertinax: Aeternum fuisse mundum, nunquam interiturum, agere Deum necessariò, & quæcunque plurimi cõbiberunt, ex quibus Deum cognoscentes non sicut Deum glorificauerunt.

SIC porrò cùm moles illa solis immensa ad vnius hominis imperium substitit, & regnante Ezechia retrogressa est, quantacũque aduersa conuersione cœli raperentur, id attulit multum & spei credentibus, & lucis, Philosophis, vt iam humanis gradibus cælestia ne temerè conscenderent, neq; naturæ circino diuinam omnipotentiam metiendam esse arbitrarentur.

INDE autem magnus ille nobis constat fructus, quòd cùm perpetuam istorum cœlorum rationem cernimus, cogitare debemus, eos nobis rotari, propter quos siue prȩterita, siue instantia, siue futura, siue terrena, siue cœlestia facta sunt ab eo, qui nos ex nihilo immensa sua charitate creauit, redemit, aluit, docuit, & continenter docet.

ATQVI ne Astronomi ad diuinationes, & ad alia, incertos Planetarum cursus obliquè transferrent, præmoniti fuerunt ista cœlestium motuum variatione, nihil inde constantissimæ præcognitionis ad ea, quę cogitarunt, iudicia de humanis rebus ferenda existere posse, ac proinde ordinatissimæ prouidentiæ Maiestatis Diuinæ (non autem horoscopis, non fato) quæcunque eueniant, esse asscribenda: Sic Chaldęi, qui mille quingentos annos in eo studio posuerunt, cùm orbis octaui motum, Ptolemæus item cùm motum trepidationis ignorassent, ecquid certis alijs de

Contra Astronomos iudiciarios pulchrè.

re-

rebus inde consequentibus statuere potuerunt? Cùm verò Zodiaci partes, & signa integrum mutasse locum sapientes viderint, vnicuique cordato licet intelligere, quàm incerta fuerint, quæ ipsi tanquam oracula credi voluerunt, cùm gentiũ mores, aut futuros humanos casus inde prædicerent, aut adeò imperiorum, & regnorum conuersiones, quę videbantur in idem temporis spatium, vel momenta recidere, superiorum orbium influxibus attribuerẽt, aut deniq; ausi sunt ad reliqua omnia prænoscenda, canones, & aphorismos præscribere. Quæ sine dubio incertiora fuerunt, quàm ipsa motuum incertitudo, cùm sequẽtia secula multum aut horarum, aut dierum, ne dicã momentorum exhausisse videamus, quibus aspectus illi, atque concursus omninò variauerunt. At cùm hæc ita sint, videant pij, atque ij præsertim, qui de Imperatorũ dignitate gloriantur, quibus rationibus Constantinus Magnus sancti Paschæ legítimum diem conatus est quoquouersum inuehere: vt si qui rationibus solis haud moueantur, ij certè & rationibus, & auctoritate permoueantur ad ea, quæ pacis, & cõsensionis atque imprimis Christianæ erga diuinum cultum reuerentiæ sunt. Is igitur sic.

EPISTOLA MAGNI IMPERATOris Constantini ad omnes vbique Ecclesias, de sancta Synodi actis, & de sancto Pascha.

CAPVT V.

EXPERIENTIA edoctus, per rerum publicarum prosperitatem, quanta sit diuinæ potestatis gratia, illum mihi propositum esse debere finem iudicaui, vt à beatissimis Catholicæ Ecclesiæ populis fides vna, & syncera charitas, consentiensque in Deum pietas seruetur. Sed enim cùm aliter omninò fieri non posset, vt ordo stabilis & firmus constitueretur, nisi simul omnes, aut certè plures Episcopi conuenirent, & de re qualibet ad sanctissimam religionẽ pertinente dijudicarent, eius rei gratia quã fieri potuit plurimis coactis, me quoque perinde atque vno aliquo ex vobis (num enim negauerim, quo maximè lætor, conseruũ vestrũ me esse?) præsente vsq; adeò omnia in debitã sunt disquisitionem vocata, quousque rerum omnium inspectori Deo placita sententia, ad consentientis vnitatis concordiam stabiliendam, in lucem est protracta, ita vt nihil iam, quod ad dissensionem, aut professionis fidei ambiguitatem facere posset, sit relictum. Vbi cùm de sanctissimo etiam Paschæ die quæstio esset exorta, sententijs omnium decretum est, conuenire, vt id eodem tempore ab omnibus vbique peragatur. Quid enim nobis esse potest vel pulchrius, vel gratius, quàm si is dies festus, vnde spem immortalitatis percepimus, vno ordine, & celebri ritu ab omnib' certò, & inuiolabiliter peragatur? Ac primùm quidem indigna res fuit, sanctissimum eum diem imitatione, atque consuetudine Iudæorum celebrare, qui manibus suis nefario flagitio contaminatis, non iniuria quoque animis sunt excœcati, homines scelerati. Quidni enim liceat gente ea reiecta, rectiore, verioreque ordine, quẽ à primo passionis die hucusq; seruauimus ad futura quoque secula obseruationis huius ritum transmittere? Itaque nihil nobis commune sit cum infestissima Iudæorum turba. Aliam siquidem à Saluatore accepimus viam. Propositus est sacratissimæ religioni nostræ suus cursus, & legitima, quæ illam deceat regula, quam vnanimi consensu complectentes, nos ipsos à fœda illa conscientia, & societate retrahamus fratres Reuerendissimi. Et profectò omnium absurdissimum est, illos gloriando iactare illis obseruandis nos sufficere non posse, absque illorum doctrina, & prȩscripto. Quidnam verò illi rectè sentire aut sapere possunt, qui post illam Dominicam cædem mentibus capti, non ratione aliqua, sed impotenti impetu, quocunque eos insitus impellit furor, ducũtur? Quam ob causam, cùm in hac quoque parte verũ non perspiciant, sed vti semper affectu vitioso transuersi rapiantur potius, quàm errorem corrigant, eodem anno bis pascha peragunt. Qua igitur de caussa eos sequemur, qui graui errore se implicatos esse cõfitentur? Bis equidem eodem anno Pascha celebrare haud vnquam sustinuerimus. Atque etiam si hæc vobis non exponerentur, conueniret tamen, vos pro mentis vestræ sagacitate, semper & studere & optare, ne cuiuspiam similitudine, & exemplo puritatem animarum vestrarum pollueretis, neue hominum modis omnibus malorum consuetudinem imitari videremini. Ad hæc illud quoq; considerandum venit, in re tanta, & tam solennibus religionis nostræ ferijs dissensionem extare aliquam lõgè esse impijssimum. Vnum namque nobis libertatis atque redemptionis nostræ diem, sanctissimæ scilicet passionis suæ Saluator noster dedit. Vnam esse Catholicam suam Ecclesiam voluit, cuius tametsi partes in multis varijsq; sunt dispersæ locis, vno tamẽ spiritu, hoc est, diuino arbitrio souetur. Cõsideret porrò Sãctitatis vestrę solertia, quã graue sit, & indecorũ, per eosdẽ dies, alios quidẽ ieiunijs intentos esse, alios verò conuiuijs vacare: & post Paschæ dies,

Sacrarum Synodorũ vtilitas, & auctoritas.

Imperialis humilitas, & submissió.

Hæreses sublatę per Synodum.

Celebrandi Paschæ consensus.

Infestus Iudæis Constantini animus.

De Iudæorum cæcitate.

Paschæ ferias minimè cũ Iudæis celebrandas esse suadet.

hos

Vna in toto orbe Catholica Ecclesia.

hos quidem feriari & cõquiescere, illos autem statis ieiunijs macerari. Quapropter hanc rem pro eo atque decet corrigi, atque „ ad vnum institutũ formamq́ue perduci, diuina vult prouidentia, quantum equidem extra omnem affectum positus perspicio. Itaque cùm hoc sic corrigere conueniat, ne quid nobis cum Domini percussoribus sit commune, & decens exterior ordo, quẽ omnes occidentalium, & meridionaliũ, septentrionaliumq́ue habitabilis orbis partium Ecclesiæ, & quibusdam quoque in locis orientales obseruant ea de caussa in pręsentia omnibus conuenire visum est, ipseque adeò id solertiæ vestræ placiturum esse recepi, vt quod per vrbem Romanam, Italiam, Africam, omnem Aegyptum, Hispanias, Gallias, Britannias, Lybiam, cunctam Græciam, Asianam atque Ponticam ditionem, & Ciliciam, vno atque consentienti seruatur consilio, id libenter quoque prudentia vestra suscipiat: secum ipsa perpendens non modo ampliorem Ecclesiarum in eis, quæ diximus, locis numerum, verùm etiam idem cõmuniter omnes sentire, & velle, esse quàm sanctissimũ. Quin & strictior ipsa, atq; exactior ratio flagitare videtur, ne qua nobis sit cum Iudęorum periurio communio. Et tandem summam rei breuiter dicam. Communi omnium iudicio placuit sanctissimas Paschæ ferias, vno eodemq́; die peragi. Minimè namque decet in re tam sancta, aliquam extare dissensionem. Et pulchrius est eam sequi sententiã, in qua nulla sit alieni erroris & peccati contagio. Ac cùm ita se res habeat libẽtibus animis cœleste hoc, & verè diuinum suscipite præceptum. Quidquid enim in sanctis Episcoporum agitur conuentibus, id ad diuinam refertur voluntatem. Itaq; eis quę scripsimus omnibus dilectis fratribus nostris significatis, iam rationem hanc, & obseruationem sanctissimi diei suscipere, atque instituere debetis, vt cũ in pietatis vestræ (quod dudum mihi fuit in votis) cõspectum venero, vno eodemq́; die sanctas vobiscum celebrare valeam ferias, & rebus omnibus vnà vobiscum ex animo delecter feritatem diabolicam per vim diuinam operibus nostris sublatam, vestramq́; vbiq; fidem, pacem, & concordiam vigentem cernens. Deus vos seruet fratres dilecti.

QVEMADMODVM HAERETICOS & schismaticos antiquitus, sic eosdem hoc tempore agnitos esse, quod Nicænæ Synodi decreto de Anni emendatione, & sacrosancto Paschæ festo ritè peragendo non acquieuerunt

CAPVT VI.

HABES Chytræe grauissimas causas, quibus Ecclesia adducta vnà cum legitimis filijs, & alumnis Regibus, ac Cæsaribus anni emendationem, siue antiquitus, siue nouissimè ad normam Apostolici, ac Nicæni decreti promulgauerit. Quam quidem promulgationem, quoniam vos alij, quantum potestis detrectatis, etiam ex hoc perspicere potestis, quo spiritu veritatisne & pacis, an falsitatis & hæreseos, vnà cum priscis illis Quartadecimanis agamini. Id quod vt adhuc liquidiùs constet, operępretium erit adiungere, quid Græci, Rutheni, quosq́ue vos alij vocatis Protestãtes, obiecerint, qui tamen omnes falsitatis, & ignorationis, vti & elationis animi, conuicti sunt.

GRAECI ET RVTHENI.

ERGÒ inter Christianos Reges, qui anni emendationem à Gregorio XIII. Pontifice Maximo editam admiserunt, Stephanus huius nominis primus Polonię Rex fuit, qui tanta in vastitate Prouinciarum, ac varietate nationum & rituum, adeò, schismatum, & hæresum nihil prius habuit, quàm vt Ecclesiæ deliberatio de tanta re exciperetur ab omnibus. Restitère vehementer Rutheni, quos concepti schismatis tumor, & altissima Theologiæ, ac bonarum disciplinarum, linguæ item Græcæ ignoratio, mirificè suis cõsuetudinibus implicitos tenet. Itaq; miserunt Byzantium, vbi euocato Alexandrino Patriarcha, Ieremias, qui Constantinopolitanam sedem non ita multò ante obtinebat, Synodicam epistolam scripsit, qua Ruthenis, & Gręcis interdicebat, ne Gregorianam anni emendationem admitterent: rationes autem eius interdictionis Ieremias tũ alias, de quibus mox dicam, tum eas afferebat, quod sibi nondum omninò Latinorum argumenta, & rationes innotuisse diceret. Ad extremum misit ad eos canonem, quo in obseruando Pascha vti deberent. Quæ quidem omnia cũ ipso autographo, chirographoq́; eorundem Patriarcharũ extant apud me, cui Constantinus senior Dux Ostrouiæ Illustrissimus, & inter Ruthenos primarius hęc omnia fidenter dedit, suorumq́; cum Latinis vnionẽ, atq; concordiã varijs acceptis rationibus, misso item Byzantium homine dedit operam vt procuraret. Factum est autem, siue ijs rationibus, seu potius paterna summi Pontificis charitate ac sedula diligentia, vt idem Patriarcha Constantinopolitanus veritate victus, nõ solùm ei assenserit, verùm etiam legationẽ ad vrbẽ miserit, qua se idipsum inter suos curaturũ polliceretur, ingenui animi signũ prębens, & Christiano deinde pectore Pariarchatus, quã veri tatis iacturã perpeti malens. Nam paulò post in custodiam cõiectus est calumnijs oppressus à quodam Cæsareæ Episcopo, qui pecunia Turcis data, in eius locum suffectus est: neque sanè absque suspicione, quod hæretici quidam, qui alio prætextu Constantinopoli degunt, ęgerrimè ferentes à Ieremia primùm quidem vestras hæreses pluribus censuris fuisse confossas, deinde etiamnum Kalendariũ Romanum emendatum recipi, Turcarum Imperatorem ad eum relegandum accenderint. non minus quàm egregij pergunt esse artifices in turbanda pace, quæcunq; inter Christianos Principes à pijs Catholicis procuratur.

PORRÒ rationes, quibus Græcorũ obiectiones dilutæ sunt hæ fuère. Nihil nouatum fuisse à Romano Pontifice, sed sedulò curatum vt Synodi Nicęnæ decretum obseruaretur, à quo orbis Christianus recesserat, quòd rectam intercalationem posteri haud adhibuerunt.

QVÒD si quid Græci nouatum à Pontifice Maximo putassent, qui rem olim cõstitutam iterum tractari curauerit, eodem argumento Nicænæ Synodi Patres, atque ante eam sanctissimos Martyres (& quidem ipsos quoque Romanos Pontifices) percelli, quasi Apostolicum canonem nouauerint, quẽ identidem executioni mandari studuerint, cùm Asiatici ab eo recessissent.

TABELLAM autem siue ordinem Kalendarij, quem Patriarchæ illi ad Ruthenos misissent, vel ipsi obseruabant, non omnino manasse à patribus Nicænæ Synodi: quare neque inde quidquam effici, quo Romana correctio conuelli posset. Porrò ijsdem canonibus, quos proponebant, ne Græcos quidem vti scire, præterquã quòd etiamsi rectum de æquinoctio canonem habent, errãt tamen in annis conditi mundi, ipsaq́ue in chronographia: Errant item in aureo circulo, quem non esse amplius eundem temporis ipsa processio euidenter monstrauit.

QVOD ad Ptolemeum attinet, quem ea in re ijdem aiebãt sequi debuisse Latinos, ne Græcos quidem illum sequi: Neque verò Latinorum Ecclesiæ libros præstantissimi illius viri ignotos esse, quos passim Catholicæ Academiæ versant, & prælegunt: Nec adeò Ptolemeum ipsum voluisse, vt suis hypothesibus addiceremur, si quando à tempore, cuius filia est veritas, veriores aliæ ostenderentur.

AD Theologos quod spectat, quos Patriarchæ scribebant satius fuisse vt Romanus Pontifex consuleret, quàm Astronomos (sic enim inquiunt probabiliorem, & veritati plus consonam eius deliberationem fuisse futuram) nihil fuisse prętermissum. Aliquot enim annos durasse œcumenicam Tridentinam Synodum, quæ correcti Kalendarij promulgationem antecesserit: nec semel patres illos ea de re inter sese egisse, cùm de Breuiario emendando loquerentur: postea omnibus Theologorum Academijs, eam correctionem per vniuersum Catholicum orbem fuisse à Romano Pontifice missam, ac deinceps prodijsse in lucem, ac iussam, vt obseruaretur: Id quod multò antea in rem collatum fuisset, si in sapientia emendantis, aut in potestate iubentis duntaxat, non autẽ in consensu quoque & auctoritate Christianorum Principum approbantium positum fuisset. Nullam verò cõfusionem esse subsecutam: confusionem sanè apud eos remansisse, qui confusionibus hæresum, & multiplici schismatis malo premuntur. At Catholicã disciplinam, & ordinem tenere interim prosperum cursum, quacunque in regione fides vna eaq́ue antiquissima martyrum sanguine consignata est, atque aucta. Nouum item orbem terrarum, in quẽ sola ipsa Romana Ecclesia idolis deiectis Christi Euangelium inuexit, eodem illo emendato Kalẽdario iam vti, vt is ipse orbis in iudicio surrecturus sit, & Orientales condemnaturus, qui cùm primitias spiritus olim acceperint, spiritui pacis, & vnitatis aduersari non cessant.

IAM quod temeritas, & alia eiusmodi Catholicis obijciebantur, hæc facilè in gratiam Christi Schismaticis condonata sæpe fuisse, atque item nunc libenter condonari, si redire ad cor velint. Illud certum esse, quæ ex officina mendacij iacula emittuntur, ea solere in aëre perrumpi, vel in capita intorquentium recidere. Quod si quis etiam altius ista perpendisset, eum cognoscere potuisse, in eos illud quadrare, quod quidam Græcus poëta dixit: Imperitiam & ignorantiam parere audaciam: atque illud Apostoli: In quo alterum iudicas, teipsum condemnas. Rom. 2.

ET verò Orientales, qui summum Ecclesiæ Catholicæ Pontificem licentius incusassent, potuisse Patriarcharũ antiquiorum sanctitate permoueri, qui in iudicio fidei, primas semper Romano Põtifici detulêre. Id autem fuisse reuocãdum ad memoriam, quod semper gerunt in oculis: nempè vltricem Christi dexteram, cùm quanto longius à Petri sede se subtraxissent, in tanto grauius Saracenorũ, & Turcarum iugum incidissent. Quod ipsum etiamnum reliquos experiri, qui cum Diuino tribunali sese subduxerint, iam cuiuscunque Apostatę iudicio stent: vel nescio quorum Politicorum (velint, nolint) mancipia fiant.

PORRÒ vix credibile videri, Pontifi-

cis Romani rationes de emendato Kalendario Byzantium haud peruenisse. Tot enim ibi esse Catholicos: & tam multos alios eò identidem appellere, vt quæ iam pridē excusa typis ad Indias vsq; remotissimas perlata fuerint, sanè illuc quoque peruenerint. Sed verè tamen negari peruenisse, quod quæ vel non percipiuntur, vel improbantur, ea longissimè abesse dici rectè possit. Esse præterea Catholicos in Creta Episcopos, vnde ista resciri potuerint: Nec Romanam Apostolicam sedem operæ aut sumptibus pepercisse, quæ cùm initio ad Tridentinam Synodum sacrosanctam Orientales inuitasset, postremò quoque Kalendarij corrigendi rationes Byzantium miserit. Philadelphiæ deniq; Archiepiscopo, qui diu Venetijs substiterat, Romam euocato peramanter rem totam expositam fuisse, qui item ea de re ad Patriarcham Constantinopolitanum nauigauerit. Quæ omnia temeritatísne, an prudentiæ atque charitatis fuerint indicia, ad ipsarum conscientiarum Orientalium tribunal, Catholici prouocabant.

AD extremum quæ de Spiritus sancti à patre, & filio processione Romanæ exprobrabantur Ecclesię, vt eò verius ista Kalendarij correctio perstringi videretur: ex ijs multò liquidius intelligi potuisse mirum nō esse, si negata processionis Spiritus sancti veritas in hoc altero negotio perspiciendo Schismaticis non affuerit. Diuini autem verbi claritate, ac probatissimarum Synodorum, & vnanimi sanctorum Orientis patrum consensu istam non minus hęresim, quàm calumniam dudum explosam fuisse. Præterquàm quod superiore seculo in Florentina Synodo Patriarcha ipse Cōstantinopolitanus, & reliqui Græci vnâ cum eorum Imperatore veritatem hanc agnouerint, chirographoque consignauerint. Quam si posteri retinuissent, iam nec infinita animarum multitudo naufragiū fidei esset passa: Neque Turcis in immensum auctæ fuissent vires: Nec in eorum manus (proh Diuinæ iustitiæ miraculum) Constantinopolis ipsis diebus Pentecostes venisset, quoniam nimirum spiritus sancti perfectam processionem pernegauerat.

ET his quidem, atque alijs rationibus, quas supra attigimus responsum est ad Synodicam illam epistolam, atque insuper additum, quid cum ipsis Regibus, atque Academijs, & ipsa quoque Cracouiensi actum fuerat, ne Rutheni in hoc Regno temerè quidquam deliberatum fuisse putarent. Ad totam enim rem maturè omnibus perpendendam iussu Romani Pontificis hæc, quæ sequuntur, quoquouersum scripta sunt.

CVM Sacrosanctum Christianorū Pascha, quod summa religione summoque nostræ redemptionis mysterio cōtinetur, ex Diuinæ legis præscripto & SS. Patrum, qui Nicæam ad conciliū conuenerunt, decreto celebrari debeat à decima quarta die lunæ vsque ad vigesimam primam primi mensis, ea verò sit, quæ in æquinoctiū vernum incurrit, aut illud ipsum proximè sequitur, permagni interesse illi patres censuerunt, tum æquinoctio, tum decimæ quartæ lunæ certos ac definitos dies in Kalendario designari: ne, quod sæpe antea contigerat, discordia deinceps aliqua in eo celebrando, aut dissensio posset existere. Et quidem æquinoctij sedes in eo concilio ad XII. Kalend. Aprilis collocata & constituta est, quam fore stabilem, & firmam propemodum sibi persuaserunt. Decimam quartam verò lunam ex aureo (vt vocant) numero, qui Kalendario aptatus fuerat, perpetuò, ac facilè inueniri posse prisci patres crediderunt. Verùm æquinoctium locum suum non facilè tenuit, sed statione deserta incertis passibus ad ante diem quintum iam, aut etiam sextū Idus Martij errans vsque peruenit. Cui errori nisi maturè obuiam eatur, ad id tempus, quo nunc bruma conficitur, accederet aliquando, neque tamen ibi terminus statueretur, quin in infinitum procedat. Quod quantam perturbationem rebus omnibus (sed Ecclesiasticis maximè) sit allaturum, & multi antehac scripserunt, & eius libri auctor subtiliter, & copiosè differit. Decimaquarta verò luna adeò ab illo aureo numero discrepat, vt eū secuti, non iam ab ea ad vigesimam primam, sed frequēter contra diuinum præceptum, & maiorum instituta ad vigesimam quintam, atq; adeò ad vigesimam sextam lunam Pascha celebremus, serpetque obscurè hoc malum, & manabit latius in dies, nisi necessaria aliquando medicina adhibeatur. Atque equidem ea iam inde à Fel. record. Nicolao V. cuius ætate meliores litteræ, & liberalium artium studia, quæ diu neglecta iacuerant, reuiuiscere, & recreari cæperunt, magna summorum Pontificum cura atque studio tentata, sed nihil cōstitui posse videbatur, quod non in magnam aliquam difficultatem incurreret. Nam quod ad Astrologiam attinet duæ potissimum res obstare, atque officere videbantur. Primum ipsius anni vertentis iusta certaque mensura, quę quoniā à doctissimis, diligentissimisq; mathematicis diuersis tēporibus alia atq; alia reperta est, nō eadē, semperq; sui similis esse conuincitur. Cùm ergò sol tā vaga, atque mutabili ratione labatur, difficillimum factu erat intercalationes ita dispēsare, vt æqui-

Antonij Lilij liber.

quinoctia æuo perpetuo certas & fixas habeant in Kalendario sedes, cùm à Iulio Cęsare, qui primus hanc anni formam, & intercalandi rationem induxit, tredecim, aut eò amplius dies constitutam tunc sedem antecedant. Verùm huic difficultati eius libelli auctor afferre se medicinam, & quidem perpetuam pollicetur. Proponit enim sibi anni Alphonsini mensuram, quæ inter varias, media est, atque ideo errori minus obnoxia, ex qua subductis calculis efficitur, vt in annis plus minus CXXXIIII. AEquinoctiorum loca integrum anteuertant diem. Quo posito hos tredecim dies, quos diximus, seu quod magis existimat esse ex Ecclesiastica dignitate, decem illos qui à tempore Nicæni Concilij excreuerunt, intermissis decem intercalationibus, in his quadraginta annis, qui proximè sequentur, eximendos censet. Atque ita reducto AEquinoctio verno ad XII. Calend. Aprilis, quo loco in eo concilio fuit constitutum, finitaque omni confusione anno Domini M. DCXX. à quo iam melioribus auspicijs anni procedere incipient, in omne posterum tempus hanc intercalandi rationem restituit, vt centesimi quique anni qui intercalares omnes esse solent, ab eo tempore non omnes, sed tres primi quique communes, quartus verò quisque intercalaris sit. Ita vt millesimo septingentesimo, millesimo octingentesimo, millesimo noningentesimo nullus intercaletur dies. bis millesimo verò vsitato, & consueto more intercaletur. Atque eodem modo reliquis, qui deinceps cōsequentur, annis, siue quoniam alij non putant expectandum esse, dum quadraginta illi anni transeant, vt reliqui in suam rationem reuertantur. Sed illos decem dies simul eximendos, molestiamque eam semel deuorandā censent, anno id M. D. LXXXII. quo mense aptius deuorabitur, fiet, deincepsq; is ordo seruabitur, qui infrà in tabella descriptus est. Porrò huiusmodi varietatibus centesimos quosque potissimum annos eligit, qui notabiles magis sunt, quo minus negligentia aliqua, aut huius diuersitatis obliuio possit obrepere. Hæc ratio id habet incommodi, quod litteræ Dominicalis circulis, primis his quadraginta annis, qui communes esse debent, nulli vsui esse potest, deinceps verò non nisi exactis quadrigentis annis ad idem initium redit. Sed id non est tanti, præsertim cùm ei rei peculiaris quædam tabella sit dedicata. Alterum quod restituendo Kalendario, veræque Paschatis rationi tradēdæ impedimentum afferre videbatur illud est, quod nullus cyclus decēnoualis reperiebatur, q Kalēdario appositus præstare posset, vt ijdem numeri perpetuò lunam nouā, atque ex ea decimam quartā Paschalem ostenderent. Idque ea ratione, quod luna, non vt antiqui illi existimarunt confectis suis cursibus decem & nouem annorum numero ad idem caput ita refertur, vt per ea rursus vestigia penitus reuoluatur, sed vt ab alijs subtilius inuestigatū, & deprehensum est, suos orbes, conuersionesq; sic moderatur, & conficit, vt trecentorum, & aliquid amplius annorum spacio discordet. Atq; inde effectū est, vt quatuor iam, & eò amplius dies aureus ille numerus, à veris locis fuerit euagatus. Et vt ante diximus Pascha aliquādo vigesima sexta luna non sine piorum hominum dolore, maleuolorumque irrisione celebremus.

Hęc tabella & aliç fuêre postea typis editæ, & passim extant.

CVM igitur hæc ad Poloniæ Serenissimum Regem Stephanum ex vrbe peruenissent, his ille verbis Epistolam Cracouiensi Academiæ scripsit.

EPISTOLA SERENISSIMI REGIS Poloniæ Stephan. ad Academiam Cracouiensem.

CAPVT VII.

VENERABILIBVS, AC EXCELLENtibus viris, Rectori, Doctoribus & Magistris, præsertim Professoribus facultatis Mathematicę Vniuersitatis Cracouiensis deuotè, & fidelibus nobis dilectis.

STEPHANVS Dei gratia Rex Polonię, Magnus Dux Lituanię, Russię, Prussię, Mazouiæ, Samogitiæque &c. Princeps Trāssyluaniæ. Venerabiles, ac Excellentes, fideles, nobis dilecti. Cùm ad omnem Diuinorum pariter & humanorum rationem ritè constituendam ordo temporum requiratur, sapienter atque non minus piè à multis prudentibus & pijs viris in hoc studio desudatū erat, quo vera anni ratio, ipsiusq; sacrosancti diei Paschæ celebratio (q̃ cætera sequuntur) suo tēpori restitueretur, aut ad certiorem formam restringeretur. Obseruatur enim iam hoc non à paucis temporibus annum à Cæsare Iulio institutū successu temporum non modicè suis terminis egressum esse. Quoniam autem summus Pontifex, cuius nos auctoritatem libenter in omnibus sequimur, inter cæteras pastoralis officij sui curas, etiam in eam rem incumbit, quo restitui Kalendarium possit, meritò Christianis omnibus hoc illius sanctissimum studium gratum esse debet. Et tantò quidem magis, quòd omnium Christianorum Regum, ac Principum ea de re sententias explorare, accognoscere velit. Vt quod ad omnem & temporū, & Prouinciarum statum pertinet, etiam id

ante ab omnibus ritè perpendatur, ac examinetur. Cùm igitur eius ſanctitas nobis ea de re ſcripſerit, ac compendium nouæ rationis reſtituendi Kalendarij miſerit, requirens etiam conſilium, & iudicium Mathematicorum noſtrorum. Illud fidelitatibus veſtris mittimus, atque hortamur, vt eam rem diligenter in manus aſſumāt, de eaque intercalatione vel augenda, vel minuenda, vel mutanda, vel ea, quæ offertur approbāda, ita rationes omnes conferant, quo & nos intelligamus ſtudium veſtrum, & induſtria veſtra cùm vobis ipſis, tum Regno noſtro, ac vobis ipſis honorifica apud ſuam ſanctitatem & homines cæteros exiſtat. Benè valeant. Datum Varſauiæ die 7. menſ. Aprilis. Anno Domini 1578. Regni noſtri anno ſecundo.

AT neque hæc tantum Græcis, & Ruthenis expoſita ſunt, verùm etiam oſtenſum, ſi tabella eorum firma Paſchæ ratio inueniri potuiſſet, nihil Eccleſiam Catholicam cunctatam fuiſſe, quin omnibus vlnis eam excepiſſet. Quorſum enim tanto labore ab omnibus Academijs, atque à Mathematicis per tot ſæcula conquiſitum fuiſſet, quod erat in promptu? Sanè cùm Catholici deprehenſo antiquorum errore, quo in Paſcha celebrando pertrahebantur, non erubuère ſemetipſos corrigere, quanto minus erubuiſſent alios imitari, qui rectius ſapuiſſent? Verùm enimuerò, ne tabellam quidem illam, qua Græci nunc vtuntur, à Nicęnę Synodi patribus eſſe profectam, facilè aliquis probauerit: A quibus niſi prodijt, quid tanti eam Rutheni nunc faciunt, cùm ſuo tempore Diuina ſapientia rectiorem nobis ſuppeditauerit?

Et ſanè quidquid hac in re Græci vnquam poſt Synodum Nicænam adhibuère, euidens coniectura eſt, eos à Latinis mutuaſſe: tabella enim qua ipſi adhuc vtuntur, licet ſit Græcè conſcripta, Latina tamen retinet nomina Martij & Aprilis, in quos cadebat Aequinoctium Vernum, & quæ ſunt reliqua ad legitimi Paſchæ ritus tempora dignoſcenda.

Præterea ne Epiphanius quidem, neque Cyrillus Alexādrinæ Eccleſiæ Archiepiſcopus tabulæ, aut rationis eiuſdem, alteriuſque quaſi perpetuæ, & immutabilis futuræ mentionem faciunt. Ac tamen ij Nicænæ Synodo fuère propiores, & de Paſchatis feſto diligenter (vt diximus) ſcripſerunt.

Certè ſi quo tempore Sanctus Epiphanius vixit, idem cum hoc ſæculo erat eiuſdem tabellæ vſus in Oriente, manifeſtum eſt Græcis nihil fuiſſe certi ac ſolidi in Epactis rectè ſupputandis, & intercalationibus faciendis, cùm in anni ſolaris magnitudine non mediocriter Epiphanius errauerit: ait enim vbi de Audianis ſermonem fecit, annum iuxta ſolarem curſum compleri trecentis ſexaginta quinque diebus & horis tribus.

Deinde Epactarum, id eſt adiectitiorum dierum, vt Lunæ curſus cum ſolari æquetur numerum expendit, ſatis fallacem. Ex quo fit, vt Græci Kalendarij diſpoſitio (ſiue certè eius ſæculi) falſa quoque fuerit, ac multum & vagum receſſum paritura. Sed & conſtat B. Cyrillum Alexandrinum Patriarcham librum de cyclo Paſchali annorum 95. ſcripſiſſe, atque homilijs Paſchalibus aliquando denunciare ſolitum eſſe, quoto die, quoti menſis proximæ quadrageſimæ initium futurum eſſet, quoto item ſequentis menſis initium magnæ hebdomadæ, & quoto eiuſdem menſis ieiunium ſoluendum veſpera ſabbathi ad multam noctem, & illuceſcente Dominico Paſcha celebrandum. Quorum patrum ſcripta, ſi cum tabella iſta conferantur, patebit, aliam inueniendi Paſchæ rationem, poſterioribus temporibus eſſe initam, prout cuique peritiori rectius fore temporis ipſius obſeruatio indicauerat: vel ſanè non vnam, ſed diuerſas, & diſſonas tabellas interdum fuiſſe apud Orientales. His ergo & alijs rationibus auditis Ieremias Patriarcha Conſtātinopolitanus, veritatem (vt ſatis notum eſt) agnouit, & (quod in illo fuit) omnibus qui ab eo pependiſſent proponendam eſſe decreuit, id quod feciſſet, niſi à Deo ſapientiſsimè permiſſum fuiſſet, vt veritati tantum teſtimonij pro abſconditæ Diuinæ prouidentiæ ordine ſatis eſſet hoc tempore, ac tamen dum Turcæ, atque Schiſmatici eius conatibus reſiſterent, reſtaret locus in quo Dei ſapientia diuitias ſuas ſenſim humanis captibus ad ſui gloriā alio tempore exereret.

PROTESTANTES ET POLITICI quidam, ac denique aliqui Mathematici, dum dolent à ſe, priuſquam à Pontifice Romano non fuiſſe promulgatam emendati anni rationem, quantò plura commenti ſunt ne promulgationem admitterent, tantò grauiora teſtimonia veritati vel inuiti reddiderunt.

CAPVT VIII.

AT Proteſtantes in Germania (vt etiam in hoc ſaperēt poſt factum) cùm tabeſcerent inuidia, quòd qui ſeſe reformatores, & Spiritum ſanctum habentes, atque Euangelicos, addo etiam Mathematicos inſignes bonæ Germanorum ſimplicitati dudum venditaſſent, id ipſi non ante-

anteuertiſſent, quòd vni Catholicæ Eccleſiæ DEVS reſeruauerat) mirum eſt in quam multiplices formas ſe mutarunt, vt eandem anni correctionem excuterent, ac ſi poſſent, euerterent: eo ſanè animo, vt ſi quid à Romano Pontifice fuiſſet commiſſum aduerſus rectæ putationis temporum præcepta, ſuæ exiſtimationi aliqua ratione conſulerēt. Quod vbi nō ſucceſsit, tunc, ne non nihil feciſſe viderentur, in hoc toti incubuère, vt diſpicerēt, ſi qua expeditiore ratione intercalatio, totaque iſtius rei diſpoſitio effici potuiſſet. Sed dum etiam in hoc fruſtra ſudant: atque (vt ille) dolium in cranio verſant, idem qui vos in alijs omnibus rebus agit ſpiritus vertiginis, ſic cœpit veſtros circumferre, vt cùm ſinguli ſuam ſententiam pronunciaſſent, ſiue in conuentibus, quos ea de re habuerunt, ſiue in epiſtolis quas ad Principes ſcripſerunt, diffiteri non poſſent, annum fuiſſe corrigendum, & ſuam tamen pertinaciam, atq; imperitiam pugnantibus commentis proderent. Reliqui nequitiam addidere, tumultuq; & ſeditionibus agere cœperunt, quemadmodum Auguſtæ Vindelicorum eſt factum. Sed cordati Senatores acutius re inſpecta, vt correctionem Romani Pontificis admiſere, ſic ſeminiuerbium quendam, inter populares, hæreſes prædicantem turpiter & iuſtè è ciuitate eiecerunt. Alij verò cautiores facti, (vti Chemnitius & alij) Romani quidem Pontificis conſilium veritate victi agnouerunt, verùm ne Catholicæ Eccleſiæ adhærere viderentur, cogitandum eſſe etiam atque etiam Proteſtantium Principibus ſcripſerūt, ne ſi correctum Kalendarium admitteretur, Pontifici Romano ſubdi ſeſe putaretur: Vt nimirùm agnoſceremini, quanto ſtudio feramini veritatis amplectēdæ, à qua tamen bonum eſt vinci, cùm à quocunq; pronuncietur, à ſpiritu ſancto ſit. Cæterùm nonnulli inter eos, vbi ſeſe eandem correctionem euadere non poſſe intellexerūt, iam non tanquam à Pontifice Romano, ſed ob publicam quietem, & politiam admiſſuros polliciti ſunt. At certè ſi ob politiam Paſcha celebrauerint, Diuinum cultum nihil ſe facere ſatis indicabunt. Quamobrem neque ad illos ea lætitia & ſolemnitas pertinebit, de qua ſpiritus ſanctus per Dauid prophetauit, dicens. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea.

Lucian⁹ de ſcribēda hiſtoria, vbi agit de Diogene.

Pſalm. 117.

Porrò hoc conſilium arripientes alij, quos meritò Græci ἀμφοτερίζοντας, D. Auguſtinus neutrales vocauit, dum ſapientiſſimi videri vellent, ad Cæſarem (quaſi ad ipſum anni correctio pertineret) rem referebant. At poſtquam euincere nequiuerūt, quin ad Eccleſiam hoc totum ſpectaret, quidquid autem ſecuturę commerciorum confuſionis obijciebāt, id à Catholicis refutatum eſſet, denique (vel nolentes) herbam (vt eſt in prouerbio) & ipſi porrexerunt. Eccleſiæ enim rectè conſtitutæ ordo tantum abeſt vt humana negotia turbare poſsit, vt turbulētiſsima, ac penè nulla ſint ipſa Regna, & Imperia, vbi Catholicæ religionis ordo non ſeruetur integerrimus. Et maior ſanè futura turbatio fuiſſet, ſi penè toto iam orbe Catholico eam anni emēdationem admittente, hæc ob paucos neſcio quos mirificè inter ſe diſſectos vocari debuiſſet in dubium. Præterquam quod ita ſapienter initio ea correctio eſt ante biennium promulgata, vt neque nuptiarum tempus contrahendum fuerit, neque ieiunium Quadrageſimæ prorogandum, aut Quadrageſimalium nundinarum dies immutandi, aut vllum proiſus afferendum mercibus incommodum. Quæ quidem omnia ſequentibus annis (licet hoc quoque Romanus Pontifex proſpexerit, remediumque quoad eius fieri potuit adhibuerit) æquè commodè effici non poterant. Nam & anno huius ſæculi octogeſimo quarto, quatuor hebdomadis integris ſanctus Paſchæ dies citius celebratus eſt ab omnibus verè Chriſtianis, quàm ab alijs, qui Kalendarij correctionem haud admiſerunt. In qua re niſi Catholici vnanimes conueniſſent, minimè contigiſſet (quemadmodum S. Leo Magnus ſcripſit) vt Diuinæ pacis conſortio ſicut vna fide iungimur, ita vna ſolemnitate ferremur.

1584.

Ad epiſcopos Gal. & Hiſp.

Sed & non defuit quidam in Gallijs, quaſi poſtliminio erumpens, qui librum ſatis magnum de anni emēdatione edidit. Qui ſi ad cæteras ingenij dotes obedientiā fidei adiunxiſſet, quā in ea, quæ firmamentum & columna veritatis eſt Eccleſia ab omnib⁹ Chriſtianis neceſſario requirit Apoſtolus, neque verò nimis fidenter ea momordiſſet, quæ ſapientiſsimè à Patribus Nicænæ Synodi decreta ſunt, nec de quartadecimanis ſiue τεσσαρεσκαιδεκατίταις, quaſi iniuſtè fuiſſent cōdemnati, liberius quàm par erat, ſcripſiſſet, nomini ſuo, & aliorum vtilitati melius conſuluiſſet. At vt tantam Gregorij tertij decimi Pontificis Maximi diligentiam adhibitam in anno ad Nicęnę Synodi normam reuocādo ſub Liliani anni nomine carpat, vnuſque ipſe omnium velit haberi perſpicacior Lynceus, qui tandem methodum ipſiſsimā reppererit, credo ſatis iuſtę cauſſę videri peritioribus Catholicis poſſe: ſi pauca hæc de illo attigimus, alij enim copioſè ad eius methodum, quę nō vno nomine vitioſa eſt (ſicuti ſunt pleraq; alia quę affert) atq; ad reliquas penè omnes quę hactenus extitere aliunde obiectiones

Ioſephus Scaliger.

Chriſtophorus Clauius Societatis Ieſu inſignis Mathematic⁹ Romæ ad omnia reſpondit.

iectiones respõderunt, qui quidem totam hanc rem, vt plures annos eodem Pontifice Maximo mandante, cum præstantissimis quibusq; Catholici orbis Astronomis accuratissimè pertractarunt, sic iam habẽt in promptu, vt breui emittendæ sint in lucem.

Bartholomæus Scultetus Gorlicensis.

Interea verò (vt hoc obiter addam) non defuit inter ipsos Protestãtes, qui cùm primùm Gregorianum Kalẽdarium prodijsset, illud ipsum apud eosdem ederet, Lusatiamq́; adeò vniuersam eò perduceret, vt (sicut ingenuè fecit) amplecteretur. Atqui & cùm ipse nouissimè Lusatiam prętergrederer, illemet qui Gorlicij Mathematicũ & Senatorem agit, alterum mihi librum ostendit, quem prælo erat daturus, quo libro errores, & pertinaciã oppugnantium eam veritatem fusius aperit, & refutat. Sic igitur patrocinium veritati suscitat vndique diuina sapientia, factura vt etiam inter vestros, si homines tacuerint, lapides clament: vobis autem, id quadret, quod Aristophanes in Nebulis scripsit, cùm lunam inducit cũ Atheniensibus alieno anni tempore solemnes cultus & ferias insipienter celebrantibus, expostulantem his verbis: Κ᾽ οὐκ᾽ ἄγειν τὰς ἡμέρας, οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ᾽ ἄνω τε καὶ κάτω κυδοιδοπᾶν.

EX LIBRO BARTHOLOMAEI Sculteti Mathematici, qui inter Protestantes viuit, quæ aduersus Protestantium vanas obiectiones respondet.

CAPVT IX.

AT pauca de multis (ne quis istorum aliquid falsi nos comminisci putet) ex eodem Sculteti libello huic tractationi loco coronidis adiungamus. Is igitur sic habet:

Hoc ordine diligentius inquisito, patebit maxima vtilitas cum delectatione propter mutuã collationẽ examinis vtriusq; Kalendarij, quæ in eius exercitio experiri licebit: melius enim, & penitius arborum natura & fructus alia quàm hac ratione perspici, & considerari nó poterit. Et cùm hæc sint clarissima luce comprobata, non immeritò improbanda eorum sunt insolentia iudicia, quibus conantur vetus deprauatum Kalendarium huic innouato, & correcto anteponere, cùm nondum eruditione sua qualitatem vtriusque collatam introspexerint, quatenus hoc melius, & perfectius illo existat. Et multò magis refellendæ obiectiones quas effutiũt, qui arbitrantur impedire publicationem ipsius, elaborando, ne melius substituatur peiori, & insudando, vt corruptum loco correcti retineatur. Eiusmodi homines cur non videantur plus amare tenebras, quàm lucem? Correctum enim Kalendarium tantam lucem confert omnium sęculorum historijs, restituendo ipsas in veros terminos reuolutionis solaris & locum primitiuum, quarum quasi memòria haberi possit: qualem vsum vetus Sosigeneum, nec vllum aliud peregrinum Kalendarium communicare nobis valet. In nouo enim retinentur certis terminis cardinalia solis puncta, & quatuor anni tempora figuntur suis statis diebus, atque in tali curriculo clauduntur, vt definitiua sua puncta nũquam transgredi patiantur, vetus autem singulis fermè centenarijs decedit, lõgius fugiendo ab historiarum terminis eorũdemq́ue attacta memoria. Ista in hoc nostro exercitio ita manifestè infinitis exemplis demõstrare possumus, vt stupidissimus, & prorsus alienus à mente sit, qui ea nõ percipiat. Quid ergò proderit clarissimę luci contraire, & inferre tales opiniones, quæ cum recta ratione pugnant? A quibus nam verò ordiuntur suam contradictionem? à persona, vt non quid, sed quis dicat sit spectandus: quasi res ipsa per se optima ob maleuolentiam iactam in personam, non sit procuranda, sed simul cum eadem sit reijcienda. Alij vsum notationis temporis, & obseruationis anni temporum vilipendẽdo, arguunt minimè curandum, quando aut vbi locorum memoria rerum sacrarum in Kalendario significetur celebrãda, vt propter hanc ordinis restitutionem neutiquam sit correctio ineunda: quæ opinio homine ratione prædito minimè digna censenda est. Alij sunt qui ex incognita persuasione vaticinari cupiunt, mutationem Kalendarij consequi mutationem regnorum: Rursus alij vaniloqui putãt calculo Astronomico, aut tabulis motuum cælestium inde accersiri scrupulum: qui sermo in primis indignissimus arbitrante se peritum esse in hac doctrina statuendus est. Opinantur enim esse id illud quod nũquam est, aut fieri potest. Quod & alij de nundinarum, censuum, sationis, nauigationis, & similium rerum à terminis annuis diuulsione inijciunt, leuissimum est argumentum: Non enim est perpetuum quod vnius est principij, hocq́ue minus metuendum ideò intellexerũt maritimi, & terrestres, quibus nunc vsus noui Kalendarij perdurat: scrupulus enim est periodo vnica absoluẽdus, propter quẽ ratio notationis melioris, subsequendi ordinis in perpetuum durantis, non est negligenda. Et postremum superaddere solent, & si minus priores obiectiones spectandæ forent, sicuti verè vilissimæ sunt æstimationis, tamen quod propediem finis mundi præ foribus expectetur, non esse vetus

Kalendarium amouendum, nouumq́; ob breuem durationem sustinendum: hi sunt vates, sed non diuinitus adflati, nec etiamsi hoc anno mundi terminum possent prædicere illis est credendum. Si annus Sosigeneus, qui erat correctio decemuiralis præcedẽtis obseruationis primum Christi aduentum humiliatæ carnis exceperat, cur non quoque Gregorianus, qui est correctio Sosigenei maiore perfectione ab eo constãs præuenire valeat, alterum eius aduentum in gloria Maiestatis æternæ? Et quæ præterea solent alia irrationabilia in medium spargere, quibus imperitæ plebi, aut alijs conniuentibus fumum obducere, alienamq́ue mentem aduersus correctum Kalendarium efficere moliuntur, Illa inter prædictas obiectiones enumerari possunt. Quæ in ista præfatione examinare, & refellere nostri non est instituti, alibi enim (vt cap. 9. de Kalendario Romano ad Romanam Cæsaream Maiestatem) satis sunt refutata, & quærentibus solutionem eo loco satisfactum est. Hæc ille.

QVENDAM MICHAELEM MAESTlinum, qui se scribit mathematicum Tubingensem, dum nouissimè conatus est altero (vt vocat) examine à se edito Kalendarium emendatum carpere, non solùm imperitiam, & vanitatem suam prodidisse, verùm etiam (licet inuitum, ac non cogitantem) magis confirmasse Gregorianam emendationem.

CAPVT X.

ET denique cuiusdam hæretici Michaẽlis Mæstlini, qui se Tubingensem Mathematicum scribit, erupit nouissimum examen, quo Gregorianum Kalendarium conatur euertere. Contra quem quoniam ijdem, de quibus supra locuti sumus, abundè responderunt, hoc vnum satis fuerit dicere. Nempè gloriosam illam inscriptionem, qua vniuersos prouocat ad respondendum, nisi (inquit) velint haberi impostores, aut imperij turbatores, satis ostendere hominis ventosum ingenium ac proinde in eius scripti recessu, multò minus esse, quàm fronte promittat. Nam vt pleraque in eo sunt putida, certè cùm fateatur tabulas tam Alphonsinas quàm Prutenicas exactè cum cælo non congruere, cur item de æquinoctiali termino non dubitabitur, an sit exactissimus, quẽ exorbitatione sua opponit medio loco in 21. Martij ex auctoritate Nicæni Concilij affixo? Veruntamen & eo conatu comprobat ipsomet calculo Astronomico 21. diem permanere intermedium inter vtramque exorbitationem, versus 19. & 24. dies Martij. Quamobrem Gregorianum computum astruit magis, quàm negat, confirmat quàm infirmat, ac veriorem illam esse omnibus alijs notationem annorum ciuilium inuitus etiam fatetur.

DE QVIBVSDAM ALIIS NIcænæ, & aliarum Synodorum Canonibus & constitutionibus, præcipuè de ijs quæ ad cœlibatum spectant, occasione quorum de Clericorum cœlibatu fusè differitur.

SECTIO V.

ANTE NICAENAM SYNODVM extitisse alias Synodos, & constitutiones Apostolicas, ad quarum amussim Concilia insequentia coacta & Canones lati sunt.

CAPVT I.

QVONIAM verò cùm prouocasses ad decreta primarum Synodorum Canones quosdam detorsisti ad Sacerdotum cœlibatum, ad visibilis Ecclesiæ primatũ, & ad sanctum altaris Sacrificium, atque ad eos qui hinc percipiuntur fructus oppugnandos, propterea operæpretium fuerit, aliquid altius repetere, quòd cùm ad ordinem Ecclesiæ Apostolicum, tum ad propositi nostri finem pertinet: deinde eorum Canonũ materiem præcipuè persequi, quibus eadem omnia propugnantur.

Ac primùm ignorare non debes extitisse monimenta primarum Synodorum, & constitutionum Apostolicarum, ad quarum tanquã amussim Synodi reliquæ coactæ, canones (etiam ante Nicænam) lati sunt, qui vim suam pro loco, tempore, personis obtinerent. Posteà verò quæ per Generalia Concilia consentientibus Ecclesiæ Antistitum animis promulgata sunt, hæc eò plus roboris esse assequuta, quò magis vniuersale bonũ (quod ideò Diuinius est) tractauerunt.

Inter cæteros Tertullianus, qui exeunte secundo Christiano sæculo vixit, sic inquit: Aguntur præcepta per Græcias illas certis in locis cõcilia ex vniuersis Ecclesijs, per quæ & altiora quæque in commune tractantur, & ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur. Et hoc quàm dignum fide auspicante congregari vndique ad Christum. Vnde quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, hoc tu psallere non facilè nosti, nisi quo tempore cum cõpluribus cœnas. Conuentus autem illi stationibus prius, & ieiunationibus operari, dolere cum dolentibus, & ita demum con-

Tertul. aduers. Psychicos c.13.

Sic hæretici psallere non facilè nouerunt, nisi quo tẽpore cum compluribus ad ebrietatem cõpotarunt.

» congaudere gaudentibus norunt. Si & iſta » ſolemnia, quibus tunc patrocinatus eſt ſer- » mo, nos quoq; in diuerſis Prouincijs fungi- » mur in ſpiritu inuicem repræſentari, lex eſt Sacramenti. Hæc ille. Qui paulò poſt ſubdit: Quòd ſi noua conditio in Chriſto ſepulti perſeuerat, iam noua, & ſolemnia „ eſſe debebũt, aut ſi omnem in totum deuo- „ tionem temporum & dierum, & menſium, „ & annorum eraſit Apoſtolus, cur Paſcha celebramus annuo circulo in mẽſe primo? cur quinquaginta exinde diebus in omni exultatione decurrimus? cur ſtationibus quartum & ſextum ſabbathi dicamus, & ieiunijs paraſceuem. & ſequuntur. Hæc ille de Synodis generatim.

Cap. 14. 2. Corint. 9. Rom. 6.

Nota ſtationes, & quartæ ac ſextæ feriæ obſeruantia.

Iam verò quænam habita ſunt Concilia Hieroſolymis, & Antiochiæ actis Apoſtolorum D. Lucas ſcriptum reliquit, ſiue de electione Matthiæ, ſiue in Pentecoſte, ſiue de electione ſeptem Diaconorum, ſiue deniq; de deciſione Legalium, cùm Apoſtoli ea verba pronunciarunt: Viſum eſt ſpiritui ſancto, & nobis, &c. (quod ſanè B. Irenæus tanti fecit, vt ex illius Synodi verbis vnum Deum probauerit aduerſus Marcionem) ſiue cùm Apoſtolorum Canones, & conſtitutiones Apoſtolicæ à B. Clemente poſtea in ſcriptum redactæ fuerũt editæ (quarum cum Nicæna Synodus, & antiquitas omnis mentionem feciſſent, Magdeburgenſes autem Centuriatores voluiſſent tantam veritatem obſcurare, apertè tum ab alijs, tum præcipuè à Franciſco Turriano noſtræ Societatis Theologo redarguti ſunt nequiſſimæ inſcitiæ) ſiue cùm Iacobus frater Domini electus fuit in Epiſcopum Hieroſolymitanum, quemadmodum Euſebius ex Clemente Alexandrino meminit: ſiue de Antiochena Synodo, in qua ſegregati ſunt inuicem Beati Paulus & Barnabas, ſiue de Epheſina, ad quam Paulus omnes Presbyteros, & Epiſcopos Epheſiorum, atq; (vt inde colligitur) Aſiæ vniuerſæ conuocauit, ſiue de Corinthiaca, in qua multa de ritu Euchariſtiæ (vt inquit D. Auguſtinus) egit Apoſtolus, & Corinthijs promiſſum præſtitit, quod antea ſcripſerat ijs verbis: Cætera cùm venero diſponam.

Act. 1. Act. 2. Act. 6. Act. 15.

Iræn. lib. 3. cap. 12.

Li. pro epi. Pontif. li. 1. c. 1. & præf. in Clem.

Euſeb. lib. 2. cap. 1. Clemens Alex. 6. hypotypoſeõ.

Act. 13. Act. 20.

Aug. epiſt. ad Caſulanum.

1. Cor. 12.

Canone 37. At cùm Apoſtolico Canone ſtatutum fuiſſet, vt bis in anno Synodi celebrarẽtur, ſanè vbicunq; fidei ſemina fuerunt ſparſa, (nec tamen Ethnici, aut hæretici obſtiterunt,) eæ paſſim habitæ ſunt, canonesq́; editi. Quare perſpicuum fit digitum Dei neceſſario hic fuiſſe, neq; Eccleſiam potuiſſe deliteſcere, poſterioraq́, concilia vel renouaſſe ſuperiores canones, qui ab hæreticis abolebantur, aut ab incurijs ſacerdotibus non obſeruabantur: vel orbi Chriſtiano varias varijs morbis medicinas poſtulanti, nouos edidiſſe. Certè Romanorũ conciliorum ſub Clemente primo Anacletus, ſub Alexandro primo, & Sixto primo, atq; Teleſphoro hi ipſimet decretalibus ſuis, ſub Victore Euſebius, ſub Syluestro, & Damaſo Iſidorus, & alij, atq; adeò ijdẽ Pontifices meminerunt. Deniq; aliorum quæ per totum orbẽ terrarum congregata ſunt, plenæ ſunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ. Nam & hi conuentus à Tertulliano per Græcias, & Africam habiti fuiſſe dicũtur: quibus intererant Catholici Epiſcopi, & reliqui ſacerdotes. Stationibus (ait) prius, & ieiunationibus operati: primitiuæ nimirum Eccleſiæ conſuetudinem obſeruãtes, „ qua ieiunia ſolebant præmittere, vti factũ „ fuiſſe in Synodo Apoſtolorum Antiochena, acta ipſa declarant.

Anacl. ep. 1. Euſeb. li. 5. c. 30. ſeu 22. Niceph. lib. 4. cap. 30.

Act. 13.

CANONVM NICAENAE SYnodi numerus.

CAPVT II.

VErum vt ad Nicænam Synodum veniamus, Octoginta Canones ab ea fuiſſe promulgatos, qui ad numerum ſeptuaginta fuerint redacti ſcribit B. Athanaſius, non negat B. Marcus Romanus Pontifex, ad quem ille de ijs recuperandis ſcripſerat. Plures verò fuiſſe omninò quàm viginti illos, quos commemorat ſextum Concilium Carthaginenſe, non ſolùm qui aliquot ante ſecula nos anteceſsẽre, Iſidorus, & alij, verùm etiam antiquiſſimi alij ſunt teſtes, quos quoniam accuratè enumerat, & probat Alphonſus Piſanus Societatis noſtrę Theologus, qui plura de Nicęna Synodo ſcripſit, & verò paſſim liber ille extat, ad eum te refero. Eſt autem in Vaticano manu ſcriptus Grȩcus codex nomine Syntagmatis, ſiue commentarij, de rebus quȩ contigerunt in Synodo Nicȩna, quo in libro mentio fit τῶν διατυπώσεων, hoc eſt, conſtitutionum vt diximus, & τῶν ὅρων, id eſt, canonum. Eȩ verò certò haud ſcitur quot fuerint, cùm qui illas forſan cũ canonibus connumerarunt fieri poſſit, vt octoginta quatuor canones fuiſſe Nicȩnos crediderint, vti putauit Onuphrius. In eodẽ tamẽ Grȩco codice Diatypoſes tantum adſcriptȩ reperiuntur: licet auctor pauca de multis dicat ſeſe deſcripſiſſe. Prȩtereà viginti ij canones, quos Synodus Carthaginiẽſis actis ſuis inſeruit. Sed & Arabicum octoginta canonum concilij Nicȩni exemplar extabat in Bibliotheca Marcelli ſecundi Romani Põtificis, cuius ſimile ex Alexandria Aegypti Romam attulit Ioãnes Baptiſta Romanus Societatis noſtrȩ, cum iuſſu Pij IIII. Pontificis Maximi, ad Alexandrinum Patriarcham nauigaſſet, vt eum ad Synodum Tridentinam inuitaret: quam quidem Sy-

Athan. epi. ad Mar. 1. Marcus 1. ad Athan. & ad Aegypti Epiſcopos.

Iul. 1. epi. 2. Sardicenſe Cõcilium. Antiochenum Concilium.

Vide lib. 3. Alphonſi Piſani in Concilium Nicænum.

Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico.

Synodum poſteà eo ipſo Ioanne Baptiſta procurante, & Gregorio XIII. mandante Epiſcopi Montis Libani admiſerunt. Erãt autem in ipſo Arabico exemplari vulgati viginti canones, ordine alio diſpoſiti, priore tamen excepto. Quod quoniam multa habet, quæ ad Eccleſiaſticam Hierarchiam, & ſingulorum in ea graduum poteſtatem attinent, quædam item ex ijs quȩ Iulius primus Epiſtola ſecunda tanquam Nicæna citauerat, nonnulla item quæ vel in Synodo Antiochena, vel in Concilio Sardicenſi repetita ſunt, propterea primũ diatypoſes ipſas è Græco, quæ paſsim non extant, huc afferam, quãdoquidem ad reliqua faciliorem aditum ſternunt.

DE DIATYPOSIBVS ECCLESIAſticis ſermo Dogmaticus.

CAPVT III.

VERSABIMVR in luce, quæ eſt Chriſtus, tanquam ipſi propinqui exiſtẽtes, & ipſum aſpicientes. Sic in ſanctificantibus precationibus exercebimur. Preces enim ſanctificant, ſi Diuinum verbum adoremus. Verbum autem Diuinum adeſt, vbi cor, & pura vitæ inſtitutio in humilitate conſeruatur. Laborabat Iſrael ſacrificia perficiens, clamabant Prophetæ ad Deum: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Illi clamabãt, & nos accepimus. Alij laborauerunt, ſicut Chriſtus dixit, & nos in laborem ipſorum introiuimus. Venit enim ad nos CHRISTVS dicẽs: Ego ſum lux, ego ſum veritas, ſine labore accepimus gratiam: ſed cum labore oportet nos gratiam conſeruare.

Pſalm. 42.

Ioann. 4.

Ioann. 8. & 14.

Περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν διατυπώσεων, λόγος διδασκαλικός.

Ὁμιλήσωμεν τῷ φωτὶ, ὅ ἐστιν ὁ χριστὸς, ὡς πλησίον αὐτοῦ ἐστῶτες, καὶ ὁρῶντες αὐτόν. Οὕτως πολιτευσώμεθα ταῖς εὐχαῖς ταῖς ἁγιαζούσαις. Εὐχαὶ γὰρ ἁγιάζουσιν, ἐὰν λόγῳ θείῳ προσευχώμεθα. Λόγος δὲ θεῖος πάρεστιν, ἔνθα καρδία, καὶ πολιτεία καθαρὰ ἐν ταπεινοφροσύνῃ φυλάττεται. ἔκαμνεν δ' Ἰσραὴλ τὰς θυσίας ἐπιτελῶν, ἔκραζον οἱ προφῆται πρὸς τὸν θεόν: ἐξαπόστειλον τὸ φῶς σου, καὶ τὴν ἀλήθειαν σου. ἐκεῖνοι ἔκραζον: καὶ ἡμεῖς ἐλάβομεν: ἄλλοι κεκοπιάκασι, καθὼς εἶπεν ὁ κύριος, καὶ ἡμεῖς εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθαμεν. ἦλθε γὰρ πρὸς ἡμᾶς αὐτὸς ὁ κύριος λέγων: ἐγώ εἰμι τὸ φῶς, ἐγώ εἰμι ἡ ἀλήθεια, ἀκαμάτως ἐλάβομεν τὴν χάριν, ἀλλὰ διὰ καμάτου δεῖ ὑμᾶς φυλάξαι τὴν χάριν.

ANNOTATIO.

PErſpiciant hîc Chriſtianȩ mentes, quibus vocibus ſanctæ illæ Epiſcoporum animæ vel Chriſtianam confeſsionẽ profitebantur, vel promulgabant Eccleſiaſticas conſtitutiones. Nam & in luce Chriſti, non in humanis inuentis verſari ſeſe, cùm eas tradebant: & precationibus homines ſanctificari, diſertè pronunciabant. Cùm verò apertè faterentur à Chriſto Domino, qui lux & veritas eſt, gratiam ſine labore, hoc eſt gratis ſeſe accepiſſe, apertè item Chriſtianam docuerunt Eccleſiam, oportere nos gratiam conſeruare, atque (vt inquit Apoſtolus) gratiȩ Dei cooperari. Ecquid igitur Eccleſiaſticas leges in Chriſti luce latas, quaſi humanas traditiones conuellitis? Quid verò poſt Chriſti gratiam acceptam, vos alij aut orationi ſanctificationem, aut Chriſtianis operibus neceſsitatem, ac vim (quod & in Diuina ſcriptura paſsim meritum, & merces vocatur) adimitis? Quòd ſi Nicænæ Synodo ſpiritum ſanctum adfuiſſe non inficiamini, cùm & Symbolum ſanctorum illorum Patrum recipitis (id quod tamen vt ſupra oſtendi, re ipſa non facitis) cur & non loquimini, vt illi locuti ſunt, nec creditis, vt illi crediderunt?

De his qui dicunt, non oportere Chriſtianos laborare.

ALiqui nolentes laborare, ſed curioſi eſſe, malè accipiunt illud, quod Dominus dixit: Ne ſitis ſoliciti animȩ veſtræ, quid manducetis, &c. Quòd ſequentes aiunt, non oportere laborare Chriſtianos. Demonſtrandũ eſt, non ſic dixiſſe Dominum. Poſſumus enim laborare, & non ſoliciti eſſe, ſcientes, & credentes, quod operum noſtrorum incrementum, & fructus ipſos Dominus det, qui dixit: ſic eſt Regnum Dei, vt ſi homo iaciat ſemen ſuum in terram, & dormiat, & ſurgat nocte, & die, & ſemper germinat, & creſcit, & non nouit ipſe.

Marci 4.

Περὶ τῶν λεγόντων μὴ δεῖν χριστιανοῖς ἐργάζεσθαι.

Ἐπείπερ τινὲς οὐκ ἐργάζεσθαι βουλόμενοι, ἀλλὰ περιεργάζεσθαι ἐκλαμβάνουσι κακῶς τὰς τοῦ κυρίου ἱερὰς φωνάς: μὴ μεριμνᾶτε τῇ ψυχῇ ὑμῶν τί φάγετε. ὡς οὐ χρῆναι λέγοντες, ἀκολουθοῦντας τῇ φωνῇ ταύτῃ ἐργάζεσθαι εἰς τὴν γῆν, χριστιανούς. ἀποδεικτέον ἡμῖν μὴ οὕτως εἰρηκέναι τὸν κύριον. ἐγχωρεῖ γὰρ καὶ ἐργάζεσθαι, καὶ μὴ μεριμνᾶν, εἰδότας ἡμᾶς καὶ πιστεύοντας, ὅτι τῶν ἔργων ἡμῶν τὴν αὔξησιν, καὶ τοὺς καρποὺς αὐτὸς ὁ κύριος δίδωσιν, εἰπών: οὕτως ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν

γῆν, καὶ καθεύδει, καὶ ἐγείρεται νύκτα, καὶ ἡμέραν, καὶ ὁ σπόρος βλαστάνει, καὶ μηκύνεται ὡς οὐκ οἶδεν αὐτός.

ANNOTATIO.

CVm idem inculcet Synodus quod ſuperiore conſtitutione attigerat, mirari nõ debes Chytræe, ſi libro de tuis impoſturis meo ea verba de veſtris verè protulerim, quibus fidem illam veſtram cum Apoſtolo vocauerim dęmoniorum, mortuam, atque inter cantharos demerſam. Sciebant igitur Nicæni Patres, quoniam Euangelio non fictè credebant, ſicut erat laborandum Chriſtianis, ita his operum incrementum, & fructus ipſos Dominum daturum. Sciebant (inquam) animas Chriſti ſanguine irrigatas haud ſteriliſcere, nec verò ex gratiæ ſemine cõcepto ſi quæ ederent opera Chriſtiana, hęc dici debere, aut
Lutherus. eſſe peccata: Quod quidem tantus ille nouę fidei preco nempè blaſphemus Apoſtata Magiſter veſter in Chriſti iniuriã euomuit. Sciebãt denique ex ipſo verbo Dei, Regnum Dei, hoc eſt Eccleſiam, ſemper germinaturam, & crementa habituram, ne quid Donatiſtæ, cæterique gregales veſtri obſtreperẽt, quaſi Eccleſia de orbe terrarum perijſſet, atq; à ſeſe iterum tandem neſcio vnde excitata fuiſſet.

De clericis ſacri ordinis.

CLerici ſacri ordinis eſſe debẽt typus, & imago cæleſtium: Epiſcopus quidem debet eſſe typus Dei, tanquam caput poſt illum Eccleſiæ, quã recepit. Presbyter tenere debet ſedem & locum ſeraphicum. Diaconus verò cherubicum. Miniſter autem, (hoc eſt hypodiaconus) qui ὑπηρέτης, debet miniſtrare his.

περὶ τῶν ἱερωμένων.

τοὺς ἱερωμένους εἰς τύπον, καὶ εἰκόνα χρὴ εἶναι τὸν τόπον τοῦ κυρίου, ὡς κεφαλὴν μετ' αὐτὸν ὄντα τῆς ἐκκλησίας, ἣς παρίληφε: τὸν δὲ πρεσβύτερον τὸν σεραφικὸν ἐπέχειν θρόνον: τὸν δὲ διάκονον τὸν χερουβικόν: τὸν ὑπηρέτην εἰς διακονίαν τούτων εἶναι προσήκει.

ANNOTATIO.

CHriſtianæ Eccleſiæ ſi ſacer ordo clericorum hoc eſt Epiſcopi, presbyteri, Diaconi, & hypodiaconi deſint, eam neq; typum, nec imaginem cæleſtium, neque adeò Eccleſiam eſſe poſſe, hinc planiſsimè liquet. Vident igitur cordati Chriſtiani Clericorum ordinem hîc dici ſacrum, qui execrandus habetur ab hęreticis, quoniam hæretici ſunt. Tu quoque Chytræe vides, quàm meritò chimeras iſtas odiſſe debeères, quas quiſque veſtrorum hæreſiarcharum, veræ Eccleſię loco, eiectis Epiſcopis, presbyteris, & alijs ſacri ordinis clericis excitauit. Sed an Chriſti Eccleſia eſſe poſſit, vbi iſte ordo ſacer non ſit, alij quidem copioſè, nos autem in reſponſionibus nobiliſsimo Septentrionali datis, preſsius demonſtrauimus, quamobrem eò hęc tractatio ſpectat.

Vide B. Dionys. Areo. de hierarc. Eccleſiaſt. D. Clem. in conſtitut. Apoſt. Ex recentioribus Turria. de Hierar. ordinationib. & Staplet. de Eccleſiaſtica ſiue de principijs demonſtrabilibus.

De eo quòd non oportet Laicos in ſuggeſtum aſcendere.

NON licere pręter canonicos Pſaltes, id eſt, qui regulariter cantores exiſtunt, quique pulpitum aſcendunt, & de codice legunt, alium quemlibet in Eccleſia pſallere.

Περὶ τοῦ μὴ δεῖν λαϊκοὺς ἀνιέναι ἐν τῷ ἄμβωνι.

Περὶ τοῦ μὴ δεῖν λαϊκοὺς ἀνιέναι ἐν τῷ ἄμβωνι, πλὴν τῶν τεταγμένων ἀναγινώσκειν, ἢ ψάλλειν ἐν ταῖς διφθέραις.

ANNOTATIO.

HAbetur in Concilio Laodiceno, hic ipſe Canon: quo etiam in inferioribus ordinibus ordinatiſsima fuiſſe omnia (vti adhuc ſunt in Eccleſia Catholica) licet intueri. Iam verò inter hęreticos omnia ſuſque deque ſunt inuerſa: fullones, caupones, propolæ, & qui non? carnifices quoque, mulierculæ itẽ alicubi pulpitum aſcendunt, de codice legunt, & poſtea ſcilicet ad Euãgelicam, & Apoſtolicam normam Eccleſiæ veſtræ ſunt inſtitutæ.

De ſancto Baptiſmate.

BAptiſma noſtrum non oculis corporis conſiderandum eſt, ſed mentis oculis. Aquam vides, conſidera virtutem Dei in aquis abſcõditam. In ſancto enim ſpiritu, & igne baptizari nos docet Euangeliũ. In fide enim baptizantis, & fide baptizati per ſacram inuocationem plenas ſanctificatione ſpiritus, & ignis Diuini aquas conſidera. Ipſe enim, inquit, baptizabit ſpiritu, & igne. Deſcendit itaque qui baptizatur reus peccatorum, & obnoxius ſeruituti corruptionis: Et aſcendit liberatus ab hac ſeruitute, & peccato, factus filius Dei, & hęres eius gratiæ, cohæres autem Chriſti, indutus ipſum Chriſtum, ſicut ſcriptum eſt. Quicunque in Chriſtum baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Περὶ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος.

Τὸ βάπτισμα ἡμῶν οὐ τοῖς αἰσθητοῖς ὀφθαλμοῖς κατανοητέον, ἀλλὰ τοῖς νοεροῖς. ὕδωρ ὁρᾷς; νόησον τὴν ἐν τοῖς ὕδασι κρυπτομένην τοῦ θεοῦ δύναμιν. ἐν γὰρ πνεύματι ἁγίῳ, καὶ πυρὶ βαπτίζεσθαι ἡμᾶς οἱ ἱεροὶ διδάσκουσι λόγοι. ἐν γὰρ πίστει τοῦ

βαπτίζοντος, καὶ ἐν πίστει τοῦ βαπτιζομένου διὰ τῆς ἱερᾶς ἐπικλήσεως πλήρη τοῦ ἁγιασμοῦ τοῦ πνεύματος, καὶ τοῦ θείου πυρὸς νόει τὰ ὕδατα: αὐτὸς γάρ, φησί, βαπτίσει ἐν πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. κατέρχεται μὲν οὖν ὁ βαπτιζόμενος ὑπεύθυνος ἁμαρτημάτων, καὶ τῇ τῆς φθορᾶς δουλείᾳ ἐνεχόμενος: ἀνέρχεται δὲ ἐλευθερωθεὶς τῆς δὲ τοιαύτης δουλείας, καὶ τῆς ἁμαρτίας, υἱὸς τοῦ θεοῦ, καὶ κληρονόμος χάριτι αὐτοῦ γεγονώς, συγκληρονόμος δὲ χριστοῦ: αὐτὸν ἐνδυσάμενος τὸν χριστόν.

ANNOTATIO.

ITA quoque habet Cuthebertus Tonſtallus lib. 1. de veritate corporis & ſanguinis Domini. Cæterùm hic cernis an Romana Eccleſia cum Nicænis patribus conſentiat, veſtri verò ab ijs diſſentiant, qui Sacramenta nouæ legis impiè negent eſſe efficacia gratiæ ſigna & inſtrumenta. Plenas, inquit Synodus, per ſacram inuocationem eſſe ſanctificatione ſpiritus, & ignis Diuini aquas. Quid ita? quoniam idipſum ex Euangelio perſpicitur. Ipſe enim ait, baptizabit ſpiritu & igne. At & hoc inde cernitur, quod (ait Synodus) baptizandus, qui deſcenderat reus peccatorum, & obnoxius ſeruituti corruptionis, aſcendit liberatus ab hac ſeruitute, ac peccato, & quæ ſequuntur. Quanto igitur ſatius fuerit, cum Chriſto, cum Apoſtolo, cum Synodo Nicæna loqui, quàm & mõſtroſa dogmata de peccato originis per baptiſmum haud abolito, de ſeruitute Chriſtiani hominis, de fide imputata, (non autem inhęrente) inuehere: & blaſphemum illud ſimplicibus, ac rectè colentibus Deum obijcere, quod idololatriam exerceãt, quoniam ſancta iſta myſteria (vt decet) venerantur?

DE DIVINA MENSA, ET DE EO, quod in ipſa eſt, myſterio corporis, & ſanguinis Chriſti.

ITerùm etiam hic in Diuina menſa ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed attollentes mentem fide intelligamus, ſitum in ſacra illa menſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruentè à ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus & ſanguinem nos verè ſumẽtes credere, hæc eſſe noſtræ reſurrectionis Symbola: propter hoc enim neque multum accipimus, ſed parum, vt ſciamus, quòd non ſatietati, ſed ſanctimoniæ ſumimus.

Περὶ τῆς θείας τραπέζης, καὶ τοῦ ἐπ' αὐτὴν μυστηρίου τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος τοῦ χριστοῦ.

Ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης πάλιν κἀνταῦθα μὴ τῷ προκειμένῳ ἄρτῳ, καὶ τῷ ποτηρίῳ ταπεινῶς προσέχωμεν. ἀλλ' ὑψώσαντες ἡμῶν τὴν διάνοιαν πίστει νοήσωμεν κεῖσθαι ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ἐκείνης τραπέζης τὸν ἀμνὸν τοῦ θεοῦ τὸν αἴροντα τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου, ἀθύτως ὑπὸ τῶν ἱερέων θυόμενον, καὶ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα, καὶ αἷμα ἀληθῶς λαμβάνοντας ἡμᾶς ταῦτα εἶναι τὰ τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα. διὰ τοῦτο γὰρ οὔτε πολὺ λαμβάνομεν, ἀλλ' ὀλίγον: ἵνα γνῶμεν οὐκ εἰς πλησμονήν, ἀλλ' εἰς ἁγιασμόν.

ANNOTATIO.

ET hoc apud eũdem Tonſtallum ibidem extat. Porrò quot verba, tot iacula hic ſunt, quæ Caluinianas, tuasq; à te celebratas Pikardicas impietates confodiant. Nam vt ſatis iam corde Picardicus ſis, talpæ ipſæ iam nouerint, quidquid Lutheranæ, laruæ retineas adhuc, ad tegendã inconſtãtiæ notam. Diuinã igitur & ſacram menſam (ſiue altare) ſitum item in ſacra illa menſa agnum illum Dei tollentem peccata mundi, ac incruentè à ſacerdotibus immolatum, & pretioſum ipſius corpus, & ſanguinẽ nos verè ſumere, hinc habes euidentiſsimè. Quæ cùm ſemper Eccleſia Catholica crediderit, & Romani Pontifices ſemper docuerint, ac doceant, vtros putas magis idololatras, vóſne alios, qui panem pro Chriſto obtruditis, Diuinaſq; menſas contriuiſtis & conculcaſtis, an Catholicos Sacerdotes, qui verũ Chriſtum offerunt, & porrigunt? Hac ergo vnica Nicænę Synodi cõſtitutione, aut crede Chytræe, & ita loquere, vt fidelem decet, aut certè morere, ac te damnatum vſqueante mille ducentos annos agnoſce.

De reſurrectione ex mortuis.

NON ſimpliciter Dominus ſuã ipſius carnem pro nobis paſsioni, & morti tradidit, ſed vt noſtræ ſalutis negotium gereret, quamuis liber eſſet à morte, vt ſermo ſuperius demonſtrauit. Clamat Propheta quaſi ex perſonã ipſius, prædicens futurum eius ſecundum carnem diſpenſationis myſteriũ. Factus eſt (inquit) quaſi homo, ſine adiutorio inter mortuos liber. Quis autem liber à morte niſi Deus? ſed iuxta prius oſtenſas demonſtrationes incarnatus propter hominum dilectionem factus eſt, quaſi homo ſine adiutorio, humilians vſq; ad mortem, mortem autem crucis, ſuam ipſius carnem: quæ & reſurrexiſſe pręedicatur, vt nos immortales faciẽs, ſpem noſtræ reſurrectionis pro imperio conſtitueret nobis per ipſas primitias noſtras liberatis, vt nõ amplius ſerui eſſemus æternę mortis: ſed liberi, quemadmodum & primitiæ noſtræ Chriſtus, deinde hi qui ſunt Chriſti in aduentu ipſius. Et ipſum Saluatorem hunc Dominum noſtrum Ieſum CHRISTVM, DEI & Patris filium vnige-

vnigenitũ expectare nos in cælis, cùm nostra corpora ex sepulchris excitauerit, testatur dicens: conuersatio nostra in cælis est, vnde & Saluatorem expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ. Sic enim oportet corpus nostrum clarificari, sicut & corpus Domini, vt miseriam, & eas quæ nunc sunt passiones suscipere nequeat, liberum à morte, & à peccato purum, vt in nouitate vitæ cum ipso possimus ambulare in cælesti lumine, semper cũ ipso Christo regnantes. In hac enim spe sanctum baptisma percepimus, & salutarem sanctorum eius membrorum participationem accepimus, iuxta Ecclesię Catholicæ dogmata.

Περὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως.

Οὐχ' ἁπλῶς ὁ κύριος τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ὑπὲρ ἡμῶν παρέδωκεν εἰς πάθος, καὶ θάνατον, ἀλλ' ἵνα τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν πραγματεύσηται, καίπερ ἐλεύθερος ὢν τοῦ θανάτου, καθὼς ἀνωτέρω ὁ λόγος ἀπέδειξε. βοᾷ ὁ προφήτης ὡς ἐκ προσώπου αὐτοῦ, προαναφωνῶν τὸ μέλλον τῆς κατὰ σάρκα αὐτοῦ οἰκονομίας μυστήριον. ἐγενήθην φησὶ ὡσεὶ ἄνθρωπος ἀβοήθητος ἐν νεκροῖς ἐλεύθερος. τίς δὲ ἐλεύθερος θανάτου εἰ μὴ θεός? ἀλλὰ κατὰ τὰς προαποδειχθείσας ἀποδείξεις σαρκωθεὶς διὰ φιλανθρωπίαν γέγονεν ὡσεὶ ἄνθρωπος ἀβοήθητος, ταπεινώσας τὴν ἑαυτοῦ σάρκα μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ: ἡ καὶ ἐγηγέρθαι κηρύττεται, ἵνα ἡμᾶς ἀπαθανατίσας, πρυτανεύσῃ ἡμῖν τοῖς ἀπεγνωσμένοις δι' αὐτῆς τῆς ἡμετέρας ἀπαρχῆς τὴν τῆς ἀναστάσεως ἡμῶν ἐλπίδα, ὅπως μηκέτι ὦμεν δοῦλοι τῷ αἰωνίῳ θανάτῳ: ἀλλ' ἐλεύθεροι; καθάπερ καὶ ἡ ἀπαρχὴ ἡμῶν χριστὸς, ἔπειτα οἱ τοῦ χριστοῦ ἐν τῇ παρουσίᾳ αὐτοῦ. καὶ σωτῆρα αὐτὸν δὲ τοῦτον τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν χριστὸν τὸν τοῦ θεοῦ καὶ πατρὸς υἱὸν μονογενῆ ἀπεκδέχεσθαι ἡμᾶς ἐξ οὐρανῶν, ἀναστήσοντα ἡμῶν ἐκ τῶν τάφων τὰ σώματα ἐπιμαρτύρεται λέγων: ἡμῶν τὸ πολίτευμα φησὶν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν χριστὸν, ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. οὕτως γὰρ δεῖ τὸ σῶμα ἡμῶν δοξασθῆναι, ὡς τὸ τοῦ δεσπότου ἀνεπίδεκτον κακίας, καὶ πάντων τῶν νῦν παθῶν, ἐλεύθερον τοῦ θανάτου, καὶ τῆς ἁμαρτίας ἅγιον, ἵνα ἐν καινότητι ζωῆς σὺν αὐτῷ περιπατῆσαι δυνηθῶμεν ἐν φωτὶ ἐπουρανίῳ, συμβασιλεύοντες ἀεὶ αὐτῷ τῷ χριστῷ. ἐν ταύτῃ γὰρ τῇ ἐλπίδι καὶ τὸ ἅγιον εἰλήφαμεν βάπτισμα, καὶ τὴν σωτήριον τῶν ἁγίων αὐτοῦ μελῶν μετουσίαν ὑποδεχόμεθα, ταῦτα τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τὰ δόγματα.

ANNOTATIO.

Cernis quonam modo sancti illi Patres Spiritu sancto afflati de Christi Domini passione, morte, fructu, diuinam scripturam interpretabâtur, contra quam Lutherum, Caluinum, & cæteros fecisse ostendi, vbi eorum Atheismos excussi.

Cernis item Catholicum esse dogma credere nos inuicẽ orationibus & reliquis pietatis officijs iuuari, neque verò mirandum esse, quod Ecclesia Christi pendens à suo capite, à quo & omnia dona optima accipit, deriuare possit defluxum cælestium gratiarum in reliqua membra. Insiti enim per sanctũ baptisma corpori Christo mystico, salutarem (ait hæc sancta Synodus) sanctorum eius membrorum participationem accepimus, iuxta (inquit) Ecclesiæ Catholicæ dogmata. I verò posteà Chytræe, & triumpha in eo, quod iterum imponis, cùm dicas vnicuique tantum suam fidem prodesse, non alienam. Verùm enimuerò vos alij communionẽ Sanctorum non creditis, neque enim potestis, quoniam in sanctorum communione non estis.

Quod vna sit Ecclesia Dei.

Vna est Ecclesia in cælo, & in terra, & in hac requiescit Spiritus sanctus. Hę reses autem quæ extra hanc sunt, quas habent homines, non sunt doctrinæ Saluatoris nostri, neque Apostolorum, sed satanæ, & patris eius diaboli. Quæ autem sunt hæreses Iudæorum, & gentium, alio docẽt modo, vt veram vitam hominibus auferant.

ὅτι ἡ μία ἐκκλησία τοῦ θεοῦ.

Μία ἡ ἐκκλησία ἐν οὐρανοῖς, ἡ αὐτὴ καὶ ἐπὶ γῆς. ἐν ταύτῃ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπαναπαύεται. αἱ ἔξω ταύτης οὔσας αἱρέσεις, ἃς ἔχουσιν οἱ ἄνθρωποι, οὐκ εἰσὶ διδασκαλίαι τοῦ σωτῆρος ἡμῶν, οὐ δὲ τῶν ἀποστόλων: ἀλλὰ τοῦ σατανᾶ, καὶ τοῦ πατρὸς αὐτῶν τοῦ διαβόλου. τὰ γὰρ ἰουδαίων, καὶ ἑλλήνων ἑτέρῳ σχήματι ἐκδιδάσκουσιν, ἵνα ἀφέλωνται τῶν ἀνθρώπων τὴν ὄντως ζωήν.

ANNOTATIO.

Et hoc tanto magis superiora confirmat, de communione, ac mutua participatione membrorũ Christi. Nam cùm vnam quæ in cælo est, & quæ in terris Ecclesiam esse dicunt, si non apertissimè cælitum de rebus nostris curam, charitatem, notitiam in Christi lumine, & spiritu, nostraque inuicem ad eos desideria, & preces indicat, fateatur hæreticus necesse est, se nescire quid credat, aut dicat.

Porrò in tãtis vestrarum hæresum dissidijs, si, cùm hactenus vnam habere inter vos fidem, atque Ecclesiam nequiuistis, ac proinde extra illam vnam estis, in qua Nicæna Synodus fuit, certissimũ est vestras easdem hæreses non esse doctrinas Saluatoris nostri, neque Apostolorum, sed satanæ, & ministrorũ eius. Quare Chytræe & hinc confitere hoc vno propterea te cœcũ, & ex patre diabolo esse, nisi ad vnã Catholicam Ecclesiam conuoles.

De prouidentia Dei, & de Mundo.

Minor mundus per prouidentiam factus est. Præuidit enim Deus peccaturum esse hominem. Idcirco nouos cœlos, & nouam terram speramus iuxta sacras litteras, apparente nobis præsentia, & Regno Magni Dei, & Saluatoris Iesu Christi. Et tunc (vt ait Daniel) percipient Sancti regnum altissimi, & erit terra pura, sancta terra viuentium, & non mortuorum: quam oculo fidei prouidẽs Dauid clamat: credo videre bona Domini in terra viuentium, terra mansuetorũ & humilium. Beati (inquit) mites, quoniam ipsi possidebũt terram. Et propheta: & calcabunt ipsam (ait) pedes mansuetorum & humilium.

Περὶ τοῦ θεοῦ προγνώσεως, καὶ τοῦ κόσμου.

Μικρότερος ὁ κόσμος ἐγένετο διὰ τὴν πρόγνωσιν. προέγνω γὰρ ὁ θεὸς ὅτι ἁμαρτήσει ὁ ἄνθρωπος. διατοῦτο καινοὺς οὐρανοὺς, καὶ καινὴν γῆν προσδοκῶμεν κατὰ τὰ ἱερὰ γράμματα, φαινομένης ἡμῖν τῆς ἐπιφανείας, καὶ βασιλείας τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ. καὶ παραλήψονται τότε, κατὰ φησί Δανιήλ, τὴν βασιλείαν, ἅγιοι ὑψίστου, καὶ ἔσται ἡ γῆ καθαρὰ ἁγία γῆ ζώντων, καὶ οὐ νεκρῶν: ἣν δαβὶδ τῷ τῆς πίστεως ὀφθαλμῷ βοᾷ, πιστεύω τοῦ ἰδεῖν τὰ ἀγαθὰ κυρίου ἐν γῇ ζώντων, γῇ πραέων, καὶ ταπεινῶν. μακάριοι γὰρ φησὶ οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν: καὶ ὁ προφήτης. καὶ πατήσουσιν αὐτὴν πόδες πραέων, καὶ ταπεινῶν.

ANNOTATIO.

Cvm hic multa de Diuina Prouidentia dici possint, quæ maximam in animis piorum consolationem gignere solẽt, satis ad rem præsentem fuerit, hinc firmissimè nosse Nicænos Patres credidisse nunq̃ eandem Prouidentiam Ecclesiæ suæ visibili in terris defuisse, nec defuturam. Et certè cum cœlestibus orbibus intelligentias, speciebus item rerum creatarum angelos, ac rebus publicis moderatores, Iudices ac præsides addixerit, ac verò nouos cœlos propter nos sit facturus, peculiariori prouidentia sine dubio vsus est, atque vtitur in ijs, quæ & nostram salutem attingunt, pro qua dignatus est pati, & ad perpetuam in cœlis hæreditatem consequendam pertinent, ex qua illustrior illius gloria apparebit.

DE CANONE QVARTO SYNODI Nicænæ.

Capvt IIII.

Iam quoniam de quarto Nicæni Synodi Canone, qui est tertius vulgatus, sic agis, vt quæ de eo scripseram oppugnes, & illum ad euertendam in hominibus sacris cœlibatus legem (vt dixi) detorqueas, cum primò afferam, & planius exponam: Mox reliquas à te allatas auctoritates, & aliorum Conciliorum Canones sic percurram, vt rectũ eorum sensum haud ex meis coniecturis, sed ex ijs potissimum desumam, qui quatuor ipsis generalibus Synodis, quas admisisti, interfuerunt: deinde item ex alijs quibusdam eiusdem Nicænæ Synodi canonibus, vt sperare velim, etiam tibi, qualem qualem te in gratiam nescio quorum ostendis iuratum hostem cœlibatus, & Ecclesiasticarum legum, fore vt innotescat liquidior aliquis assequẽdæ huius veritatis modus.

Tertius Canon vulgatus Synodi Nicæni.

Interdixit omnino sanctum Cõcilium, neque Episcopum, neque Presbyterum, neque Diaconum, neque ex toto eum qui in clero est, habere secum subintroductam mulierem, nisi fortè matrẽ aut sororem, aut eas solas personas, quæ re fugiunt omnes suspiciones. Græcè sic:

Περὶ τῶν τὰς συνεισάκτους ἐχόντων.

Περὶ τῶν συνεισάκτων ἀπηγόρευσε καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος μὴ ἐπισκόπῳ, μὴ δὲ πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν: πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἀδελφὴν, ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνον πρόσωπα διαπέφευγε πᾶσαν ὑποψίαν, ὃ δὲ παρὰ ταῦτα ποιῶν κινδυνεύσει περὶ τὴν ἑαυτοῦ ἀξίαν.

Canon quartus de cohabitatione mulierum propter cœlibatum prohibita.

Decernimus, vt Episcopi non habitent cum mulieribus, neq; Presbyter viduus, nec illas comitentur, neq; cum eis multum loquantur, neque familiarem cõ suetudinem cum eis habeant, nec in eas studiosè aspiciãt. Idẽ decernitur de omni Presbytero cœlibe, idemq; de diaconis viduis. Hoc autem intelligendum est siue mulier pulchra sit, siue deformis, siue puella virgo, siue ancilla adolescens, grandis vel parua, siue puella orphana prętextu educandi eã propter charitatẽ. Siquidem diabol⁹ huius-

huiuſmodi armis religioſos, Epiſcopos, Presbyteros, & diaconos oppugnat, & immittit eis ardorem libidinis, ſin autem fuerit anus, & prouectæ ætatis, aut mater, aut ſoror, aut amita, aut auia, licebit cum eis habitare, vt qui viderint, nihil habeant, quod illarum cauſſa dicant.

EXPENDITVR ACCVRATE COElibatus Clericorum, & firmiſsimis argumentis ex Antiquitate petitis comprobatur.

CAP. V.

AD hunc igitur Canonem, (vt item ad pleroſque alios) rectè intelligendum, maturè perpendendum eſt, quænam rationes permouere poterant ſanctam illam Synodum, vt Apoſtolicorum Canonum de cœlibatu obſeruationem à pluribus intermiſſam in vſum eſſe reuocandam proponerent. Nam quod Apoſtoli eam legem tulerint, & libro aduerſus te meo, oſtendi clariſſimè, ex Epiphanio, & ex primitiuæ Eccleſiæ proximis Synodis, & Patribus: atq; in progreſſu huius diſquiſitionis planius faciam. Sanè verò (præter alia quæ ſuo loco dicam) eæ rationes fuerunt, quæ ad Diuina myſteria ritè tractanda, ad immaculatum Chriſti Domini corpus offerendum, & manducandum: ad Euangelium ſanctius, & ſine terrenarum curarum impedimento liberius exponendum pertinere poterant, id quod & tu in Huſſitis ſacerdotibus factum ſiue benè retentum agnoſcebas: reliquas autem rationes à Diuis Hieronymo, atq; Auguſtino ex eodem meo libro repetere poteris, in quibus fuſius oſtēdunt, Diuini ea de re verbi vim, Chriſti & Apoſtolorum exempla, vniuerſæ antiquiſſimæ purioris Eccleſiæ Canones conſentientes, ac potiſſimum illius, quam ſanguine ſuo Beati Petrus & Paulus Romæ cōſignârunt.

At cùm ipſi Apoſtolicæ obſeruationi in vſum reuocandæ, vſus ipſe multorum in Oriente qui cœlibatus habenas laxauerūt, & Canones in Prouincialibus quibuſdam Synodis condiderant, vehementer incommodaret: ac verò, cùm nonnulli voto continentiæ ſeſe non obſtrinxiſſent, tantò liberius cum vxoribus etiam, poſtquam fuiſſent ſacerdotes, commiſcebantur, difficillimum erat homines auellere ab eo vinculo, quod alioquin ratione coniugij prætextum honeſtatis habebat: Ideo Nicæna Synodus, ne non tentaret, quicquid ad perfectionem ſacerdotalis vocationis, atq; in primis ad ſui officium in emendanda Eccleſia ſpectabat, id propoſuit, quod erat decentiſſimum. Quod quidem ſi ab omnibus haud admiſſum fuiſſet, intelligebat certè Diuinæ ſapientiæ, ac iuſtitiæ iuſtificandæ futurum ſatis. Itaq; vbi perdifficilē exitum vidit, ſapienter hunc tertium Canonem ſtatuit, ijs verbis, quæ altius inſpecta, nemo veritatis peramans non intelliget, neq; Paphnutio patrocinari, nec ſacerdotum cœlibatum reddere laxiorem.

Quod vt liqueat, litem equidem haud fecero meam, ſitné iuris Diuini coniugium ſacerdotum necné: Id ſcio, tantum Virginitatis, & Eunuchiſmi Euangelici conſiliū, ac præmium ex Chriſti pectore non fruſtra prodijſſe: Diſcipulis autem ſuis qui Magiſtri erant futuri orbis Chriſtiani nullas cū leges de carnalibus filijs poſt ſacerdotium præſcripſiſſe: Omnes Apoſtolos vixiſſe poſtea cœlibes, vti poſt dicemus: D. Paulum ijſdem Chriſti veſtigijs Euangelicis in virginitatis, & continentiæ conſilio, tanquam ſpiritum Dei habētem (vt ipſemet inquit) inſtitiſſe: vtroſq; beatos Petrum, & Paulū in Eccleſia Occidētali eò firmius reliquiſſe iacta cœlibatus fundamenta, quò nationes iſtæ, ac deinceps Africana Euangelicæ perfectionis lucē auidius, ac firmius exceperant. Quæ poſtea perennis in toto Occidente obſeruatio fuit, legib. interim coercita, & decretis, ſicubi vel ob Orientaliū haud perfectum exemplum, vel ob carnis licentiam, quæ ſolet eſſe præceps magiſtra, Occidentales, qui ad ſacra erant adhibiti, à rectiſſima illa ſemita aut deflexiſſent, aut deflectere alicubi voluiſſent.

Porrò ea variatio inter Orientis partē, & vniuerſum Occidentalem tractum, tantum abeſt, vt dimouerit quemquam eorū, qui rectè Diuinam mentem perceperant, ad cœlibatum à ſacerdotibus arcendum, vt potius affecerit (& adeò afficere debeat) vnumquemq; ad illum ſtatuendum, ac verò vbi exploſus eſt ab hæreticis, reuocandum. Cùm enim tanta contentione, ac carne ipſa, quæ tāquam improbus & adeò inhærens conſiliarius cauſam ſuam agit, ac ſuadet, actum ſit, vt ne frenum iſtud continentiæ ſacerdotibus inijceretur, ac tamen tot Synodi, Patresq́; ſanctiſſimi per ſexdecim Chriſtiana ſæcula in eodem propoſito, atq; in ijſdem legibus de cœlibatu idētidem renouandis perſtiterunt, profectò Chriſtianæ mentes iudicent hinc neceſſe eſt, aliquid fuiſſe, quo id neq; non potuerit proficiſci niſi à ſpiritu ſancto, qui ſuam regit Eccleſiam, & certè intelligant (ne dicam oculis cernant) Græciam in tot Schiſmata, & hæreſes collapſam ſatis ſuę libertatis, & indecentioris vitę non minus ſententiam pro Occidentalibus tuliſſe, quàm pœnas acerbiſſimas dediſſe.

Neq; verò litem quoq; fecero meā, vtrū

mu-

mulieres, quæ in Canone Nicæno συνείσακτοι à vetere interprete ſubintroductæ, ab alijs extraneæ dicuntur, vt & Ancyrana Synod⁹ vocat, ſiue has, ſiue alias συνερχομένας, pro ſacerdotum vxoribus accipiendæ ſint, necne. Id non dubito, te quoq; intellecturum, dum affers aliqua ad eam vocem deſignandam, tanto magis ſacerdotum cœlibatum abs te ipſo fuiſſe aſtructum. Nam cùm ais συνεισάκτους dici, non vxores legitimo coniugio iunctas, ſed contubernia mu-
Pag. 62. & Pag. 63. lierum non cōiugatarum, atq;, vt hoc comprobes, D. D. Chryſoſtomū, & Gregorium Nazianzenū citas: illum, ſermone πρὸς ἔχοντας τὰς συνεισάκτους: hunc, eo tetraſtycho, quod fortè ex Budæi commentarijs tuo libro adſcripſiſti.

Τὰς δ' συνεισάκτους, ὡς δὴ φάσκουσιν ἅπαντες
οὐκ οἶδ' εἴτε γάμῳ δώσομεν, εἴτ' ἀγάμους
Θήσομεν, εἴτε μέσόν τι φυλάξομεν. οὐ γὰρ ἔγωγε
Κἂν μὲ λέγητε κακῶς, τὸ πρᾶγμ' ἐπαινέσομαι.

Vide quid effeceris. Si enim iſtos auctores reſpicis, vterq; cœlebs non ſolùm calamos, ſed & lumbos ſtrinxit, vt cœlibatus in ſacerdotibus integer ſeruaretur. Noti ſunt paſſim eorum libri, & carmina de virginitate, de caſtitate, de continentia ſacerdotum. Præterea ipſa D. Gregorij carmina cœlibatum, & virginitatem mediæ vitæ, hoc eſt coniugio ſatis anteponunt, cumq́; nomine ſubintroductarum, aut cohabitantium mulierum intelligi poſſe oſtendat nō ſolùm innuptas, verùm etiam nuptui dandas, quid prohibet, quo minus cum alijs ſeu virginibus, ſeu alijs, vxores quoq; proprias, ſi in conclaue poſt continentiam promiſſam admiſſæ fuiſſent, Synodus Nicæna ſapienter, ſi non præciſè, & apertè ea voce nominauerit, ſaltem deſignauerit, eò præſertim magis, quòd (vt diximus) occaſionem præbere nolebat incontinentioribus expreſſiore voce, vt reclamarent, ſed cupiebat, vt ſenſim educerentur ad id, quod ſacros homines propius decebat, iuxta Apoſtolicam, & perfectiorem viam.

Addo, cùm, qui verè Græcas litteras interiores calluerunt, quales fuere Budæus, & reliqui, inquiant à Græcis συνείσακτον dici comitem, ſociámue cœlibatus, an ne ſatis etiam in Oriente cœlibatum fuiſſe diligenter obſeruandum non oſtendunt? Qui ſi fuit, quonam modo cum eo cohærebit vxorum concubitus legitimi continuatio?

Porrò cùm idem D. Gregorius dicat: ἄρσενα πάντ' ἀλέεινε, συνείσακτον δὲ μάλιστα, nónne indicat, qualemcunq; item mulierem, quæ in cubili verſetur, eſſe arcendam?

Quæ cùm ita ſint, iterum cogita nunc attentius, cur magna illa Synodus cùm præter matrem, ſororem, materteram, ſiue amitam, (vt & alia verſio habet) aut eas ſolùm perſonas quæ ab omni ſuſpitione liberæ fuiſſent, prohibuiſſet Epiſcopo, preſbytero, diacono, atq; vlli omninò clerico habere συνεισάκτους, vocem tamen hanc vxoris non expreſſerit? ſed & indefinitè, hoc eſt in vniuerſum alias omnes, συνεισάκτους dixerit. Nempè ſapientiſſimè reticuit, tum ne ijs qui minus ſanctè, atq; contra limatos Apoſtolicos canones (vt vocat Epiphani⁹) coniugia poſt ordinem ſacrum exercuiſſent, maiorem præberet anſam ad commercium cum vxoribus iam conuerſis (de quibus poſt) iterādum, ſi cum exceptione matris, ſororis, & materteræ, vxorem item excepiſſent: tum verò vt ſimul quæcunq; aliæ aut virgines, aut mulieres de conſuetudine cum ſacris viris ſuſpectæ eſſe potuiſſent, illa ipſa vna voce comprehenderentur: cùm hoc alterum ad eos quoq; pertineret, qui in minoribus ordinibus eſſent conſtituti, licet his ſolis alioquin vxorum vſus nunquam fuit interdictus, quemadmodum ex Apoſtolico Canone paſſim conſtabat. Can. Apo. 26.

Verùmtamen & D. ipſe Gregorius verba illa ſcripturæ ſanctæ interpretans (erunt duo in carne vna) inquit, conuenire etiam in coniuges, qui ſeſe non tangunt, hoc eſt, qui ſunt continentes. Coniugium (ait) continentium exemplo ſancit Apoſtolus ſubiungens in Epiſtola ad Epheſios Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia. Bonum eſt vxori Chriſtum honorare per virum: & bonum eſt viro Eccleſiam, honorare per Eccleſiā, ſcilicet continendo. Id quod etiam B. Sixtus Martyr, & Methodius ſic expoſuerunt.

Sixtus lib. de caſtitate. Methodius de Sympoſio decem virginum.

Sed & alibi D. Gregorius ait:

ὄλβιος ἀζυγέων βίος οἱ θεότητος
ἐσὶ πέλας καθαρῆς, σαρκ' ἀποσεισάμενοι.

Quo carmine beatam cœlibum vitam, & tanquam propinquam cœleſti, atque vt ἰσάγγελον celebrat. Vtar enim non ſolùm antiquo, ſed etiam vſurpato ab Hieremia Patriarcha Cōſtantinopolitano, dum fidei noſtræ miſſas ad eum profeſſiones, non ita pridem, triplici cenſura ſic reiecit, vt (ſicut doctiſſimus, & amiciſſimus meus Socolouius aduerſus nugacem Tubingenſium ea de re præfationem his menſibus editam ſcripſit) ad tertiam vſq; conformem (vt aiunt iure conſulti) lata aduerſus eos ſententia nullus amplius tergiuerſandi, neq; prouocandi locus vobis relinqueretur. Is autē Patriarcha ſic loquitur:

„Rogamus itaq; vos, ne poſthac labores nobis exhibeatis: neq; de ijſdem ſcribatis, & ſcripta mittatis. Nam Theologos qui Eccleſiæ lumina fuerunt, alias aliter tractatis: & verbis quidem honoratis eos, ex-

tol-

Obserua lector quid hæreticis rescribat Patriarcha Constantinopolitanus. Anno 1581. Iulij 6. die Prothonotario Theodosio scribente.

tollitisq́;, factis verò reijcitis: armaque nostra, inutilia nobis efficere vultis, excutere scilicet de manibus nostris, verba illorum sancta & Diuina: quibus nos ad scribẽdum & contradicendum vobis, vti potuissemus. Quamobrem quantum ad vos attinet liberastis nos curis. Vestram ergo viam euntes, ne amplius de dogmatibus, sed amicitię tantum caussa, si volueritis scribite. Hęc Patriarcha, quę ita vos Latinè, ille sic Gręcè:

Ἀξιοῦμαι δὲ ὑμᾶς τοῦ λοιποῦ μὴ κόπους παρέχειν ἡμῖν· μηδὲ περὶ τῶν αὐτῶν γράφειν, καὶ ἐπιστέλλειν· εἴγε τοὺς τῆς ἐκκλησίας φωστῆρας, καὶ θεολόγους ἄλλοτε ἄλλως μεταχειρίζεσθαι· καὶ τοῖς λόγοις τιμῶντες αὐτοῖς, καὶ ἐπαίροντες, τοῖς ἔργοις ἀθετεῖτε· καὶ τὰ ὅπλα ἡμῶν ἄχρηστα ἀποδεικνύτε, τοὺς λόγους αὐτῶν τοὺς ἁγίους, καὶ θείους, δι' ὧν ἂν ἡμεῖς γράφειν, καὶ ἀντιλέγειν ὑμῖν εἴχομεν. ὥστε, τὸ καθ' ὑμᾶς ἀπηλλάξατε τῶν φροντίδων ἡμᾶς. τὴν ὑμετέραν οὖν ὁδὸν πορευόμενοι, μηκέτι μὲν περὶ δογμάτων, φιλίας δὲ μόνης ἕνεκα, εἰ βουλητόν, γράφετε.

At superius eodem quod est vltimum tertij ad vos responsi caput Constantinopolitanus Patriarcha de cœlibum, & monachorum vita presſius vos represserat, inquiens:

Ἀθετεῖτε δὲ καὶ ἐξομολογεῖσθαι ἀλλήλοις, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις τὴν μοναστικὴν πολιτείαν, καὶ ἰσάγγελον· καὶ ἡμεῖς πρὸς ταῦτα φαμέν, ὅτι τὰ περὶ τούτων θεῖα ῥητά, οὐχ' ἡρμήνευσαν θεολόγοι τοιοῦτοι, ὁποῖοι ἐστὲ ὑμεῖς· οὐδὲ ὁ θεῖος χρυσόστομος ἢ ἄλλος ποτὲ τῶν μακαρίων, καὶ κατ' ἀλήθειαν θεολόγων ἐκείνων ἀνδρῶν, ὥσπερ χειμάῤῥους παρετήρει. Ἀλλ' αὐτός τε, καὶ οἱ κατ' αὐτὸν θεῖοι ἄνδρες, πλήρεις ὄντες ἁγίου πνεύματος, καὶ θαύματα ποιοῦντες παράδοξα ζῶντες, καὶ θανόντες, ἡρμήνευσαν ὡς ἔχομεν, καὶ τὰς τοιαύτας παραδόσεις ἀποδεξάμενοι, ὡς ἀναγκαίους, καὶ εὐσεβεῖς ἀλληλοδιαδόχως ἡμῖν φέροντες παρεδώκασιν, ὧν ἐνίους καὶ ἡ πρεσβυτέρα ῥώμη φυλάττει, καὶ στέργει μεθ' ἡμῶν· πόθεν οὖν ὑμεῖς κρειττόνως τῆς παλαιᾶς, καὶ νέας ῥώμης σκεψάμενοι, τὰ μὲν τῶν ἀληθῶν θεολόγων ἀφήκατε· τὰ ἑαυτῶν δὲ ὡς προτιμότερα ἡγεῖσθαι, ἐκ τῆς πηγῆς, τῆς Ἑβραΐδος. Ἀλλ' ἡ καταφρόνησις τῶν ἁγίων εἰκόνων ὧδε καὶ θείων λειψάνων, παρ' Ἑβραίων ἔσχε τὴν ἀρχήν· ὡς ἐκ τῶν ἱστοριῶν μανθάνομεν. τὰ αὐτόθι πολλάγε καὶ ποικίλα ὄντα, τὰ τῶν λουτέρων Ἑβραῖοι τινες, ὡς ἠκούσθη, εὐσέβειαν ὑποκρινάμενοι, προυξένισαν, καὶ διέσπειραν. καὶ ἤδη, ὡς ὁρᾶται, προκόπτουσιν ἐπὶ τὸ χεῖρον, καὶ ὁσημέραι αὐξάνουσιν.

Vestri autem Latinè sic:

Reijcitis item mutuam alterius ad alterum confessionem: pręterea Monasticam vitam, Angelis æqualem: Ideo nos ad hæc respondemus: diuina dicta, quæ de his extant, non interpretata, expositaq́; esse à similibus vestri Theologis: neq; Diuinum Chrysostomum, aut alium quẽquam beatorum illorum, & reuera Theologorum, vnquam instar torrentis abstractum fuisse. Ipse verò, & ipsius similes Diuini viri, spiritu sancto pleni, miraculis à se editis stupendis in vita & morte clari, sic interpretati sunt, quemadmodum habemus: cęteriq́ue traditiones tales cùm approbassent, vt necessarias & pias, continua successione per manus veluti tradentes ad nos vsq; propagârunt: quarum aliquas vetus etiam Roma obseruat, & nobiscum amplectitur. Vnde igitur vos rectius & melius, vetere nouaq́; Roma sapuistis, vt verorum Theologorum scriptis relictis, vestra ista, meliora, potioraq́; duceretis? Ex Hebręo fonte. At contemptio sanctarum imaginum in hac vrbe, & Diuinarum reliquiarum, ab Hebręis initium habuit, sicut historię testantur. Et Schismata, quę apud vos sunt, quę multa, varijq́; generis sunt, Lutheranorum, Hebręi aliqui, vt fama fert, pietatis simulatione introduxerunt, ac disseminauerunt. Nunc etiam, sicut oculis cernitur proficiunt in peius, & quotidie crescunt.

Ac paulò pòst: Peccata quoq; (inquit) iuxta Diuinã Scripturam inuicem confitemur, & eam quę similis est Angelicę, ac Monasticę vitę est veneramur: nec vlla ratione permittimus, vt qui iugum istud subierint, retro conuertantur, si quidem velint ad cœleste Regnum esse idonei. Ille sic Gręcè:

Ἐξομολογούμεθα δὲ καὶ ἀλλήλοις κατὰ τὴν θείαν γραφήν, καὶ τὸν ἰσάγγελον, καὶ μοναστικὸν ἀσπαζόμεθα βίον· καὶ τοῖς ἑλομένοις τὸν ζυγὸν τοῦτον μηδαμῶς στραφῆναι ὀπίσω κελεύομεν· εἴγε βούλοιντο εὔθετοι εἶναι εἰς τὴν τῶν οὐρανῶν βασιλείαν.

Hęc igitur Gręci ipsi recentiores illi, quos olim oratione tua iactabas tanquam vestra mox recepturos.

Sed vt ad Græcos antiquiores, & quidem à te summopere commendatos redeam. Diuus ipse Chrysostomus licet eadem ipsa homelia, quam tu citasti aduersus virginibus abutentes, & concubinarios, tantummodo ageret, varijs tamen tanquam floribus orationem suam aspersit, vt virginitatis, & continentię dignitatem, & obseruantiam auditoribus suis ostenderet. Hinc illud: Audimus (inquit) & hoc nostro seculo nonnullos ferro totum corpus obli-

gan-

gantes, & sacco vestientes, & ad verticem montium currentes, & in continuis vigilijs ac summa media viuentes, & omnem disciplinæ seueritatem ostendẽtes, ab omnibus mulieribus segregari, ascendere in domunculam & tugurium, vt hac ratione seipsos castigantes concupiscentiæ furorẽ comprimant. Hinc item eiusdem auctoris, alterum superiorẽ sermone de regularibus fæminis, ne cum viris cohabitent: Inter Græcos sanè (ait) quidam, licet pauci, ita philosophati fuerunt, vt opum essent cõtemptores, & iram vicerint, virginitatis autem flos nullo modo apud illos floruit, in qua semper nobis concesserunt primam dignitatem, ingenuè fatentes, rem supra naturã esse, & nõ humanam, & ea propter omnibus gentibus admirationi fuimus. At mitto quæ de vita Monachorum, quęue ad solitariam vitam agentes, quæ etiam sex libris de Sacerdotio scripsit, vt promissam continentiam communiret, ac cœlibatum defenderet: certè pro pluribus duo illa loca, quorum alter extat homelia de adolescente vidua εἰς νεωτέραν χηρεύουσαν, alter περὶ μονανδρίας nunc hoc loco suffecerint, vt te pudeat tanti Scriptoris auctoritate vti, nisi (quod ille, Catholicaq́; Ecclesia semper ingenuè fecit,) cùm statum vnum extollis, alterum ne deprimas, cumq́ue vna de re aliquid affers, vnicuique des suum, seu virginitati, seu cœlibatui, seu continentiæ promissæ, seu deniq; coniugij Christiani Sacramento. Is igitur primũ sic: Hoc (ait) verbo καταστρηνιᾶν, hoc est luxuriari (Paulus) in ænigmate significat istas quæ viros amiserunt pro illis Christo desponderi. Deinde vti ostenderet huius desponsationis lenitatem, & æquitatem τὴν ἁρμονίαν ταύτην πρᾶον οὖσαν, καὶ ἐπιεικῆ ponit hoc: cùm luxuriatæ fuerint in Christum, tanquam in virum quendam æquum, & nõ cum imperio eis vtentem, sed potius liberè eas viuere sinentem, nubere volunt. Hoc est vinculum fidei leue, quo sunt Christo desponsatæ liberaliter, velle infringere, ac irritum facere. Sed altera homelia adhuc planius: Vides (inquit) quomodo non eas, quæ viduæ esse volunt, sed quę nubere volunt, postquam viduæ factæ sunt, prohibet Paulus viduas esse, & in chorum illum sanctum cooptari, idq́ue prudentisſimo consilio? si enim, inquit, vis iterum nubere, ne promittas viduitatem, siquidem non pręstare quod promiseris, longè peius est, quã omnino non promittere. Vt igitur Apostolus coniugibus permisit frequentes coitus, non quod hanc legem eis ferret, sed quod hoc eis indulgeret, sic hic propter alterum maius malũ secũdas nuptias imperauit, docens esse hoc veniæ accõmodatæ ad infirmitatẽ multorum, infirmitatem dico, non potentiæ, sed voluntatis. Vt enim virgo, si postquam virginitatem promisit, violari se permittat, crimen adulterio grauius ausa sit: sic vidua, quæ semel promisit, & postea pactionem cũ Deo factã conculcauerit, in peccatum incidet, & eodẽ supplicio tenebitur. Immò si dicendum est, quod nimirũ videatur, fortasse grauiore, non. n. par est, & æquale, vt principio dixi, expertam virũ, & non expertam, in easdem tentationes lapsas esse.

Nota.

Iam D. Basilius præter Ascetica, regulasq́ue monachorũ & præter libros de virginitate, deq; alijs huc spectantibus, vide quãto pere in ipso Oriẽte (vbi pleraq; cũ plerisq; in hoc negotio disſimulabantur, ob duritiam cordis eorum) cœlibatum, votumq́; continentiæ ex ipso Synodi Nicænæ Canone tutatus sit. Ad Gregorium enim Presbyterum scribens, sic hominem vrget: Nos verò, Gregori, neque primi, nec extremi legem tulimus, ne mulieres cum viris Deo dicatis habitarent. Lege Canonem editum in Concilio Nicæno, qui planè vetuit habere has domi mulieres. Cœlibum verò hæc est gloria, & splendor, mulierum conuictu carere, vt iam qui castimoniam nomine profiteatur, re verò ipsa ea faciat, quæ facere solent, qui cum mulieribus habitant, perspicuum sit, hunc decus & dignitatem ipsam virginitatis aut castimoniæ, appellatione tantum consectari, ab ipsa verò non honesta voluptate non se temperare. Eò verò magis oportuit te precibus nostris facilè acquiescere, quod te ais liberatum esse omni libidine, & corporis lasciuia. Nã neque te credo annos natum septuaginta, libidinosè & incontinenter cum vxore viuere: neque quasi aliquid turpe feceris, decretum fecimus: sed quoniam nos Apostolus docuit, ne offensioni aut scandalo essemus fratri. Scimus autem, quod à quibusdam integrè fit, solere alijs occasionem peccandi præbere: hac de caussa præscripta sanctorum Patrum secuti, iusſimus, vt vxorculam excluderes. Quid igitur Chorepiscopum criminaris, & veterum simultatum memor es? quid de nobis quereris, quasi facilè calumnijs aliorum excipiendis aures patefaciamus? ac non potius teipsum accusas, qui non passus fueris ab ista vxoria consuetudine auelli? Eijce ergo eam, domo, & include in monasterium: sit illa inter virgines, & tibi ministrent viri, ne nomen Dei per vos blasphemetur. Quamdiu verò in hac labe & macula perstiteris, nihil te iuuabunt tam multa ista, quæ ad me scribis, quin potius vsque ad extremum vitę à sacrorum administratione vacabis, vacationisq́ue tuæ rationẽ refe-

Cœlibum vita.

res Deo.

res Deo. Quod si ausus fueris, antequam vitā exueris, culpamq; emendaueris, sacerdotio fungi, eris vniuerso populo anathema, vt qui te receperint, omni Ecclesiastica cōmunione priuentur. Hactenus Epistola Basilij.

Lib. 9. c. 33. hist. trip. et 5. c. 22.

Sed & non potuit diffiteri Socrates suo adhuc tempore Theodosio iuniore imperāte morē fuisset ab Illustribus quibusdā Ecclesiarū per Orientē rectoribus, & Episcopis obseruatum, vt quam lege duxerat vxorem, priusquā clericus factus esset, si cū illa dormiuisset, alienus fieret, & abdicaretur à munere clericatus: eaq; caussa sine dubio fuit, cur & tacitè Synodus Nicæna cohabitationem illam qualiumcunque mulierū à cellis insinuare voluerit, & Occidentalis Ecclesia apertissimè eiusdem Synodi desiderium, & mentē non solùm decretis, sed factis semper constanter indixerit. Porrò Græcè Socrates ait: γενόμενος κληρικὸς ἐκεῖ ἣν νόμῳ γαμήσας πρὶν κληρικὸς γένηται μετὰ τὸ κληρικὸς γενέσθαι συγκαθευδήσας αὐτῇ ἀπόκηρυκτος γίνεται. Et D. Epiphanius disertè ait: Nicolaū vnū è septem diaconis ab Apostolorū collegio eiectum fuisse, quod postquam diaconus fuisset electus ad vxorem suam, quam formosam habebat, ὡς κύων ἐπὶ τὸν ἴδιον ἔμετον, vt canis ad proprium vomitum, reuerti non erubuisset. Qui quidē Epiphanius aduersus hæreses cataphrygū, & catharorum asserit ab Apostolis hunc Ecclesiastici sacerdotij Canonem fuisse cōstitutū: cuius vestigia seu obseruatio multò ante Nicęnę Synodi tempora ex testibus omni exceptione maioribus, qui Orientales fuerunt, liquidissimè liquet. Permulti profectò (docet B. Iustinus Martyr) sexus vtriusq; & sexaginta, & septuaginta annos nati, qui à pueris sectati sunt Christi disciplinā incorrupti, & cœlibes perdurant. a Athenagoras autem inquit, Virginitas & Eunuchismus propius ad Deum nos adducūt. Sed & b Origenes non vno loco, & c Eusebius Clericorum ab vxoribus continentiam describunt. Hic verò Apostolica illa verba: Honorabile coniugiū in omnibus. & illa, Si se non continent nubant, ostendit non dici de sacratis, nec de ijs qui Deo castitatem vouerint. Itaque Diuus Ambrosius: Discite (inquit) quantas Alexandrina, totiusque Orientis, & Africana Ecclesia quotannis sacrare consueuerint. Quę sanè omnia & aduersus te, & contra imposturas Magdeburgensium centuriastarum, vnde tua corradis, ac contra mendacia infælicis Beati Rhenani, quæ scripsit in Tertullianum, dicta sint.

a Athenag. orat. pro Christianis.
b Origē. hō. 23. in Num. cap 11. & li. 8. aduersus Celsum: & l. de singularitate Clericorū. intra opera Cypriani.
c Euseb. li. 1. c. 9. & lib. vlt. ca. vlt.
Ambros. l. 3. de virginib.

Quoniam autem de Africana Ecclesia locuti sumus, age, memorabo quæ Tertullianus, & SS. Cyprianus, atque Augustinus, præter ipsas eius tertiæ Mundi partis celebres Synodos plurimorum Episcoporum attulerunt. Voluntarios enim spadones, & qui sese spadonatui assignant, quiq; statim à lauacro carnem suam obsignant Tertullianus inter illos enumerat, qui cœlibatum, votumque continentiæ susceperūt. Quò etiam spectat, quidquid libro de velandis virginibus acriter vrget, cùm contrariam consuetudinem prætexentes, contra quam Apostolus iusserat, non ipsæ tantum nuptæ, ac (vt inquit) virgines hominum, quæ nempè seculares, cùm essent, ad spirabant ad nuptias virorum, verùm etiam virgines Dei, quæ Christo nupserant, in Ecclesijs potissimum caput haud velarent: quod quidē antea apud Grecos, & Latinos demonstrauit esse faciendum.

Tertull. de cultu fæmin. l. 1. ad vxorē. & apolog. c. 9.

I. In primis, n. (quod ad hoc attinet) docet consuetudinē aduersus veritatē nō præscribere, q͏ regula fidei vna irrefragabili manēte, cætera disciplinę, & conuersationis admittant nouitatem correctionis.

II. Pręsertim quū Ecclesiarum, quas Apostoli, seu Apostolici viri condiderunt, consuetudo oppugnatur, nobis autem, & illis vna fides, vnus Deus, idem Christus, eadem spes eadem, lauacri Sacramenti, vna Ecclesia.

III. Proinde quum arbitrio cuiusque permissa res esset, vt quæque voluisset aut velari, aut non tegi, sicut & nubere, temerariam audaciam reprehendit, qua virgines hominum ambibant aduersus virgines Dei, quod aliter (velatæ inquam) illæ inciderent, immò sacrilegis manibus dicatum Deo habitum à virgine electum detraherent.

IIII. Neque verò (ait) obstare quod opponitur, nullam mentionem virginum ab Apostolo factā, vbi de velamine præfinit, sed tantū mulieres nominatas, quia spiritus sanctus vno nomine mulieris, etiam virginē intelligi voluit, vtpotè quòd generale sit vocabulum, vti & fœmina.

S. autem Cyprianus, quod Christus Dominus Eunuchis dixit, qui se castraturi erant ob regnum cœlorum, quodq; ad votū continentiæ pertinet, ad hanc totam materiam refert.

Cyp. l. 3 ad Quiri. in Mat. 19. epist. 62. ad Pomponiū de virginitate & habitu virginum.

De Diuo Augustino, si tibi tantus, & tam grauis antiquitatis testis aliquid sapit, relege, quæ plura meo priore de imposturis tuis scripsi. Etenim is cùm Diuinum codicem attentissimè versauisset, stimulumque carnis, & Manichæus, & factus Catholicus, expertus (alio licet modo) fuisset, vestras omnes carnales apologias vnus propemodum potest dissoluere: Solemus (inquit) eis proponere continentiā Clericorū, qui plerunq; ad eam sarcinam subeundam capi-

D. Aug. l. 2. de adulterinis coniugijs.

capiuntur, eamque susceptam vsque ad debitum finem Deo adiuuante perducunt.

Iam verò cùm legitimæ sequentes Synodi, legitimarum superiorum Synodorū sint legitimi testes, lege secundam Synodū Arelatensem, quæ Nicæni Concilij Canonem sequens, ante mille ducentos annos secundo Canone sic statuit: Si quis de clericis à gradu Diaconatus in solario suo mulierem præter auiam, matrem, sororem, filiam, vel neptē, vel conuersam suam vxorem acceperit, à communione alienus habeatur. Vidésne Chytræe conuersam vxorem dici clerici sacri ordinis, quoniam cùm vir suus sacris initiaretur, assensa est, ac proinde & ipsa continentiam spopondit.

Lib. de Imposturis Chytræi.

Nec quidem ex vna hac Synodo, verū etiam ex Africanis, quas priore meo libro attuli, & ex Hispanicis, ac Gallicis, alijsq; penè omnibus id perspici potest. Omnibus placet (inquit secundum Carthaginiense Concilium) vt Episcopi, Presbyteri, diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam se ab vxoribus abstineant, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Id quod & Concilium Carthaginiense quintum, & Africanum habent, & verò Aurelianensis tertij secundo Canone, sic decretum est: Vt nullus clericorum, à subdiacono, & suprà, quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si fortè iam habeat) misceatur vxori. Quòd si fecerit, laica communione contentus, iuxta priorum Canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in hac vilitate permixtionis viuentem, ad officium postea admiserit, & ipse Episcopus ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo officio sequestratus.

Conc. Carthag. 5 can. 3. African. can. 57.

Atqui & secundum Turonense cùm de familiaritatibus mulierum repellendis decimo, & vndecimo Canone egisset, disertè mandat: Vt Episcopus coniugem, si quam habuisset, iam non vt vxorem, sed vt sororem habeat. In quo cernis, quàm aptè Lutherum, reliquamq; illam turbam Apostatarum tot ante secula damnauerit. Sic verò sextodecimo Canone deinceps infert:

Episcopus coniugem, vt sororem, habeat, & ita sancta gubernatione gubernet domum omnem, tam Ecclesiasticā, quàm propriam, vt nulla de eo suspicio quaqua ratione consurgat. Et licet (Deo propitio) clericorum suorum testimonio viuat, quia cum illo tam in cella, quàm vbicunque fuerit, secum habitent, eumq; sequantur, & Presbyteri, & Diaconi, vel deinceps clericorum turba iuniorum (Deo adiutore) conuersantur: sic tamen propter zelotem DEVM nostrum, tam longè absint, mansionis propinquitate diuisi, vt nec hi qui ad spem recuperandam clericorum seruitute nutriuntur, famularum propinqua contagione polluantur.

Qvin verò cùm per ipsos Apostolicos Canones ipsimet Canones Apostolici optimè declarentur, extat vigesimus septimus, quo exponitur: Ex ijs, qui ad clerum accesserunt, coniugio liberi, ac soluti, lectoribus tantum & cantoribus permitti vxorem ducere: quæ verba tantum abest, vt Diui Pauli doctrinæ aduersentur, quemadmodum euadere non valentes conati sunt Magdeburgenses ei Canoni fidem adimere, nihil vt planius sit, ad monstrandum, non licuisse Episcopis, & sacerdotibus vxorem ducere, aut si quam habuerint, operam filijs dare. Id enim & Apostolus, (vt alibi diximus) non obscurè significauit, cùm scripsisset; Episcopum qui vnius vxoris vir assumendus erat, debere esse postea non solùm castum, & pudicum, σώφρονα, verùm etiam continentem ἐγκρατῆ, sicut alibi adnotauimus. Sed & Diuus Ambrosius: Inoffensum (inquit) exhibendum, & immaculatum ministerium, nec vllo coniugali coitu violandum cognoscitis. Et cùm Leo primus Pontifex Maximus Anastasium Archiepiscopum Thessalonicensem à sede Apostolica rebus de religione in Oriente administrandis delegatum admoneret, omnium (scribit sacerdotum tam excellens est electio, vt qui in alijs membris Ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita. Cùm enim extra clericorum ordinem constitutis nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec subdiaconis carnale connubium quidem conceditur, vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares, & innupti. Hæc ille. Quæ pleriq; alij omnes viri sanctissimi & grauissimi testes, qui proximè quatuor antiquissimarum illarum Synodorum, ad quas prouocasti, secula attigerunt, eodem sensu (vt erant eodem in fide Catholica consensu) constanter scripserunt. Vt mirum non sit, si D. Epiphanius ad finem operis sui ordines in Ecclesia recensens sic inquiat: Prima, velut crepido, & fundamentum vtriusq; sexus, virginitas, sequitur monachismus, mox continentia, post viduitas, tum nuptiæ, præsertim vnæ, ac etiam priore coniuge mortuo, alteræ: vertex autem, & omnium parens sanctum sacerdotium ex virginibus, vt plurimum, aut ex solitarijs, aut, si hi ad ministerium

Ad Tit. 1.
Lib. de Imposturis Chytræi.
Amb. lib. 1. de officijs cap. vlt.
Leo I. ep. 9.
Siricius ep. ad Himericum cap. 7.
Innocen. I. epi. ad Victricium, c. 9. ad Exuperium cap. 2.
Gregorius 1. lib. 3. epi. 34.
Ordines in Ecclesia ex Epiphanio.

non ſuffecerint, de his qui à proprijs vxo-
„ ribus continēt, & ſi quis ab initio continens
„ viduus fuerit, habere locū poteſt Epiſcopi,
„ presbyteri, diaconi, hypodiaconi. Lectorū
„ autē ordo ex omnibus cōſtat ordinib⁹, vir-
„ ginibus, monachis, continentibus, viduis,
„ cōiugatis, ac etiam ſi opus fuerit, poſt prio-
„ ris vxoris obitū, renuptis. Lector enim ve
„ lut ſcriba ſermonis eſt, non verò ſacerdos.
Itaq; Chytræe, ſi bona fide te gereres, iſtos
ingenuè recitaſſes, Diuinumque iudicium
(quod certè non tardabit) perhorreſcens
Chriſti Eccleſiæ ſenſum, atq; intellectum
hæreticis, & carnalibus chimæris ante-
ferres.

Sed & reſponſum eſt mea priore reſpōſiō
ne ad id quod ex Apoſtolorū Canonib' ſcri
bis. Neq; enim eo oſtenditur, poſt ordines
ſacros cum vxoribus ab Epiſcopis cōtinua-
tum eſſe concubitum, ſed vt ne prætextu
pietatis vxores, quæ maritorum ordinatio
ni aſſenſerunt, abijcerentur, ac defererētur.
Et dubitandum non eſt, quin Eccleſia, quę
tū adoleſcere incipiebat, ſi monaſteria vir-
ginum, aut earum quę continentiam vouiſ
ſent, vbique iam conſtituta habuiſſet, eò
illas imponi ad caſtimoniam rectius ſeruā
dam procuratura fuiſſet.

DE CANONE XIII. SYNODI ſextæ Conſtantinopolitanæ, quem obijcit Chytræus,

CAPVT VI.

IAm quæ de Synodi ſextæ Conſtanti-
nopolitanæ Canone decimo tertio ob-
ijcis, quo Patres in Trullo congregati con-
iugij vſum ex Apoſtolico decreto ſacris
viris fuiſſe relictum teſtantur, id primum
nihil efficit, etiam ſi verus, & ratus (qui
tamen non eſt) canon fuiſſet. Quòd e-
nim Græci Sacerdotes hanc ſibi liberta-
tem non edito continentiæ voto antiqui-
tus vſurpauerint, haud inficias iuimus. Sed
illud merum mendacium eſt, eam Apo-
ſtolicam fuiſſe traditionem, aut legem, qua
niti voluiſſe viſi ſunt Gręci. Ecquis enim
iſte Apoſtolicus eſt Canon, vbi hoc præci-
piatur? ſi quintum dicis, in eo nulla de cō
munione thori fit mentio (quidquid neſ-
Deſpenc. cio quis magis collector antiquitatis, quā
diſcretor veritatis ſatis imprudenter attu-
lit) ſed tantum ne prætextu religionis eij-
ciatur, aut deferatur, quæ antea vxor ha-
bebatur. Sin Apoſtolorum vitam poſt
Apoſtolatum actam acutius inſpexeris,
eadem contra hunc Canonem faciet, vt
paulò poſt dicemus. Si D. Epiphanij te-
ſtimonium aduerſus peſtilentes Nicolaita-
rum, & aliorum hæreſes memineris, is pror
ſus contrarium vnà cum alijs eminentiſſi-
mis viris aſſeruit, & cœlibatus obſeruatio-
nem poſt Sacerdotium ab Apoſtolis flux-
iſſe oſtendit. Sin ipſum, quem paulo ſuprà
attulimus, vigeſimum ſeptimum Apoſto-
licum Canonem perpenderis, intelliges,
quantopere continentiam clericis, & naſcē
ti Eccleſiæ (ſenſim, ſed efficaciſſimè) inſi-
nuabant Apoſtoli. Aiunt enim: τῶν ἐις κλή-
ρου προσελθόντων ἀγάμων, κελεύομεν βουλομέ-
νους γαμεῖν ἀναγνώστας, καὶ ψάλτας μόνους. hoc
eſt: Et ijs qui cœlibes in clerum peruenerūt, „
iubemus, vt lectores tantum, & cantores (ſi „
velint) nuptias contrahant. Si denique ip- „
ſos Trullanos Canones attentius conſi- Trullani canones.
deres, eos nunquam ab Eccleſia Catholica
(ac præſertim hunc quem affers) fuiſſe ap-
probatos reperies. Quin verò cùm in Cano
ne illo hæc verba habeantur: In Romana „
Eccleſia loco Canonis traditum eſſe cog- „
nouimus, vt ij qui digni habendi ſunt ordi „
natione Decani, vel Presbyteri, profitean- „
tur ſe deinceps cum vxoribus ſuis non con- „
greſſuros. Si de Canonis illius Trullani cō- „
ditoribus quæſiuiſſes, quamdiu in Roma-
na Eccleſia ea lex, ſeu conſuetudo loco Ca
nonis, viguiſſet, aut à quibuſnam Occiden
talibus, & Africanis, paſſimque in Oriente
ad plurimos perueniſſet, quid putas quæ
ſo reſpondere potuiſſent? Certè cùm nulla
vnquam alia conſuetudo Romæ, alijs ue in
locis, quos diximus appareret, ad Diuos Pe
trum & Paulum, qui Chriſtianæ Eccleſiæ
ibi iecere fundamenta, eandem (vel inuiti)
retuliſſent. Accedit, quod ſexta Conſtanti
nopolitana Synodus ea eſt, cui Conſtanti-
nus Pogonatus Imperator Domnū Roma-
num Pontificem per epiſtolam rogauerat,
vt ſua auctoritate miſſis ab Apoſtolico
throno legatis adeſſe dignaretur. Hæc e- Cōſtantini Imp. ad Rō. Pont. epiſt.
nim ipſamet Conſtantini Imperatoris ſunt
verba: Quos legatos deinceps is qui in eius
demortui locum ſucceſſit Agatho, cùm mi
ſiſſet Abundantium, Ioannem, Theodorū,
Georgium, inter alia, quæ eidem Impera-
tori, & reliquis Auguſtis ſcripſit, hæc ſunt:
Licentiam (inquit) proinde eis dedimus Agathonis Pont. Max. ad Conſtātinū Legatio.
apud ſerenitatem veſtram, dū iuſſerit, ſim-
pliciter ſatisfaciendi ſecundum ea dunta-
xat, quæ eis iniuncta ſunt, ita vt nihil præ
ſumant augere, nihil minuere, vel mutare, „
ſed traditionem huius Apoſtolicæ ſedis, vt „
à prædeceſſoribus meis Apoſtolicis Ponti- „
ficibus conſeruata eſt, enarrare. Hæc ille. „
Quibus & ea ſubiungit: Apoſtolicam Ro- „
manam ſedem nunquam à via veritatis in „
qualibet erroris parte deflexiſſe; (quod ta- „
men ſępe, ac quidē etiam tunc Conſtantino
politanæ Eccleſiæ in hæreſi Monothelita-
rum acciderat) Et eiuſdem Eccleſiæ Roma „
næ auctoritatem (inquit) vtpotè Apoſtolo „
rum omniū Principis ſemper omnis Chri- „
ſti Eccleſia, & vniuerſales Synodi fideliter „
am-

„ plectētes in cūctis ſequutæ ſunt. Omneſ
„ que venerabiles Patres Apoſtolicā doctri-
„ nam amplexi &c. Et ſancti quidem docto-
„ res orthodoxi venerati, atque ſequuti ſunt,
„ hęretici autem falſis criminationum odijs
„ inſecuti. Et quæ ſequuntur.

Cùm igitur & lecta, & ab omnibus in
ea Synodo approbata fuiſſet epiſtola illa,
& ab Imperatore Chriſtianiſſimo rogaren
tur vniuerſi, num ſuggeſtionibus eius con
ſentirent, toto animo, primus Georgius
Conſtantinopolitanus Patriarcha abiecta
cōtraria (quam ante defenderat) Monothe
litica hæreſi profeſſus eſt, toto ſe animo illi
conſentire, amplectique ſententiam ſedis
Apoſtolicæ. Poſt quem, & cæteri Epiſcopi
in ea ſimilia verba (quæ in actis illius Sy-
nodi habentur) per ſe quiſque reſpon-
derunt.

VI Synod. Conſtantinopol. act. 18.
Sed poſtea Synodo abſoluta, idem ipſe
Conſtantinus cùm ad alteram Synodū A-
poſtolicæ ſedis antiquæ Romæ (ſic enim
habet exemplaris illius inſcriptio) literas
gratulatorias de dānata Byzantij Monothe
litarum hæreſi miſiſſet, inter alia multa ſic
„ ſcripſit: Suſcepimus enim non tantum ex
„ beatitudine eius, (id eſt Agathonis Pontifi
„ cis Maximi) verùm etiam à ſanctitudine
„ veſtra directas nobis literas, quæ prolatę, le
„ ctæ ſunt, & veritatis verū ſtylum declara-
„ uerunt, orthodoxamq; fidem depinxerūt.
„ Totę enim conuenienter, & non differen-
„ ter, poſitæ ſunt ad imitationem: & tam Sy-
„ nodicis, quàm & paternis doctrinis con-
„ ſentiunt. Neq; enim neglexim us, ſed diligē
„ tius eas comparauimus: idcirco omnes con-
„ ſonanter mēte & lingua concredimus, & ſi-
„ militer confeſſi ſumus: & tanquā ipſius D.
„ Petri vocē, Agathonis relationē ſupermira
„ ti ſumus, nemo enim diſcrepauit, niſi vn⁹.
„ Namq; nemo ex omnibus perijt, niſi filius
„ interitus, pater contumaciæ: & hic vnà cū
„ proprijs diſcipulis ſpontè aſſumptus eſt ab
„ angelo ſibi decibili, & ſuo execrabili cho-
„ ro. Quem cùm Propheta conlugere, oppor
„ tunū eſt, eò quod condolemus: Qualiter ce
„ cidiſti ex cœlo ſacerdotij culminis, ô Luci-
„ fer, q manè oriebaris? Luce certiſſimæ ſciē-
„ tiæ fidelium animas luſtrare ordinatus es,
„ & in nubibus ponere arrogantię ſedē vanis
„ dogmatib⁹ elatus es? Quomodo fuga lapſus
„ es, vitato agmine tantorum ſacerdotum?
„ An ſuperbiæ alis ad altā ruinam eleuatus, à
„ myſtica menſa temetipſum alienaſti, æmu
„ lator factus Iudaicæ, diſceſſionis?

Cùm autem Legati ſedis Apoſtolicæ ab
Agathone ad Conſtantinopolitanam VI.
Synodum miſſi, Romam rediiſſent, Leo
ſecundus qui Agathoni ſucceſſerat collau-
dato per Epiſtolam Imp. Cōſtantino, eam
Synodum, quæ Apoſtolicā in omnib⁹ regu-
lā, & probabiliū Patrū ſecuta eſſet & defini „
tionē (inquit) rectæ fidei pleniſſimè prædi „
cauit, quā & Apoſtolica ſedes B. Petri A- Papa Synodum VI. cōfirmat.
poſtoli (cuius licet impares miniſterio fun
gimur) veneranter ſcripſit, idcirco & nos
& per noſtrum officiū hęc veneranda ſedes „
Apoſtolica concorditer ac vnanimiter his „
quæ definita ſunt ab ea, cōſentit, & B. Petri „
authoritate confirmat, ſicut ſupra ſolidatā „
petrā qui Chriſtus eſt, ab ipſo Domino ad- „
eptus firmitatem. Propterea ſicut ſuſcepi- Matth. 16.
mus atq; firmiter prædicamus ſancta quin „
que vniuerſalia Cōcilia, Nicęnum, Conſtā „
tinopolitanum, & Epheſinum primum, & „
Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum „
ſecundum, quæ & omnis Chriſti Eccleſia „
approbat & ſequitur: ita & quod nuper in „
Regia vrbe pio veſtrę ſerenitatis adniſu ce- „
lebratum eſt ſanctum ſextū Conciliū, vt eo „
rum pediſſequi interpretes, pari veneratio „
ne atq; cenſura ſuſcipimus, & hoc cum eis „
dignè connumerari, tanquā vna & æquali „
Dei gratia congregatum, decernimus. „

Subſecutus eſt Iuſtinianus huius nomi-
nis ſecundus Conſtantini filius, qui ſcri-
bens ad Ioannem Quintum Romanum
Pontificem, quid procuraſſet ea de Synodo
manifeſtanda & autographo conſeruādo,
ne quid hæretici corrumpere, aut ſubmu-
tare poſſent, ad extremum ſic inquit: Ad Epiſt. Iuſtiniani 2. Imper. ad Ioānem 5. Pōt. Max.
inſinuandum itaque veſtræ paternæ bea-
titudini huiuſmodi capituli motiones,
præuidimus, & earum ſcientiam notam fe-
ciſſe beatitudini veſtræ. Et manu Diuina,
Diuinitas te ſeruet per multos annos, ſan- „
ctiſſime, ac beatiſſime pater. Data decimo „
tertio Calēdas Martias Conſtantinopoli in „
Imperiali domo, pijſſimoq; perpetuo Augu „
ſto Iuſtiniano Imperatore, anno ſecūdo: & „
poſt conſulatū eius anno ſecundo, indictio „
ne decima quinta. Hæc ille. Quæ eò adſcri- „
benda hic exiſtimaui, vt in primis tu, ve-
ſtrique cognoſcerent, nullos canones in ſex
ta Synodo latos fuiſſe, quos Romani Ponti
fices ignorare potuiſſent. Si quid verò ad-
uerſus Romanæ ſedis leges, & traditiones à
tempore Apoſtolorū Petri & Pauli in Occi
dētali & Africana Eccleſia, & in magna O-
rientis parte eatenus inuiolabiles ſeruatas
decretum fuiſſet, nulla ratione eoſdem
Pontifices Synodum illam confirmaturos
fuiſſe, nec legatos, qui eorum nomine Syno
dis generalibus præerant, vt & primi ſede-
bant, & primi ſubſcribebant, permiſſuros
fuiſſe (ſi cui eiuſmodi Synodo, aut tra-
ctationi interfuiſſent) vt quidquam eiuſ-
modi decerneretur. Quòd ſi poſt ali-
quot annos Trullani Canones, è quibus
tertium decimum tu citaſti, promulgati
ſunt, ij præciſè ad ſextā illam Synodū, quæ
confirmata eſt à Romana Apoſtolica ſede,
quam-

quamq́; omnes Catholici ſemper ſuſcepe-runt,nulla ratione pertinent. Ac quibus verarum ſeries hiſtoriarum ex probatorum auctorum medulla non ex carie tui Charionis,aut ſimilium hęreticorum chronographorum innotuerunt,ij ſciunt,patrũ illorum Orientalium,qui in Trullo Iuſtiniano Conſtãtini Pogonati filio, vigeſimo ſeptimo anno poſt ſextam Synodum (vt Theophanes Tharaſij Conſtantinopolitani Syncellus ſcribit)conuenerunt, canones illos fuiſſe,eumq́ue conuentum Quini ſextum fuiſſe vocatũ,quod neutra in Synodo œcumenica Generali(ſiue quinta,ſiue ſexta)canones vlli editi fuiſſent, ſed earũ eſsēt quaſi ſupplementũ:vnde intelligere potes eos in ſexta Synodo approbata nequaquã fuiſſe receptos Cùm enim ex ijſdem canonibus qui centum ſupra duos numerantur, aliqui à recta traditione fidei Catholicæ diſſentiant,ideo admiſsi non ſunt, quòd manifeſtè non ſolùm Apoſtolicæ ſedi Romanæ,verùm etiam reliquis eiuſdem Synodi canonibus aduerſantur, vt mirum nõ ſit,ſi ſuppoſititios(& ſaltem falſos) eſſe viri fide ac doctrina prçſtantes ſcripſerunt. Ac ſapienter Humbertus Cardinalis eruditiſsimus ſcripſit aduerſus Græcos ſextam Synodum ad deſtruendam hæreſim Monothelitarum,non autem ad tradendas Romanis nouas conſtitutiones congregatam fuiſſe. Quod ſi (Chytræe) librum meum ſæpe iam editum legiſſes de reſponſionibus ad quendam Regium ſeptentrionalem,ad cuius libri calcē oſtenditur,quanam ratione Diuina ſcriptura,patres legendi, & Synodi dijudicandæ ſint,ne quis hęreticas,& nõ approbatas pro Catholicis,& probatis accipiat,diſcere potuiſſes,Catholicos non fuiſſe legitimæ Synodi decreto repugnaturos, ipſos autē Romanos Pontifices ,& reliquos Epiſcopos,ac ſacerdotes libentiſsimè eiuſmodi decreto aſſenſuros,ſi à ſpiritu ſancto profectum fuiſſe cognouiſſent: cùm præſertim caro,mundus,& declinandarũ aliarum voluptatum ſpecies quædam,ac denique ipſa Regum & Imperatorum conſilia, & auctoritas id facilè perſuadere potuiſſent, niſi veritas, quæ omnibus rebus „ eſt potentior, & conſcientia obſtitiſ- „ ſent.

„ Porro eius quem dixi libri mei verba „ hæc ſunt:Aliqua Concilia generalia par- „ tim confirmata, partim reprobata ſunt, „ quoniam quædam eorum rectè concluſa, „ quæ & legitima auctoritate cõuocata,quędam in progreſſu eorum non legitimè,nec „ ritè tractata fuerunt.Hæc nominantur Sardicenſe, Quiniſextum, in quo Canones „ Trullani continentur,concilium Conſtantienſe,& Baſilienſe:In Baſilienſi enim concilio aliquando recedētibus Epiſcopis,qui„ legitimè vocati fuerant, & ad legitimum „ concilium euntibus Ferrariam,atque Florentiam, priuatorum autem ex ſchiſmate,„ Sacerdotum (quod nũquam antea factum „ eſt)quodam numero conuocato aliqua tractata ſunt,quæ poſt in eodem concilio iterum ritè coacto fuerunt abrogata. „

EXPENSIO ALTERA ACCVratior ipſius decimi tertij Canonis Trullani.

CAPVT VII.

HAEC cùm ita ſint:Canonem ipſum decimum tertium expendamus attētius:deinde cum alijs quibuſdam eiuſdem Trullanæ Synodi conferamus. Is verò ſic habet:

Quoniam intelleximus morem eſſe Eccleſiæ Romanæ Canonis loco, vt videlicet *Canon.13 dist.31.* qui in numerum atque ordinem diaconorũ,& presbyterorum eligendi ſint,nõ amplius cũ vxoribus ſuis rem ſe habituros proteantur: Nos autem Apoſtolicæ eiuſdem perfectę regulæ legem, ac canonem ſequuti,coniugia legitima ſacerdotum poſthac firma, rataque eſſe volumus ,ita vt nec eos diſiungamus, nec conſuetudine vxorum commodis temporibus priuemus. „

Primum igitur hic habes Romanã Eccleſiam, hoc eſt Occidentalem vniuerſam id de cœlibatu ſacerdotũ obſeruaſſe, quod etiam nunc in ſacerdotibus, & reliquis ſacris ordinibus obſeruatur.Quod cùm antiquiſsimum fuerit ,certè non tyrannidi Põtificum Romanorum , ſicuti Melanchthõ blaſphemat ,aſcribi debuit , nec aliunde, quàm ab Apoſtolis Petro , & Paulo fluere potuiſſe certo certius eſt.Ac cùm in Occidente ſolidior fidei Chriſtianæ regula ſemper fuerit,atq; à Romana ſede reliquæ omnes Synodi legitimæ aut vocatæ,vel confirmatæ ſint,non eſt,cur leuiter putemus vno externo canone,quem nunquã conſtat fuiſſe approbatum conuelli poſſe tot alios canones,atq; conſtãtem eorum Patrũ legem, qui & atramētum,& ſanguinem pro Chriſti Eccleſia propugnanda profuderunt.De„ inde cùm Trullanus canon habeat hæc ver„ ba:Nos antiquum canonē Apoſtolicę perfe„ ctionis ordiniſq́ue ſeruãtes, hominum qui„ ſunt in ſacris coniugia deinceps ex hoc tē„ poris momento firma,& ſtabilia eſſe volumus,&c.

Quæro vbinam iſta Apoſtolici canonis verba extent, quem quidem non viderint Nicæni Patres?Qui enim auſi fuiſſent legē de cœlibatu ſeruando aduerſus tam liquidum, & contrarium canonem Apoſtolicũ proponere?

Addo,

Addo,cur Paphnutius(de quo poſt)eum potius canonem, quã alia ea de re Synodo Nicænæ diſertè non obiecit?

Præterea non cohærent, quæ celeberrimi Patres,& Græci , & Latini teſtata reliquerunt,de Apoſtolica cœlibatus traditione cum iſto Trullano canone, quo aſtruitur coniugij vſus in Sacerdotibus. Et aut Apoſtoli ſibi è diametro contrarij fuerint neceſſe eſt, aut Trullanos aliquos Patres, vel quicunque eum canonem ſuppoſuerunt egregiè fuiſſe mentitos.

„ Cum verò ſubdat canon:Sed neq; ordinis tēpore ab eo poſtuletur,vt profiteatur ſe à legitima vxore abſtenturum , ne ex eo à Deo conſtitutas,& ſua præſentia benedictas nuptias iniuria afficere cogamur,Euãgelica voce exclamante: Quæ Deus coniũxit,homo non ſeparet. Et Apoſtolo docente: Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum,&, Alligatus es vxori, ne quære diſſolutionem.

Ergo & hic alterũ habemus pro nobis teſtimonium ab ipſiſmet Trullanis Patribus(ſi illorum hoc fuerit)Nempè in Oriēte,id quod ex antiquiſſimis alijs oſtendimus conſueuiſſe quæri de ijs qui ſacris ordinibus eſſent initiandi,num in poſterum à coniugio eſſent ſibi temperaturi. Qua in re nulla vis inferebatur , haud ſecus quàm hodieq́ue fit in Eccleſia Catholica.Nec porrò ſine conſenſu vxoris , quæ idem pro ſe ſponderent,aliquis in ſacrum ordinem cooptabatur. Alioquin prodant veras hiſtorias,præſertim ex legitimis Synodis petitas,vnde conſtet,iniuriam,aut vim vnquã vxoribus ea de re illatam fuiſſe ,eaſue publicè fuiſſe conqueſtas. Præterquã quòd cũ iſtum Trullanum canonem ſex magnę illę Synodi(Nicæna verò in primis) anteceſsiſſent, mirum eſt,cùm ea inquiſitio in promouēdos haberi ſoleret,ac(quod caput eſt) ij qui ne ore quidem profitebãtur cœlibatũ,continentiæ obſeruandæ vinculo (quoniã tacuiſſent)obſtringebantur , cur nulla earum Synodorũ Canonē aliquem ſanxerit,quo antiqua libertas, quam iactant integra vnicuique ſtaret: curq́ue Nicæni Patres attentauerint,vt omnes cœlibes in ſacerdotio viuerent.

Sed & quæ ex euangelio,atque ex Apoſtolo verba inſeruntur in canone, nihil officiunt. Primo: quoniam nunquã diſſoluit Eccleſia Catholica matrimoniũ, quod ratum fuerit,& verũ. Nec alterutro coniugum ſuperſtite (etiamſi alter cœlibē vitã ineat ex alterius conſenſu,votumq́; continentię vouerat) alterutri licet cum alio coniungi. Qui igitur dixit:Quos Deus coniunxit homo non ſeparet: is ipſe quoq; eodem vno capite dixit,Non omnes capiunt verbum iſtud.Et rurſus: Sunt Eunuchi,qui ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnũ cęlorũ.Et iterũ:Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia quæ habes & da pauperibus,& habebis theſaurum in cœlo, & ſequere me. Ac denique reſpõdens Petro: Ecce nos reliquimus om„ nia,& ſecuti ſum' te,quid ergo erit nobis?„ dixit: Amē dico vobis,quòd vos qui ſecuti„ eſtis me, in regeneratione cùm ſederit fi„ li' hominis in ſede Maieſtatis ſuæ, ſedebi„ tis & vos ſuper ſedes duodecim ,iudicantes„ duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reli- *Matt.19.* querit domũ,vel fratres,aut ſorores,aut pa„ trē,aut matrē,aut vxorē,aut filios, aut a„ gros propter nomen meũ,centuplũ accipi„ et,& vitã ęternam poſsidebit Multi autē e„ runt primi nouiſsimi,& nouiſſimi primi.„ Mitto illa:Si quis ponit manũ ad aratrũ,& „ retro reſpicit,non eſt aptus Regno cęlorũ.„ Et:aliud ſemē protulit ſemen trigeſimũ,aliud ſexageſimum,aliud centeſimũ. Quodque ipſe ſuæ Eccleſiæ perfectiſsimus inſtitutor voluit in ſe,ſuaq; Beatiſſima matre, ac ſuis Apoſtolis facto oſtendere,quinam gradus Euangelicæ perfectioni propior eſſet futurus. Præterquam quòd ſi ij quos Deus cõiunxit ſeparandi nõ ſunt ab homine,multo minus ab homine ſeparãdi ſunt, quos Deus ſecum ipſo coniunxit. Quid igitur ſe ipſum,& Sanctimonialem à Chriſto infæliciſsimus Apoſtata Lutherus ſeparauit?

Præterea,qui dixit honorabile connubiũ *Heb.13.* thorus immaculatus,dixit itē, Virgo,quæ „ permanet virgo,cogitat vt ſit ſancta cor„ pore, & animo , & qui ſeruat virginem „ ſuam, poteſtatem habens voluntatis ſuæ, „ melius facit. Dixit & alio loco,habentes damnationem,quia primam fidem irritã fecerunt,quod iterum nubere vellent. At & cùm illud de honorabili connubio cum ijs loqueretur,qui non eſſent ſacerdotes,aut qui continentiam vouiſſent, quid inde pro Canone ad rem tuam facit? Et D. Chryſoſtomus ait:Bonum quidem nu- *Chryſ. ep. 6. ad Theodorum lapſum.* ptias & ipſe confiteor:honorabiles,inquit, nuptiæ,& cubile immaculatum,fornicatores autem,& adulteros iudicabit De'. Sed te iã(ad monachũ lapſum ſcribit) ſeruare„ nõ conuenit priuilegia nuptiarũ. Angelo„ rũ enim ſocietati ſemel iunctum,illã relin„ quere, & vxoris laqueis implicari,adulte„ rij crimē incurrere eſt. Quamuis frequēter „ hoc ipſum nuptias vocas, ego tamen & a„ dulterio illud tanto peius affirmo ,quãto„ maior ac melior mortalibus angelus. Neq; „ vllus tibi fortè perſuaſerit dicens:Nihil de„ non accipienda vxore Dominus præcepit.„ Nec me ignorare cõfiteor ,quod adulteriũ „ interdixit,non nuptiás vetuit, verùm in te „ adulterij nomē accipiet,ſi volueris vnquã. „

quod abſit, nuptias cogitare, &c. Atq; vt illud repetam (inquit) quod in principio poſui epiſtolę: ſi militiæ vincula non tenerēt, quis tibi deſertionis crimen obijceret? nūc nihil in te penitus tui iuris eſt, quippe qui tanto imperatore militare cepiſti. Eadem eſt Hieronymi ſententia: Si nupſerit virgo (inq̃t) nō peccauit, nō illa virgo quę ſemet Dei cultui dedicauit: harū enim ſi qua nupſerit, habet damnationē, quia primā fidem irritā fecit. Virgines enim quæ poſt conſecrationē nupſerint, non tam adulterę ſunt, quàm inceſtæ. Et Baſilius: Cùm virginitatem (inquit) Deo profeſſæ ſint, carnali poſtea voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ ſtupri ſcel⁹ honeſto cōiugij nomine obtegere cupiūt. Quid Auguſt.? Proinde (ait) quę ſe nō cōtinent nubāt, antequam continentiā profiteantur, antequā Deo voueant quod niſi reddant, iure dānantur.

Li. contra Iouinianū.

Li. de vera virginitate

Li. de bono viduitatis.

Accedit, quod magno iudicio Apoſtolus, cùm in ſe ipſo cœlibē vitā ita accuratè ſeruaſſet, vt vellet omnes ſui ſimiles eſſe, etſi laicis coniugatis dixit, connubium eſſe honorabile, mox tamen addidit, thorus immaculatus. Qui fortè in veſtri matrimonij tantis aſſertoribus (Sacramenti autē eiuſdē matrimonij negatoribus) rarior eſt, quàm velint de ſe homines credere.

Eò item ſpectat illud. Alligatus es vxori, ne quære diſſolutionem. Sed & eò ſpectat id quod alibi dixit, ac nos paulò ante attigimus. Habentes damnationē, quia primam fidem irritam fecerunt.

Porrò de Synodo Carthaginienſi ait Canon Trullanus: Scimus autem & qui Carthagine conuenerunt, & miniſtrorum grauitatis, honeſtatiſq; curā gerentes dixerūt, vt ſubdiaconi, qui ſacra myſteria contrectant, & diaconi, & presbyteri proprijs terminis à conſortibus abſtineant: vt & quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa vſq; antiquitate ſeruatum nos quoq; ſimiliter ſeruemus tempus in omni re ſcientes, & maximè in ieiunio, & oratione.

Cōcil. Carthag. 2. cā. 2

Sed hic proprio gladio ſe iugulat Canō Trullanus. In primis quod Carthaginienſis Synodi Canonem haud verè recitat, is .n. ſic habet: Ab vniuerſis Epiſcopis dictū eſt: Omnibus placet vt Epiſcopi, presbyteri, & diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet, vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur.

Iam ergo hunc canonem cum tuo illo tertio decimo Trullano cōfer, & vide cùm de canone Carthaginienſi nulla vnquam in Eccleſia Catholica dubitatio, vel mutilatio fuerit, quid cogitandum ſit de Trullano, qui incertus, neq; approbatus illum alterum falſauerit. Quare equidem neminem eſſe puto paulò cordatiorē, quin iam intelligat tui illius canonis editores (quales, quales fuerint) cùm illum ab antiquitate à conſtanti Eccleſię Occidentalis cōſuetudine ab Africanis Patribus, & à concilio Carthaginienſi diſcrepare viderent, laboraſſe vehementer, quanam ratione ex ſuo cum vxoribus commercio grauiorem notā apud Orientē non incurrerent: proinde veritatē miris inuolucris modò infuſcaſſe, modò eleuaſſe, ſicque viā omnis carnis licentius decurriſſe. Ac cùm mendaces in recitando Carthaginienſi canone fuerint, mirandum non eſt, ſi itidem ſine vlla fronte traditionem eſſe Apoſtolicam dixerint, quam Apoſtolicæ traditioni prorſus cōtrariam eſſe Carthaginienſes ipſi antea cum plerſque Orientalibus teſtati fuerant. Eorum autem Carthaginienſium eò maior auctoritas eſt, quòd Trullani illos ſibi teſtes afferunt, qui ſunt Trullanorum accuſatores manifeſtiſsimi Pungebat nempè luxuriātes Gręcos, quidquid Africa rectius ſapiens ſuſceperat perfectioris obſeruationis, meliori Eccleſiæ parti adhærens. Itaq; Græcis impoſuit Græcia mēdax: q̃ quāto ſeſe magis tegere voluit, tāto magis & ſuas, & veſtras impoſturas retexit.

Addit Trullanus canon. Oportet enim eos qui Diuino altari aſsident, ſanctorum tractandorum tempore eſſe omninò continentes, vt poſsint id quod à Deo ſimpliciter petunt, obtinere. Hæc illi. Sed & hic vide implicitum & mendax verborum inuolucrum. Quæro enim ſi honorabile connubium eſt, & thorus immaculatus, ecquid opus eſt ſanctorum tractandorum tēpore eſſe omninò continētes? Quid ſi vxor debitum petat, & dicat Chriſtus dixit: Quos De⁹ coniunxit homo nō ſeparet: Vir mulieri debitū ſuū reddat, & pleraq; alia, q̃ male ſana caro facilè ad ſe detorquet? cernis iſtius tui canonis tricas. Sed q̃d ſi Catholica Chriſti Eccleſia reſpōderet in hæc eadem verba: Vos ipſimet Trullani negare non potuiſtis, oportere ſanctorū tractādorū tēpore eſſe ōnino cōtiniētes, vt poſsint id ꝙ à Deo ſimpliciter petitur obtinere, ꝓpterea rectiſsimè cū Apoſtolis ſeruandū eſſe cœlibatū à ſpiritu ſancto accepi, Nempè ne mihi cōcreditā animarū ſalutem deſerā, eiſq; id obtineam ꝙ neceſſariū eſt. Si inq̃ id Eccleſia (vt tamen re ipſa facit) reſpōdiſſet q̃d dicere Trullani potuiſsēt? Cū etiāſi per Apoſtolū laicis cōiugatis licebat ex cōſenſu vsū cōiugij ad tēp⁹ ꝓpter orationē intermittere, nō ita magnū fuerit, ſi is qui ex numero cōiugatorū cōſentiēte vxore aſſumitur ad ſacerdotiū, iā Deo aſsignatus debeat & poſsit, Chriſto Dño (q̃ eū ad id ꝑ Eccleſiā

ſuam vocauit) aſpirante, continentiam in poſterum ſeruare. Et ſanè (vt hoc addam) ſi ſacris initiatis vicis ſuæ tēpore in Oriente propriarūm vſus vxorum interdicitur, quantò iuſtior, & decentior erit Occidenti ſeruata conſtitutio, vbi perpetuò pro populis, qui ſemper hoc egent, ſacrificia, & orationes debent offerre?

Vide D. Ambroſiū in epiſt. 1. ad Timotheum, & Innocent. tertiā ep. ad Exuperium.

EX TERTII DECIMI CANONIS Trullani cum alijs quibuſdam Trullanis canonibus collatione certū, quàm ſibi ille ſit contrarius, vel ſuppoſititius.

CAPVT VIII.

SED qui canon hunc tertium decimum præcedit liquidius adhuc id, quod dixi, patefacit. Sic enim duodecimus canon habet:

Canon 12.

PORRÒ hoc quoque ad noſtram cognitionem peruēnit, quod in Africa, & Lybia, & alijs locis, quidā ex ijs, qui illic ſunt, religioſiſsimi Præſules, cum proprijs vxoribus, etiam poſtquam ad eos proceſsit ordinatio, vnà habitare non recuſant, ex eo populis offendiculum & ſcandalū afferentes. Cùm itaque ſtudiū noſtrum in eo magnoperè laboret, vt omnia ad gregis in manus noſtras traditi, nobiſq; commiſsi vtilitatem fiant, nobis viſum eſt, vt nihil eiuſmodi deinceps vllo modo fiat. Hoc autem dicimus, non ad ea abolenda, & euertenda, quæ Apoſtolicè antea conſtituta ſunt, ſed populorum ſalutis, & ad meliora progreſſionis curam gerentes, & ne ſtatus Eccleſiaſticus vllo probro afficiatur. Dicit enim Diuinus Apoſtolus: Omnia ad Dei gloriā facite: ſine offendiculo eſtote, & Iudæis, & Græcis, & Dei Eccleſiæ, quemadmodum & ego omnibus in omnibus placeo, nō quęrens meam vtilitatem, ſed multorum, vt ſaluentur. Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Si quis autem tale quid agere deprehenſus fuerit, deponatur.

HINC igitur & Africanæ Eccleſiæ cōſuetudinis teſtimonium magis roboratur: & contraria canoni decimi tertij Apoſtolica traditio ob oculos ponitur. Cùm verò Epiſcopis prohibeatur, ne cum proprijs vxoribus habitent ob Dei gloriam, neue ſcādalum Eccleſiæ Dei contingat, ſaluti autē proximorum ſic conſulatur, atq; vt ſemitam Apoſtolicam reliqui Epiſcopi imitantes Apoſtolum, terant, cur in cæteris ſacerdotibus hę ipſæ rationes, & cauſſæ ad cœlibatum retinendū validiſsimę non fuerint?

DEINDE ſi quis Africanorum Epiſcoporum concupiſcentia tentatus, & illectus duodecimo iſti canoni pretextu verborū illorum, honorabile connubiū, &c. reluctatus fuiſſet, quonam modo vis vtriuſque canonis nempè in vno prohibitio, in altero mandatum commercij cum vxore ſtetiſſet, atq; illum à propoſito potuiſſet auertere? Deinde ſi Apoſtolica traditio erat ipſe vſus vxorum poſt ſacerdotium, cur auſi ſunt Trullani Patres eam infringere in Epiſcopis, qui cùm ſint & ſacerdotes, & ſacerdotum duces, debent in tanta re prelucere alijs exemplo, atq; doctrina?

AT (quod amplius eſt) excipit canon trigeſimus Trullanus, etiam eos, qui ſunt in Barbaricis Eccleſijs, qui ita habet:

AD Eccleſię ædificationē omnia facere volentes, etiam ſacerdotes, qui ſunt in Barbaricis Eccleſijs, diſpenſare conſtituimus. Quare ſi Apoſtolicum canonem de vxore non eijcienda pietatis ac religionis prętextu ſe tranſgredi debere exiſtimant, & vltra ea quę ſunt conſtituta, facere: & ideò communi cum ſuis conſortibus conuentione, & conſenſu inito à mutua conſuetudine abſtinēt, ſtatuimus eos non amplius cū illis vllo modo cohabitare debere, vt ex eo nobis perfectā ſui promiſsi demōſtrationem prębeant. Hoc autem illis non propter aliud, quàm propter eorum puſillanimitatem, externoſque ac non ſatis firmos mores conceſsimus.

QVOD cùm ita ſit, intelligis, quanti apud ipſoſmet Trullanos, ſiue alios ſi qui canonem XIII. ſuppoſuerunt, fuerit, & exclamatio illa Euangelica, & vox D. Pauli, & traditio Apoſtolica, quas in eodem canone iactabant, pro coniugio à ſacerdotibus exercendo. Soluant igitur hos nodos politici, qui cùm ſępè ſibi ſolos ſapere videantur, curtam deinde intelligunt ſibi cœleſtis ſapientiæ ſuppellectilem eſſe, cùm res ipſæ ſeriò excutiuntur.

OMITTO quoſdam alios canones, nā omnes non improbauit Eccleſia Chriſti: commiſcuerunt enim hi cum malis, pleroſque bonos. In quibus Trullani vel fatētur de digamis exactiſsimum fuiſſe canonem ſanctiſsimæ Romanorum Eccleſię (hæc enim ipſa canonis tertij verba ſunt) vel in primo canone Concilium illud Aphrorū recipiunt à S. Cypriano coactum, in quo ſtatutum eſt hęreticos ad Eccleſiam ſe recipientes iterum rebaptizandos. Quod tamen conſtat non eſſe faciendum: quodque prohibitum ab alijs Synodis fuit.

SED vt cuncti canones hi certiſsimi eſſent, quā multa ſunt in ijs, quę veſtras preſentis ſeculi hęreſes damnant? Quid autē Luthero, eiuſq; commilitonibus facies, ſi quarto, & ſexto canoni Trullano ſua ſtet auctoritas? his enim ita ſancitum eſt.

Canon. 4.

SI quis Epiſcopus, vel presbyter, vel diaconus, vel ſubdiaconus, vel lector, vel cātor, vel oſtiarius, cum muliere Deo dicata

Ex.25. cap. Apoſt.& 27. q. 1. Si quis. Can.6. diſtin.32. Si quis corũ.

coierit, deponatur, vt qui Chriſti ſponſæ vitiũ attulerit: Sin aũt laicus, ſegregetur. Et:

QVONIAM in Apoſtolicis canonibus dictum eſt, eorum qui nõ ducta vxore in clerum promouentur, ſolos lectores, & cãtores vxorem poſſe ducere: & nos hoc ſeruantes decernimus, vt deinceps nulli penitus hypodiacono, vel diacono vel presbytero poſt ſui ordinationẽ cõtrahere liceat: ſi autẽ fuerit hoc auſus facere, deponatur.

QVAE eò afferre volui, vt intelligas, niſi ab Agathone Pontifice Maximo is canõ, quẽ attuliſti agnitus & approbatus ſit, eum non eſſe ratũ, aut verũ, nec adeò apud Eccleſiam Catholicã vllum põdus habuiſſe, vel vnquam habiturum: ac licet libertatẽ illam Græcis cõcubituum ſuorum cũ vxoribus Pontifices Romani ſic permiſerint, vt nunquam conceſſerint, ſæpè tamen dehortati ſunt.

AT vt ad vos alios redeam, mirum eſt, cũ Germania à Romana Apoſtolica ſede Euangelium, Sacramenta, fidem acceperit, ac proinde eius canones, & leges ſartas tectas tueri deberetis, vos tamen ab ea ſubtrahentes, ſchiſmaticas quaſq; fæces lambere ab ijs, à quibus & nunc (vt oſtendimus de veſtris Tubingenſibus) turpiſsimè tanquã falſi Theologi, & circulatores hęretici vocati, ac reiecti fuiſtis. Habes igitur Chytręe quod poſsis mandere in iſto canone, in quo tantoperè exultabas, cũ & quorũ presbyterorum, & diaconorum mentionem is ille canon facit, eorum vos memoriam, & rem ipſam vnà cũ Chriſtiano Sacerdotio prorſus tollere cupiatis.

APOSTOLOS FVISSE POST ſuſceptum Apoſtolatum cœlibes.

CAPVT IX.

QVÒD autem D. Petrum (quem rectè aduerſus tuos vocas Principem Apoſtolorum) coniugali vſum conſuetudine aſſeris, ſi id poſt Apoſtolatum ſuſceptum putas, falleris, & fallis. Nã quidquid vnus vel alter dixerit, non ſine ſuſpicione librariorum, qui id Clementi Alexandrino, ſiue alicui alteri inſeruerunt, id certam fidem haud facit: eò magis, quod qui ex Clemente id mutuantes ſcripſerunt, aduerſus eos, qui nuptias reprobabant, ſic inquiunt. An & Apoſtoli (ait Nicephorus, nam de Ignatio poſtea dicam) improbant? Petrus enim ac Philippus & vxores habuerunt, & filios procrearunt, & filias viris nuptui dederunt. Paulus etiam non veretur comparis ſuæ mentionem facere, & quæ ſequuntur. Hoc inquam fidem nullam facit. Mitto enim, quod iſthinc nihil probatur, vnde cõſtet poſt Apoſtolatum Petrũ,

Clem.li. 3. & 7. Stromatum Itinerariũ Clementis quod eſt Apocryphum. Auctor quæſtionũ mixtim quæ D. Auguſtino inſcribũtur. Euſeb. lib. 3. cap.30. & 31.

aut Philippum, aut Paulum operam procreandis liberis dediſſe, certè & Euangelio, & actis Apoſtolicis, & antiquitati reliquæ vniuerſę, atque ipſimet Nicephoro, perſpicuè aduerſatur. Nam Iouiniano Petrum, eiuſque ſocrum ex Matth. 8. & Luc. 4. proponenti Hieronymus reſpondet inter eos, qui legi ſeruierant, numerari debuiſſe. Nec enim (ait) Euangeliũ ante Chriſti crucem, iuxta quam regulam Petrus, & Coapoſtoli (vt ex ſuperfluo (inquit) concedamus) vxores eo quo Euangelium tempore neſciebant, acceptas habuerunt, poſt in Apoſtolatum accepti, officium coniugale relinquunt. Nam Petro ex eorum perſona dicenti. Ecce reliquimus omnia Matth. 19. reſpondit Dominus, neminem qui inter alia vxorem dimiſiſſet non multò plura recepturum. At Tertullianus: Petrum (inquit) ſolùm inuenio maritum per ſocrum. Deinde D. Pauli locum exponens hæc ſubdit. Vbi ea ſubiungit de victuaria exhibitione, abſtinentiam eius oſtendunt, dicentis: Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducẽdi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? Non vxores (ait) demõſtrat ab Apoſtolis ductas, quas & qui non habent, poteſtatem tamen manducandi & bibendi habent, ſed ſimpliciter mulieres, quæ illis eodem inſtituto, quo & Dominum comitantes miniſtrabant. Hæc ille. Quod quidem neq; ille ſolùm, verùm etiam alij, aut Latini aut Græci Græcæ linguæ peritiſsimi præter Ambroſium, Oecumenicũ, Theodoretum, Theophylactũ, eodem modo ſunt interpretati.

Niceph. li. 2. cap.44.

Hierony. adu. Iouinianum.

Tertul. li. de Monogamia.

AC (vt tam multi non eſſent) certè ſummi momenti ea Chriſti Domini reſponſio fuit, qua locutus Eunuchis, qui ſeſe eſſent ob Dei Regnũ caſtraturi, admirantibus, & propter rei difficultatẽ interrogantibus. Quis ergo poteſt ſaluus fieri? dixit. Qui poteſt capere, capiat. Videlicet, neq; illos ablegans ad vxores, & ſapientiſsimè innuens poſſe capi tantùm donum, quod vbi ab aliquibus fuiſſet acceptũ, non eſſet abijciendum, nec retro reſpiciendum. Verũ & qđ de D. Philippo ac de D. Paulo affert Nicephorus, manifeſtè pro nobis facit. Polycrates Epheſius (inquit) Epiſcopus Victori Romano duarum Philippi eiuſdem filiarum meminit, ſicut & Philippi diaconi quatuor ęquè virgines, & prophetiſſas Lucas facit, quas etiam prophetaſſe ob virginitatem, quam habere dignæ factæ erant, obſeruat Epiphanius aduerſus Antidicomarianitas, quorum etiam Caius Proclo commeminit. Multis autem (pergit Nicephorus) eiſque magnis apud nos viris non videtur Paulus coniugem habuiſſe, idq; ex verbis

Matth. 19.

Obſerua Apoſtolos, vel Diaconos ſi quas ante Apoſtolatum virgines genuere has in virginitate conſeruaſſe.

Actor. 21.

1. Corinth. 7. Philip. 4.

bis eius colligunt, quibus virginitatem, & cœlibatum commendat dicens: Peruellem equidem omnes eſſe, vt ego ſum. Illud verò ſalue mihi, & tu compar, viro cupiã ita fortè nominato, non autem mulieri dictum putant. Hæc ille.

Hieron. in Eſa. c.56. & ad Principiam. Cyprian. de paſsiõe. Albinus. Beda.

CAETERVM antequàm ad D. Paulum veniam, vix cuiquam ignotum eſt, quod de D. Ioanne Apoſtolo Beatus Hieronymus cum pluribus alijs teſtatus eſt, & ipſa credit Eccleſia. Eum enim (inquit) talem fuiſſe Eunuchum, animi ſcilicet voluntate, non debilitate corporis Euangeliſtam Ioannem Eccleſiaſticæ tradunt hiſtoriæ; quem Ieſus amauit plurimum, quod virgo electus, virgo in æuũ permanſerit. Ac Diuus Epiphanius teſtatur. Ioannem, & Iacobum Zebedei filios nuptias haud contraxiſſe, non proprijs quidem manibus membra reſectos, ſed proprio corde decertantes, & gloriam huius certaminis coronam reportantes. Quare cùm hi & Apoſtoli, & Epiſcopi non duxerint vxores, quid dices Chytræe? An ne poterit in Eccleſia Chriſti Epiſcopus reperiri, qui non ſit Epiſcopus; quoniam non eſt vnius vxoris vir? An non inquam Apoſtoli & Epiſcopi illi fuerint, quibus non erant vxores; quæ penderent à latere? Taceo autem quæ de Petronella Petri filia vſque ad mortem permanente virgine, Flacco videlicet Pro comite contempto, quæúe alij de perpetua D. Thomæ Apoſtoli caſtitate ſcripſerunt, quæ ſiue ſint certiſsima necne, id certè abeſt ab omni dubitatione, nunquam poſt Apoſtolatum ad exercendum coniugium, eos qui prius vxores habuiſſent, rediſſe: Neque verò illud parui momenti eſſet, quòd tam illuſtrium Eccleſiæ preconum, quales Apoſtoli fuere, ſi filios genuiſſent haud extaret memoria, quibuſnam eorum filij, vel filiæ traditæ nuptui fuiſſent, quinamúe fuerint eorum nepotes, & poſteri, cùm præſertim plurium, quos habebant diſcipulorum, tot ſeculorum ſpatia memoriam non deleuerint: præterquã quòd cùm quas ante Apoſtolatum ex legitimo coniugio filias ſuſceperunt, haſce omnes legamus conſeruatas eſſe virgines, ecquid eos ad hoc permouit? Nam D. Petrus Petronellam, Philippi (alter Apoſtolus, alter diaconus) ſex filias, D. Paulus Theclam, D. Matthæus Iphigeniam in virginitate ſummo ſtudio ſeruarunt, vt adeò eorum aliquis pro hac ipſa vnius illarum (vti pro reliqua Euangelicarum virtutum perfectione) mortem haud exhorreſceret? Hæc certè Euangelij non erat futura minima nota ad Chriſti gloriam. At veſtrorum Apoſtatarum Chytræe, nec difficilè eſt enumerare filios, & filias, quas ex in-

Epiph. cõt. Valeſios.

Bedà. Huſuardi Martyrologium Kal. Iunij. Petrus Natalis lib.5. cap.69. Volater. l. 18. Sigeb. anno 758. Abdias.

ceſtu genuerunt, ſuperſtites enim ſunt plures (tu ſcis quales) & difficillimum fuerit ex ijs vllos vnquam cœlibatum, aut virginitatem in tanta Euangelij, de qua gloriamini luce, poſſe oſtendere.

SED & D. Paulum adhuc, quantus eſſet in cœlibatu obſeruando, Tertullianus, præter ea quæ ex hoc auctore attulimus, ijs verbis oſtendit. Nuſquam (inquit) nuptias ita permittit Apoſtolus, vt non potius ad exemplum ſuum nos eniti malit. Fælicem qui Pauli ſimilis extiterit. Cupio (inquientis) omnes meo exemplo perſeuerare. Qui viduas, & innuptas integritati perſeuerare mauult, qui nos ad exemplum ſuum hortatur, vndique oſtendens, quid nos velit eſſe, id eſt continentes. Hæc Tertullianus. Quo loco ſatis indicat, quid ipſe expedire iudicabat, cùm qui presbyter eſſet, ad vxorem iam ante ſacerdotium ductam ſic ſcriberet. Et verò cùm Apoſtolus innuptis, & viduis continentiam, quibus nec docendi, neque offerendi munus in Eccleſia incumbere poterat, proponeret, videt incorruptus quiſque oculus, quàm friuolæ fuerant futuræ rationes eorum, qui Apoſtolos ideò vixiſſe cœlibes autumant, quoniam ijs credita erat Euangelij prædicatio: proinde reliquis cœlibatum, & continẽtiam non eſſe obſeruandam. At & non ſolùm cœlibem, verùm etiam virginem agnouit Apoſtolum D. Hilarius. Præterea qui hunc ipſum Hilarium inoffenſo pede decurri poſſe ait D. Hieronymus, ſic ſcribit, & ipſe de Apoſtolo. De virginibus, inquit Apoſtolus, Domini præceptum non habeo: cur? quia vt virgo eſſet, voluntatis fuit, non imperij. Nec enim audiendi ſunt, qui vxorem habuiſſe confingunt, cùm de continentia diſſerens, & perpetuam caſtitatem ſuadens, intulerit, volo omnes eſſe ſicut meipſum: & bonum eſt, ſi ſic permaneant, ſicut ego: & lib.1. in Iouinianũ, ſi iuxta Pauli ſententiam non erunt Epiſcopi niſi mariti, Epiſcopus ipſe eſſe non debuit, qui dixit, volo, &c. Idipſum affirmat D. Ambroſius. Volo vos imitatrices eſſe tanti Apoſtoli, vt vitam eius ſequamini, qui coniugij vinculum refugit, vt vinctus eſſet Chriſti, ad tãtam Apoſtolatus gratiam non peruenturus, coniugij contubernio alligatus. Vir doctrina præſtantiſsimus, tantum Chriſti donum habens, momenti tantum eſſe iudicauit, ſi abſtineret ab vſu copulæ coniugalis: ideò ſic manſit, ne plurimum muneri ſuo decerperetur, quod ſemper nec orationi vacare, nec diuinis intendere mandatis liceret, quem coniugij cura reuocaret, vt placere vxori neceſſe eſſet. Et ad Pauli locum, Non diceret, bonũ eſt innuptis vt ſint, ſicut & ego: niſi eſſet corpo-

Lib. ad vxorem, & de exhortatione caſtitatis.

Hilar. pſ. 127. Hier. ad Euſtoch.

Ambroſ. exhort. ad virgines.

corpore integer. Non item diceret, omnes homines volebam eſſe, ſicut meipſum, ſi vxorem habuiſſet. Sic enim virgines eſſe nollet, ſed abſit. ſed ſic à pueritia ſpiritui ſeruiuit, vt huius rei, (vxoriæ ſcilicet) ſtudium non haberet, iuuenculus à Dei gratia anticipatus. Sic D. Auguſtinus: Apoſtolus (inquit) fortibus ſummum eſſe oſtendit, non attingere mulierem, cùm ait, vellem omnes homines eſſe ſicut meipſum. Et alibi, Paulus ſummam certè caſtitatem profeſſus, dicit vellem, &c.

Au . ad finem libri de moribus Eccle. Catholicę, & de opere Monachorũ. c. 23.

HABET propemodum eadem B. Epiphanius, cùm in Valeſios exectos, ac diſcipulorum exectores docet, D. Paulum ſine coniugio, ac continentem permanſiſſe, non autem ab hominibus exectum, idque vt alij eius ſimiles fierent, non mutilatione membrorum, ſed continentia. Neque verò hoc ſolùm de eo S. Epiphanius aſſerit, ſed & aduerſus Antidicomarianitas ait, Theclam, cùm in S. Paulum incidiſſet, à nuptijs fuiſſe ſolutam ſponſum iam habentem, virum vrbis primarium, generoſum, diuitem, pulchrum, vita illuſtrem, terrenaque ſanctam contempſiſſe, vt cœleſtium fieret particeps. At quod paucos ante annos edita ſit Græcè S Ignatij Epiſtola, D. Paulum adnumerans ijs, qui vxorem habuerunt, non admodum certum eſt, eam ita habuiſſe, vetus enim antiqua translatio, quæ in vaticano aſſeruatur, id non habet, & veriſimile eſt, eos qui cœlibatum odiſſent, verba hæc adieciſſe, quandoquidem & aliquando id ipſum in Synodis legitimis fecerunt, vt eas ad ſuas hæreſes, & ſchiſmata deprauarent.

Epiphan. in Valeſios & Antidicomarianitas.

SOLVITVR QVOD DE D. Ignatio Chytræus obijcit.

CAPVT X.

QVÒD verò ex D. Ignatio addis, nihil ad rẽ facit. Nã ne vnicũ quidẽ verbũ extat, quo Epiſcopos, aut ſacerdotes exercẽdę poſt ſacerdotiũ copulę addictos fuiſſe dixerit. Et vnà cũ illo ſanctiſsimo martyre Eccleſia Catholica multò magis, q̃ vos nouę ſimiæ, dãnauit, & damnat eos, qui legitimam commixtionem, & liberorum procreationem putant, aut nominant φθορὰν καὶ μολυσμὸν, id eſt, corruptionem, & pollutionem. Ac cùm ipſa Matrimonium vſque ad ſanguinem tueatur eſſe à Chriſto inſtitutum, non ad officium ſolùm, & remedium incontinentiæ, verùm etiam ad Sacramentum (id quod veſtri blaſphemè pernegant) intelligis quorſum reciderint plumbea iſta, quæ in aërem iacula intorſiſti. Præterquam quod ſi Beatiſs. illum martyrem alloqui poſſes, ſuam vt tibi mentem exponeret, de ea commixtione, quam legitimam vocat, ecquid amabò putas reſponſurum de Ochino, Bucero, Petro martyre, Oecolampadio, Luthero, & alijs, qui Monachi cùm eſſent, ac ſacerdotes, virgines tamen ſanctimoniales, & alias ad infamem & execrandam commixtionem pellexerunt? ſanè nec legitimum iſtud fuiſſe, & tales apoſtatas, apoſtatam illum in ſe (vt ille ait) draconem habitantem non minus fouiſſe, quàm Tatianos, Marcionitas, Manichæos, nuptias eſſe à Deo inficiantes, ſicuti ſpiritu præuidebat Apoſtolus, diſertè pronunciaſſet. Ac demum haud mitioribus verbis iſtam nefandam apoſtatarum impuritatem plecti curaſſet, quàm ante annos mille Turonenſe Concilium fecit, quod ita habet. Si qui in monaſterio conuerſi ſunt, nullatenus habeant licentiam euagandi, nec (quod abſit) vllus eorum cõiugem ducere, & qui vxorem duxerit excommunicetur, & de vxoris malæ ſociatę conſortio, & iudicis auxilio ſeparetur: Qui infælix monachus tali coniunctione fœdatus, ſi per cuiuſcunque patrocinium ſe conatus fuerit defenſare, & is qui in hac pertinacitate perdurat, & illi qui eum ſuſceperint defenſandum, ab Eccleſia ſegregentur, donec reuertatur ad ſepta monaſterij, & indictam ab Abbate, quãdiu præceptum ei fuerit, agat pœnitentiam, & poſt ſatisfactionem reuertatur ad gratiam. Sed & extat octaui Toletani Concilii ſextus canon, quo decretum in Eccleſia fuiſſe oſtenditur, vt qui poſt ſacros ordines vxoribus copulantur, ſub pœnitentiæ oneribus vſque ad extremum vitæ ad monaſteria relegarentur: cùm & ſecunda Toletana Synodo antea ſtatutũ fuiſſet, vt qui poſt ſacros ordines vxorem ducerent, aut ad eam redirent, à cuius contubernio iam receſſerant, ij tanquam ſacrilegij rei ab Eccleſia haberentur extranei.

Caſtimonia Proteſtantiũ in Sanctimonialibus violandis.

Concil. Turon. 2. canon. 16.

Nota.

Concil. Tolet. 2. can. 1.

QVAE eò libentius attuli, vt qui videri vis antiquorum canonum (ſi Deo placet) reſtitutor, Philippum tuum verius agnoſcas veteratorem, quàm (quoniam nos ex vniuerſali orthodoxa Eccleſia cœlibatum in ſacerdotibus tuemur) ſatis temerè tales nos (imò potius in nobis Eccleſiam Chriſti) vocas. Nam quod Melanchthon dixit, veteres canones ſuſpendiſſe quidem ob cõiugium ſacerdotes ab officio, Eccleſiam verò Catholicam eos ſuſpendere ab arboribus, & illud vnum ſatis eſt, quod te Chytræe conficit, & hoc egregiè ipſe mentitus eſt. Neque enim apoſtatæ, aut eiuſmodi homines propter coniugia, ſed propter ſacrilegia iuſtis diſciplinæ legibus, & pœnis afficiuntur. Non damnantur (inquit Beatus Auguſtinus) viduæ quæ nubũt poſt votum, quia coniugalem fidem poſterius inierunt, ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quòd ſi (vt hic ipſe paulò pòſt docet) lapſus viduarum, quæ poſt ſimplex continentiæ votum nubũt, adulterijs peiores ſunt, ecquid de lapſu diceret ſacerdotum, qui poſt ſolemne votum contrahentes haud verum coniugium, ſed ſacrilegium contrahunt, & vxorum nomine concubinas ducentes coniugium ſimul & ſacerdotium violant? Ecquid porrò diceret, ſi cerneret huiuſmodi homines docere: Vota continentiæ haud eſſe præſtanda, nonne non ſolùm ſacrilegos, verùm etiam hæreticos, atque ab arboribus ſuſpendendos dixiſſet? Quæ cùm audis, agnoſce impudentiam hæreticam, id eſt, tuam, qui decretum Siricij Pontificis ſancti, & quod Catholica Eccleſia ſemper venerata eſt, vocas impudentiſsimum. Nam cùm vel ipſe inter opera carnis vnà cum D. Paulo intellexiſſet, concubitus illorum, qui & votis caſtitatis obſtricti, & ſacris addicti ordinibus, ſpirituales filios iam gignere ſoluti omnibus curis ſecularibus debent, nempè, vt ſint non diuiſi, ſed ſancti corpore, & animo, quid tu infœlix id torques ad honorabile connubium, atque ad legitimas nuptias, quarũ nos Catholici (quod ſanè vos hæretici haud facitis) tria bona ſemper Eccleſia prædicauit, fidem, prolem, Sacramẽtum? In iſtis igitur apoſtatis (iterum dico) non permanebit, neque manet ſpiritus Dei in æternum, quia caro ſunt, & poſitam manum ad aratrum retraxerunt, ac retro abierunt: Et propterea cum Apoſtolo fidenter dicimus, eos damnationem habuiſſe, qui primam fidem irritam fecerunt.

Melanch. in apologia.

Lib. de bono viduitatis c. 9. & cap. 11.

INANES AC FVTILES ESSE obiectiones Chytræi, quas ex quorundam Epiſcoporum Matrimonio deſumit.

CAPVT XI.

IAM quod Hilarium, Polycratem, Spiridionem, Chæremonem, Baſilium, & Gregorios Nazianzenum atque Nyſſenum, ac, ſi qui alij fuerunt, ſcribis, aut progenitos fuiſſe ex parentibus Epiſcopis, aut ipſos vxorem duxiſſe, & prolem ſuſcepiſſe, non ego iſtos tibi ſolùm, ſed centurias afferre poſſem ſi vellem. Quis enim negat potuiſſe pluribus maritis vxores ſuas fuiſſe, natoſque, cùm tamen poſtea ad Epiſcopatuum munera adſciti, conſentientibus vxoribus cœlibem ex Apoſtolica traditione vitam traduxerint? Tu igitur mihi filios ſaltem aliquos D. Hilarij narraſſes, quos poſt Epiſcopatum genuiſſet. Quod cùm efficere non poſſes, cumulaſti impoſturas impoſturis, vt theſaurizares tibi iram in die iuſti iudicij Dei.

DE D. HILARIO.

SED & D. Hilarius, quid filiæ de virginitate ſeruanda ſapientiſsimè ſcripſit, vt eius animum ab imminentibus nuptijs auerteret, quemúe ea de re hymnum ſcripſerit identidem ab ea recitandum, quidque vt ea moriens ad ſponſum ſuum migraret, orauerit, denique quid de continentia ſenſerit, cùm diceret, vouendum eſſe Deo contemptum corporis, & caſtitatis cuſtodiam, notius eſt, quàm vt ſit opus, huc omnia conferre. Itaque quidquid ex Baptiſta Carmelita de D. Hilario ſubiungis, id omne plus quàm ſubdolè à te recitatum eſt. Poteras enim primò afferre, quæ doctus ille Theologus de virginitate, ſeptem libris edidit, quos Parthenices inſcripſit, dum Beatiſsimæ Dei Matris, & aliarum virginum, Margarethæ, Agathæ, Luciæ, Appolloniæ, Ceciliæ, virginitatem, & martyria cecinit. Poteras (inquam) quæ de alijs cœlitibus encomia edidit, cùm dies ſacros pangeret, ac tum ſinceriore fide geſsiſſe tè putaſſent ij, qui cùm ea omittas, reliqua verò ſuccidas, aut delumbes, iam te qualis ſis interius, agnoſcunt ita vt deteſtentur. At verò cùm ea carmina de D. Hilario protuliſti, vide quàm tibi ſemper ſimilis ſis. Vt enim Baptiſta Carmelita oſtenderet, virũ ſanctum, & ab omni ambitione alienum fuiſſe ex ordine coniugatorum delectum in Epiſcopum, carmina illa edidit, non autem quaſi poſt Epiſcopatum vxorem duxerit, vel ea vſus ſit, ac filios genuerit.

Vide Fortunatum in vita D. Hilarij.

In Pſal. 64.

QVIN verò conſtanter refellit, quæ hęretici quidã (vti vos facitis) audebãt obijcere aduerſus cœlibatũ, & quadrageſimæ ieiunium: ac paucis carminibus conſequentibus, duodecies, his vocibus vtitur, Dicunt, aiunt, memorant, ne quis illius id fuiſſe cõſilium putet.

QVOD cùm feciſſet, ac de Græcorum conſuetudine aliqua adieciſſet, mox infert.

Sed quo mẽte vagor? video, mea lõgior æquo eſt
Ecbaſis, ad ſancti feſtum redeamus Hilari.
Hic pater à ſuperis caſtum ne fortè pudorem
Perderet, obtinuit magno pro munere mortem
Coniugis, immundum veneris ſic oderat ignem:
Impetrauit idem natæ, quæ nomine dicta eſt
Appia, & ad cœlum, quo peruenturus & ipſe
Poſt breue tẽpus erat, miſit cum matre puellã.
Cura viro munire fidem primaria ſemper
Cùm foret, ex libris armamentaria ſacris

Vide lector an q̃d quam colligi hinc poſsit, q̃ ſacerdotũ cœlibatui aduerſetur & agnoſce peſtilentiſsimũ ingeniũ Chytræi, & cæ-

 Fece-

terorũ hæreticorum cũ aliquid ex Catholicis citant.

Fecerat,& cõtra Christi se armauerat hostes.

Ex quibus habes, quàm castè cœlibatum vir sanctus post sacerdotium assecutum coluerit.

ET sanè certissimum est virum sanctum,& ab Arianis,atque Constantio plura perpessum, multos autem annos huc illuc vel relegatum,vel discurrentem ob Arianæ cladis procellam cœlestia tantum tractasse,Diuinisque rebus totum se addixisse. Ac cùm Beati Hieronymus, & Augustinus fuerint sacerdotalis cœlibatus inuicti propugnatores, profectò eũ non ita celebrassent, si deflexisse cognouissent à rectissima regula continentiæ, quam Episcopi,& sacerdotes in Occidente & in Africa,in qua D. ipse Augustinus fuit Episcopus,integram semper seruauerant,ab ipsis quoque Galliæ Synodis persæpè sancitam.

Tho. Valdẽsis To.3. tit.7. de ordinis Sacramentalibus c.76.

QVIN tu ergo si per scripta Carmelitarum spatiari cupiebas,& illa integra tuo responso non adscripsisti, & Thomæ Valdẽsis Angli eiusdem ordinis Theologi præstantissimi nonnulla saltem de multis,quę de cœlibatu sacerdotum à Viclefistis vestris præcessoribus obiecta doctissimè refutauit,in medium non attulisti? Quod cùm non feceris,propinabo tibi hæc pauca,quæ ipse de suo, mox de antiquis Ecclesiæ Christi patribus appositissimè deprompsit. Ex hac scriptorum (ait) congerie, conuincitur Guillelmus (hæreticus) falsum dixisse de Christo, quod ipse cuilibet triũ statuum Ecclesiæ, inter quos sunt clerici, nubendi legem instituit: quia ad contrarium inuitauit, dicens cunctis futuris clericis. Qui potest capere capiat: antequam ceperit per votum, videat si possit implere promissum. Nullus, inquit Beda, sine hoc voto,vel vt virgo existens, virgo permaneat, aut contracta vxoriæ coniunctionis fœdera soluat, consecrari permittitur: nulli præcipitur, nullus penè iam cogitur inuitus, sed qui iam consensit esse sacerdos,voto castitatis se spontè constrinxit. Qui potest,inquit, capere capiat. Non potui capere,inquis Guillelme. Aetatẽ habebas,de te ipso loqui poteras, annum vigesimum quintum agens. Cur hoc non dixeras ante consecrationis officium, immò magis cur facto, te posse dixisti cum alijs sanctis ingredi in sancta præsumens,te antistiti te consecraturo sponte prę sentans? tunc capere potuisti,de cętero reatum obligationis tuę cœpisti. Tunc,inquis,potui, modo non possum. Ergo alium te fecisti, quàm Deus condidit: imo ipso Cain deterior factus es,cui Deus ait, qui mentiri nõ potest: sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Et notanter ad has falsas excusationes virorum carnalium tollendas dicit Moral. 17. super epistolam ad Hebræos Chrysostomus. Non enim dicere oportet,non possum,& accusare conditorem. Si enim impotentes fecit nos, qui iubet accusandus est. Qualiter igitur ais multi non possunt? Quod non volunt, dic: si enim voluerint, omnes potuerint. Propterea & Paulus ait. Volo omnes homines esse,vt meipsum,quia sciuerat, quòd omnes esse poterant,vt ipse. Non enim si demum impossibile esset,hoc dixisset. Vis fieri: velle primum assume solum. Dic mihi. In omnibus artibus cùm voluerimus in eis fieri, contenti sumus, solo autem velle tangimus res, quale est quod dico. Vult quis fieri gubernator,non dicit volo, & in hoc contentus est,sed rem tangit. Absentari rursus vult,sed non dicit volo, sed rem tangit. In longinqua vult proficisci, sic nõ tantum dicit volo,sed etiam rem ipsam aggreditur. Demum in omnibus non sufficit velle solùm, sed sufficit velle cum opere: quia assumit rem quæ laboratur. Dicamus enim cooperatorẽ, & congestatorem Deũ, solum velimus, solum operi offeramur, in re solum solliciti simus. Hæc ille. Pergit autem postea. Iam dignè responsum est huic prætensę rationi carnalium, Non possum. Ergo conditor reus est suę iussionis,quam tibi dixit,qui te impotentem fecit. Casu & in ipso contingentiæ, quem habemus præsentem, Apostoli votum inducitur dicentis: Vellem omnes homines esse,tanquam meipsum. Quòd si non omnes potuissent, non hoc ipse dixisset, ait Chrysostomus. Ad hoc dicat impossibilis, seu impotens noster Guillelmus contra Apostoli sententiam,dicat,fatue sic Paule vouisti, qui non omnes hoc possunt, quod tu esse meruisti: Quòd si non fatuum hoc eius votũ erat,potuit (audeo dicere) Guillelmus continere. Potuit,inquit Chrysostomus, primum, sed noluit demum: si velle suum facto coniungeret,quia Deus ipse volenti cooperari non desinit. Hoc ex omnibus tibi dico,noli fallere Deum, quia vouisti,iam te astrinxisti,ait Augustinus. Aut quas tibi grates,si iam adesset,redderet Augustinus, quod rapuisti ei argumenti exemplum de grandi continentia clericorum,cùm intenderet deprimere peruicaciam laicorũ causantium se continere non posse. Libro secundo de adulterinis coniugijs in fine Augustinus. Si modò hoc non posset infirmitas hominum, multò minus id posset sexus infirmior fœminarum. Vnde istos,qui virilem excellentiam non putant, nisi peccandi licentiam terremus, quod adulterinis coniugijs inhærendo pereant in æternum: solemus enim ijs præponere etiam continen-

Nota. *Gen.4.* *Chrysost. Tom.4.* *1.Corin.7.* *August. Tom.6.*

continentiam clericorum, qui plerunque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inuiti,eamque susceptam vsque ad debitum finem domino adiuuante perducunt. Dicimus ergo eis. Quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentia raperemini,nonne susceptum castè custodiretis officium, repentè conuersi ad impetrandas vires à Domino,de quibus nunquã antea cogitastis? Sed illos (inquiunt) honor plurimum cõsolatur: respondemus & vobis,timor multò amplius moderetur: si enim hoc multi Dei ministri repentè,atque inopinatè impositum susceperunt,sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere,quantò magis adulteria cauendo viuere continenter debetis,metuentes nõ in Regno Dei minus lucere,sed in gehenna ignis amplius ardere? Hæc ille. Valdensis autem iterum subiungit. In toto isto passu non venit ad calamum Augustini,quomodo tales ad clericatum rapti possent licitè nubere & eò licentius,quò causari possent donum illud continentiæ non eis desuper datum esse, sed sub eâdem sarcina continentię cuncta ad bonum finem perducũt, & ad illos quærulos de impotentia continendi audacter supponit,eos castè custoditurosofficium, quia si repentè conuerterentur,impetrarent vires à Domino, quas antea nunquam cogitarent. Sed noster Guillelmus cùm antea potuit, sacerdos factus non potest esse castus, ab alijs gentibus longè semotus: fragilis in natura,ita quòd non sit similis ei in terra. Et quod torques in Papatu,qui legem instituit post millenarium Christi,quid hoc tibi proderit,Papæue noceat? Mora temporis,Christi legem non excludit, vt si mane non fiat, saltem seriò fiat,quod iusserit. Iam omnes Sancti clamant hanc continentiam clericorum necessariam legi Christi. Ipsi vetusti Patres item infra millenarium tuum annis sexcentis omnes, qui in illo gloriosissimo Nicæno Concilio, vbi proiectus est Arius ille stipula mundi: ibi omnes inhibuerũt non nuptias tantummodò clericorum maiorum,sed & introduci fœminas in domos clericorum,quæ suspicionis notam possent attrahere.

DE DIVIS GREGORIO NAzianzeno & Basilio Magno.

AT cùm Diuos Gregorium Nazianzenum,& Basilium honoratissimos agnoscas, diffiteri autem nequeas illos parentibus suis doctrina, sanctitate, miraculis multò fuisse illustriores, certè & plus parentibus suis sapuisse negare non potes, qui neque cùm possent, astringi vinculo matrimonij voluerunt,nec alios sacerdotes vnquàm hortati sunt ad coniugium, neque verò si ipsimet ante sacerdotium duxissent vxores, amplius vnquam sese cum illis miscuissent. Atqui B. Gregorius Nazianzenus ob puritatis retributionem sæpè Christũ manifestè in somno,& meditatione nocturna videbat, & Gorgoniam sororem sanctissimam virginem tam sæpè & commendat, & acuit,ne quem alium,quã Christum sponsum, & amatorem habeat.

Greg. presbyter in vita eius.

IAM D. Basilius fuit Pater monachorum,qui omnes continentiam ex voto profitebantur, quorum adhuc & Græcia,& vtraque Sicilia,& Russia,& Moscouia plena est,si non antiquam eruditionem, atque Catholicam religionem penitus, certè in pluribus & hanc,& cœlibem vitam obseruantium. At cùm D Basilius Gregorium illum,de quo supra diximus, dehortatus esset,ne domi mulierem apud se retineret, cur putas iusserit, vt in monasterium intruderet? sanè si soluta, vel virgo fuisset, cur potius vt in matrimonio collocaretur, non persuasit?

QVARE cùm tu ad istorum parentes respexeris, qui tamen post Episcopatum cælibes fuere, neque solùm ad continentiam, verùm etiam ad virginitatem filios & filias antea ex matrimonio susceptas instituerunt, intelligis, quis te spiritus egerit,cur eorundem filiorum virginum exempla tanquam perfectionis Euangelicæ propria,& proxima, auditoribus tuis potius non proposueris? At vt vt tu, vestrique sic sese gerant, spero equidem de Dei bonitate futurum, vt discipuli tui aliquando vbi attentè perlegerint Diuos Basiliũ, & Gregorium,cupiant te flagris affectum, iustius ad legitimum Ecclesiæ Magistratum posse reducere,quàm prisci illi Ethnici adolescentes fecerunt, qui pædagogum proditorem plectendum ab hostibus suis in patriam reduxerunt.

DE SYNESIO.

SYNESIVM deinde ais in summo honore sui temporis, & admiratione totius posteritatis fuisse,qui testatus sit,se in Episcopatu,non vt adulterum clã vxoris suæ consuetudine vsurum, id enim minimè iustum esse, sed cupere se Episcopum etiam multos, & bonos ex ea cultores Dei suscipere. Hæc tu. Quę qui tantummodò legat, & credat,quis non putauerit, Synesium etiam Episcopum fuisse,ac etiam tunc voluisse filios gignere? At ille cùm ista scriberet nec Episcopus,nec sacerdos, nec adeò integrè Christianus erat, qui Ethnicus fuerat, & Platonicus. Historiæ suę Nicephorus epistolam eiusdem Synesij ad Euopium fratrem adiũgit tunc scriptã, cũ à Theophilo Alexan

Niceph. li. 14. cap. 55.

Alexandrino Episcopus Ptolemaidis Cyrenaicæ regionis Synesius designabatur. Qua epistola multas sibi deesse dotes & animi, & corporis, quæ tantum onus subleuarent, candidè aperit: seq; nolle, inquit, nec posse (si fieret Episcopus) vxorem deserere: nec posse item credere, quæ de anima, de mundi interitu, quæue de resurrectione Christiana edocet fides, quæ quidem omnia opiniones siue opinationes vocat. Siquidem (ait) cùm res meas in medium protulerim, & potestati eius (Theophili) quicquid velit de me statuendi permiserim, quomodo crimini alicui obnoxius sim? Mihi & Deus ipse, & leges, ipsaque sacra Theophili manus vxorem dedit. Quapropter omnibus prædico, testatumque esse volo, me illam prorsus deserturum non esse, neque cum illa mæchum clandestinam consuetudinem habiturum. Alterum enim minimè pium, alterum minimè legitimum est. Quin potius & volo, & opto, plures mihi & probos nasci liberos. Hoc ipsum electionis authorem, & principem ignorare non oportet. Sciant id amici etiã nostri Paulus, & Dionysius, quos legatos hanc ob caussam à populo lectos esse audio. Illam verò rem Theophilo non significari, sed in memoriam tantum reuocari opus est. De ea autem fusius dicam, cum qua vna quisquam alia omnia collata parua esse iudicat. Difficile est, atque adeò fieri omninò non potest, vt animus dogmata, quæ per eruditionem & scientiam in certam necessariamque persuasionem euaserint, fluctuare, & in dubium vocari sinat. Nosti porrò, philosophiam admodum diuulgatis istis Christianorum aduersari opinionibus. Itaq; haud vnquam adducar, vt posterius animam quàm corpus gigni credam, neque mundum ipsum, & partes alias interituras esse dicam. Resurrectioné deprædicatam, sacrum quiddam, & minimè vulgandum esse dico, neque conceptis vulgi opinionibus assentiri possum. Mens philosophia exculta verum perspicit. Ea necessitate adducta, mendacium permittit. Et habet rationem, seu proportionem suam lumen ad veritaté, vt oculus ad mentem. Quatenus ergo oculus lumine copiosiore in deterius abutatur, aut lippis tenebræ commodiores sint, hactenus mendacium quoque populo vtile esse, & veritaté noxiam eis puto, qui aciem mentis in euidentem rerum claritatem intendere nequeunt. Quòd si sacerdotes nostri hæc mihi permittunt, potero sanè ego quoq; sacerdotis munere fungi, qui domi quidem philosophiæ incumbo, in publicum aũt progressus sermonibus, & colloquijs hominũ delector, non ego quidẽ docens, neq; tamẽ vetera dediscens, & noua addiscens, sed in anticipata opinione quemq; persistere permittens. Sin illi sacerdoté ita animatũ, & opinionibus popularé esse oportere dicãt, omnibus palã ostendere nõ intermiserim. Quid rei est populo cũ philosophia? Rerũ enim diuinarum veritatem minimè vulgari oportet. Populus autem more, & assuetudine alia indiget. Rursum igitur, & sæpius repetens dicam, nulla cogente necessitate, neq; arguere, neque argui sapientis esse. In sacerdotum autem ordinem cooptatus, nõ cõmittam, vt dogmata præter animi sententiam assimulem. De his Deum, de his homines testes inuoco. Veritas Dei ꝓpria est apud quem in rebus hominibus inculpatus esse volo. Hoc vnum tantum nõ dissimulo. Quandoquidem ioci, & ludorum studiosus sum, ita vt iam inde à puero crimen illud sustinuerim plus quàm deceret armis me, & equis delectatum esse. Seuerus & tristis ero? Quid enim facerem si charissimos canes feras nullas persequi, & sagittas à teredinibus exesas esse viderem? Et cõstantiam, si Deus voluerit, obtinebo: atque quamuis à curis alienus, macerabor, caussarumq; & negotiorum quantũuis graue ministerium hoc, Deo confisus sustinebo. Dogmata autem per dissimulationem non tegam, neque mens à lingua dissentiet. Hoc si cùm & sentiam, & dicam, Deo placere puto: neq; sermonis illius de me occasionem relinquere volo, me quòd qui fuerim ignoratus sim, electionis suffragia rapuisse. Cæterùm Dei amantissimus Pater Theophilus, cùm me norit, postquam mihi se id scire significauerit, sic tandem de me consilium, quid statuat, capiat. Tum enim aut in instituto meo viuere me, & philosophari patietur, aut postea, vt me in iudiciũ vocet, vel sacerdotum ordine moueat, sibi ipsi potestatem non relinquet. Aliæ insuper opiniones & sentétiæ omnes nugæ fuerint. Veritatem enim, satis scio, Deo esse gratissimam. Sed enim sacrum caput tuum, atq; in primis veritatis tutorem, & inspectoré Deum testor, ægrè mihi esse. Quomodo enim non sit, cùm quodammodo ex vita solita, in vitam aliam transeundum mihi sit? Hæc Nicephorus ex Synesio, qui vbi adeptus est Episcopatũ, an liberis operam dederit, neque tu verè, nec aliquis antiquorum protulit. Quin verò, cùm factus Episcopus errorem suum de resurrectione reiecisset, quemadmodum sperauerat Theophilus, mirum non est, si item Ecclesiæ ac Prouinciæ illius moribus, & cœlibatui seruando se attemperauerit. Cernis ne igitur Chytræe, quid hinc dicturi sint tui, qui in istis erroribus hac illac tuum cerebrũ tam miserè rotas?

Sinesius ad Euopium.

Vxoré legitimã propter presbyterij seu Episcopi magistratum dimittere non vult.

Platonic' sententias cũ Christianis dogmatibus pugnantes retinendas esse cẽset.

Philosophia quandoque admittit mẽdacium.

Nota quonam in statu erat, & quemadmodũ affectus, cùm scriberet Synesius, quæ pro se mendaciter affert Chytræus.

Reformidat Episcopatum Synesius.

IN CANONE STEPHANI PONTIficis citando Chytræi fides desideratur, & in Concilio Ancyrano nihil esse cœlibatui contrarium ostenditur.

CAPVT XII.

ADDIS. Extant etiam in ipsis iuris Pontificij canonibus testimonia, quæ sacerdotes iam ordinatos consuetudine cõiugali vsos declarant. dist. 31. Aliter se Orientalium traditio habet Ecclesiarum, nã earum sacerdotes, diaconi, & subdiaconi in matrimonio copulatur. Hæc tua respõsione. Sed & hic sincerior in recitando tua desideratur fides. Vt enim modo non quæram, Num iste canon fuerit Stephani Pontificis Maximi (de quo alibi dixi) is ita habet. Occidentalis non Orientalis Ecclesia castitatis votum obtulit. Aliter se Orientalium Ecclesiarum traditio habet, aliter huius Romanæ Ecclesiæ. Nam eorum sacerdotes, diaconi, & subdiaconi in matrimonio copulantur. Istius autem Ecclesiæ, vel Occidentalium Ecclesiarum nullus sacerdotum, à subdiacono vsque ad Episcopum licentiam habet coniugium sortiendi, &c. Cuilibet Christianorum antequàm vouit cœlibis vitæ castitatem, licet ducere vxorem, si vir est: si fœmina, nubere. Postea verò quàm vouit, vt abstineat necesse est. Hæc ibi. Sed neque in vniuersa Orientali Ecclesia, vti ex ipsismet Orientalibus grauissimis testibus planum fecimus, licebat connubium exercere post sacerdotium. Ac cùm in tot sacerdotibus, qui assumuntur ex Monachis in Archimandritas, & Vladicas, siue Episcopos, res adhuc antiquum, & Apostolicum in Græcia morem obtineat, nónne vides, quoquo te verteris, etiam per traditionem Orientis Ecclesiarum, Lutheri, & aliorum apostatarum vestrorum connubia anathemate esse damnata?

Lib de imposturis Chytræi.

Episcopos Rutheni vocant Vladicas.

DE CONCILIO ANCYrano.

PERGIS. Cumque de Græcis Ecclesijs præcipuè inter nos agatur: Id enim oppugnat Posseuinus, quod maritos à sacerdotio apud Græcos non arceri in oratione mea scripsi: omissis Occidentalibus, Græcas seu Orientales Synodos ab ipso Posseuino citatas consideremus. Allegat Concilium Ancyranum, quod manifestissimè testatur, etiam post ordinationem licuisse diaconis matrimonia contrahere, qui licentiam ab Episcopo habuerunt. Poterant itaque Episcopi dare facultatem ducendi vxores diaconis iam ordinatis. Et: Canon X. Diaconi, quicunque cùm ordinantur, in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes velle se habere vxores, nec posse continere, hi postea si ad nuptias venerint, maneãt in ministerio, propterea quòd his Episcopus licentiam dederit.

RESPONDEO primùm. Ad id, quod de Hieromonachis, è quibus in Græcia etiamnum Episcopi assumuntur nihil prorsus dixisti: nihil item de Monachis, & Sanctimonialibus, quæ votum castitatis apud eos seruant. Id quod nec Monachos vestros fecisse, & ab his sanctimoniales omnes ad vnam fuisse edoctas, & adactas, vt fidem Christo datam frangerent, manifestissimum est. Præterea quod dicis, te omissis Occidentalibus ad Græcas, & Orientales à me citatas descendere, perspicuum est, id te facere, vt solidum illud & constans Ecclesiæ per tot secula in vniuerso Occidente, ac parte magna Orientis de cœlibatu testimonium silentio inuoluas. De Cõcilio Ancyrano, quæ dixi vera sunt: Nec solùm in sacerdotio, verùm etiam in diaconis tacitam ipsam, ne dicam voce pronũciatam (vt in Ecclesia Occidentali semper est factum) professionem sic valuisse, vt si ad nuptias venissét, à ministerio, vel clero cessare debuissent. Quicunque (habet canon) sanè tacuerunt & susceperunt manus impositioné professi continentiam, si postea ad nuptias venerint, à ministerio, vel clero cessare debebunt. Nam quod attinet ad canonis verba illa, quæ præcedunt: Diaconos quoscunque cùm ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, dicentes se velle vxores, nec posse se continere, hi postea si ad nuptias venerint, manere in ministerio, quoniam his Episcopus licentiam dederit. Quid hinc effici putas? sanè nihil aliud, quã quod Græci tanti faciebant obligationem voti cœlibatus, vt nisi protestati fuissent, se nolle continentes viuere, intelligerẽt sibi perpetuò cœlibatum esse obseruandum, aut sese reijciendos à clero. Et num aliud? Id quoq; consueuisse in Oriente non paucos, continentiam vel verbo, vel tacitè vouere. Illud item. Antiquam fuisse traditionem hoc in Ecclesia faciendi. Præterea illud etiam. Diaconos nisi ab Episcopo licentiam habuissent, non potuisse matrimonia postea contrahere. Vestros ergo diaconos, & sacerdotes, cùm à nullo vnquã Episcopo, qui in fidei Catholicæ communione fuerit, ducendi vxorem licentiã habuerint, hoc ipso canone tot ante secula fuisse condemnatos, quanquam & si aliquis facultatem cõcessisset, ea nihil valuisset. Sed quid amplius? Potuisse (inquis) Episcopos illis dare facultaté ducendi vxores. Quorsum hoc? videlicet, vt tuũ consilium quidã sequẽtes, istud ipsum à summo Põtifice (velit ille, nolit) extorqueãt. Sic enim deniq; Corypheus Septentrionalium fuisses.

Conciliũ Ancyranũ

At ſi potuerũt Synodi Ancyranæ Epiſcopi, qui tamen non fuere plus quàm duodeuiginti, concedere diaconis, qui non vouerant, facultatem, vxores ducẽdi, patere tu & concoque nunc, ſi noſtri nolunt ijs, qui profeſsi ſunt caſtitatem, permittere id, quod nunquam Eccleſia conceſsit. Et patere (inquam) ſi Epiſcopi Eccleſiæ Chriſtianæ quàm plurimi ac præſertim ſummi Pontifices, ad quos attinet de ouibus, eandem facultatem iuſtiſsimas ob cauſſas ſemper denegauerint, ac negaturi ſint. Neque enim ſine cauſa Petro & ſucceſſoribus eius claues Eccleſiæ datę ſunt ab eo, in cuius manu cuncta, & propterea in primis corda Põtificum ſunt poſita.

Albertus Pighius cõtrq. 15. de cœlibatu ſacerdotũ.

SED cũ Philippo Melanchthoni, ex quo iſta omnia deſpumaſti, Albertus Pighius vir doctus liquidiſsimè reſponderit, ad eũ te refero. Melanchthon enim ſic aiebat. Manet adhuc hodie mos ille in Græcanica Eccleſia, vt ſacerdotes nubant, & non ſolùm mariti eligantur ad ſacerdotium: nec vt nubant ſemel tantũ, ſed quoties voluerint, etiam decies, ſi ita tulerit res. Hæc ille. At Pighius poſt alia reſpondet: ipſá rei euidentia Melanchthonem conuinci impudentiſsimi mendacij. Quandoquidem (inquit) omnibus notum eſt, quibus mos Grecæ, quem adhuc hodie obſeruat, Eccleſiæ notus eſt: admitti quidem apud eos maritos ad ſacerdotium, ſed qui ſemel tantum, vni eique virgini nupſerunt: at qui ſacerdotes iam ſunt, & altaris miniſtros diaconos non nubere. Quod ſi cuius, quam ante accepit, vxor obierit, illum, reliquum vitæ tempus in ſacerdotio cœlibem viuere oportere: & quæ ſequuntur. Vbi deinceps. Non hoc inquit Pighius) decreuit Ancyrana Synodus, quod Melanchthon ille impudentiſsimè & mẽdaciſsimè affingit: ſed de altaris miniſtris ſub ſacerdotibus ita decreuit, vt ſi qui eorum adhuc cœlibes, & nuptiarum inexpertes, ab Epiſcopis ad eum gradum vocati, & ordinati de hoc expreſsè proteſtati fuerunt ſuæ ordinationis tempore, quod continere non poſſent, ſed vellent nubere, nec vlla ratione eam à ſe libertatem abdicare intenderent: ſi ijdem poſtea venirent ad nuptias, quod id ſine ſui gradus & miniſterij periculo, aut iactura facerent, eò quod ſub ea velut licentia, ab Epiſcopo ordinati fuerant, id quod alijs, ſine gradus ſui periculo nõ licebat. Citatur hoc decretum XXVII. di. c. diaconi: cũ duo ille intruſit mẽdacia. Primũ, quod loqueretur de diaconibus, qui cœlibes, ſed ſine expreſſo voto cõtinentiæ, ad eum gradũ euecti fuerant: cũ de illis non loquatur, ſed de his, qui expreſsè proteſtati ſunt ſuę ordinationis tẽpore, quod continẽtiæ obligari noluerunt, nec abdicare libertatẽ contrahendi matrimoniũ: velut, intelligentes quidẽ tacitè includi in ſuſceptione gradus iſtiuſmodi, profeſsionem cõtinentiæ: tamen expreſsè proteſtãtes, nolle ſe ad eandẽ aſtringi: nec eiuſmodi miniſteriũ ſub ea obligatione ſuſcipere, ſed ſi Eccleſia opus haberet, atq; vti vellet eorũ miniſterio, id permiſſa ſibi priſtina illa nubendi licentia faceret. Nam ſine expreſſa iſtiuſmodi proteſtatione contraria, quiſquis cœlebs ſuſcepiſſet diaconatꝰ miniſteriũ, eo ipſo tacitè intelligebatur, etiã ſecundum verba eiuſdẽ Ancyrani canonis, profeſſus continentiã. Ita enim habent eius verba. Quicunq; ſanè tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem continentiã profeſsi, ſi poſtea ad nuptias conuenerint, à miniſterio ceſſare debebunt. Notabis autem, & diligenter conferes, qd' dicitur: Si tacuerint, & ſuſceperint manus impoſitionem, continentiam profeſsi. Quæ verba ſuſceptionem gradus diaconii, cum taciturnitate, aut ſine expreſſa proteſtatione, quod obligari nollent ad cõtinentiam, tacitam habere profeſsionem continentiæ clariſsimè ſignificant. Nam ſi vt obligarentur velut profeſsi continentiæ, ea ipſá illis expreſsè vouenda fuiſſet, & eſſet, non dixiſſet, ſi tacuerint, & ſic ſuſceperint. Quomodo enim qui tacet expreſsè vouet? Alterum mendacium quod eidem Ancyrano decreto Philippus intruſit, imò quo ipſum impudẽter falſificauit, eſt, quod dicit ipſum loqui de diaconibus in cœlibatu, ſed ſine expreſſo eius voto promotis, quod ſi ijdem poſtea ad ſuperiorem gradũ euecti vxores ducant, ipſis concedendum hoc eſſe, ſine gradus aut officij ſui iactura aut periculo. Nam Ancyranum illud decretum nihil loquitur de diaconibus, quomodo dictum eſt, promotis, & poſtea euectiş ad gradum ſuperiorem, nempè ſacerdotiũ: nec dicit, quod ad illum iam euectis in eo licuerit nubere: imò Philippi ſunt hęc additamenta & mendacia. Sed ſolùm de his, qui ad diaconatus gradum cùm ea, quæ dicta eſt proteſtatione promoti ſunt, dicit, quod ſi in eo ipſo, nõ verò in ſacerdotio de quo non loquitur, poſtea cõtraherent nuptias, non propterea priuandi eſſent ſuo officio ac miniſterio, cùm illud quod tacitè inerat ſuſceptioni gradus contraria proteſtatio excluſerat: Hæc ille.

Mos Græcæ Eccleſię circa ſacerdotũ. &c. coniugia.

Ancyrana Synodus.

Pigij euidenter cõuincitur. Melanchthon & Chytræus.

Suſceptionem ſacerdotij, aut diaconatus tacitè excludere profeſsionem continentiæ.

HISTORIAM DE PAPHNVTIO meritò reijci, & eam cœlibatui non aduerſari.

CAPVT XIII.

NVNC venio ad Paphnutium illum veſtrum, ſed poſtea non adeò tuum, vt quem obieceris aduerſus ſacerdotũ cœlibatum pugnaſſe, Nicænoſq; Patres à lege de cœlibatu ferenda coërcuiſſe, mox eundem aſſerueris non rectè, aut ex verbo Dei ſenſiſſe, cùm ſacerdotes poſt ſacerdotium vxorem ducere non poſſe cum vniuerſa Eccleſia crediderit. Te videlicet pupugerunt ad viuum hæc verba, quæ tuas retegẽs impoſturas ſic ſcripſeram:

Pag. 62. & 66.

Inconſtantia Chytręi leuitas

Pag. 28. 29.

SILENTIO deniq; inuoluunt, quod vel ipſi Socrates, & Sozomenus ſcribunt, Paphnutium, dũ permittendas eſſe ſacerdotibus vxores diceret, quas ante ſuſceptos ordines ſacros duxiſſent, ſimul adieciſſe, non eſſe permittendum, vt ſacris ordinibus initiati, poſtea ducerent. Quamobrem ſi ſpiritu S. dictante, Paphnutij ſententiam ſancta Nicæna Synodus recepit, planiſsimè efficitur, vt Lutherus, Lutheraniq; omnes, qui violata votorum fide poſt ſacerdotium vxores duxere, ſcelus horrendum patrauerint aduerſus Paphnutium, aduerſus Concilium Nicænum, aduerſus ſpiritũ S. Hęc ego.

Pag. 66.

TV verò quid? poſt multa verba ſic inquis: At multò antiquior, & ſacratior eſt traditio ipſius Dei verbi, Eccleſiæ tradita, quæ & in veteri teſtamento ſacerdotes, quibus quotidie ſacrificium Deo offerendum erat, vxorem ducere iubet: & in nouo teſtamento, vxorem & liberos habere Epiſcopo & presbytero concedit, & honorabile coniugium in omnibus (etiam ſacerdotibus) & caſtitatem eſſe cum propria vxore conſuetudinem coniugalem affirmat.

HAEC quidem tu. Sed veſter iſte boni viri mos eſt, idem vt aiendo, & negando ſolidi nunquam quicquam afferatis: idem verò afferendo, & eodem tempore auferẽdo, nihil vt vnquam habeatis. Cæterùm, (ne mihi excidat) Quod dicis in veteri teſtamẽto ſacerdotes, quibus quotidie ſacrificium Deo offerendũ erat, vxorem ducere iuſſos, cur non addidiſti, anno vicis eorum, quo victimas (licet vmbratiles, & carnales) offerebant, non tamen eis licuit, cum vxoribus nec adeò domi ſuæ habere commercium? Sed hæc poſtea nos ex antiquis Patribꝰ ſuo loco. Neſcio verò, quàm ne illud quidem veſtris miniſtris arrideret: Id vereor, veſtros ipſam quoque Synagogam non minus, quàm Chriſtianam Eccleſiam, deſerturos, ſi tam diuturnam parentheſim inter ſe ſe, & vxores paſſuros ſe intelligerent. Sed cùm dixiſti Eccleſiam conceſsiſſe in nouo teſtamento vxorem, & liberos habere Epiſcopo, & presbytero, cur non addidiſti, quod Patres antiquiſsimi, ijdemque eruditiſsimi notauerunt: aliud eſſe habuiſſe vxores, aliud duxiſſe poſt ſacerdotium? Denique, cur addens illa verba: Honorabile coniugium in omnibus, inſeruiſti hęc (etiam ſacerdotibus) ac mox dixiſti. Et caſtitatem eſſe cum propria vxore conſuetudinem coniugalem? Scribebat enim Apoſtolus non ſacerdotibus, ſed laicis. Quare cùm illis dixiſſet. Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei: & non ita multò pòſt. Obedite præpoſitis veſtris, ipſi enim peruigilant pro animabus veſtris: illud quoq; ſubdidit. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus: quæ ad eos, ad quos ſcribebat, potiſsimum attinebant. Itaque & B. Ephrem inquit, dictum id eſſe τοῖς βιωτικοῖς, οὐ τοῖς ἀποτακτικοῖς, hoc eſt ſecularibus, ſiue ijs, qui mundo non renunciauerint: ſicut id quoque: Niſi continent ſe, nubant. Quod quidam Monachi κακῶς ἐκλαμβάνοντες (inquit Euſebius) εἰς γάμον τράπησαν, καὶ οὐκ οἴδασι, ὅτι μετὰ τὰς συνθήκας τὰς εἰς θεὸν γενομένας οὐ λέγεται ἔτι γάμος, ἀλλὰ πορνεία. hoc eſt, obliquè detorquentes ad nuptias conuerſi ſunt, nec intellexerunt, poſt pacti ſponſionem cum Deo interpoſitam, non iam coniugium, ſed fornicationem dici. At redeamus ad Paphnutium. Interea (inquit) nullius momenti apud Poſſeuinum eſt, quod in præſenti controuerſia præcipuum eſt, quod hiſtoria Eccleſiaſtica de Paphnutio refert.

Hebr. 13.

Pag. 62.

TV quidem vera nunc dicis Chytræe: nempè nullius apud me momẽti eſſe, quod in præſenti controuerſia præcipuum opinaris. Nempè quod hiſtoria Eccleſiaſtica de Paphnutio refert. Nam neque apud te, qui hoc exaggeras, fuit denique apud te alicuius momenti (vt paulò antè dixi) quod Paphnutius de non ducenda poſt ſacerdotium vxore conſtanter vnà cum eo Patrũ theatro credebat. Sed & illud ipſum, quod de Paphnutio Catholicis obijcis, tu ipſe affirmas non fuiſſe tanti, vt propterea Patres canonem illum ea de re ſanxerint. Quorſum igitur tãtoperè collaudauerint, cuius ſententiam decreto non conſignauerint, præſertim ſi (vt ſupra diximus) Apoſtolicæ traditioni quadrabat? vides in quos laqueos vos alij ſapientiſsimi pedes inſeritis.

NEC porrò Diuus Gregorius ſolùm eam Paphnutij hiſtoriam (ſi hiſtoria ſit) improbauit: ſed Epiphanius quoq; & Grecus auctor & ſanctus Paphnutium ruiſſe in ſectam Meletianorum eſt teſtis. Ac quem Ruffinus Epiſcopũ fuiſſe ſcribit, eum ſcriptor ſyntagmatis ſeu commentarij Græci de Nicæna Synodo, vti confeſſorem tantum agnoſcit. Atque vt in Epiphanio, tempus Conſtantini Imperatoris, Regio AEgypti, Paphnutij nomen, confeſſoris celebritas eundem Paphnutium eſſe probant, non eſt cur quiſquam tergiuerſetur.

Epiphan. hæreſ. 68.

Ruff. lib. 1. hiſt. Eccleſiaſt. ca. 4.

De

De Meletio autem, licet primò habebatur in summa æstimatione, ac maiore quã ipse Paphnutius, ipse tamen Sozomenus inquisitum fuisse aduersus eum, à Synodo
» scribit Istud quidem (ait) Synodo æquum
» videbatur, cùm secum perpenderet, quàm
» temerario & præcipiti impetu ad mini-
» stros Ecclesię creandos, tum Meletius ipse,
» tum suæ opinionis fautores ferri consue
» uissent. Et Epiphanius, Vtinam (inquit) ij-
» dem Meletiani, qui summam instantiam
» veritatis demonstrabant, cũ lapsis post actã
» pœnitentiam communionem habuissent,
» potiusquàm cum Ario, & sectatoribus ip-
» sius: Contigit enim ipsis hoc iuxta prouer-
» bium. Fugientes fumum in ignem incide-
» runt. Neq; enim Arius potuisset habere sta
» tum, & dicendi libertatem, nisi per huius-
» modi occasionẽ, quæ mala coniunctio ip-
» sis vsq; in hunc diẽ accidit. Permixtè enim
» sunt hi, qui quondã purè degebant, & sum
» mè iusti erant, ac fide Meletiani cum Arij
» discipulis, & pleriq; iam inclinati sunt, ma
» la Arij fide emoti in his temporibus. Qui-
» dam verò etiamsi manserunt in vera fide,
» non tamen alieni sunt à cœnosis sordibus,
» propter societatem cum Ario, & Arianis.

Sozom. li. 1. cap. 23.

Hæc Epiphanius. Quæ placuit adscribere, vt intelligas, qui singulares esse volunt, & plus quàm Ecclesia Catholica sapere, (etiã si quid speciosum interdũ afferunt, ac multis dotibus præditi fuerint) hosce tandem in scopulos impingere, eorumq; tumorem iustißimo Dei iudicio deprimi, nisi sese Catholicæ Ecclesię in omnibus subdant.

AFFERAM autem in simili re haud dissimile exemplum, quod in Synodo Tridentina paucos ante annos contigit. Erant legati quidam seculares, qui nescientes quid dicerent, vrgebant istam in sacerdotibus libertatem, & vsum Eucharistiæ cum laicis sub vtraque specie. Erat item Episcopus, qui doctrina, moribus, & auctoritate habebatur excellens. Quem si audiuisses loquentem, aut illa eadem quæ dixi, callidè insinuantem, sapientißimum, ac decies plus quàm Paphnutium vestri collaudassent. Quid factum? Non ita multò pòst ipse & sacerdos, & Episcopus, & vir specie tantus, Episcopatum quidem abiecit, quia inter Turcas cùm esset, nil inde redituum percipiebat, reliqua verò retinuit, vxorem denique duxit: nec contentus vtraque specie, hęreses vel pridem conceptas, vel quæ postea concepit, deinceps peperit. Præterea librum aduersus sanctißimam Trinitatem scripsit, quem Stephanus Poloniæ Rex dum princeps Transsyluaniam administraret, traditum sibi ab Vngaro procere in ignem proiecit, Regium illud effatus, satis in Transsyluania pestis habemus, necesse vt non sit nouã istius pestilentis libri labem adiungi. Sed & pleriq; norunt eundem illũ tantum Episcopum, superiore anno eandem impietatis Arianæ professionem in Poloniã misisse. Ecquid igitur, si quis vestrum de illo tale aliquid actis Tridentinæ Synodi adijceret, vti factum est de Paphnutio? Iam enim & tu nescio quid submurmuras de vtraq; specie, qua de actum in ea est Synodo. Habere ne propterea deberet apud cordatos homines fidem?

NICAENI igitur patres admittendam esse vbiq; purioris Apostolicę traditionis de cœlibatu obseruationem cordatißimè insinuauerant, si qua ratione opem ferre potuissent Orienti in schismata, & alia dãna collabenti, sicut spiritus S. qui Synodũ regebat, pręuidebat, sed quoniã auersam plerorumq; mentem videbat, difficillimũ autem esse intelligebat homines, qui erga cœlestem disciplinam non afficerentur, solis legibus posse ad officium redigi, sapientißimè fecit, ne alia quæ imminebant, & iam deliberata fuerant, nouarum tractationũ occasione relinquerentur inchoata: sicq́ue fides orthodoxa de Christo vero Deo, & alia (vti factum est) sine impedimẽto promulgarentur, cætero quin sciebant in ijs, in quibus vocanti Christo nolũt homines assentiri, Diuinam ipsius deniq; sapientiam testatiorem fieri, quippè quę suis temporibus non desistit semitam omnem veritatis ostendere, atq; huius capiendę vires, & gratiam (si qui velint) offerre. Et sanè videmus in Comitijs, quæ Cęsar, & Reges indicunt, planè similia multa contingere, quæ aut prudenter differũtur, ne aliqua non absoluãtur, aut etsi ad publicum cõmodum, & ad ipsam quoq; Christianã fidem propagandam maximè facerent, (ac proinde à Deo proficiscerentur) vnius tamen vel alterius seditiosi factione plerũq; interturbari. Adeò libera fecit Deus hominũ ingenia, vt varijs rebus exercita, ij præmiũ Christianę virtutis nihilominus cõsequerentur, qui veritatẽ ac perfectionẽ tuerentur, etiãsi omnia in rẽ conferre nõ possent: reliqui verò interea dãnarentur, qui propositarũ bonarum rerum vias ad exitũ qualicunq; prætextu pręciderent.

QVOD verò ais nullã mentionẽ Socratis à Gregorio fieri, sed Sozomenum solùm à sede Apostolica nõ recipi in ijs quæ de Eudoxio, & ipsius sectatorib' dãnatis scribit: Esto, quid inde consequeris? Multa sanè extant in historia Ecclesiastica, quę nõ solũ à D. Greg. (cuius tamen testimoniũ plus ponderis habet, quã omniũ hęreticorũ vnquã habuit, aut habebit) verũ etiam à sede Apostolica, ac proinde à Catholica Ecclesia approbata non sunt, ac tamen non propterea reijcitur earum rerum historia, vbi cum antiquissimis & legitimis Synodis, alijsq́; scriptis Patrum cohærent.

Sed & Socrati quantum fidei adhibendum sit, vel in earum rerum narratione, quæ tempore Nicæni Concilij contigerũt, vel in ijs quæ suo tempore Romæ fieri cõsueuisse scribit, manifestissima illa mendacia quæ non vno in loco habet, capite vigesimo primo, libro quinto, abundè testantur. Compertissimũ est enim à Nicæna Synodo (quemadmodum & posuimus) decretam fuisse Paschæ celebrationem Dominica die post æquinoctiũ, id quod B. *a* Athanasius, *b* Eusebius, sancti *c* Epiphanius, & *d* Ambrosius, ac reliqui omnes scriptũ reliquerunt. Ac tamen Socrates audet asserere, nihil ab Ecclesia de festo Paschæ fuisse constitutum. Et verò ex D. *e* Augustino, scimus eo tempore solitum fuisse Romæ ieiunari die sabbathi: D. aũt *f* Leonẽ (cuius tempore idem Socrates vixit) testari, quadraginta dierum ieiunium Romæ (quod & S. *g* Gregorius meminit) in more fuisse: quæ tamen omnia negat Socrates, id vnum afferens, tribus tantum hebdomadis ibi in quadragesima ieiunari solitum fuisse: vt si ille tam turpiter de rebus quæ suo tempore fiebant, mentitus sit, mirari non debeamus, si in antiquioribus vel studio, vel temerè lapsus fuerit.

a Athanas. epi. de Syn. Ariminen. & Seleuc. *b* Euseb. in Vita Const. *c* Epiphan. hære. 70. *d* Ambro. l. 10. ep. 83. *e* Aug. epi. 86. ad Casula. *f* Leo serm. 4. de quadrag. *g* Greg ho. 16. in Euãg.

Pag. 63.

Addis. Quod si huic de Sozomeno Gregorij Epistolæ tantum tribuit Posseuinus,
» an igitur proximè præcedentis epistolæ
» testimonium idem momentum habere vo
» let, vbi fidenter affirmat Gregorius. Quis-
» quis se vniuersalẽ Episcopũ vocat, vel voca
» ri desiderat, in elatione sua Antichristum
» præcurrere, quia superbiẽdo se cæteris præ
» ponit. Hæc tu. Cui quoniam locus hic non
» est de Romani Pontificis in Ecclesia prin-
cipatu agendi, (quod tamen postea faciam) satis nunc sit, ex tanto, & tam sancto Pontifice posse à vobis intelligi quàm celeres estis Antichristi præcursores, cùm qui ad Ecclesiæ administrationem legitimè vocati nunquam fuistis, vos tamen superbiendo cunctis Synodis, Patribus & Pontificibus anteponatis.

SIRICIVM PONTIFICEM MAXImum improbè & impudenter à Chytræo impudentem nominari.

CAPVT XIIII.

SIricium item vocas impudẽtissimum, qui tamen cùm quindecim annos Ecclesiam eo seculo sanctißimè rexerit, quo priores quatuor synodi œcumenicæ partim habitæ fuerunt, partim non ita multò post conuenerunt, cunctas autem hæreses, ac præcipuè Manichæos vir ille castissimus repressērit: neq; verò vlla vnquã synodus, vel aliquis celeberrimorum Patrum ei quidquã eiusmodi (sicut tu facis) obiecerit, interrogare impudentem istam conscientiam tuam potes, ex quonam spiritu tantum blasphemiæ crimen Ecclesiæ Christi Rectori tam sancto inferre sis ausus. Quòd si cœcitatis velamine cor tuum ita contectum est, vt salutarẽ nõ possis remedium arripere, lege, quę Mediolanensis Ecclesia, cui tum B. Ambrosius præerat, Siricio, & relege, quæ Siricius Himerico Tarraconensi scripsit. Vt enim ego defensionem tanti viri suscipiam, fateor non esse meum, qui vtinam dignus essem, vmbram illius sanctitatis, ac doctrinam attingere. Et D. quidem Ambrosius, ac reliqui sic Siricio scripserunt.

Impudẽtia Chytræi effrõs.

Recognouimus literis sanctitatis tuæ boni pastoris excubias, qui diligenter cõmissam tibi ianuam serues, & pia sollicitudine Christi ouile custodias, dignus, quem oues Domini audiant, & sequantur. Et ideò quia nosti ouiculas Christi, lupos facilè deprehẽdis, & occurris quasi prouidus pastor,
ne isti morsibus perfidiæ suæ, feraliq; vlu- »
latu Dominicum ouile dispergant. Lauda »
mus hoc, Domine frater nobis dilectissi- »
me, & toto celebramus affectu. Nec mira- »
mur, si luporum rabiem grex Domini per- »
horruit, in quibus Christi vocem non reco »
gnouit. Agrestis enim vlulatus est, nullam
virginitatis gratiam, nullum castitatis ordinem seruare, promiscuè omnia velle cõ-
fundere, diuersorum gradus abrogare me- »
ritorum, & paupertatem quandam cœle- »
stium remunerationũ inducere, quasi Chri »
sto vna sit palma, quam tribuit, ac non plu »
rimi abundent tituli præmiorum. Simulãt »
se istã dare coniugio. Hæc illi.

Rescriptũ Episcoporum Ambrosij, Sabini, & aliorum ad Siricium Pont. Max.

Nota Chytræe.

Notate Sacerdotes.

Sed malè te habuit Chytræe, quòd tantus Pontifex ante mille ducentos annos incestas Lutheri, tuorumq; Magistrorum libidines adhuc acrius perstrinxerit, cùm præter efficacissimas alias rationes, quas attulit, hæc subiunxit,

Præterea monachorum quosdam, atq; monacharum, abiecto proposito sanctitatis,
in tantam protestaris demersos esse la- »
sciuiam, vt prius clanculum, velut sub mo »
nasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega »
se contagione miscuerint: postea verò in »
abruptum cõscientiæ desperatione perdu- »
cti, de illicitis cõplexibus liberè filios pro- »
crearint, quod & publicæ leges, & Ecclesia »
stica iura condemnant. Has ergo impudi- »
cas, detestabilesq; personas à monasterio- »
rũ cœtu, Ecclesiarumq; conuentibus elimi- »

Nota sobolés Lutherana.

nandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam, possint indulgentia subuenire. Et quidem hic sanctus vir & Pontifex Siricius.

GANGRENSIS SYNODI CANONES fraudulenter & ineptæ à Chytræo contra cœlibatum adferri.

CAP. XV.

POST priores posteriorem imposturam oblinis fuco auctoritatis Gangrensis Synodi, cùm autem ordo postulasset, vt prius de primo, mox de quarto canone ageres: de quarto prius, mox de primo egisti, nimirum vt inde hunc ad tuũ sensum commodius pertraheres, alterumq; cum altero canonem confunderes, vnum nimirum è duobus faceres, quos Patres illi non sine caussa secreuerunt. Ais igitur.

Chytræus pa. 66.

Quod si Gangrensem quoq; synodũ, quæ non longo interuallo Nicænam secuta est, citare tibi libuisset: multò illustriora veritatis testimonia aduersus ὁμόψηφον tuum Eustachium, qui sacerdotum in coniugio viuentium benedictionem, & communionem fugere tanquam abhominationem iussit, reperisses. Ita enim canone IIII. definit. Quicunq; decernit presbyterum coniugatum, quod propter coniugium non oporteat eo ministrante de oblatione percipere, anathema sit. Et can. I. si quis vituperat nuptias (sacerdotum vel alias) & dormientem, cum viro suo fidelem ac religiosam detestatur, aut culpabilem existimat, velut quæ in Regnum Dei introire non possit, anathema sit. Hæc tu.

Sed in primo canone nulla de sacerdotum nuptijs mentio fit, id quod tu pro tua videlicet sinceritate prætermisisti. Patres enim illi canonem primum Græcè sic ediderunt.

Εἴ τις γάμον μέμφοιτο, καὶ τὴν καθεύδουσαν μετὰ τοῦ ἀνδρὸς αὐτῆς, οὖσαν πιστὴν, καὶ εὐλαβῆ βδελύσσοιτο, ἢ μέμφοιτο, ὡς μὴ δυναμένην εἰς βασιλείαν εἰσελθεῖν, ἀνάθεμα ἔστω.

Latinè autem sic:

Si quis nuptias accuset: nec non dormientem cum viro suo fidelem, piamq; detestatur, ac vituperet, quasi nequeat in Regnum introire, anathema esto.

Quod autem contextus Græcus habet, εὐλαβῆ, id rectè vertimus, piam; ne quis dum in Gratiano hãc vocem (religiosam) legit, putet, monacham, & ἀσκήτριαν dici.

Quartus autem canon sic habet.

Εἴ τις διακρίνοιτο παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῆναι, λειτουργήσαντος αὐτοῦ, προσφορᾶς μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω.

hoc est:

Si quis existimat de presbytero qui vxorem duxerit, quod eo sacrificante, non oporteat ipsius oblationi, vel sacrificio cõmunicare, anathema esto. Sic autem Zonaras quoq; & ante illum Socrates.

Socrates li. 2. cap. 43.

Et verò tu pro sacrificante, vox hęc (ministrante) tibi magis arrisit: nimirum, vt incruentum Ecclesiæ Christi sacrificium longè ab hominum mentibus ablegares. Præterea nihil hinc necessariò efficitur, vt quoniam sacerdotum coniugatorum mentio fiat, id propterea ad vsum coniugij post sacerdotium referri debeat. Cùm enim Eustathiani negarent nuptias, & abhominandas dicerent, mirum non est, si eos etiã auersarentur, qui ad ordinem sacrum ex cõiugatis assumebantur.

Deinde taces, quod Gratianus ipse, quẽ citas, in eandem synodum Gangrensem, quæ localis fuit; & μερικὴ paucissimorum Episcoporum scripsit. Is enm sic.

Argumentum ex Gratiano in Concilium Gangrense.

SYnodus Gangrensis, post Nicænam legitur fuisse, in qua Patres sexdecim statuerunt canones viginti, propter quasdam necessitates Ecclesiasticas, maximè contra Eustathium, qui dicebat, quòd nullus in cõiugali gradu positus, nec vllus fidelis, qui non omnibus renunciaret, quæ possideret, spem vllã ad Deum haberet. Et multa alia venenosa, quæ enumerare longũ est. Et infra alio loco. Item opponitur ex Concilio Gangrensi, si quis discernit presbyterum coniugatum tanquã occasione nuptiarum, quod offerre nõ debeat, & ab eius oblatione, ideo abstinet, anathema sit. Sed notandum est (inquit Gratianus) quod secundum Isidorum, pleraq; capitula ex caussa, ex loco, ex tempore, ex persona considerãda sunt. Hinc etiã Gregorius ait: Regulæ sanctorum Patrum pro tempore, loco, & persona, & negotio instante necessitate traditæ sunt. Illud ergo quod in Cõcilio Gangrensi legitur, ex caussa consideratur, & ex tempore. Causa fuit hæresis Manichæorũ, qui coniugium detestabantur, sicut etiam quorundam superstitio, multa in Catholicorum detestationem introduxisse inuenitur, contra quos in Gangrensi Concilio statutum legitur. Hæc Gratianus.

Retectio imposturarum Chytræi.

Præterea silentio inuoluis, quod ipsemet ea de synodo attuleram his verbis. Si quæ altera (Synodus Gangrensis nimirũ) increpat Manichæos, atq; alios, qui simpliciter nuptias contempserunt, hoc ad sua

carnis desideria, & ad sacerdotum connubia permittenda malitiosè hæretici torquent. Tacent interim synodum illam reprobatam fuisse à Sergio Pontifice, vt Beda in vita Constantini declarat.

Ergo quoniam non satis fuit tibi Chytræe, calumniari Catholicos, & quæ ad vos ipsos pertinent in nos transferre, nisi etiã rerum historias mutilares, & caussas reticeres, dicam adhuc dilucidiùs, quænam sexdecim Gangrenses Patres non ita multò post Nicænam synodum ratio mouit, cur Gangris oppido Paphlagoniæ conuenerint: Quisué Eustathius fuit, contra quem egerunt. sic enim vel tu posthac silebis, ac te ipsum melius pernosces: vel certè tui te quos decepisti discipuli, interius satis imperitum, ne dicam malignum agnoscent.

Epiph. hæres. 75. Basil. epist. 78. Socrates c. 45. lib. 2. Sozom. li. 3. cap. 14. Nicep. li. 9. ca. 16. & 45. & Suidas.

Sebastiæ Ponti vocatæ (inquit Epiphanius) regionis minoris Armeniæ fuit Episcopus Eustathius (qui tuo in libro dictus est Eustachius) Hermogenis successor, & filius Eulalij, qui eum, vt pessimè se gerentem, deiecit ab Ecclesia. Is discretos & selectos à reliquis homines, victum, vestitiũ, festiuitates, precationes, consuetos in Ecclesia conuentus, atq; antiquas omnes Ecclesiæ ceremonias innotauit, rituum nouitate insolentissimus, & singularis haberi volens. Quod satis erat superbiæ indicandæ, quæ (vt S. inquit Augustinus) mater est omnium hæresum. Itaq; vt sermone vehemens, & vt historiæ tradunt πείθειν ἱκανώτατος plurimos in suam sententiam alliciebat, Arij alioquin in cuius Germanissimis & γνησιωτάτοις discipulis (ait Basilius) annumerabatur, & Macedonij dogmatum pertinacissimus sectator, atq; Aerij, pariter Armenij, & hæretici συνσχολαστὴς atq; in monachatu socius. Quamuis Aerius, quod in Episcopatu Sebastiæ eum sibi prælatum vidit, secesserit ab illo, cui factus inimicus perstitit tum in ijs, tum in alijs hæresibus, quas D. Augustinus & alij commemorant. Eustathius igitur, quem (vt ait S. Epiphanius) οὔτε αἱ θλίψεις τῶν διωγμῶν διωρθώσαντο, hoc est, ne tribulationes quidem persecutionum correxerunt, cùm satis ex Nicænæ synodi decretis, & fidei professione ob Arianum dogma esset damnatus, ab Episcopis, qui Gangras conuenerunt, de cæteris nouationibus anathemate percussus est. Isq; impietates eiurare simulans, atq; ad Liberium Pontificẽ profectus, licet veniam deprecatus sit, redijt tamen ad vomitum: ac veneno, quod tegebat, quoscunq; poterat, inficiebat. Extat synodica epistola à patribus Gangrensibus ad Armeniæ Episcopos Græcè scripta, in qua inter alia sic de Eustathio eos monent.

Aug. cont. epi. Manic. cap. 6. Sozomen. Epipha. in hæres. 75. Basi. ep. 78. παραινέσεις scripta. Anno 356.

Καὶ γὰρ ἐκ τοῦ καταμέμφεσθαι αὐτοὺς τὸν γάμον, καὶ ὑποτίθεσθαι, ὅτι οὐδεὶς τῶν ἐν γάμῳ ὄντων, ἐλπίδα παρὰ θεῷ ἔχει, πολλαὶ γυναῖκες ὕπανδροι ἀπατηθεῖσαι, τῶν ἑαυτῶν ἀνδρῶν ἀνεχώρησαν, καὶ ἄνδρες τῶν ἰδίων γυναικῶν, εἶτα ἐν τῷ μεταξὺ μὴ δυνηθεῖσαι ἐγκρατεῖν, ἐμοιχεύθησαν. καὶ διὰ τὴν τοι αὐτὴν ὑπόθεσιν, ὠνειδίσθησαν.

hoc est:

Nam ex eo, quod illi nuptias damnarent, & edocerent, quòd nullus eorũ, qui sunt in coniugio, habet in Deo spem, seductæ mulieres multæ suis subditæ maritis, ab ipsis maritis discesserunt: Et à proprijs vxoribus viri. Sed interim, dum continere non valent, adulterium cõmiserũt. Eaq; de causa diffamati sunt, & probris insimulati.

Patres autem illi ὕπανδρον γυναῖκα vocarunt, id est coniugatam, & quæ (vt D. Paulus simili voce vsus ait) sub viro est mulier. Facilè verò fuerat in vicinia illa plures sectatrices reperiri, cùm aliquando ad amnem Thermodoõtem in ora Cappadociæ Amazones sedẽ habuissent, quæ matrimoniũ pro seruitute ducebãt, & maritorũ, nõ aliorum hominum, vsum detrectabant.

Epist. Syn. Gangrẽsis.

Eustathiani quoq; nonnulli (inquiunt Gangrẽses patres) sumere carnes, & his vesci detestabantur. καὶ τινὲς (ait) αὐτῶν μεταλήψεις κρεῶν βδελυττόμενοι. quę omnia de Tatianis, & futuris Manichæis & alijs prædixerat Apostolus nuptias, & esum carniũ prohibituris, aduersus quos plus quàm satis Ecclesia Catholica, & Romani Pontifices non semel anathemata inflixere: nullum aũt esse naturale malum, nullamq; substantiam per se esse malam ostenderunt.

Aug. de moribus Manich. c. 8. lib. 2. De morib. Manichæorum.

Eruperat verò olim hæc hæresis in Asia (relegato D. Ioanne Euangelista in Insulã Pathmon) sub Ebione, Cherinto, & Marcione, quos idem Euangelista Antichristos nominat: & quorum Magistros Nazaræos D. Paulus sæpe pupugerat. At illi cùm inueherentur in nuptias, ne Christum quidẽ fuisse Deum credebant, quoniam de muliere natus esset, atq; hęc viro per matrimonium fuerat iuncta. Et quoniam satanas dũ stabat virtus castitatis, difficillimè poterat Euangelicæ perfectioni obsistere, eadem virtutis specie, (quasi velo) superbiæ vitium contexit, ac sensim vnà cum hæresibus in animos multorum infudit. Itaq; in alterum extremũ pleriq; incauti inciderũt, atq; insolescentes ex virginitate, vel cœlibatu, quoslibet alios aspernati sunt, facies suas extenuantes hypocritæ, & lachrymas tantum, atq; flagella, & longissimas preces cum ieiunijs prę se ferentes, cæterum virtutem ipsam, & pietatẽ abnegantes. Eiusmodi fuere (Christo adhuc in terris agente) Esseni, Nazaræi, Pharisæi quidam, Sadducæi: micante autem latius Euangelio Che-

 rin-

rinthiani, Ebionei, Valētiniani, Cerdoniani, Marcioniſtæ, Seueriani, Tatiani, Valeſij, Cathari, Manichæi, poſt quos Hieracitæ, mox Ariani, poſtea Euſtathius, & Aerius cum ſuis aſſeclis. Hi verò neq; ad menſas coniugatorum accumbere, nec agapas agere, neq; ſi quis maritus vnius vxoris vir (neceſſitate Eccleſiæ tunc ita exigente) factus fuiſſet ſacerdos, de eius manibus Euchariſtiam capere volebant. Contra hos igitur omnes Irenæus, Tertullianus, D. Auguſtinus, S. Epiphanius, ac pleriq; alij omnes diligentiſſimè ſcripſerunt. Quodque ſemper fecit Eccleſia Catholica, vt neque coniugium damnaret, & tamen ſacerdotalis muneris puritatem oſtenderet, ſuum cuiq; defendit officium, & Sacramentum. Diui autem Paulus & Ioannes Euangeliſta ſe illis acerrimè ſic oppoſuerunt, vt tamen neq; viduas & virgines dehortarētur à vita continentiore, nec quenquam à propoſito caſtitatis ob pietatem ſuſceptæ auerterent: & verò matrimonium, ad quod ritè acceſſiſſent, in alijs aſſererent eſſe honorabile, ſi thorus eſſet immaculatus, & viri vxores ſuas diligerent, vt Chriſtus dilexit Eccleſiam. Quæ res permouit D. Ioannem Euangeliſtam, vt reuerſus ab exilio, & ab omnibus Aſiæ Epiſcopis coactus, altius aliquid, quàm cæteri fecerant, de Diuina Chriſti natiuitate ſcriberet. Quod cùm indicto communi ieiunio feciſſet, deq; Chriſti Diuinitate tonitru illud edidiſſet: In principio erat verbum, deinceps & hoc carnem eſſe factum, & verbum incarnatum nuptijs in Cana Galileæ interfuiſſe ſcripſit, vt nuptias haud eſſe malas oſtenderet. Ac tamen propterea neq; Chriſtum duxiſſe vxorem, neq; ſe nupſiſſe, nec alios Apoſtolos operam poſt Apoſtolatum liberis dediſſe ſatis indicauit, quippè quòd nec ſacerdotum cœlibatus exercentibus legitimè coniugium: Neq; hoc cœlibatui ſacerdotum præiudicare debebat. Hæ igitur cauſſæ item fuerunt, cur Patres Gangrenſes primum, quartum, nonum, decimum, & vndecimum canones edidère. Quorum tres vltimi ſic habent.

Hieron. in proêmio ſuper Matt.

Εἴ τις παρθενεύοι, ἢ ἐγκρατεύοιτο, ὡς ἂν βδελύττων τὸν γάμον ἀναχωρήσας, καὶ μὴ διὰ τοῦτο καλὸν, καὶ ἅγιον τῆς παρθενίας, ἀνάθεμα ἔστω. Latinè ſic:

Can. 9.

Si quis virginitatem cuſtodiat, aut in continentia degat: ac velut abhorrens nuptias, ſecedat, & ſolus agat. Non ideo, quia ſancta ſit virginitas, neq; propter ipſum virginitatis bonum. Anathema eſto. Deinde.

Εἴ τις παρθενευόντων διὰ τὸν κύριον, κατεπαίροιτο τῶν γεγαμηκότων, ἀνάθεμα ἔστω. Hoc eſt:

Can. 10.

Si quis virginitatem ſeruans ob Dominum, ſuperbiat, ac ſe ſupra coniugatos extollat. Anathema eſto. Præterea.

Εἴ τις καταφρονοίη τῶν ἐκ πίστεως ἀγάπας ποιούντων, καὶ διὰ τιμὴν τοῦ κυρίου συγκαλούντων τοὺς ἀδελφοὺς, καὶ μὴ ἐθέλοι κοινωνεῖν ταῖς κλήσεσι. Id eſt:

Can. 11.

Si quis illos deſpiciat, qui Agapas in fide faciunt, & fratres inuitant in honore Domini: Neq; velit his inuitationibus cōmunicare: Per hoc vilipendens, quod agitur. Anathema eſto.

CHYTRAEVS, VBI SATIS PRAESIDIJ non repperit in antiquis Synodis ad ſuas contra cœlibatum ſacerdotum impoſturas tutandas, eas eſſe traditionem humanā dicit, & emendicatis trium vel quattuor huius ſeculi recentium ſcriptorum verbis, quæ nec verè citat, nouas conatur offundere tenebras legentibus.

CAPVT XVI.

AD extremum, inquis, in re manifeſta pluribus verbis nihil opus eſſe, tantummodo enim humanis Epiſcoporum ſtatutis prohiberi coniugium: ſcriptores autem Pontificis, in quibus aliquid conſcientiæ eſt, relaxari cupere legem de cœlibatu, ſcelera verò loco cœlibatus inuecta eſſe perplura. Itaq; & Eraſmum, & Auentinum, & Aeneam Syluium, & alium, quem non nominas, ac Baptiſtam Carmelitam (de quo ſatis dictum eſt ſupra) Apoſtolicis ipſis, & reliquæ Chriſti Eccleſiæ, quæ ſaniſſimam doctrinam tenuit, temerè ac falsò obijcis.

Ego verò Chytræe de te aliquando ſpē eam conceperam, forè, vt qui videbare libros antiquorum libenter euoluere, ſi quē ducem itineris, & ſi quid lucis inter varios hominum ſenſus, ac quaſi anfractus, habuiſſes, non diu futurum, cùm ex iſtis hæreſum laqueis te expedires: niſi quod experior ad te illud maximè pertinere. Accedentem ad Deum oportet credere. Et illud: Niſi credideritis, nō intelligetis. Quāobrem hæreſes iſtas eiura, & Chriſtus tibi illuceſcet, atq; omnia liquidiſſimè percipies. Nulla enim adeò ſancta res eſt, quam conuellere nequeat hominum aſtus, & prauus affectus: Quare ſi vitia, & pronitates hominum ad malū tantummodo ſpectentur, leges ipſas Regum, quoniam humanæ ſunt, vnuſquiſq; rebellis abſq; periculo criminis læſæ Maieſtatis infregerit, prætexens earum laxationem & autonomiam, (vt anarchiam) conſeruandis Regnis eſſe aptiorem. Quod quidem ſua illa conſcientiæ libertate veſtri hæretici in tot Regnis effecerunt. Tu verò neſcio an ita ſcribens ſenſeris, concidere prorſus omnia, quæ ex ſexta Synodo, quæué ex Gangrenſi Synodo

Hebr. 6.
Iſai.

do, & cæteris falsò, vt citaſti, ſic poſtremò nunc affers. Sanctimonialium enim & Monachorum, atq; aliorum cœlibum vota, quæ tum ex illis ipſis Synodis, & canonibus inuiolata manſerunt, ac cōnſtanter vſque ab Apoſtolis tanquam diuinitus propoſita, & conſtituta perdurarunt, illico tollerentur. Vnuſq; ipſe Chytræus, qui eſſe ex coniugatis aſſumendos homines in Epiſcopos dicit, quoniam non ſemel quendā pſeudoarchiepiſcopatum in Septentrione, vel aliquid ſimile bonus grāmaticus prenſabat, anteferretur omnibus Eccleſiæ Chriſti Pontificibus Max. omnibus ſanctiſſ. Epiſcopis, omnibus legitimis ſexdecim ſæculorum Synodis.

At quoniam Eraſmi teſtimonium producis (etſi locum non adnotaſti) qui ſcripſerit, inter Catholicos eſſe, qui ſub vmbra caſtitatis libidinantur, neq; mirum fuiſſe, ſi ætate Auguſtini dictæ ſint aliquot virgines ſanctimoniales nupſiſſe, cùm hoc ſæculo tot dicantur eſſe monaſteria, quæ nihil aliud ſunt, quàm publica lupanaria, haud equidem miror hominem, qui monachus fuerat (loquor de Eraſmo), de quo alibi plura) ſuæ vocationis, & voti pertæſum, & in Germania maximè verſatū, hæc potuiſſe de veſtris monaſterijs dicere, in quibus gliſcebat tacitum virus hæreſeos, & veſtri videlicet Euangelici iaciebant fundamenta impietatis: ſepta verò ſacrarum virginum, quæ vos alij, qui tanquam ſecundi Heliæ, ac tertij Catones ad reformandam Eccleſiam de cœlo decideratis, debuiſſetis clamare, vt ſanctè cuſtodirentur, apoſtatis tamen & ebrioſis aulicis pandebatis, atque adeò iſtud eſſe Euangelium purum, putum, Lutherus facto non minus, quàm verbo blaterabat, quò puritas omnis in exilium ablegaretur. Quod ſi D. Auguſtinus, quoniam aliquæ ſanctimoniales nupſerunt, non propterea ipſe libidini habenas remiſit, ſed factum acerbiſſimè reprehendit, cur Auguſtinianus Monachus Lutherus, & Monachus Eraſmus tam inſignem Monachorum patrem, & hæreticorum malleum non ſunt imitati? Ac tamen idem Eraſmus melius interdum ſapiens, initiaq; veſtræ deformationis cum Eccleſia Catholica conferens, vide quid contra vos pſeudoeuangelicos hac de re ſcripſerit.

Eraſ. in ep. contra pſeudoeuangelicos.

Circumſpicite (ait) mihi ſodalitatem iſtam Euangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot alijs vitijs infames. Et hoc habent etiam in delicijs, tantum abeſt, vt vitent. Apoſtoli quò magis vacarent Euangelio, aut abſtinebant ab vxoribus, aut legitimè ductas vertebant in ſorores. Nunc floret Euangelium, quòd ſacerdotes, & monachi contra certè leges humanas, contra profeſſionem ſuam ducunt vxores: condonetur hoc: circumſpicite, num caſtiora ſint eorum coniugia, quàm aliorum, quos ducunt pro Ethnicis. agnoſcis opinor, quas fabellas tibi poſſim referre, ſi liberet. Iam an inter Euangelicos minus indulgeatur libidini, an minus ſit adulteriorum? Quid Argentorati fiat, neſcio, quid alibi compertum ſit, mecum nouit populus. Iam vt donemus iſtis Euangelij preconibus, eſſe fas vxores ducere, quis non admiretur, ouiculas mactationi deſtinatas, nihil in hoc mundo quærentes præter Chriſti gloriam, tot curis diſtrictos, & afflictionibus obnoxios (quibus accedit & paupertas, onus cùm miſerū, tū graue) nō poſſe viuere ſine vxoribus? quas tamen multi ob leuiores cauſſas aut nō ducunt, aut ductas nollēt. At iſtis omnis tragœdia exit in cataſtrophē comicā. Vbi cōtigit vxor, occinitur, valete & plaudite. Quæ (malū) eſt iſta tanta ſalacitas, quā tot mala non poſſunt excutere? vnde tanta carnis rebellio in ijs, qui ſe iactant agi ſpiritu Chriſti? Dices: nihil tam fuit vnquam fœlix in rebus humanis, quin malorū admixtu vitiaretur: ad bonos verte oculos. Fieri poteſt, vt mea ſit hæc infœlicitas: mihi adhuc neminem contigit noſſe, qui non videatur ſe ipſo fact⁹ deterior: vos (inquit) ſtrenuè clamatis in luxum ſacerdotum, in ambitionem Epiſcoporum, in tyrānidem Romani Pontificis, in garrulitatem ſophiſtarum, in preces, ieiunia, & miſſas, nec iſta purgari vultis, ſed tolli: nec omninò quicquam in receptis placet, ſed zizaniam euellitis cum tritico, aut (vt melius dicam) triticum euellitis pro zizania. At quid interim nobis profertis melius, & Euangelio dignius, vt ab aſſuetis recedamus? circumſpice populum iſtum Euangelicum, & obſerua, num minus illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quàm faciunt hi, quos deteſtamini? Profer mihi quem iſtud Euāgelium ex commeſſatore ſobrium, ex feroce, manſuetum, ex rapace liberalem, ex maledico benedicū, ex impudico reddiderit verecūdum? Ego tibi multos oſtendā, q facti ſunt ſeipſis deteriores. (& paulò poſt) Nunquam eorum Eccleſias ſum ingreſſus, ſed aliquando vidi redeuntes à concione, veluti malo ſpiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam, ac ferociam miram præ ſe ferentibus. Sic opinor, diſcedunt milites à concione Ducis ad prælium exhortati. Quis vnquam vidit in eorum concionibus quenquam fundentem lachrymas, tundentem pectus, aut ingemiſcentem? Et alio loco. At ille inquit, populus tam Euāgelicus etiam Turcarum Principi dicitur de-

Lutheri doctrina ſunt homines deteriores.

» deteſtabilis,quē ait ſeditioni natum: quos
» ſubinde tumultus excitat ? quoties quàm
» leuibus de cauſſis procurrit ad arma? ne
» ſuis quidem Eccleſiaſticis ſatis obtempe-
» rans niſi dicant blanda auribus:profligan-
» di etiam, ſi liberius in vitam eorum inue-
» hantur,aut ab opinione diſſentiant. Initio
» tantum non Deus erat illis Lutherus,nunc
» ijſdem prorſus delirat, quod nouũ de Eu-
» chariſtia dogma non recipiat. Nouam ve-
» rò libertatem,impunè facere,ſentire quod
» cuiq; libitum eſt. Hæc Eraſmus,quem intelligis quàm pro te facit.

Ex Auentino autem nihil eſt,quod ſolidos Catholicos morari debeat, quicquid vnus vel alter princeps ſecularis(vt ille refert) pro abundantia ſenſus ſui loquutus fuerit.Neq; enim ſcriptum eſt:Illis.Sed tibi Petre dabo claues Regni cœlorum. Adminiſtrent igitur ij rectè ſuas ditiones, & leges antiquas ſartas tectasq; tueantur, ac quæ ſunt Dei Deo reddant:& videbis quãta caſtitati,& cœlibatui feneſtra aperietur, quamq; omnis honeſtas redibit eò,vbi nũc tot germina turpitudinum in dies pullulant,quas teterrimas de veſtris miniſtris ſi dixero ipſoſmet Reges, ac Iudices mihi cũ maxima animi indignatione retuliſſe, nõ mentiar.Sed & plura, quàm voluiſſem oculis conſpexi, & mulieroſos ſacerdotes in Moſcouia,& in alijs prouincijs, quæ magis ad Orientem vergunt, vidi,quàm ſine vllo ſpiritu, ſine vlla penè doctrina,ac tanquam cœci ad res ſacras paſſim euntes feruntur.

De AEnea Syluio (quicquid etiam ille in Boemia verſatus inter ſchiſmatica ingenia (bonos ſemper excipio) potuit loqui, ſperans minore malo poſſe maius præcidi) tu non eum vti Pontificem Maximum pro te citare debebas. Aliud enim vt Syluius, aliud vt iam factus Põtifex Maximus, hoc eſt Pius II.ſenſit. Quippe ad Pontificatum euectus, & alio quàm priuato ſpiritu act⁹, neq; laxauit ſancti cœlibatus legem, & id quod antea ſcripſerat,poſtea ingenua pietate (vti de alijs rebus fecerat D. Auguſtinus,retractauit. Et ſanè Chytræe mirum videri poſſet, ei, qui non nouerit,quæ vos agunt intemperiæ: tam nempè acres vitiorum,& libidinis hoſtes vos æſtimari velle. Sed cùm oculos ad ſanctiſſima loca conuertimus, quæ more priſcorum hæreticorum,& gentilium eraſiſtis, ne vllum caſtitatis,aut virginitatis excolendæ veſtigium cerneretur: & cùm animum aduertimus ad Patrum exempla,qui priuſquam ſcriberent,caſtitatem caſtiſſimè coluerũt: ac deniq; cùm videmus ſi quis feriò vel pœniteat,vel lachrymis lectum ſuum eluat,vel aliquis ſacerdos ſine culpa appareat, his vos ſtatim tanquam hypocritis oblatrare ſolitos eſſe, iam pridem intelligimus aſtũ ſatanæ haud ferentis, ſed quacunq; poteſt arte,omne per vos deſtruentis bonum .

Iam verò quoniam videri vis etiã Theologos noſtros verſaſſe,& Caietanum,deinde Innocentium Pontificem Maximum dicis ſcriptum reliquiſſe, Matrimonium ex conſtitutione tantum Eccleſiæ prohiberi in ſacerdotibus:(mitto nũc,quæ tuo more ſupprimis,quibus illi ſacerdotij cœlibatum autumant, & quanam occaſione in vno vel altero, vel pauciſſimis diſpenſari contigit qui non ex ſeipſis illecti à concupiſcentia , ſed propter pacem Regnorum, Regnisq; ipſis vrgentibus, & Chriſti vicarium enixè rogantibus, inuiti plerunq; ad procreandam legitimam ſobolem adducti ſunt) hoc vnum pro omnibus fuerit tibi reſponſum, ſi ex conſtitutione Eccleſiæ Matrimonium eſt ſacerdotibus interdictum, ſtet igitur conſtitutio Eccleſiæ, quã quoniam non audis, eſto Chriſti voce damnatus,& habeare ſicut Ethnicus, & publicanus.

ALIAE AB ALIIS ADVERSVS cœlibatum excuſationes obiecta diluuntur.

CAP. XVII.

SED iam materię huic honeſtiſſimæ finem imponam, ſi hæc pauca adiecero. Inprimis Orientem, quem tantopere iactas,ſcelerata iſta veſtra commenta exploſiſſe.Nam præter illa, quæ ſuperius attuli, reſpondet Epiphanius ijs, qui dicebant quibuſdam in locis liberos adhuc à ſacerdotibus gigni.At hoc non eſt (inquit)iuxta canonem,ſed ex hominum, qui per tempus elanguerũt,vitio.Ac paulò poſt. Nam quod decentius eſſe Eccleſia benè à ſpiritu ſancto diſpoſita viderit,didicit,& apparare ſtatuit,vt Diuini cultus indiſtracti perficerentur,& ſpirituales neceſſitates cum bona conſcientia peragerentur. Et alibi. Non ceu inhoneſtæ nuptiæ obliterantur, ſed à Prophetis,& à Pontificibus, ob maius miniſterium cohibentur.Euſebius autem, cùm vitam Chriſtianiſmum amplexam, in duas ſpecies diuiſiſſet, alteram communem, alteram perfectis noui teſtamẽti documentis ad Magiſtri(ait) nutum conueni re.Ac cùm non pauca in eam rem dixiſſet, deq; ſacerdotibus loqueretur, qui non vnius, nec duorum liberorum, ſed aceruatim innumerabilis multitudinis educationem, ſanctamq; diſciplinam ſuſceperint, non ita multò poſt ſubdit. Oportere enim dicit ſermo Diuinus,Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe: eos tamen, qui ſacrati ſunt, in Dei cultu, & miniſterio occupati: conti-

Hæreſ.59.

Hæreſ.78. aduerſ.Antidicomarianitas.

Euſe. Cæſ. lib.1.dem. Euã. c.9.& 10.

Hom.4. & 8 in Leuit. Hom 23. in Num. Vide eundem lib.7. cõt. Celſ.

continere deinceps à commercio vxoris decet:ad tantum autem ſacerdotij munus non aſſumptis idem Dei ſermo indulget, &c. Nec ſemel huiuſmodi aliqua affert Origenes. Nam & poſſunt(ait)in Eccleſia ſacerdotes,& doctores filios generare,ſed in Chriſto per Euangelium.Et alio loco:Solius,inquit, eius eſſe indeſinens ſacrificium offerre,qui indeſinenti,& perpetuæ ſe vouerit caſtitati.

Plato ſub finem dial. 6. de legib. Cic.3.de legib. Can. quædam etiã leges.Diſtin.2. 1.ege pen. de nuptijs. 1.ege vlt.de infir.pœ. cœlib. c.10. lib.16. Euſeb.li.4. de vita Cõſtant.

Nec verò me latet, cùr ſecundũ ciuiles leges politici hoc negotiũ metientes, vltra humanos limites progredi haud potuerunt. Aſſenſerunt enim Platoni in cœlibes cœlibatus pœnas ſtatuenti, & legi duodecim tabularum,ac legi Papiæ(ſiue Põpeiæ, vel Poppeæ) quam iterum Auguſtus tulit de maritandis ordinibus. Et veteres leges (ſcribit Euſebius) priuant orbos liberis, eorum ſucceſſione, qui liberos gignunt.

Τοὺ ἀπαιδας ἀπαλαιοὶ νόμοι στερήσει τῆς τῶν γονίμων διαδοχῆς ἐζημίουν.

Verùm enimuerò imprudenter hæc omnia lata ſunt:Euangelicæ aũt legis virtus tanto cõprobatur apertius, quanto Chriſtus ſapientia Patris æterna Apoſtolos cœlibes,eo,ipſo tempore, quoquouerſum diligentius mittebat,quo leges illæ inualuerant, virginesq; & alios ad caſtitatem perpetuò colendam per eoſdem Apoſtolos ſeriò non ſolùm hortabatur,ſed ſæpe ſanguinis Apoſtolici,virginumq; martyrijs inuitabat.Et vidẽt ne iã politici vias Chriſti nõ eſſe politicas tantum,aut huius mundi? Ac cùm Auguſtus non tam pœnis, quàm præmijs omnes ad capeſſenda matrimonia vocaret,vacatione quippe triennij à publicis munijs propoſita omnibus, maioraque vt deinde eſſent pro maiore filiorum numero præmia,atq; immunitates, quis cogitaſſet è Chriſti pectore prodire debuiſſe, tantum(vt videbatur)obicem Euangelio propagando,cùm eius rei prædicatio, & exempla vbiq; à Chriſtianis propoſita non ſolùm pœnis,& præmijs Imperatorum, ſed & inſitæ naturali ad coniugia propenſioni aduerſaretur? At ita Deus comprehendit ſapientiã ſapientum,& ſtultos facit principes Taneos, & re ipſa probat excellentiores, ſuo (non hæretico) Euangelio reſeruaſſe vias,quas ſi mundus non caperet, eas tanto magis ipſe vult eſſe probatas, & fixas.

L.2.ff.min. De his qui nunc lib. ſe excuſ.li.10. c.Inſtit. de excu. tuto. vel cura. In prin.

Quamobrem & Conſtantinus Magnus leges illas abrogauit, & eius filij aboleuerunt, vſusq; ille eſt his verbis aduerſus iniquiſſimam legem. Per infirmitatem (inquit) naturæ priuatos ſuo magno liberorum gignendorum deſiderio, miſereri magis,quàm mulctari conuenit. At rei melioris amatorem nõn quidem punire, ſed admirari maximè dignum eſt.Hic rei melioris amatorem κρείττονος ἐραστὴν vocabat,qui ſe Dei ſacerdotio conſecraſſet, ac pudicitiã ſeu virginitatem profeſſus, caſtæ vitæ addixiſſet.

Euſe.de vita Conſtãt.

Sed reliquis,inueteratam hominum labem,& ſacerdotũ lapſum in magnis diœceſibus arbitrantibus haud eximi poſſe niſi vxorum conceſſu,reſponderi poteſt:Neſcitis ſcripturas, neq; virtutem Dei(addamus aũt) nec pœnitentiæ vim ; quæ meretrices (ſi ad cor redeant) virginibus interdum æquat, atq; ex contumeliæ vaſis,vaſa honoris,& gloriæ Dei facit.

Vt aũt alijs exemplis ſuperſedeã : Ex ijs qui diœceſes ad officium reuocarũt, vnus nobis Carolus Boromeus Cardinalis ſanctæ Praxedis æterna digniſſimus memoria viginti quattuor annorum ſpatio, quibus ſuum Archiepiſcopatum vnà cum plurib⁹ alijs Epiſcopatibus rexit,planiſſimè hoc re ipſa oſtendit. Sic enim Parochos, & reliquos ſacerdotes in vinea illa ingenti Mediolanenſi , in qua vna ſunt nouies cẽtena hominũ millia,in cœlibe ac pura vita ſeruauit,nihil vt penè ſanctius paſſim cerneretur: ipſique Heluetij Zuingliani , vel Rheti qui ditionẽ illã propè Mediolanenſium fines adminiſtrant, mittere iam ſolebant ad eundem Cardinalem plectẽdos ſacerdotes,quos ad illam diœceſim ſpectantes videbant haud eſſe continentes.Surgẽt igitur illi in iudicio,& condemnabũt gentem iſtam politicorum , qui quoniam ipſi non inuigilant, neq; bonis Epiſcopis manus porrigunt,quibus incontinentium licentia ſacerdotum arceatur, mox coram Chriſto iudice intelligent, quàm ſerò ſapuerunt,qui in tempore non reſipuerunt.

Deniq; alij ætatem , qua vota ediderũt, non aptam fuiſſe obtendunt iudicandis proprijs viribus in ſuſtinendo cœlibatus onere. Sed cur non idem quoq; prætexant in deferendis vxoribus laici, quibus onera plerunq; intolerabilia ex re vxoria incumbunt? Itaq; ei qui diceret: Non ſolùm,immaturo conſilio, verùm etiam vi adactus, initiatus ſum ſacris,quare & peto per Canones mecum diſpenſari: reſponderi poteſt.Quid ſi te vel minus maturum conſilium,vel alicui⁹ vis adegiſſet, vt vxorẽ adoleſcens duceres,deinde aliquot poſt annos eam reijcere velles, num vllum tibi canonem patrocinari putares? ſanè non dubito, quin plures laici mallent vxore carere,quã pij ſacerdotes, matrimonio iungi. Licebitne igitur illis diuortium à Chriſto prohibitum facere, ac(quod æterna eſſet non minus infamia dignum , quàm pœna)cauſas nectere , cur nunc illam, iam alteram,

modo nullam vxorem aliquis habeat? ſed vt hæc abeſſe ab ipſis laicorum mentibus debent, ſic multò magis illa faceſſant à ſacerdotum cordibus, qui ad cæleſte vitæ genus vocati, ab omnibus ſe abſtinẽt, vt ſint ſancti corpore, & animo, ac proximè Deo adhæreant.

DE SEXTO VVLGATI SYNODI Nicænæ, deq; alijs reliquarum Synodorum Canonibus, quibus Romani Pontificis auctoritas in Eccleſiâ à Chytræo conuulſa defenditur.

SECTIO VI.

CANONEM SEXTVM NICAEnum Romani Pontificis Primatui ſuffragari.

CAPVT I.

ET hic reſtat Chytræe proprius locus, ad quem ordine referenda erat tractatio de Romani Pontificis auctoritate, quã varijs locis reſponſi aduerſus me tui, quaſi aliud agens, (ſed huc potiſsimũ collimãs) tela venenata intendiſti. Vt verò ne & ipſi ſaltationes iſtas tuas extra chorum ſequentes aberrem⁹ à ſcopo: In primis videamus, quid priores quattuor Synodi ea de re ex Diuino verbo, & mandato crediderint, tum cur D. Gregorius Magnus inuectus ſit aduerſus Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui primæ, & vniuerſalis ſedis honorem ſibi vendicabat. Denique cur aliquibus ſuaſeris, vt ab Romano Pontifice, cuius poteſtatem nunc negas, quædam diſpenſationes extorquerentur.

Extat igitur ſexti vulgati Niceni canonis pars, quæ ita habet. Antiquiores obtineant, qui apud Aegyptum ſunt, & Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat ſollicitudinem, quia & vrbis Romæ Epiſcopo ſimilis mos eſt. Similiter autem & circa Antiochiam, & in cæteris prouincijs priuilegia propria reſeruentur Metropolitanis Eccleſijs. Græcè ſic.

Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν αἰγύπτῳ καὶ λιβύαις, καὶ πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν ἀντιόχειαν, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις.

At integrior eſt canon in Arabica verſione, qui eſt octauus numero, & ita habet. Conſtitutum eſt, vt Epiſcopus Aegypti, id eſt, Patriarcha Alexandrinus præſideat, & habeat poteſtatẽ totius Aegypti, & omnium locorum, ciuitatum, & caſtellorum, quæ ſunt circum eam, quia ſic conuenit. Siquidem ſimiliter Epiſcopus Romæ, id eſt ſucceſſor Petri Apoſtoli, poteſtatẽ habet omnium ciuitatum ac locorum, quæ ſunt circa eã: Ac ſimiliter Epiſcopus Antiochiæ, id eſt Patriarcha, poteſtatem habeat Prouinciæ illius totius, & eorum locorum, quæ circum eam ſunt. Et in alijs item locis ſeruari debet, quod in præterito conſtitutum eſt.

Hunc verò canonem liquidius adhuc declarat eiuſdẽ Arabicæ verſionis, & Nicænæ Synodi canon trigeſimus nonus: cuius hæc ſunt verba. Conſideret Patriarcha, quę Archiepiſcopi, & Epiſcopi eius in Prouincijs ſuis faciunt, & ſi quid reperiat, ſecus quàm oporteat factũ, mutet, & diſponat, vt ſibi videbitur, Siquidem ipſe eſt pater omnium, & illi filij eius, & quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos tanquam frater maior, qui curam habet fratrum ſuorum, & ei debẽt obedientiam, quia præeſt, eſt tamen Patriarcha loco patris, ſub cuius dominatu, ac poteſtate ſunt filij eius. Sicque præeſt Patriarcha ijs omnibus, qui ſub poteſtate eius ſunt, ſicut ille, qui tenet ſedẽ Romæ, caput eſt, & princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus, ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes principes Chriſtianos, & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti, Domini noſtri, ſuper cunctos populos, & cunctam Eccleſiam Chriſtianam. Et quicunque contra dixerit, à Synodo excommunicatur.

Ex quibus omnibus id colligitur, Romanam ſedem non in honore tantum, ſed & in poteſtate primas partes ſemper obtinuiſſe: atq; inde tanquàm ἐκ τοῦ ἀρχαίου ordinem, & auctoritatem ad alios Patriarchas in ſubditas, & attributas ipſis diœceſes manaſſe: Deinde ab alijs Patriarchalibus ſedibus, atque itidem ab vniuerſo orbe Chriſtiano ad Romanam, non ad alias ſedes fuiſſe de maximis quibusque rebus prouocatum. Quare & rectè vniuerſalis Eccleſiæ paſtorem dici debere Pontificem Romanum, id quod alijs Patriarchis nulla vnquam ratione tributum eſt.

Hoc autem ipſum teſtatur D. Athanaſius, qui Nicænæ Synodo interfuit cùm eiuſdem Nicæni canonis auctoritate probat, ſe qui iam eſſet Alexandrinus Patriarcha, & reliquos Aegyptos Epiſcopos à Pontifice Romano qui ijs præerat, aduerſus Arianos defendi debere. Vos ergo (ait cùm ſextum canonem citaſſet) qui in ſumma ſpecula gratia Dei eſtis poſiti, attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones, & ſcandala excitant.

Athanaſ. ep. 2. ad Fęlicem Pōt.

Sed

Sed & ipſe canon priſcam fuiſſe hanc auctoritatis Petri, & Romanæ ſedis conſuetudinẽ perſpicuè dicit, natura nempè, & ratione conſiſtentem, atque ab Apoſtolis Eccleſiæ traditam, qui & Petrum Apoſtolorum verticem, (quem & tu principem Apoſtolorum vocaſti) agnouerunt. Itaq; & à B Sylueſtro Nicæni, & à Damaſo Cõſtantinopolitani, atque B. Cæleſtino Epheſini, vt à S Leone Chalcedonenſes patres, vel normam fidei, qua de agebatur, vel robur, & confirmationem Synodorum acceperunt.

Lib. 2. hiſt. Eccl. cap. 4. Anacl. ep. 3 Anicet⁹ ad Epiſ. Gallię

Iulius verò huius nominis primus, cùm cauſſam B. Athanaſij ad ſe euocaſſet, ſecutus eſt (inquit Theodoretus) Eccleſiaſticã legem, & eos qui ſe præceſſerant, Pontifices Romanos, atq; Anacletum, & Anicetũ, canonemque Apoſtolorum trigeſimum quartum.

Sic, Paſchaſinus Epiſcopus, Legatus ac Vicarius ſedis Apoſtolicæ, cùm vellet in Chalcedonenſi Concilio authoritate, ac teſtimonio Synodi Nicęnæ primatum Pontificis Romani probare, in cuius iniuriam voluerant quidam, canone per fraudem clam addito, quædam Priuilegia Conſtantinopolitano tribuere Patriarchæ, canonẽ ſextum Nicęnæ Synodi in actione 14. produxit, & citauit: quo oſtendit fuiſſe declaratum à trecentis & duodeuiginti patrib⁹ Romanam Eccleſiam ſemper obtinuiſſe primatum: Itaq; cùm Paſchaſinus vice proœmij admonuiſſet, quid eo canone contineretur, hunc ipſum, quem diximus canonẽ ſubiunxit. Huic autem canonis ſententiæ patres Synodi Chalcedonenſis minimè cõtradixiſſe non ſolũ ex ipſa actione 14. perſpici poteſt, ſed Liberatus quoq; Archidiaconus Carthaginienſis, in Breuiario cauſſę Neſtorianorũ c. 13. teſtatur. Sic enim ait: Legati cõtradictio à iudicibus Concilij, & Epiſcopis omnibus ſuſcepta eſt.

Sic quoque canõ vigeſimus octauus, quẽ Chalcedonenſis Synodi actis Græci interſeruerant, à S. Leone I. reiectus eſt: ac verò ipſe Anatholius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui callidè Synodi Chalcedonenſis Patres prenſauerat, reclamantibus Romani Pontificis Leonis legatis, & vicarijs, ab infauſtis ambitionis conſilijs, quæ poſtea Ioanni Patriarchæ viam ad præcipitium ſtrauerunt, animum reuocare coact⁹ eſt: Quamobrẽ Centuriatores conuicti, cũ ſextum canonem negare non poſſent, etſi ſcripſerunt ſe prolixè in centuria quinta oſtenſuros, à Romanis Epiſcopis in Synodo Carthaginienſi falſatum fuiſſe, nihil tamen poſtea præſtare ſunt auſi.

Sed & Illyricus quærens effugium non euaſit, qui inde effici voluit, vt cæteri Patriarchæ Romano æquarentur. Secus enim ſynodus Chalcedonenſis, primatũ Pontifici Romano tribuit, ſec⁹ prouocatio ex omnibus prouincijs de ijs, quę alia ratione à cęteris Metropolitis vel Patriarchis cõponi nõ poterant: Aliter ratio, & Apoſtolica traditio docuerunt, quæ quoniã abundè præter omnem antiquitatẽ doctiſsimi Theologi paucos ante annos docuerunt, nõ eſt qđ hic actũ agam. Hinc igitur factum eſt, vt S. Leo primus ad Martianum Imperatorẽ de Anatholio Epiſcopo Cõſtantinopolitano ſcripſerit, eũ proprio detrahere merito, ſi illicito creſcere optabat augmẽto. Ac mox ſatis illi ſit, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit, ac paulò poſt: Priuilegia enim Eccleſiarũ SS. Patrũ canonibus inſtituta, & venerabilis fidei nixa decretis nulla poſſunt improbitate conuelli, nulla nouitate mutari. Hæc S. Leo. Quẽ ſecutus D. Gregori⁹ aduerſus Ioannẽ alterum eiuſdẽ ciuitatis, ac tumoris Anatholij ſucceſſorẽ, vbi totius Eccleſiæ curam fuiſſe Petro Apoſtolorum principi cõmiſſam ex Euangelio monſtraſſet, nec ſe priuatam, ſed omnipotentis Dei & Vniuerſalis Eccleſiæ cauſſam vẽdicaſſe oſtendiſſet, plures Cõſtantinopolitanos ob ſuperbiam corruiſſe in hęreſeos voraginẽ ſcripſit. Quare vt ipſe hunc vniuerſalis honorẽ (licet iuſtè à ſynodo Chalcedonenſi Põt. Romano tributum) noluit præ ſubmiſsione arripere, ſic veriſsimè dixit, Ioannẽ Conſtantinop. ſuperbè id ſibi vendicantẽ cùm nec illi deberetur, neq; à quoquã collatus fuiſſet, Antichriſtum præcurrere?

Bern. c. 109.

Stapleton⁹ Sãderus, & alij.

Turrianus de epiſtolis Põtificijs.

Nota à Põ Rõ. obtineri ſolitum Archiepiſcopatũ Cõſtãtinopolitanum.

D. Greg. ep. 32. cap. 70.

Ioan. 2. Luc. 22. Math. 16.

Sed cur Chytręe cũ ex Nicęno canone cõſtet, ſingulis Prouincijs ac Metropolitanis ſua priuilegia eſſe ſeruanda, q̃ Gręci ſignificantius vocant πρεσβεῖα (hoc eſt diœceſes) in quib⁹ legatione ſua fungũtur pro Chriſto: cur inq̃ Romano quoq; Pontifici, per quẽ ad illos priuilegia manarunt, ſua nõ reſeruas? Et verò Bonifacius & alij ad vos miſsi ſunt, qui Euangelium ab Apoſtolica Romana ſede in Germaniã inferrẽt, Eccleſiamq; ijs ritibus, & Sacramẽtis inſtituerẽt, quæ ſunt ab Apoſtolis in vſum paſsim adducta, vt ſi quod frõtis haberetis, puderet vos quidquam Græcis attribuere, quod in primis Romana Pontifici tribuendum nõ eſſe exiſtimaretis.

Ac tamẽ bene habet, quod Deus & in hoc aſtutos in aſtutia ſua cõprehendens per vos aliquot ante annos fecit. Nã vbi de inſtauranda Eccleſia conſulti reſpondebatis petendas eſſe à Romano Põtifice diſpenſationes quasdam, nonne eadem opera vos eius auctoritatem, & primatum agnoſcere teſtabimini?

DE

DE DIVINA EVCHARISTIA, & ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio, quod ſemper in Eccleſia pro viuis, & defunctis fuiſſe vtiliſſimè oblatum priorum Synodorum tempore, oſtenditur: Inuocatio quoque ſanctorum, cæteraq́; fidei dogmata paucis, ſed efficaciter comprobantur.

SECTIO VII.

EVCHARISTIAE OBLATIONEM, ſeu Miſſæ ſacrificium ex Concilio Nicæno planiſſimè colligi, & Diaconis neq; Euchariſtiam conficere, nec Epiſcopis, aut preſbyteris eandem porrigere fas eſſe.

CAP. I.

PERGIS Chytræe multa blaſphemè de ſacroſancto altaris ſacrificio obloqui, ac ſuper eo tamquam maceria diruta arietes tuos locas ad demoliendum purgatorij locum, & cœlum. Nos igitur ad Chriſti gloriam hac ipſa die, quæ feriæ quintæ maioris hebdomadæ (hoc eſt ſanctiſſimi ſacramenti anniuerſariæ inſtitutioni) ſacra eſt, materiam ab alijs quidem diligentiſſimè, & à me aliquatenus multos ante annos tractatam, hoc aggrediar ordine, vt quando Diuini huius ſacrificij in quatuor prioribus Synodis, ad quas prouocaſti, manifeſtè mentio fit, quàm breuiſſimè potero ſub aſpectum oculorum ſubijciam Apoſtolicæ Eccleſiæ formam, ritus, & vim incruenti ſacrificij corporis Chriſti, quod tu cerimoniale ex Melanchthone nominas. Porrò ſynodi Nicenæ vulgatus canon decimusquartus ſic habet.

„ Peruenit ad ſanctum & magnum Concilium, quòd in quibuſdam locis, aut ciuitatibus, presbyteris gratiam ſacræ communionis diaconi porrigant, quod neq; canon, neq; conſuetudo tradidit, vt qui poteſtatem offerendi non habent, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigant. Sed etiã hoc quoq; innotuit, quod quidam diaconi ante Epiſcopos contingant Euchariſtiã. Omnia igitur hæc amputentur, & maneant diaconi in proprio ordine: ſcientes quod epiſcoporum quidem miniſtri ſunt, presbyteris autem inferiores exiſtũt. Accipiant autem ex ordine Euchariſtiam poſt presbyteros, eis dante aut Epiſcopo, aut presbytero. Sed nec ſedere eis in medio presbyterorum liceat. Quod ſi hoc fiat, præter Canonem, & præter ordinem probatur exiſtere. Si quis autem obtemperare noluerit, poſt hanc diffinitionem ceſſet à diacono. Græcè ſic:

ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν, καὶ μεγάλην σύνοδον, ὅτι ἐν τοῖς τόποις ἢ πόλεσι πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν, οἱ διάκονοι δίδοασιν, ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν, οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν τούτους τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ. κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται. ταῦτα οὖν ἅπαντα περιῃρέσθω, καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττονες τυγχάνουσι. λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τάξιν τὴν εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ ἐπισκόπου αὐτοῖς διδόντος, ἢ τοῦ πρεσβυτέρου. ἀλλὰ μήτε καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις. παρὰ κανόνα γὰρ, καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον. εἰ δέ τις μὴ θέλοι πειθαρχεῖν καὶ μετὰ τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας.

Arabicæ autem verſionis, qui eſt canon decimus ſextus ita:

„ Diaconus non debet cõmunicare, prius quàm Epiſcopus, neque prius quàm preſbyter, quia gradus diaconi infra gradum presbyteri eſt: ſcireq; debet officij ſui eſſe, miniſtrare Epiſcopo, & presbyteris: ſciatque diaconus facultatem ſuam, cui neque licet communicare, niſi poſtquam Epiſcopo, & presbyteris miniſtrauerit. Neq; rurſus ei licet miniſtrare ſacramentum communionis ſacerdoti. Siquidem miniſtrare hoc ſacramentum proprium eſt ſacerdotis, & non diaconi. Sacerdotibus enim data eſt hæc gloria. Neq; decet, vt diaconi inter ſacerdotes ſedeant, nec ambulent, aut ſint ad latus eorum, neq; intus in ſacrario, vbi eſt altare, neq; foris, niſi de ſententia eorũ, quandoquidem gradus diaconi inferior eſt gradu illorum. Diaconi qui huic decreto contradixerint, eijciantur à gradu ſuo, & à ſynodo excommunicantur. Sic canon.

Ex quo vides omnia ordinata fuiſſe in Eccleſia. Nec Epiſcopis ſacerdotes, neque his diaconos, nec iſtis plebem fuiſſe æquatam. Præterea offerre Euchariſtiam, & porrigere non eſſe idem: oblationem porrò ſacrificij præcedere porrectionem: Quæ oblatio cùm ad ſacerdotes pertineat, ſacrificium rectiſſimè dici, & eſſe. De hoc igitur cùm dicendum ſit, cœnam primò veſtram pendamus, quænam denique ſit, & num illam ad verbi Dei normam celebretis.

COENAM LVTHERANORVM, Caluinianorũ, & aliorum ſectariorum quam vocant dominicam, non eſſe eam, quam Chriſtus inſtituit, quámue & Apoſtoli, & vniuerſa Eccleſia fecerunt, ac facit.

CAPVT II.

VT ordiamur à manifeſtiſſimo argumento, variatio cœnarum, quas Lutherus vno, Bucerus altero, Caluinus alio, Georgius Maior, Baſilienſes, & reliqui ſuis quiſq; modis agunt, ſola poſſet eſſe ſatis ad conuincendos hæreticos, nihil abs ſeſe in ea Euangelicũ geri. Nam quòd eodẽ tẽpore, ijſdemq́; in locis, quibus iſta eorum cœna tanquam in ſcenam prodijt, ilico de illa met implacabiles inter eos diſſenſiones extiterint, nequaquam potuit à Deo proficiſci, quæ alioquin (cùm à ſacerdotibus ritè fit) ſacramentum eſt, & porrectio pacis, ac ſymbolum vnitatis, quoniam & re uera Chriſti corpus continet, qui eſt pax noſtra & veritas, ac vita.

Lutherus lib. de Miſſa priuata, & vnctione ſacer. tom. 7. impreſſo VVittembergæ ann. 1558.

Inprimis igitur Lutherus cœnam ſuam ſe didiciſſe à ſatana apertè dicit, cum quo dudum luctatus, ac tãdem perſuaſus, quod à diabolo acceperat, hoc & tradidit vobis.

Lutherani autem nunquam potuere ea de re conuenire cum ſacramentarijs. Itaq; & paucos ante menſes ex Rhenano tractu ad vnum omnes confuſionis Auguſtanæ proteſtantes eiecti ſunt, vti & Caluiniani in Saxonia ea de cauſa aliquanto antea vel ſuppreſſi, vel capite etiam plexi, vel denique fugati, aut perpetuo carceri addicti fuerant.

Cap. 17.

Ijdem verò Auguſtanæ confuſionis miniſtri, qui ſeſe Antuerpiam intruſerant, & Martiniſtę dicebantur, cùm confeſſionem ſuam edidiſſent, diſertè hæc verba ſcripſerunt. Caluiniſtarum liturgia non vno ſacrilegio vitiata, contaminataq́; eſt, eaque (proh dolor) innumeras animas æterno exitio inuoluit.

Nota quid Lutherani de cœna Caluiniana

De re igitur cùm diſcrepent, mirum nõ eſt, ſi in ritibus, alijsq́; rebus differant, atq; laruatas formas (cœnæ Euangelicæ loco) ſingulæ ſibi ſectæ confinxerint.

Lutherani præmittunt generalem confeſſionem proprio miniſtro ſeorſim factã, & ante ipſa verba conſecrationis pleraſq; omnes preces adhibent lingua populari, præter ſymbolum, & triſagion, quod Latinè decantant, & in altari celebrant, atq; ſuperpellicijs vtũtur. Sed inter ſeſe in eo diſſentiunt, quod cùm omnes communicaturi geniculentur, & in ipſa communionis actione generalem confeſſionẽ pronunciẽt, & Vbiquitarij panem adorẽt, & ex ſententia Lutheri (quem Chemnitius ideo citat) adorandum doceant: Illyricani tamen, & alij cõfeſſioniſtę ab adoratione abhorreãt.

In examine decretorum Concilij Trident.

Inſtit. Cal. lib. 4. ca. 17. ſect. 43.

Caluinus formulam adminiſtrandi ſacramenta Eccleſiæ Geneuenſi prę́ſcripſit, in qua formam ſuæ cœnæ tradidit, quam tamen Heluetij reliqui (licet ſacramẽtarij) noluerunt admittere.

Anglocaluiniani nouam formam, quã is Magiſtratus propoſuit, habent, ac ſuperpellicijs vtentes, cæterum ad ſacramentarios accedentes communicant, vel ſtantes, vel etiam ad menſam ſedentes, vel deniq; iuxta phaſe Iudaicum tranſeuntes, vt quidam in Anglia Puritani faciunt.

Rurſum Lutherani verba conſecratoria enunciãt, & præſentiam myſterij agnoſcunt, quod quia Caluiniani non credunt, vt conſecrationem omittunt, ita nudam afferunt Euangelicæ hiſtoriæ recitationẽ quam Heluetij actionem Dominicam vocant, reijciuntq́; confeſſionem omnem, vtentes inter cœnandum excommunicatione teterrima, quam neq; Lutherani, neque Anglocaluiniſtæ vſurpant.

Cùm verò Caluiniani Dominicis tantum diebus cœnam ſuam peragunt, Lutherani alijs quoq; feſtis, atq; interin profeſtis communicant.

Quæ cùm veriſſima ſint, diſiciamus attẽtius, num iſta qualiſcunq; veſtrum cœna cum Euangelio vlla ratione conſentiat. Nam ſi rem ipſam attendas, quidquid panis ab hæretico ſumitur, aut conſecrari putatur, cùm ſacerdos non ſit, nil ſanè conficit. Quod ſi quis olim ſacerdos catholicus fuit, ac tamen nihil iam credat eſſe vi conſecrationis in Diuino Euchariſtiæ ſacramento, quod Lutherano more velit conficere, intelligis ne hunc quidem aliquid niſi ad ſui damnationem facere? Porrò ſi materiam cogites, Euangelica cœna in azymo confecta eſt, quod quidem vos alij omnes non item facitis. Si formam conſecrationis prolatam à Chriſto pendamus, vos nullam retinetis. Nam modo fidei, modo vſui, & actioni (vt dicitis) tranſeunti perfectionẽ tanti ſacramenti aſcribitis: ſin veſtrorum miniſtrorum auctoritatem perpenditis, ecquis eos ſacris initiauit, ac quibuſnam iſti ſucceſſere, aut à quibus manuum legitimam impoſitionem acceperunt? Si præparationem, quænam iſta eſt veſtrum, qui pœnitentiæ ſacramentum, ſacerdotes, & claues negatis; abſolutionem autem idem eſſe, quod prædicationem dicitis? Si probationem, vbinam concors animorum vnio eſt? Vbi dijudicatio corporis Chriſti, quã requirit Apoſtolus? vbi ciuitatum, Epiſcopatuum, monaſteriorum, rerum Diuinarum ſacrilegè direptarũ reſtitutio? ſi manducationem, ecquid editis præter panem? ſi tẽpus quo cœna inſtituta eſt, ne id ipſum quidem, qui videri vultis euangeliciſſimi, ſeruatis; ſi numerum cernitis, in Euangelio, duodecim tantum communicaſſe, legimus: quin igitur tantum duodecim vos etiam communicatis? Si ægrotis dandum eſt opportuno tempore viaticum, cur pleriq; iam oẽs id cum Caluinianis reijcitis? ſed neq;

neq; gratiarum solemnis actio, nec mortis Domini annunciatio, nec hostia, nec sacrificium, nec mysteria vlla, nec Christiana adoratio, quam D. Ambrosius, nec omnis toties repetita signatio, quam in hac mystica cœna fulgere S. Chrysostomus ait, in vestra ista cœna verè cœnosa conspiciuntur. Quamobrem ite nunc, & pandoram istam vestram pro ipsissima Euangelica cœna, tamquam Ecclesiæ Dei restituta, venditate.

Amb. de Diuinis myster. D. Chryso.

COENAE DOMINICAE, AC VERI Christiani sacrificij, quod Christus instituit, Apostoli, & reliqui omnes in Ecclesia obseruârunt, integerrima esse omnia apud Catholicos.

CAPVT III.

SED apud Catholicos eadem, quæ semper viguerũt in vniuerso orbe Christiano de Euangelica cœna, & sacrosancto altaris sacrificio fides, consecratio, oblatio, eleuatio, adoratio, manducatio, ritus, vsus, vtilitas, nomina, & extant adhuc, & seruantur integerrima. Nec quantæcunq; tenebrę Aegyptum, Aethiopiam, Armeniam, aut schismata, & hæreses reliquum orientem peruaserunt, tantæ rei delere memoriã, aut abolere vestigia potuere, quin etiamnum altaria, templa, & antiquissimarum liturgiarum vsus, doctrinæ Romanorum Pontificum Euangelicæ de saluberrimo Missæ sacrificio testimonium perhibeãt. Quibus locis hæc idcirco fuisse instituta, & mille sexcentis annis perdurasse, vt ijdem Romani Pontifices tyrannidem exercerent, aut pecuniam è sacrificijs corraderent, nemo nisi impius sentire, nisi hæreticus calũniari potest. At cùm templa, sacerdotes, sacrificium secundum ordinem Melchisedec Deo vero deberi, etiam Dæmones agnoscant, peiores etiam dæmonibus existimari potestis, qui ea omnia furenti rabie sustulistis. Hoc sanè (inquit B. Augustinus) nec in ista breuitate prętereundum est, quod templũ, sacerdotem, sacrificium, & alia, quæcunq; ad hæc pertinentia, nisi vni vero Deo deberi nollent: Dij falsi, hoc est, Dæmones, qui sunt præuaricatores angeli, nunquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetijssent verùm cùm hæc exhibentur Deo, secũdum eius inspirationem atq; doctrinã, vera religio est: cùm autem Dæmo-
» nibus secundum eorum impiam superbiã,
» noxia superstitio. Quapropter qui Chri-
» stianas literas vtriusq; testamenti sciunt,
» non hoc culpant in sacrilegis ritibus Paga-
» norum, quod construant templa, & insti-
» tuãt sacerdotia, & faciãt sacrificia, sed qđ
hæc idolis & dæmonijs exhibeant. Hæc ille, qui postea subdit. Quemadmodũ enim vnus idemq́; homo, si Deo manè aliud offerat, aliud vespere, pro congruentia diurni temporis, non Deum mutat, non religionem, sicut nec salutem, qui alio modo manè, alio vespere, salutat: ita in vniuerso tra-
» ctu seculorum, cùm aliud oblatum est ab
» antiquis sanctis, aliud ab eis qui nunc sunt
» offertur, non humana præsumptione, sed
» auctoritate Diuina temporibus congrua sa
» cra mysteria celebrantur, non Deus, aut re-
ligio commutatur.

B. Aug. tõ. 2. epi. 49. q. 3. ad Deo gratias.

Templum, sacerdotes, & sacrificium Deo vero deberi, & Dæmones agnoscunt.

Idem ibidẽ sub finem questionis.

Mutatio sacrificiorũ Prophetis prædicta.

CONSECRATIONEM EVCHARIstiæ apud Catholicos ex Christi instituto & verbis fieri, aliamq́; esse ab ea, quæ alijs nouæ legis sacramentis adhibetur.

CAPVT IIII.

VInum & aqua (inquit D. Iustinus martyr) cum gratiarũ actione, cõsecrantur. Neq; enim hæc vt communem panem, vsitatamq́; potionẽ capimus, sed per pre-
» ces sermonis, quem à Domino accepimus,
» consecratus hic cibus est: eumq́; carnem, &
» sanguinem Iesu Christi esse accipimus.

Iustin. Apolog. pro Christ.

Et B. Augustinus: Benedicimus (ait) & gratias agimus in omni eius munere non spirituali tantum, sed etiam corporali. No-
» ster autem panis, & calix certa consecratio-
» ne fit mysticus, nõ nascitur. Proinde quod
» non ita fit, panis & calix alimentum est re-
» fectionis, nõ sacramentum religionis.

Cõt. Faust. lib. 30. c. 15.

At Ireneus. Quando (inquit) factus pa-
» nis, & mixtus calix percipit verbum Dei,
fit Eucharistia.

Iren. lib. 5.

Hac consecratione, quoniam operatorius, & efficax est Christi sermo, (inquit B. Ambrosius) & sanctificatur vt fit, tam magnum sacramẽtum operante inuisibiliter spiritu Dei, (dicit D. Augustinus) & mutari naturas elementorum (docet S. Cyprianus) & quasi rursus exinanire sese filiũ Dei, vt capi possit ostendit Methodius martyr. Quam exinanitionem. D. Cyrillus condescensum συγκατάβασιν (vt B. Franciscus humiliationem) nominauit. Quare tanto, & tam continenti Diuinæ bonitatis miraculo attonitus ita exclamat D. Cyrillus: sic enim sapientia, quæ per se subsistit, corpus suũ veluti panem distribuit, & sanguinem suum viuificum velut vinum addit. O tremendum sacramentum, ô dispensatio inexplicabilis, ô condescensus, qui compre-
» hendi non potest, ô misericordia non ve-
» stigabilis. ὢ μυστηρίου φοβεροῦ, ὢ οἰκονομίας ἀ-
» φράστου, ὢ συγκαταβάσεως ἀκαταλήπτου, ὢ
εὐσπλαγχνίας ἀνεξιχνιάστου.

Aug. tom. 3. lib. 3. de Trin. c. 4.

Isych. 22. c. lib. 2.

Methodius in Symposio decem virginum.

Cyril. ser. de domin. cœna.

B. Francisc. exhort. ad fratres.

Sed Cæsarius, siue eius frater D. Gregorius Nazianz. sanctissimè vt perelegantur. Vi-

Insignis locus Cæsarij de S. Eucharistia.

Lib. quæst. Theologicarum de locis scripturæ sanctæ.

Videmus (inquit) illum panem sanctum hodie in altari incruento, tempore Diuinę & mysticæ consecrationis super mensam puram propositum, non similem imagini salutaris corporis Dei, neque rursus simi-
» lem ipsi sanguini immixto calicem vnà
» cum pane propositum, non similem dico
» formatione membrorum, nec qualitate
» carnis, ac sanguinis. hoc enim videtur ro-
» tundum, facilè ad frangendum, inanima-
» tum, exangue, immobile, diuersæ rei simi-
» le, credimus tamen verbo Dei, & non qua-
» si simile, aut æquale, sed propriè, & firmè
» esse Diuinum corpus, quod super mẽsam
» sanctam consecratur, & inexhaustè parti-
» cipatur. nec enim sol finem facit prębendi splendorem indigentibus luce: neq; mare per suppeditationem salis impertitum, de
» vasta magnitudine decedit: nec ignis infi-
» nitas lucernas incendens flaccessit, aut im-
» minuitur, nõ deficiente qui flammam ex-
» citet: neq; rursus aer respiratione omnium
» animantium decrescit. Sic autem Græcè:

Pulcherrimum.

. Ορῶ μὲν τὸν ἅγιον ἐκεῖνον ἄρτον τήμερον ἐν τῷ ἀναιμάκτῳ θυσιαστηρίῳ κατὰ τὸν καιρὸν τῆς θείας, καὶ μυστικῆς τελετῆς ἐπὶ τῆς ἀχράντου προτεθέμενον τραπέζης, μὴ ἐοικότα τῇ εἰκόνι τοῦ σωτηρίου σώματος τοῦ θεοῦ, μηδὲ αὖ πάλιν τῷ ἐγκεκραμένῳ αὐτῷ αἵματι τὸ συμπροτεθέμενον τῷ ἄρτῳ ποτήριον τοῦ οἴνου τῇ τῶν μελῶν διαρθρώσει, οὐ τῇ σαρκικῇ καὶ αἱματώδει ποιότητι. τοῦτο γὰρ δοκεῖ περιφερὲς, εὔθρυπτον, ἄψυχον, ἄναιμον, ἀκίνητον, θατέρῳ ἐοικός. πιστεύομεν δὲ ὅμως τῇ θεηγορίᾳ, καὶ οὐχ' ὡς ὅμοιον, ἢ ἴσον ἀλλὰ κυρίως, καὶ ἀραρότως αὐτὸ ὑπάρχειν τὸ θεῖον σῶμα τὸ ἐπὶ τῆς θείας τραπέζης ἱερουργούμενον, καὶ ἀλήκτως μετεχόμενον. οὐδὲ γὰρ ὁ ἥλιος λήγει τοῖς δεομένοις τὸ φέγγος παρέχων, οὐδὲ θάλασσα διὰ τοῦ ἁλὸς μετεχομένη τοῦ κήτους ὑφίεται. οὐδὲ τὸ πῦρ μυρίας ἐφάπτον λαμπάδας μαραίνεται, ἢ μειοῦται, λείποντος τὸν πυρσὸν ἐγείροντος. οὐδὲ αὖ πάλιν ὁ ἀὴρ τῇ ἀναπνοῇ πάντων ἐμψύχων βραχύνεται.

Ita verò reliqui Gręci, Latini, Aphricani, Christianus orbis vniuersus credidit, propter quod & loquutus est: Quare & nos ita loquimur & credimus: Ac qui sumus sacerdotes, Deiq́; filio firmissimè credimus, mysterium (licet indignissimi) tantum conficimus.

Cùm autem istam vim consecrationis Catholici omnes Christi verbo tribuant, perfidus erit non Euangelicus, qui ei fidem ausit adimere. At cùm hæc verba: Hoc est corpus meum, & quę sequuntur, eò spectent, quò Christi mens sapientissima ea enunciauit, quis hic non intelligat consecrari Eucharistiam in cibum, & sacrificium? Et quidem in cibum, cùm quod antea promiserat dicens: Caro mea verè est cibus, &c. tum pręstitit, inquiens: Hoc est corpus meum. Accipite, manducate. In sacrificium verò, cùm dixit: Hoc facite. In sacrificium inquã actionis gratiarũ (quamobrẽ & egit gratias, & Eucharistiã vocatur.) Nec solum actionis gratiarum verùm etiam commemorationis cùm dixit, vt fieret in sui memoriam: Et expiationis, propitiationis & remissionis peccatorum: Nam inquit. Hoc est corpus meum, siue expressius τὸ σῶμα μοῦ corpus mei ipsius, quod pro vobis tradetur, Hic est sanguis qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum: Quod tamen ne referri solùm ad cruentum crucis sacrificium aliqui opinarentur (præterquam quòd panis, aut calix pro nobis crucifixus non est) Apostolum spiritus Sanctus afflauit, vt in actione cœnę Dominicę enarranda scriberet κλώμενον, quod frangitur (non frangetur) & Diuum Lucam, vt diceret διδόμενον, quod pro vobis datur, hoc est offertur. Si enim vt tantum daretur fuisset Eucharistia instituta, ecquid erat opus dicere pro vobis? Sic verò item Diuus Ioannes Euangelista bis Christum Dominum carnem suam se daturum sub specie panis promisit, cùm diceret: Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: offerenda quippe erat sub specie panis pro remissione peccatorum eadem caro, quę sub eadem specie panis in mundi cibum, & vitam erat porrigenda. Nam & alibi, inquit: Et pro eis sanctifico meipsum. Quamobrem & Diuus Iacobus, & Beati Chrysostomus, atque Basilius suis Liturgijs, Apostolum ad Corinthios scribentem imitati, hanc consecrationem vocarunt benedictionem, & sanctificationem. At quoniam reliqua nouæ legis sacramenta non in consecratione materiæ efficiuntur, quemadmodum fit Eucharistia, sed in applicatione ad eos qui ijs initiantur, aut sanctificantur, ideo è varia sacramentalium verborum prolatione sapientissimus Iesus ostendit, voluisse, vt corpus suum conficeretur mutata panis & vini substantia, remanentibus accidentibus, quæ Diuus Cyprianus effigiem vocat. Quod si eadem aliorum sacramentorum, quæ fit in Eucharistia, consecratio esse debuisset, quidni æterna Patris sapientia dixisset: Hæc aqua est spiritus sanctus, &c. vti dixit: Hoc est corpus meum, non autem (Erit) (vt quidam è vestris dicunt) actione transeunte? At cùm dixisset baptizate, De pane autem pronunciasset. Hoc est corpus meum. Quis à limine Diuinas literas (ne dicam grammaticen) salutauit, qui non percipiat aliam his verbis, quàm alijs illis subesse notionem? ac propterea intelligat meritissimò Patres omnes obstupuisse in hoc Eu-

Ioan. 6.

chariſtiæ myſterio, quod ſummis encomijs(ſed non quantis adhuc fieri deberet) extulerunt, neq; ſacramentum duntaxat (vti reliqua) ſed & ſacrificium veriſſimũ, ac verè propitiatorium eſſe confeſſi ſunt. Ac certè vbi glorificata ipſiſſima hoſtia Chriſtus ineſt, qui alijs ſacramentis tantũ per gratiam adeſt, cur non fuerit excellentior & efficacior hæc, quàm aliorum ſacramentorum conſecratio?

OBLATIONEM QVOQVE EVchariſtiæ in ſacrificio Miſſæ apud Catholicos ex Chriſti verbis, & inſtituto fieri, & friuolas eſſe aduerſariorum in contrarium obiectiones.

CAP. V.

QVot apices literarum extant in Euangelio, tot myſteria ſunt: Et quidem potiſſimum in Diuino Euchariſtiæ ſacramento. Nam & ad hoc reliqua omnia ſacramenta referuntur, ac per illud ipſum perficiuntur, vt D. inquit Dionyſius. Dominus igitur Ieſus dixit: Hoc facite, id eſt, offerte. Nam ſi ad eſum, & ad diſtributionem tantummodo hæc verba pertinerent, ſicuti veſtri quidam cum Caluinianis interpretantur: Nónne illa fuiſſent ſatis, Accipite, manducate, diſtribuite? Et quidem ſcio alios ex veſtris interpretatos eſſe, Hoc facite, id eſt, credite. De quibus ſi quæſiueris, cur igitur non credunt Chriſto dicenti: Hoc eſt corpus meum, ecquid obſecro reſpondebunt?

Ac memini cùm viginti ante annos in Gallijs Petrus Viretus, treſq; alij Geneuenſes miniſtri aduerſus libellum de Miſſæ ſacrificio meum biennio toto ſcripſiſſent, hos obiecisse mihi Sanctem Pagninum, ex quo, cùm literas Hebraicas calluiſſet, aiebant perſpici poſſe, ecquid de iſtiuſmodi oblatione eſſet dicendum. Is videlicet erat miſerorum portus, & fucus. Reſpondi igitur Geneuenſibus. In primis cauerent à Rabinis quibuſdam, qui eò profecti, & ſeſe ſimulantes Chriſtianos, nihil minus credebant, quàm Chriſtum. Euangelij verò medullam ad corticem, & duritiem veteris teſtamenti, imò ad Talmudicas fabulas auertebant. Seruetum, Valentinum, & cæteros reminiſcerentur, qui ad Geneuenſes nundinas euntes, vbi facilè ſuas merces exponerent, Chriſtum denique omninò negaſſent eſſe Deum. Sancti Pagnini Iſagogẽ ad ſacras literas, ſi viri illius fidem de hoc myſterio liquidius vellent agnoſcere, perlegerent attentè, vbi de Euchariſtia, de manna Chriſtiano, de panibus propoſitionis ac de huiuſmodi alijs verbi Diuini, & Eccleſiæ Chriſti ex vniuerſa antiquitate ſenſum collegerat.

Addidi, ſacram veteris Teſtamenti ſcripturam indicem & interpretem fore, an verbum hoc Facere idem in his rebus eſſet, quod offerre. Et Hebræis enim actionem omnium nobiliſſimam eo verbo deſignari, qua quidem actione nulla nobilior eſt, quàm ſacrificium: Septuaginta interpretes trecentos annos ante Chriſtum natum, quum Diuinum codicem diuinitus vertiſſent (quam poſtea verſionem non vni loco explicando Apoſtoli adhibuerunt) vbi hæc vox Hebraica ſacrificandi eſſet, vertiſſe Græcè ποιεῖν, quo facere ſignatur, & Hebræis verbum hoc ab radice Haſſah, deduci, id eſt, ſacrificauit. Sic in
Deuteronomio. vt facias phaſe, Septua- Deut.16.
ginta vertiſſe θύσεις, hoc eſt, ſacrificabis.
Quodque libro Ioſue ſcriptum eſſet, fe- Ioſ.5.
ciſſe populum phaſe ad veſperas quartadecima die menſis: Hebraicè idipſum haberi. Quod rurſus eſſet ſcriptum Leuiti- Leu.9.&27
ci capite nono. Immola pro peccato tuo, Græcè & Hebraicè eſſe ποίησον, vahaſſe. Quod item vigeſimo ſeptimo, vt offeratur, Septuaginta eoſdem interpretes vertiſſe, ποιῆσαι, Hebraicè aũt eſſe lahaſſot, hoc eſt, ad offerendum & ſacrificandum.
Id ipſum in libro Numerorum extare, La- Num. 28.
tinè, Græcè, Hebraicè, vti ſæpe alijs locis. Itaque & Euangeliſtas ita locutos fuiſſe eò magis, vbi de Paſcha, deque ſacrificio agebant manifeſtum eſt, cùm & aliarum rerum narratio, quæ ad veriſſimam oblationem ac ſacrificium ſpectabant, oſtenderet, Matt.26.
iſtud ea voce deſignari. Apud te facio Paſcha, dixit Chriſtus: hoc eſt non typicum tantum, quantum ſui ipſius agni immaculati. Nam & ideo alibi addidit, Deſiderio
deſideraui Paſcha manducare vobiſcum. Luc. 22.
Non ſanè vetus, quod aliàs fecerat, ſed nouum, in quo Diuini ſacramenti myſterium erat conſummandum, atque Aaronico ſacrificio ſubrogandum: Quod quidem futurum erat perpetuò, ſecundum ordinem Melchiſedech. Iterum vt facerent ſecundum conſuetudinem, inquit
Diuus Lucas, cùm de veteribus ſacrificijs Luc.2.
loqueretur, hoc eſt, vt offerrent in ſacrificium. Qui in ſacrario operantur (Corinthijs Apoſtolus ſcribit) οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμε-
νοι. Qui offerunt, & ſacrificant. Sic igitur 1.Cor.9.
Chriſtus veriſſima veritas inquit: Hoc facite, id eſt, offerte. Quare ſummo iudicio Patres doctrina præſtantiſſimi, pietate A-
poſtolica imbuti Diuus Ambroſius Syno- S.Amb.to. 3.epi.33.
dique ipſæ Agathenſis, Toletana, Mileui- Cõc. Agat.
tana, non dicere, vel diſtribuere, vel edere, 21.cap.
aut credere Miſſas, ſed Facere, haud ſemel Tolet. Sep-
ſapientiſſimè dixerunt. timum 2.
At obijciunt veſtri ex Apoſtolo, vnicã & 3.cap.
eſſe oblationẽ, qua redempti ſumus. Chri- Mileuita. cap.12.
ſtum

ſtum eſſe ſacerdotem ſine ſucceſſore. Quare nec ſacerdotio, nec ſacrificio altero opus eſſe, atque addunt D. ipſum Paulum nullam altaris mentionem facere, cùm ſcribit Hebræis.

Reſpõdeo: Sola in cruce oblatione Chriſtus cõſummauit ſãctificatos nõ ſolùm noui, verùm etiam veteris teſtamenti. Sed vt ea oblatione factũ non eſt, quo minus antiqua ſacrificia, quæ diuerſa erant propitiatoria, pacifica, holocauſtorum, veræ oblationes dicerentur, & eſſent, hæque in virtute futuri in cruce ſacrificij vim ſuam
obtinerent: ſic nihil prohibet, quominus
Nota. Chriſtianum altaris ſacrificium oblatio dicatur, atque ex præterito crucis ſacrificio vim eò maiorem ſit aſſecutum, quò præſens virtute conſecrationis ineſt hoſtia illa, quę omnium gratiarum fons eſt inexhauſtus. Et Apoſtolus Hebræis loquebatur, qui cùm nondum ſacroſanctæ Chriſti paſſionis virtutem haud pernouiſſent, virtutem redemptionis brutorum animalium ſacrificijs, non Chriſti oblationi tribuebant. Neque verò eo loco aliquid agit de remiſſione peccatorum, aut ſacrificatione. Alioquin negandum fuerat (quod maximè eſſet impium) baptiſmo, fide, oratione, ſanctiſque alijs operibus virtutem factæ in cruce oblationis continenter nobis communicari.

At dicitis, Iſta oblationum iteratione ſacrificium crucis euacuatur. Et baptiſmi ne iteratione putas euacuari quod à Ioãne baptiſma Dominus accepit, aut vim illã, quam non minus huic, quàm alijs ſacramentis comparauit redditam eſſe obſcuriorem, an verò potius inde factam illuſtriorem? Quòd ſi euacuatur, quidni veſtræ cœnæ iteratione Chriſti crucem & cœnã euacuabitis? ſed ſanè cœna veſtra Chriſti crucem, & cœnam euacuat, quæ vacuũ Chriſto panem & credit, & tradit.

Nec porrò in noſtro altaris ſacrificio iteratur hoſtia, quæ ſemper eadem & vnica eſt Chriſtus, licet alio modo offeratur, ſic-
ut ipſemet inſtituit. Vna verò oblatione Ephef.4.
D. Paulus rem ipſam oblatam, ſicut alibi 1.Tim.4.
fidem, aut ſpem, pro ſuo obiecto, hoc eſt, pro re credita, vel ſperata ſignificauit.

Verùm adhuc vrgetis, ſi valida prior oblatio fuit, quorſum tot aliæ? Quoniam inquam prior eſt valida, ideo ſemper ad eandem accurrimus quemadmodum Dominus docuit. Quotidie in morbum incidis, quotidie ad medicinas & medicum accedis. Chriſtus Ieſus præſentiſſimum antidotum eſt, quod & à Patre petimus, & Patri offerimus, vt noſtris vulneribus admoueatur, cùm is ſit oblatio munda, & veriſſima, non audentes ſine tanto medico, & redemptore non ſolùm hic in terris humana, ſed ne cœlitum quidem è cœlis conquirere præſidia, licet beati illi ſpiritus nulla iam peccati labe infecti ſint. Et elegantiſſima ex Diuinis libris ſimilitudo exiſtit, qua tota hæc res dilucidius patet. Deus vnica illuminatione dici poteſt Mundum illuminaſſe, nempe vt vniuerſalis cauſa. Ac tamen particulares quotidie illuminationes fiunt, quæ tantum abeſt, vt vniuerſali illi aduerſentur, vt ſine his nec illa prior innoteſceret nec prorſus prodeſſet quidquam. Sic verò Diuina illa verba intelligenda
ſunt. Illuminat omnem hominem venien Ioan. 6.
tem in hunc mundum, hoc eſt, vniuerſali quadam illuminatione, quę licet vnicã ſit, maximeq; ſufficiens, atq; perpetua, niſi tamen particulares aliæ fuerint illuminationes, quibus vnaquæq; mẽs illuſtratur, vim quidem illuminatio vniuerſalis in ſe conſeruat ſuam, verùm nihil in alijs ex erit. Idem ergo de Chriſti in cruce oblatione dicendum eſt, quæ etſi in ſe ipſa vnica eſt, vniuerſalis, vberrima, maximè ſufficiens, & ſempiterna ad ſanctificandum, nihil tamẽ in nobis efficit abſq; iſtarum, quę quotidie fiunt oblationibus. In his verò, cùm eadẽ hoſtia, ſubiectũq; ſit, vt diximus, neceſſaria nulla eſt aliarum hoſtiarum multiplicatio, aut diuerſitas, vti Iudæi opus habebant.

Iam quod ſacerdotium Chriſti quoniàm æternum eſt, nec ſucceſſore nec alio ſacrificio opus habere dicitis, ſanè quid Chriſti ſacerdotium, ſacrificium, ſucceſſioue ſit, non intelligitis. Quantò enim magis Chriſtus ſacerdos permanet, tantò neceſſe eſt magis, vt eius ſacerdotium, & ſacrificium permaneat ſecundum ordinem Melchiſedech; non quidem in cœlis, vbi vultui Patris viſibilis apparet, & ipſis cicatricibus commemorat ſacrificium crucis, ſed inuiſibilis in terris ſub tanto myſterio. Et quidem ſucceſſor is eſt, qui in alterius locum pleniſſimè ſufficitur, eiuſque præceſſor aut morte, aut abdicatione officium ſuum iam deſeruit, ſicut Aaron, cui Eleazarus, & huic alij ſucceſſerunt. At quis vnquam catholicus auſit dicere, Chriſtianæ ſacerdotes Eccleſiæ eſſe Chriſti ſucceſſores? Sancti Ireneus, Auguſtinus, Optatus, ac pleræque aliæ ſplendidæ lampades ex Romanorum Pontificum ſucceſſione (quæ nunquam in hæreticis fuit) certiſſimum ducunt argumentum ſolidiſſimæ Catholicæ veritatis. Verùm enimuero nemo vnquam eos Chriſti, ſed Petri ſucceſſores vocauit. Nec item ad Chriſtiani populi aures à Catholicis ea vox peruenit, qua noſtri ſacerdotes redemptionis noſtræ dicerentur operatores, ſed tantum myſterio

1.Cor. 4. rum Dei diſpenſatores. Quis autem fuerit adeò mentis inops, qui quoniam ab Epiſcopo videt vicarios,aut alios adminiſtros mutari, vel aliò ablegari, propterea dicat Epiſcopum,adhuc ſuperſtitem, ſuo munere eſſe defunctum, neq; in ſuo Epiſcopatu iam amplius eſſe Epiſcopum?

Porrò Apoſtolus diſertiſſimam altaris noſtri mentionem fecit, ſiue cùm ad Hebræos ſcripſit. Habemus altare de quo non habent poteſtatem manducandi ij qui tabernaculo deſeruiunt: ſiue cùm Corinthios auertit ab hoſtijs, & altaribus gẽtilium, ac Iudæorum, quibus altare, calicemq́ue Chriſtianum oppoſuit, quem locum Primaſius, D. Chryſoſtomus, & alij verbis, & re ipſa interpretati ſunt, cùm vbiq; conſtituta, à tempore Apoſtolorum altaria & ipſi excitauerint, & mundus ipſe paſſim cernat extantia.

1.Cor.10. Primaſius in epiſt. ad Heb. c.13. Chryſ. ho. 33. in eundẽ locum. Aug. cont. aduer. legis & Prophet. ſed & vide Aug. de ciuit. Dei, lib. 8. c.27. & epiſt. 1. ad Innocẽtium.

Id præterea notandum eſt, Apoſtolum, qui loqueretur Hebræis, reticuiſſe multa, quæ ij nondum capere poſſent, Incarnationem, conceptionem Domini, & id genus alia: cumq; in Melchiſedechi mẽtionẽ incidiſſet ſtatim ſubiunxit. De quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad diſcendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. Etenim cùm deberetis magiſtri eſſe propter tempus, rurſum indigetis, vt vos doceamini, quæ ſint elementa exordij ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ, paruulus enim eſt. Non quoniam (docet Euagrium D. Hieronymus) ea non potuiſſet interpretari, ſed quoniam tum opportunum non erat, cùm Hebræis, hoc eſt Iudæis, perſuaderet, non fidelibus, quibus manifeſtandum eſſet ſacramentum.

Heb.5.

Vide Hierony. in ep. ad Hebr.

ALIAE ADHVC OBIECTIONES refutantur, & impoſturæ Lutheri, Caluini, & aliorum in deprauanda ſcriptura indicantur.

CAPVT VI.

DIxi de Melchiſedecho loquentem Apoſtolum ſuperſediſſe longiore narratione, quoniam myſteria Diuiniora Hebræi percipere non poterant. Quæ cauſſa mihi quoq; ſatis imperaret ſilentium vobiſcũ loquẽti, ſi qualeſcunq; hoſce labores ad incredulos tantummodo putarem peruenturos: Sed quando Septentrionalibus omnibus eos addixi, age breuiſſimè dicamus, quid perſpicuè figuræ Melchiſedechi, quid item iam manifeſtiſſimis Prophetijs Danielis, & Malachiæ de hac oblatione obſtrepant veſtrates.

Dicitis: Nõ obtulit Melchiſedech Deo, ſed propoſuit Abrahæ panem. Per vos igitur quicunque offerent hoſpiti tranſeuntes panem erunt ſacerdotes Dei altiſſimi. nam & ita Melchiſedech ibidem dicitur: Sed quis hoc aſſerat? Quòd ſi eo loco Geneſeos ſacrificij panis & vini Melchiſedechi mentio diſtincta non fiat, vbinam iſtam inuenias? Gen. 14.

Danielem autem iuge Miſſæ ſacrificium prædicentem, quod ab Antichriſto ſummo conatu ſit tollendum, quàm infœliciter detorquetis? Si enim (vti plerique dicunt è veſtris) præteritum tempus illa prophetia reſpexit, quorſum Daniel antea meminerat Dominicæ incarnationis, earumq́ue rerum, quæ huius Diuinæ œconomiæ tempore erant euenturæ? Quòd ſi iam Antichriſtus venit (id enim & obijcitis) reſurrectio igitur facta eſt, quam tamen haud fore ante Antichriſti aduentum Apoſtolus planiſſimè Theſſalonicenſibus ſcribit: Sin ad Euangelij prædicationem, non ad ſacrificium altaris, ea prædictio pertinet, cur ea ceſſatura eſt tribus tantum annis cum dimidio, quam per quindecim penè ſecula prorſus deſijſſe dicitis, donec videlicet abiecta cuculla frontem exeruit, & cœli ſcilicet cataractas vnus aperuit Lutherus? Nec verò tribus illis annis cum dimidio ceſſabit prædicatio, cùm venturi ſint duo Prophetæ, qui munus id præſtent.

Dan. ca.12. Dan. c.9. 1.Theſſ.2. Apoc.11.

Malachiæ item mundam, nouam, vniuerſalem ab ortu ſolis vſque ad occaſum futuram oblationem, & ſacrificium inter Chriſtianos prophetanti quantam miſeri vim infertis? quidquid enim ipſe Propheta apertiſſimè, atque hunc Diuus Irenæus, & reliqui ad noſtræ oblationis continuationem referunt, id nullius momenti apud vos eſt. Qui verò pro oblatione laudem & gratiarum actionem intelligi volunt, non vident, cum hæc oblatio noua eſſe debuerit, id conſequi: nẽpe nulla mantea laudẽ, nullam gratiarum actionem extitiſſe. Quî verò mũda eſſet, ſi nihil è nobis, quib⁹ omnem inhærentem iuſtitiam adimitis, & ſcaturiginem omnium ſcelerum perpetuò inſitam dicitis, prodire poſſit, quod non ſit tamquam pannus menſtruatæ? Minus autem ad crucis ſacrificium ſpectat, quoniam hæc in vniuerſo Mundo facta non eſt, ſed in vno caluariæ loco. At Caluinus ad prædicationem attinere dicit: Id quod ſi verum eſſet nec ceſſaſſe Euangelium, neque latuiſſe per tot ſecula, ſed vbique gentium promulgatum, ſemitas vbique veritatis, & Diuini cultus reliquiſſe ſolidiſſimas, contrà quam ille alibi mentitur, neceſſe eſt. Veruntamen neque hæc omnia,

omnia, quæ in ea prophetia ſunt, prædicationi conueniunt. Prædicatum eſt enim ante Chriſti aduentum, nec immunda ſanctorum Prophetarum prædicatio fuit, vt mũdam tantummodò Euangelicæ legis prædicationem fuiſſe dicendum ſit. Atqui cũ Deus per Prophetam dixiſſet, ſe nolle amplius holocauſtomata, victimas, & thura Iudæorum, illico intulit. Ab ortu enim, & occaſu offertur nomini meo oblatio munda: Et quæ ſequuntur. Nempe vt ſacrificiũ ſacrificio ſucceſſurum oſtenderet. At verò nec Nomini Dei, ſed nomen Dei prædicatur; nec ſuis Liturgijs Sancti Baſilius, & Chryſoſtomus nomen homeliarum impoſuerunt, ſed Liturgiarum, vt videas quo ſe cumq; conuoluerint veſtri, non potuiſſe tamen euadere. Sic verò cum iſtis Zuinglius, Loſſius, Bullingerus, dixerunt idem eſſe baptizari, quod erudiri, ac doceri, euangelium, cùm de D. Ioanne Baptiſta loquũtur. Sic ligari, & remitti peccata, nihil aliud erat Caluino, quàm annunciare Euangelium. Quod ſi obieceris, Lutheranos nõ ita interpretatos fuiſſe, audi quantam Caluinianis viam Lutherus complanauit, dum inuocationem nominis Domini ad altare, ac proinde oblationem, & ſacrificium pro prædicatione falſauit.

Gen. 4. Scriptum eſt: Iſte cœpit inuocare nomẽ Domini. Quod dũ ille debuiſſet vertere.

Dieſer fing an des Herren Namen anzuruffen. Vertit:

Zu derſelben zeit/ fing man ahn zu predigen/ von des Herren Namen.

Et iterùm: Aedificauit quoq; ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius: quod vertendum erat,

Vnd bauwet daſelbſt dem Herren einen Altar/ vnd rieff an den Namen des Herren. At ille ſic:

Vnd er bawet daſelbſt dem Herren einen Altar/ vnd predigt von dem Namen des Herren.

Mox item: In loco altaris, quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Domini. Quod rectè Germanicè dicendum erat.

Eben ahn dem orth/ da er vorhin den Altar gemacht hatte/ vnnd er rieff ahn daſelbſt den Namen des Herren. Ille autem peruersè.

Eben ahn dem orth/ da er vorhin den Altar gemacht hatte/ vnnd er predigt alda den Namen des Herren.

Ac rurſus: Abraham plantauit nemus in Berſabee, & inuocauit ibi nomen Domini: Hoc eſt:

Abraham aber pflantzet einẽ Wald zu Berſaba/ vnd rieff daſelbſt ahn den Namen des Herren. Lutherus autem ſubdolè ſic.

Abraham aber pflantzet Bäume zu Berſaba/ vñ predigt daſelbſt von dem Namen des Herren.

Et hæc quidem Lutherus ſicut alia illa Caluiniani addiderunt: indigniſſimi profectò omnes tanta oblatione, qua ſublata, vim ſacrificij crucis non poſſe in nos deriuari ſatanas dudum animaduertit.

ORDO, RITVS, ORATIONES Sacrificij altaris ab ipſis Apoſtolis, & ab vniuerſa Chriſti Eccleſia ſemper celebrati recenſentur, & ex D. Dionyſio Areopagita, D. Pauli diſcipulo, alijsq; comprobantur.

CAPVT VII.

SVmmus quidem ſacerdos orationem ſacram ſuper Diuinum altare perficiens, ex ipſo adolere inchoans, in omnem venit ſacri chori ambitum, rediensq́; iterum ad Diuinum altare incipit ſacra pſalmorum melodia, concinente ei pſalmificam ſacram orationem omni Eccleſiaſtica diſpoſitione. Deinde verò per miniſtros, ſacræ ſcripturæ fit lectio. Et poſt hanc foris fiunt ſacro ambitu catechumeni, & cum ipſis energumeni, & qui ſunt in pœnitentia. Manent autem diuinorum adſpectu, & communicatione digni. Miniſtrorum verò alij quidem ſtant ad portas templi concluſas: alij verò aliud quid proprij ordinis operantur: alij autem miniſtratoria diſpoſitione diſcreti, cum ſacerdotibus ſuper diuinum altare proponunt ſacrum panem, & benedictionis calicem, cõfeſſa ante ab omni Eccleſiæ plenitudine Catholica hymnologia. Cum quibus Diuinus Pontifex orationem perficit, & ſanctam pacem omnibus promittit, & omnibus ſalutantibus inter ſe inuicem myſtica ſacrorum voluminum prædicatio perficitur. Et lauantibus manus ſummo ſacerdote, & ſacerdotibus aqua, ſummus quidem ſacerdos in medio Diuini altaris ſtat, circunſtant autem ſoli cum ſacerdotibus miniſtrorum ſelecti. Et ſacras diuinas actiones ſummus ſacerdos laudans, ſacrificat diuiniſſima, & ſub conſpectum ducit laudata, per ſacrè procumbentia ſymbola, & donationes diuinorum actuum oſtendens, in communionem eorum ſanctificans, ipſeque venit, & alios adhortatur. Accipiens verò & tradens diuinam communionem, in Euchariſtiam ſacram deſinit. Multis quidem in ſola diuina ſymbola proſpicientibus, ipſo autem ſemper Diuino ſpiritu ad ſancta perfectorum principia in beatis & intellectualib⁹ ſpeculationib⁹ hierarchicæ in puritate deiformis habit⁹ aſcendẽte.

Dion. 3. cã. hier. eccl.

1.Tim.2. At ea ad quæ Apoſtolus Timotheum hortabatur, vt fierent obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, quiq; Corinthijs de hoc Diuino myſterio ſcripſerat in hæc verba. Cùm venero cætera diſponam. hæc omnia cùm antiquiſſima ſeruauit Eccleſia, tum D. Auguſtinus ad altaris ſacrificium pertinere monſtrauit. Poſt introitum enim, & Pſalmodiæ partem oratio publica habetur, quæ cùm totius Eccleſiæ in templo collectæ nomine recitatur, collecta vocatur. Orationem ſequitur lectio, mox Euangelium, deinceps interpretatio. Quæ omnia Apoſtolus adnotauit, cùm inquit: Cùm conuenitis vnuſquiſq; veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, interpretationem habet. Intermediæ verò collectæ meminit D. Chryſoſtomus: communes preces (inquit) à ſacerdote & populo fiunt, & omnes vnam dicunt orationem: orationem miſericordia plenam. Id quod fieri (inquit) antequam excluduntur catechumeni. Qui quoniam cum pœnitentibus, & energumenis abſoluta homilia dimittebantur, ea catechumenorum miſſa ſeu dimiſſio dicta eſt. At Euangelij recitationi cùm ſolerent aſtantes aſſurgere, ſic finita adhortatione ſurgebant iterum omnes, & precabantur; cõcluſiſq; precibus (inquit D. Iuſtinus martyr) panis & vinum cum aqua offerebantur, hoc eſt altari cõſecranda primò apponebãtur, idq; offertorij nomẽ adeptum eſt.

Aug.ep.59. ad Paulin. To.2.
1.Cor.14.
Clement. conſtit. apoſt. lib.3. c.63.
Chryſ. ho. 18. in 2. ad Corinth.
Chryſ.ho. 18. in 2. ad Corinth.
Cõcil. Carthag. 4. can. 84.
Conc. Agathen. cano. 60.
Niceph. li. 9. ca. 8.
Iuſtin. martyr. apol.2.

Tum depellendis malis obſecrationes adhibebantur, quas Apoſtolus ad Timotheum ſcribens δεήσεις vocat, quas (inquit D. Auguſtinus) facimus, antequam illud quod eſt in Domini menſa incipiat benedici.

Has excipiunt προσευχαὶ, hoc eſt, orationes vſq; ad orationem Dominicam, inter quas prefatio eſt, & hymnus Τρισάγιος, quo ad tremendi myſterij ſanctiſſimam peractionem mirificè animi eriguntur. Norũt (inquit D. Auguſtinus) fideles, in quo ſacrificio dicatur, Gratias agam⁹ Domino Deo noſtro. Id quod ipſe non ſemel, reliqui itẽ antiquiores Patres Græci, & Aphricani cõmeminerunt. At is qui dicitur canon, cùm in prolixioribus Diuorum Baſilij atque Chryſoſtomi cernatur, tũ ab Cyrillo Hieroſolymitano, & à D. Ambroſio penè ad verbum in eorum operibus cõſcriptus eſt. In quo canone habentur item commemoratio viuorum, & mortuorum, cõſecratio, & oblatio ex ipſiſſimo (ſicuti oſtenſum eſt) Chriſti inſtituto: deinde Dominica oratio decentiſſimè diſpoſita (quæ res Apoſtolica fuit, vt inquit D. Gregorius Magnus) ante ſumptionem Diuinæ Euchariſtiæ, ſignũq; crucis ſæpe iteratur, ſigno enim Crucis (ait D. Auguſtinus) conſecratur corpus Dominicum, & omnia quæcunq; ſanctificantur cum inuocatione Chriſti nominis in hoc ſigno conſecrantur, & cum ſacratiſſimo cibo (inquit B Chryſoſt.) alimur, crux adeſt, & vbiq; victoriæ id inſigne nobis aſſiſtit.

Theod.hiſt. eccle. lib.4. c.17. & lib. 5. ca.17.
1.Tim.2.
Auguſt. ad Dardanum ep.57. & li. 2. c.13. de bono perſeuer. & lib. de ſpiritu & litera ca. 10. & ſer.44.
Chryſ.ho. de Encæniis, & de Euchariſtia Tom.3.
Cypr. in expoſit. orationis Domin. & Iuſtin. apol.2.
Cyril. Hieroſo. in Catecheſib.
Amb. li. 4. cap.5.
Aug. ſerm. 181 de tẽp.
Chryſ. ho. 55. in Matt.
Chryſ. ho. 18. in 2. ad Corinth.
Greg. Mag. lib.9. ep.63.

Attolli, & oſtendi ſolitam eſſe in altaris ſacrificio D Euchariſtiam S. Dionyſius Areopagita, & Beati Baſilius, atq; Chryſoſtomus planiſſimè referunt, clamante olim Diacono τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις. De adoratione idem vniuerſa antiquitas teſtimonium reddit, ac ſanè perfidum eſt ſi quis, cũ Chriſtum fateatur eſſe in ſanctiſſima Euchariſtia is adorationem ei demat, qui in præſepio, in Aegypto, Hieroſolymis, in Galilęa, in Bethania, in cruce, in limbo, in cœlis, quoniam non homo tantum, ſed Deus eſt, fuit adoratus, & eſt adorandus in ſecula.

Sequitur poſtremo loco poſt collectam poſteriorẽ, quæ poſtulationis eſt pars, gratiarũ actio. Quæ enim (inquit S. Chryſoſt.) ad gratiarum actionem pertinent, cõmunia ſunt omnia. Neq; enim ille ſolus gratias agit, ſed & omnis populus. Prius enim accepta illorũ voce, deinde congregatis illis (dũ dicit Oremus) vt dignè ac iuſtè fiat, gratiarum actionem incipit. hoc enim ſcribit fieri poſt pacem communicatam.

Deniq; benedictio datur ex more antiquiſſimo, vt Synodi Agathẽſis, & Aurelianẽſis teſtãtur. Ex his igitur omnibus ordinẽ Eccleſiæ Romanæ, veteremq; in tabula quaſi depingamus, vt cuiq; eſſe Apoſtolicum liquidius pateat.

Dio. Areo. eccle. hier. c.3. §.3.
Lib. de ſpir. ſanct. c.27.
Hom.3. de incõprehẽ. Dei nat.
Aug. in Pſ. 21. ep.117. & 120. ad Honor. c.27. & in pſ.98.
Greg. Naz. in Epitaph. Gorgo. ſororis ſuæ.
Chr. hom. 61. ad pop. Antioch.
Alexã. Põti. ep. ad orth.
Theod. in 2. dialog.
Syno. Agathẽ. can.47.
Aurel.1. can.28.

	Ordo Miſſæ ab Apoſtolis factæ.		Ordo Eccleſiæ in Miſſa quæ hodie recitatur.
1.	Pontifex orat ad altare.	1.	Obſeruatur.
2.	Offert thus.	2.	Obſeruatur.
3.	Circumit altare.	3.	Fit.
4.	Pſalmos cum Eccleſiaſticis perſonis concinit.	4.	Id fit, nã & pleriq; omnes introitus, & verſus ex aliquo pſalmo deprõpti ſunt.
5.	Recitantur Diuinæ ſcripturæ.	5.	Leguntur Prophetiæ, epiſtolæ Apoſtolicæ, Euangelia.
6.	Emittuntur Catechumeni.	6.	Seruatur in Indijs nunc, & vbi aliqui grandiores natu ad baptiſmum accedere volunt.
7.	Aliqui miniſtri adſtant portis.	7.	Obſeruatur, ſiue portæ ſint chori, ne quis irruat ad altare, ſiue alibi ſi quid opus eſſet, vt arcerentur incommoda, quamuis initio naſcentis Eccleſiæ ob gentilitatem id eſſet magis neceſſariũ.
8.	Pręcipui miniſtri imponunt panem, & calicem ſuper altare.	8.	Obſeruatur à Diaconis, & ſubdiaconis.
9.	Confeſſio, & laus habetur Deo.	9.	Obſeruatur, primò quidẽ in generali confeſſione, ſed & in ſymboli Triſagij, vel aliarũ proſarum recitatione.
10.	Pontifex orat.	10.	Obſeruatur in ſecretis, & Memẽto.
11.	Pontifex lauat manus.	11.	Obſeruatur.
12.	Siſtit ſe ad altaris medium.	12.	Obſeruatur.
13.	Circunſtant qui altari inſeruiunt.	13.	Obſeruatur.
14.	Pontifex conſecrat.	14.	Obſeruatur.
15.	Offert, Deo & oſtendit attollens ſanctam Euchariſtiam.	15.	Obſeruatur.
16.	Pontifex annunciat pacem.	16.	Obſeruatur poſt conſecrationem.
17.	Salutantur oſculo.	17.	Obſeruatur honeſtiſſimè data omnibus pace.
18.	Commemoratio ſanctorum fit, tam viuorum quàm mortuorum.	18.	Obſeruatur.
19.	Pontifex communicat ſanctæ Euchariſtiæ.	19.	Obſeruatur.
20.	Porrigit alijs D. Euchariſtiam.	20.	Obſeruatur vbi ſunt, qui dignè velint accedere.
21.	Agit gratias.	21.	Obſeruatur.

SACRA LOCA, VESTES, ORNAmenta, luminaria, vaſa, quæue alia Liturgica Patres antiquiſſimi dixerunt eſſe ex traditione Apoſtolica adhibita ſacrificio altaris rite offerẽdo, ac nunc quoq; apud Catholicos eſſe omnia:

CAPVT VIII.

VErùm tam Diuino ſacrificio peragẽdo ſacratiſſima loca fuiſſe addicta ſi quis neget, is è Templorũ antiquiſſimorũ molibus adhuc extantibus facilè mẽdacij conuincitur. Et cùm Cõſtantinus Imperator leges de reſtituendis Chriſtianorũ Eccleſijs tulerit, intelligit multò antea eas fuiſſe excitatas in oriente, atq; alibi, vbicũq; perſecutorum gladius Chriſtianos minus afflixerat. Nam Apoſtolorũ tempore, atq; aliquanto poſt, dum primi illi Duces bellũ mundo & carni indixerãt, ac proinde procella perſecutionum vndiq; fuiſſet exorta, fideles in priuatis piorũ domibus, atq; adeo in ſubterraneis cryptis ad tantum myſterium conueniebant, ac fiebat (ait Tertullianus) furtiua ſignatio, ſacrificium cũ ſcrupulo, muta benedictio, ad abſentes delatio, & in arcis aſſeruatio Diuinæ Euchariſtiæ: ſed vbi poſtea pax Eccleſijs eſt data, cryptas exceperunt ornatiſſimæ, & ſacratæ ædes, quæ dictæ ſunt, κυριακαὶ. i. Dominicæ tanquam Domino conſecratæ, ac Baſilicæ, quaſi Regiæ in formã nauis plerunq; extructæ, quòd per nauim Eccleſiam ipſam myſticè Chriſtus ſapiens architectus deſignauerat. Veſtium aũt, & ornamentorum ſacrorũ, petali (ſeu mitræ Epiſcopalis) quod D. Ioannẽ geſtaſſe retulit *a* Polycrates Epheſi Epiſcopus, meminit Euſebius. Inſulæ, *b* Tertullian⁹. Orarij ſeu Stolæ *c* D. Ambroſius, Concilium *d* Bracharenſe primũ, *e* Toletanũ quartum. Pluuialiũ, ſeu cappę, quæ ζίβωνας vocat, *f* Epiphanius. Albę diaconi, Concilium *g* Carthaginenſe quartũ, quã στοιχάριον *h* D. Chryſoſto. in Liturgia ſua nominat. Pallæ, ſeu Aulæorum, quibus ornãtur altaria *i* Theodoretus. Linteaminum, & velaminum, quibus cooperiuntur Altaria, *l* Optatus. Sacratæ talaris veſtis τῆς ἁγίας ποδήρης *m* Euſebius. Amictus, cynguli, caſulæ, manipularij, corporalis, Beati Chryſoſtomus & Baſilius, qui ea & fuiſſe huic ſacræ functioni dicata teſtantur, ac in ſuis Liturgijs vocãt ὠμοφόριον, ζώνην, φαιλώνιον, τὰ λῶρια, τὸ εἰλητόν. Quibus qui ad prophanas res fuiſſent abuſi, ij impij habebantur, nec impunè abierunt, ſicut de Thymelico ſaltatore, qui emptam ſacram veſtem in theatro geſtans ſubito expirauit, ſicut de hoc refert *n* Theodoretus: ac de altero *o* Beda id ipſum narrat.

Euſ. de vita Conſtan. lib.3. c.42. & c.43.
Euſeb. hiſt. eccleſ. lib. 6. c.27.
Tertul. apolog. & li.2. ad vxorẽ.
Cypr. ſer. 5. de lapſis.

At præter antiquiſſimas ſynodos, & Patres extant monumenta ſacrorum vaſorũ, quæ Diuino altaris Chriſtiani ſacrificio addicta, in alienos vſus niſi ſumma neceſſitate redimendorum captiuorum, vel aliarum eiuſmodi rerum, ſub anathematis pœna conuerti non poterant. Nam & ideo D. Gregorius Nazian. inquit, ab hominibus lai-

a Lib.3. c.25. hiſt. eccl.
b Lib. de monogamia.
c In oratione funebri de obitu fratris Satyri.
d Can.32.
e Can.39.
f Hæreſ.15. & 16.
g Can.4.
h Chryſ. in Liturgia.
i Hiſt. eccl. lib.2. c.31.
l Lib.6. cõt. Parmenia.
m Lib.10. ca.4.
n Hiſt. Trip. lib.5. c.37.
o Hiſt. Ang. lib.1. c.29.
Cõc. Laodicen. c.21.
Cõc. Arelaten. ca.13.
Baſi. in reg. breuiorib⁹. q 310.
Hieron. ad Fabiolam.
Ambr. off. lib.2. ca.28.
Greg. Naz. in oratione ad Arianos & de ſeipſo.
Theod. lib. 3. c.11.
Optatus li. 1. cont. Parmenianũ.

Greg. Naz. orat. in Pascha. Athan. in exhort. ad orthodox. Hierony. aduer. Vigilantium.

laicis eadem non esse contingēda in sacros vsus destinata, & non nisi in summa Ecclesiæ necessitate prophananda. Qui quidem Nazianzenus post D. Athanasium testis est luminarium, quæ accendebantur, dum Euangelium recitaretur: Id quod vel rutilāte sole fieri consueuisse ostendit S. Hieronymus contra Vigilantium.

DIVINAE EVCHARISTIAE (VT sacramenti) vberrima vtilitas ostenditur.

CAPVT IX.

SED quando (vt dixi) Diuinam Eucharistiam tanquam cerimoniam aliquam, tu cum Melanchthone, alij autem vel nudam, vel simplicem esse asserunt, aut si qui eam visi sunt aliquanto maiore in pretio habere, nunquam tamen ita locuti estis, vt CHRISTVS Dominus, ipsique Apostolici Patres de ea loquebantur, neque verò fructus eius vberrimos siue vt Sacramenti, siue vt oblationis, & sacrificij vti necesse erat exposuistis (Nam & huc deniq; spectabit, quod de purgatorio igne dicēdum erit, aduersus ea quæ hinc ex tuorum thecis deprompsisti) propterea de Diuinæ Eucharistiæ, vt sacramentum est, vtilitate primùm agamus.

Duo sunt in vniuersum, ad quæ vtilitas hæc refertur: Vita, & vnio. Vitam autem dico Diuina illa dona, quibus cœlestis huius sacramenti digna sumptione anima ditatur, & corpus ornatur, ac roboratur. Itaq; panem vitæ Dominus vocauit, quēadmodum, contrà fructus mortis is fuit, quem in terrestri paradiso comedit Adamus. Diuina dona cùm dicimus, gratiā cœlestem intelligimus, qua efficiuntur emundatio peccatorum, quæ mortem gignunt, & mentis illustratio. Primum illud Patres vnanimes explicuerunt, qui sanctam Eucharistiam compararunt carboni ardenti, quo labia Isaiæ purgata sunt integro homini instaurando, & sanctificando: sicuti & ebrietati depellendæ, ac sobrietati, & pudicitiæ conseruandæ: cùm Christi sanguinem esse vinum illud quod virgines faciat, & præsentissimum esse remedium testati sunt.

Chrys. ho. 7. in Matt. Cypr. de cœn. Dom. Chr. hom. 82. in Matt. Ad populū Antioch. 21. & 61. Chr. hom. 27. ad Corinth. & de non contemnē. myst. Ecclesiæ & deluda proditore.

August. de verbis Do. ser. 28.

At mentis illustrationem, & voluntatis inflammationem, ignem nempe illum quem Dominus Iesus venit mittere in terram, vt arderet, ea designarunt, quæ antiquæ legis tempore tradita, Patres ductu Spiritus sancti huc retulerunt. Mel quo Ionathas post hostes deuictos Ionathæ oculi lucem receperunt. Panis Heliæ subcinericius quem sumens eò peruenit, quò à Deo vocabatur: & sanguis agni, quo angelus exterminator, exterminabatur. Ac certè & hîc illud fidenter dicere possumus. Nemo nouit, nisi qui accipit, quique gustat, quàm suauis sit Dominus. Nam quod anima sursum ad cœlestium amorem attollatur, quod Angelorum fruatur commercio, quod ignem (vt inquiunt Beati Chrysostomus, & Cyprianus) ex pectore emittat, ignem inquam dilectionis, & quòd martyres inde animentur ad proprium sanguinem pro Christi amore profundendum, quodque aduersus satanæ insidias, & mortis acerbitatem validissimum sit hoc sacramentum, quare asseruabatur tradendum moribundis in viaticum, Vniuersa Christi Ecclesia docuit, & indies Catholici, ac pij experiuntur.

1. Reg. 4. Cypr. ser. de cœna Domini. 3. Reg. 10. Exod. 12. Chr. hom. 61. ad pop. Antioch.

Chr. hom. de nō contemnen. eccl. myst. Cypr. de lapsis 5. lib. ad Marty. Euse. lib. 6. c. 38.

Ad corpus quænam ex Diuinæ Eucharistiæ sumptione redundet vtilitas.

ET totum hominem is, cuius omnia opera perfecta sunt, sanum facit benedictus Iesus. Quare & corpori maxima commoda accedunt ex D. Eucharistia. Optima plerunq; valetudo in hac vita: Resurrectio verò ac glorificatio corporis in altera. Nota sunt quæ Apostolus Corinthios admonuit, cur pleriq; imbecilles essent, & multi dormirent, hoc est morerentur, qui dignè ad altare haud accedebant, & ea quæ Patres scripta reliquerunt de Diui Gregorij Nazianzeni sorore, deq; fratre sancti Ambrosij, quorum illa conualuit, hic è naufragio liber euasit: deq; Dæmonibus fugatis è corporibus obsessis, ne plura huc congeram: Nam & quod in Paradiso terrestri pomi comestio non solum animo, verùm item corpori mala, & mortem intulerit, huc facit, vt tanto magis contrarium fieri in D. Eucharistia credamus, cùm re ipsa Christum sumamus non in signo & fide solum, sed vt Diuus Chrysostomus, ἐν πείρᾳ, καὶ ἀπολαύσει. De resurrectione autem certissimum illud Domini testimonium est aientis, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Quod postea Patres perpendentes docuerunt. Tertullianus, qui Diuina Eucharistia dicit animam & corpus de Deo saginari, vt suo tempore reuiuiscat. Sanctus Cyrillus qui corpori vitam instillari, vt ad æternitatem paretur. D. Ireneus, qui carnem nostram sensim hoc cœlesti sacramento ad immortalitatem disponi, sicuti vitis excipiens imbrem paulatim efformat, & suo tempore fert fructum.

1. Cor. 11. Amb. de obitu Satyr. D. Bernard. Ioan. 6. Tertul. de carnis resurrect. Cyril. in Io. lib. 4. Iren. lib. 5.

Vnio siue coniunctio, Diuinæ Eucharistiæ vtilitas altera.

Ioan. 6. Galat. 6. Heb. 2. Cyril. 4. mystag.

ALtera Diuinæ Eucharistiæ vtilitas est, qua cum Christo, deinde cum proximo anima mirificè vnitur, nam & propterea communio vocatur. Primam cum Christo coniunctionem ipsemet Dominus promisit dicens. Qui mādùcat meā carnem, & bibit meum sanguinē, manet in me, & ego in eo. Hinc enim & Domini mandatorum obseruatio, & laborum pro Christo tolerantia (quam communicationem cum Christi passionibus vocat Apostolus) consequuntur: hac enim manducatione effecti (vt Diuus inquit Cyrillus Hierosolymitanus) consanguinei, & concorporales Christi, iam in tanti cibi virtute ambulamus, nec aliquid quantumuis asperum detrectamus. Quod si particeps calicis Dęmoniorum aliquis factus, & corpori meretricis adhærens, vnum (inquit Diuus Paulus) fit cum vtroque, ecquis ambigat vnum nos effici animo, & voluntate cum Christo percipientes Diuina eius mysteria, in quibus se ipsum verè dat nobis? Sed quoniā qui capiti adhæret, adhæreat & corpori necesse est: hinc & communio, & amor cum proximis firmissimus oritur. Sic Græci Synaxim, & Agapem vocarunt, hoc cœleste conuiuium, quo Apostolus Christianos dicit vnum esse corpus, & vnum panem in Christo. Quare & pacandis animis, ac dirimendis litibus efficacissimum remedium est Diuinum hoc sacramentum. Nec horret quidquam satanas amplius, quàm frequentem (sed dignam) cœlestis Eucharistiæ manducationē, quandoquidem vna hæc præcidit neruos impietati, ac longissimè omnes, quas ille serit inter fratres, dissensiones abigit. Neq; euidentiore alio argumento hæreticæ prauitatis, quàm detractione Diuinæ Eucharistiæ Ecclesia degeneres filios notare potuit, quippe quos meritissimò Dei, hominumque eorum vnione priuat, qui Deo & hominibus aduersantur. Nec denique hæretici ipsi sese passionibus Christi, sed labori pistorum communicare possunt ostendere, quam cùm putidam illam cœnam & panem loco Diuinæ Eucharistiæ manducant, vt faciunt.

1. Cor. 6. Iustin. apolog. 2. Tertul. apolog. 39. 1. Cor. 10.

DIVINAE EVCHARISTIAE (TAMquā sacrificij) fructus vberrimus pro viuis & defunctis ex perpetuo Ecclesiæ vsu ostenditur.

CAPVT X.

SED & ipsa Diuinæ Eucharistiæ oblatio admirabiles parit vtilitates, quarum nonnullas in hunc locum reseruaui, vt rectiore ordine ad tua Chytræe confutanda, atque inprimis ad Ecclesiæ ex quatuor primis Synodis faciem, ac fidem ostendendam accederem. Ac sanè sat esset credere nihil non augustum, aut maximè salutare ex ea oblatione proficisci, in qua cùm ipsa hostia Christus sit (quemadmodum superius dixi) tum nihil gratius, vel maius ad testificationem Diuinæ gloriæ potest offerri.

Veruntamen ne vllus cauillationi locus relinquatur, ex ipso perpetuo offerendi sacrificij, (& quidem visibilis) vsu id semper fuisse necessarium comprobatur. Quis enim instinctus principes humani generis Adamum, Abel, & reliquos agebat, vt Deo sacrificarent, nisi indita Dei lex, atque afflatus Diuinus? Nam etsi animo tamquam spirituali hostia creatori suo litabant, exteriorem tamen hunc alterum cultum Deo maximè debitum modum esse necessarium intellexerunt. Itaque deinceps lex scripta sacrificia sua habuit, sed Euangelica tanto præstantius, quanto excellentius præ alijs Christus nomen hæreditauit, ac sacerdotium habuit. Et hoc est quod semper agnouit Ecclesia Christi, sacrificium secundum ordinem Melchisedech, quod successit (ait Diuus Augustinus) omnibus illis sacrificijs veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri: quodque completum est noui testamenti oblatione, quam (Sanctus inquit Irenæus) Ecclesia suo tempore iam offerebat Deo per totum mundum, nempe ante mille quadringentos annos.

Aug. Tom. 5. de ciuit. Dei, lib. 17. ca. 20.

Deinde quidquid in veteris legis sacrificijs fuit, quo vel expiarentur peccata, vel pax peteretur, vel agerentur gratiæ, vel denique reliqua postularentur, id omne ad Christianum sacrificium relatum fuit, in quo Christus, qui in cruce pro sua reuerentia exauditus, promeritus est omnibus sacramentis, & Ecclesiæ suæ, ac præsertim huic suo mysterio, quidquid habent virtutis, & efficacitatis. Et meo quidem de sacrificio Missæ libro Italico fusius (licet breuissimè) attigi ea omnia, pro quibus sacrificium altaris offerebatur, pro salute viuorum, pro cursu nauigantium, pro pœnitentibus, pro pace, pro bello, pro obsessis, pro expulsione dęmonū, pro morbis aspellendis ac præcipuè pro mortuis.

Impressus Lugduni anno 1561.

DE IGNE PVRGATORIO & oblatione pro defunctis.

CAPVT XI.

SEPTIMAE impostur æ tuæ reiectione dicebam, putauisse te parum scie-

ſceleris patraſſe, qui Chriſti Domini meritum animabꝰ in purgatorio ademeras, niſi ſpiritu ſuperbiæ inflatus, quę ſemper aſcẽdit, Chriſti membris, ipſiq; adeò gratia plenæ virgini Dei matri bellū intuliſſes. Adieci, Ioanni Euangeliſtæ reuelatum fuiſſe, Antichriſtum, & ſectatores eius os apertu-ros in blaſphemias ad Deū, vt blaſphemarent nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cęlis habitant. Quæ omnia cùm languentem animam tuam ſanare debuiſſent, in phreneſes diriores te à ſatana obſeſſum egerunt. Itaq; hinc inde corraſis aliorum hæreticorū quiſquilijs, aperuiſti iterùm os tuum, & nouas peiores prioribus blaſphemias aduerſus animas, quæ in purgatorio ſunt, & in ſanctos, qui ſunt in cælis euomuiſti.

Sed quando hoc poſtremum in controuerſiam vocas, teq; implicas modò aiens à patribus in liturgijs oratum fuiſſe pro ijs, qui ex hac vita deceſſerunt, modò negans purgatorium ignem, (hoc eſt, neſciens, nec credens, quid de vtraque re blateres) propterea ſenſum & cõſenſum Eccleſiæ Chriſti vndequaque à tempore Apoſtolorū hac de re indagabimus, ſi prius dixerimus ab ea te tuoſq; pridem hæreſeos in Aërio dãnatos fuiſſe, qui ſuffragia pro defunctis (vt alia quoq;) negabat, homo perfidiæ Arianę ſectator, deinde iſtius quoq; hęreſeos aggregator, deniq; proficiẽs in peius, ac propterea aptè cum ſcarabeo à S. Epipha. collatus.

Epiphan.

Auguſt. de hæreſ. ad quod vult Deum Philaſter.

Africani igitur Tertullianus, Beati Cyprianus, & Auguſt. Victor, & Carthaginiẽſes in Synodo Patres, (vt meo de impoſturis tuis libro ſcriptum eſt) id manifeſtiſſimè declarârunt. Anniuerſaria verò, quæ Tertullianus pro demortuo marito præſtãda eſſe ab vxoribus, & ſuffragiorum vtilitas, quam ipſe commendat: Quæ ſuffragia haud eſſe facienda pro ijs, qui neglecto prouinciali decreto deceſſerãt (vt ſcripſit S. Cyprianus) ac fructus, quos ex altaris ſacrificio ab animabus percipi ſæpe D. Aug. oſtendit, grauiſſima teſtimonia ſunt, quæ Chytræum Grãmaticum inter hæreticos natum, & viuentem, facilè temeritatis, vt falſitatis arguant.

Tertul. l. 2. ad vxor. De corona. De anima. Cypr. lib. 1. ep. 9. Aug. enchirid. c. 110. De ciuit. li. 20. ca. 9. ep. 46.

At oriens apertiſſimè. Nam quod Eccleſia ab Apoſtolis acceperit ad leuamentum mortuorum, vt hæc oblatio pro defunctis fieret, D. Chryſoſt. cum D. Iuſtino martyre, docet. Ac D. Gregorius Nazianzen. pro anima ſui patris eandẽ Deo offerebat. Extant Liturgię D. Baſilij & B. Chryſoſtomi, & aliæ, de quibus dixi, vbi hac de re planiſſima fit mentio. D. Athanaſius, quoniam non erubuit veritatem credere, nec dicere erubeſcit, hoſtiam incruentam, & ſacrificium eſſe pro animabus defunctorū propitiatoriū. Cyrillus Hieroſolymitanus id ſolitum effici poſt conſecrationem in ſua Eccleſia Hieroſolymitana ingenti demortuorum auxilio, & Euſebius ſepultum fuiſſe cum Liturgia Conſtantinum Imperatorem referunt.

De cura pro mortuis. Iuſti. martyr. hom. 3. ad Philip. Greg. Naz. oratione pro defunctis.

Cyril. Hiero. myſt. 5.

Euſeb. libr. 4. de vita Conſtantini.

De occidentali Eccleſia, nemo eſt tam impudens qui neget. Extant Miſſa D. Ambroſij: B. autem Hieronymi, & S. Gregorij Magni, omniumque Eccleſiarum teſtimonia, quandoquidem paſſim omni ſæculo continenter ſacrificium altaris pro viuis & mortuis oblatum eſt.

Ex tot autem lapidibus viuis, tu nihil ignis purgatorij excutere potes: nimirum quia nihil tibi illuceſcit, quantumuis ſit ſplendidum. At ignẽ tamen vocat Apoſtolus (ſiue tribulatiõis, ſiue cruciatuum is ſit, nec enim de nomine, ſed de re quæſtio eſt) vocarunt item Eccleſia Catholica, quique adeò Florentinæ Synodo præſtantiores Græci interfuere, quam tu ipſe, neſciens quid dixeris, citas. Celebris autem præter alios in ea fuit Georgius, qui poſtea Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus dictus fuit, & Chriſtianæ pacis amator, elegantiſſimis concionibus ad vnionem ſuos Græcos cum Latinis permouit. Ac cùm poſtea quinque Græca ſyntagmata, ſiue commentarios, de quinque capitibus controuerſis inter Latinos & Græcos edidiſſet, quę adhuc extant, tertius eorum eſt περὶ τοῦ καθαρτηρίου hoc eſt de purgatorio. In quo ex diuinis literis & fide Eccleſiæ Chriſti perfidiam iſtam Purgatorium negantem manifeſtè conuicit: Nam cùm Florentinæ Synodi canonem de purgatorio recitaſſet, ſtatim inſipiẽtiam quorundam qui neſciebant, quid dicerent, adiecit. Porrò decretum eius Synodi tale eſt.

Ἔτι ἐὰν οἱ ἀληθῶς μετανοήσαντες ἀποθάνωσιν ἐν τῇ τοῦ θεοῦ ἀγάπῃ, πρὶν τοῖς ἀξίοις τῆς μετανοίας καρποῖς ἱκανοποιῆσαι περὶ τῶν ἡμαρτημένων, ὁμοῦ, καὶ ἠμελημένων, τὰς τούτων ψυχὰς καθαρτικαῖς τιμωρίαις καθαίρεσθαι μετὰ θάνατον. ὥστε δὲ ἀποκουφίζεσθαι αὐτὰς τῶν τοιούτων τιμωριῶν, λυσιτελεῖν αὐταῖς τὰς τῶν ζώντων πιστῶν ἐπικουρίας: δηλονότι τὰς ἱερὰς θυσίας, καὶ εὐχὰς, καὶ ἐλεημοσύνας, καὶ τ' ἄλλα τῆς εὐσεβείας ἔργα, ἅ τινα παρὰ τῶν πιστῶν ὑπὲρ ἄλλων πιστῶν εἴωθε γίγνεσθαι κατὰ τὰ τῆς ἐκκλησίας διατάγματα.

Inde orientales Patres affert præter Ioannem Damaſcenum, quem cùm tu blaſphemaſti, ille tamen cum vniuerſo oriente collaudat, & μέγαν ἑῴας ὀφθαλμόν, hoc eſt magnū orientis oculum appellat. Deinde affert, quæ B. Dionyſius, Chryſoſt. Athanaſius, & alij ex Diuinis literis, & Apoſtolica traditione conteſtati ſunt. Quid verò ſcirpum in nodo quæris, qui cùm negare nequeas an ſit orandum, & offerendum pro mortuis, delaberis ad ignem purgatorium pernegandum, & quod Regius pſaltes dicit: In circuitu ambulas? Nomines igitur (per me licet) aut ignem, aut pœnas emendatorias, ſicut D. Auguſtinus fecit, vel cruciatus; altaris autem oblationem ijs pœnis leuandis vtiliſſimam eſſe non neges, cùm inde expientur, & animæ liberẽtur, vt abs te ipſo citata Florẽtina Synodꝰ teſtatur, facilè tibi vocis iſtius vſum tantiſper cõdonabo, dum greſſum in fide Catholica promouere didiceris.

Porrò cùm eadem ad verbum ex Illyrico deſumpſeris, quibus libros Machabeorum conuellis, D. quoque Dionyſij Areopagitæ clariſſima de oblatione ſacrificij Chriſtiani pro mortuis verba neſcio quò detorqueas, ego verò euidentiſſimè iſtas fraudes antea retexerim, propterea te doceat ipſe Iodocus Rauenſtein, Tiletanus Theologus Louaniẽſis, qui præter innumeros alios eadem Illyrici verba, vigeſimo ſui libri capite, vbi agit de purgatorio, doctiſſimè & Chriſtiano corde cum tuis iſtis ramentis refutauit.

SED pulchrè ſanè Lutherum tueris, cùm fatearis ab eo purgatorium, & primatum Pontificis Romani creditum fuiſſe, qui poſtea (inquis) illuſtrata certaminibus veræ doctrinæ luce, ita hunc quoque de cruciatibus, & pœnis piè defunctorum apud inferos dogma (vt tu ais) refutauit. Et putaueram ego nouos Helias, & prophetas qualem Lutherum fuiſſe non ſemel dicebatis, cùm primū inſiluit in eum ſpiritus quo Eccleſiam deſeruit, & Catharinæ Boræ nupſit, nunquam vel initio, vel procedente tempore opus habuiſſe, doctrinam vt ſuam ipſi refutarent. At video ſecus factum, & multa alia eſſe, quæ iam eidem obijcitis, tanquam infirma firmamenta, quibus ędificium ſuum inniti voluit. Pręterea quænam mihi narras certamina, quibꝰ illuſtrata eſt veræ doctrinæ lux? ad Synodúmne vllã, aut Academias eruditiſſimas iuit apoſtata, an potius Andabatarū more inter ferales iſtas tenebras, & canthatos ſublatis omnis veræ doctrinæ antiquiſſimis luminibus blaſphemias eructauit? quas cū modo tegatis, (licet plurimi veſtrûm eas agnoſcant, & damnent) hæreſes alias ex alijs aggeraſtis, obſiſtente nimirum ſuperbia, qua fit, vt veram Euangelij lucem nequeatis inſpicere.

DE SANCTORVM INVOCATIONE & Interceſſione.

CAPVT XII.

IAM VERÒ quonam modo Eccleſia Chriſti cœlites inuocaret, & veneraretur, atque vt ſemper in vniuerſo orbe Chriſtiano id obſeruatum fuiſſet, quáve ratione illi noſtras preces inaudirent, rebuſque noſtris adeſſent, ex diuino verbo, ex ſynodis, & patribus, ex templis ad Dei gloriam pro honore martyrum excitatis, ex miraculis veris editis vberrimè expoſui. Tu verò relictis omnibus, dum videri vis Beatiſſimæ virginis laudator, laudem illi omnem adimis, & qui pergis in caput tuum eſſe verſipellis, inuocationem, & adorationem latriæ, quæ vni Deo debetur, affingis Catholicis, quaſi ſeruis Dei eandem ipſam exhibeamus. Quod cùm perpetuò Catholica Chriſti Eccleſia negauerit, ecquid ego cum effronte veteratore amplius agam, niſi vt ſinam in tuo te cœno volutari cum tuis?

AC tamen vt meis in Chriſto chariſſimis ſeptentrionalibus, atramento in Dei cauſſa defendenda non parcam, qui pro eorum ſalute Deo miſerante, ſanguini meo effundẽdo, (ſi dignaretur me Deus) non parcerem, remiſſis & iſtis domum tuam in ſanctos blaſphemijs, pauca in eorundem ſeptentrionaliū gratiam addam.

IN primis igitur cùm dicis non negare te laudes quæ Beatiſſimæ Matri Dei tribuuntur, ſed inuocationem & reliqua non concedere, videris mihi alter Parmenianꝰ, aduerſus quẽ Optatus ſcribẽs dixit. Vt Chriſto vnciã concedas totã illi librã auferre conaris. Pater enim (ait) dū donat, nihil excipit. Vos vt concedatis vnciam, „ totam libram auferre conamini, & adhuc „ nitimini ſuadere hominibus, apud vos ſo- „ los eſſe Eccleſiam, auferentes meritum „ Chriſto, negantes præſtitutum à Deo. „ Hæc ille.

Optat. lib. 2. cont. Parmenianū.

QVAE quàm in hoc negotio quadrent in te ac reliquos ſimiles tui nemo non viderit, qui maturè perpenderit, cur tam acriter Eccleſia, & Africani potiſſimum patres inuecti ſint aduerſus Donatiſtas. Eccleſiam enim hi in terris ſcindebant, ſeque quibus ſol in meridie illuxiſſet, ac tabernaculum ſuum ibi collocaſſet, ſolos eſſe, impudentiſſimè dicebant. Vos autem Eccleſiam, quæ in cœlis eſt ſcinditis, & vos ſolos eſſe temere dicitis, quibus idem ſol iam inflexo curſu in Septentrionem (reliquo videlicet ambitu mundi relicto) illuxerit. Ij item ſummum ea in re Chriſto ſeſe habere honorem iactabant, cùm tamen Regnum Eccleſiæ in terris deſtruerent: vos eidem Chriſto ſummam adorationem nomine tenus, (ac iam ne nomine quidem tenus, vt de atheiſmis veſtris oſtendi) Regnum Eccleſiæ in cœlis noui gigantes euertere ſatagitis, quod tamen nunquam efficietis. Illi dum diſtra-

diſtrahebant Eccleſiam in terris, Chriſtianas & quotidianas precationes, ac proinde Diuinas laudes, & mutuum auxilium aut prorſus tollebant, aut certè magnopere impediebant. Vos dum cæleſtes choros, quaſi ſuperiora, & illuſtriora corporis mẽbra à nobis ſeiungitis, puriſsimas & efficaciſsimas cælitum precationes, ac proinde Diuinæ magnitudinem gloriæ, promptiſſimamque angelorum de nobis curam, & ampliſsimum Chriſti Domini meritum, atq; eiuſdem charitatis vim in amicis ſuis, quibus omnia nota fecit, mutuum deniq; conſenſum, atq; eorũ erga nos præſidium auertitis. Quamobrem (iterum dico) ea in te quadrãt Chytræe, quæ Parmeniano obijciebat Optatus, vt Chriſto inquam, vnciam concedas, totam illi libram auferre conaris.

Sed vt iſtam impietatem gladio tuo iugulem, quæro de te, viſné amplius eorum ſtare iudicio, ad quos initio prouocaſti, ſiue qui Synodis quatuor generalibus interfuerunt, ſiue ijs qui (vt tu ipſe dicebas) fontes doctrinæ Chriſti, & Apoſtolorũ Græcis literis primùm nobis traditos illuſtrarunt, quales (aiebas) fuiſſe Baſilium, Nazianzenũ & alios? negabis, opinor: aut ſi conceſſeris, dabis nobis dexteram, & Catholicam fidem amplecteris. Horum enim omnium, cùm eadem, quę Catholicę Eccleſię nunc eſt, fides vna fuerit, de Inuocatione & Veneratione Sanctorum, cumq; (quemadmodum ex ijſdem aduerſus te probaui) Diuinum cultum, quò S. Epiphanius reſpiciebat, Deo, non ſanctis deberi λατρείαν ſcribebat, non ſolùm nõ obſcurari, ſed illuſtrari magis, conſentiens Chriſtianus orbis ſemper crediderit, ecquis putauerit viros adeò à te celebratos idololatriæ argui? Accedit, quòd cùm ſuprà ex conſtitutione Concilij Nicæni patuerit vnam eſſe Eccleſiam quæ in terris, & cælis eſt, ac propterea conſequi, vt vno, & eodem ſpiritu regatur, ecquis erit tam ſtipes aut bardus, qui compati, & congaudere inter ſe eiuſdem Eccleſiæ membra negauerit, cùm ſpiritus ipſius ſit ſpiritus charitatis, & vnitatis?

At vos quibus articulus Symboli de cõmunione ſanctorum non ſapit (neq; enim quid hoc ſit poteſt in animos ab ipſa communione Eccleſiæ abſciſſos cadere) mirandum non eſt, ſi animũ auertiſtis ab inuocatione Sanctorũ, à quibus auertiſtis & fidẽ.

Interea magis mirandum eſt, cùm ad quatuor Synodos priores prouocaſtis, non vidiſſe vos, ab ijs nulli vnquàm Patrũ fuiſſe hunc errorem obiectum de inuocatione Sanctorum, cùm plerique omnes hanc ſuis ſcriptis conſignaſſent, atque adeò in ipſis ſynodis elegantiſsimas, & ſanctas ea de re orationes, (præſertim in Epheſina ſynodo) publicè habuiſſent.

Nam Epheſi cùm tot Patres conueniſſent, vt Beatiſsimæ virginis Deiparæ [θεοτόκου] honorem ſartum tectum ea in ciuitate tuerentur, in qua (quondam ab Ethnicis Dianę ac dæmonibus dicata) ipſa Dei mater diu vixerat, quot laudes, quot acclamationes, quot inuocationes illius ex Patribus ijs exauditæ ſunt? quibus certè teſtatiſsimum mundo fecerũt tantum Chriſti organum nõ inutile, nec fruſtra pro nobis eſſe in cælis: quæ cũ in terris multa poſſet à Deo per filium conſequi, eandem ſcirent multò magis illic ſolitam eſſe fidelibus obtinere.

Et verò ſcimus, cùm Nicephorus Patriarcha Conſtãtinopolitanus in Synodo VII. (quæ fuit ſecũda Nicæna) fidem ſeptem œcumenicarum Synodorum ordine confeſſus eſſet, nõ ſolùm nihil ex ijs aduerſus ſanctorum inuocationem, & interceſsionem pronunciaſſe, verùm etiam ipſummet his verbis tota de hac re fuiſſe locutum.

Sãctorum patrociniũ & inuocatio. Diui omnes piè inuocãdi.

Exoſculor (inquit) nihilominus, & expeto ſanctorum apud Deum patrocinia, & interceſsiones. Primò quidẽ præcipueque, ſanctiſs. & immaculatiſsimæ ſemper virginis, ac Dominę noſtræ Dei matris. Mox verò Diuinarum cęleſtiumq; virtutum, ſanctorum, laudatiſsimorumq; Apoſtolorũ, beatorũ Prophetarum, glorioſiſsimorum, inuictiſsimorumq; Martyrum, Diuinorũ Patrum, ac omnium deniq; ſanctorum, qui ab initio mundi Domino placuerũt, & abſque vllo omninò fine in ipſo & per ipſum viuũt (animæ enim iuſtorum in manu Dei ſunt) vt qui maximam hinc animæ, corporiſque ſalutem conſequar.

Sapient. 3. Sancti piè inuocati animæ & corpori ſalutem adferunt. Diuorum reliquiæ, vt quæ ſalutem & medicinã animo & corpori cõcilient, honorãdę. Nicephor' Patriarchã Conſtantinopolit. quid de diuorum inuocatiõe, deq; eorũdem reliquijs, imaginibus, & mauſolæis ſentiendũ ſit, luculenter exponit. Nicephorus Epiſcopus Conſtant. tempore 2. Nicænæ Synodi, q̃ 7. appellatur vixit. Imaginũ cultus ab initio Eccleſiæ obtinuit.

Adoro item, & exoſculor venerandas illorum reliquias, quippè quæ certã animorum, corporumque morbis ſalutem, medicinamque conferant. ſuſpicio propterea, ac laudo venerandam, Diuinamque illorum conuerſationem, celeberrimoſq; eorũdem agones, & pugnas. Honoro quoq; & veneror ſacroſanctas illorum tumbas, & ſepulturas. Dignos deniq; illos ipſos cenſeo, qui ſummis honoribus decorentur, maximiſq; laudibus euehantur, quoniam pro gloria Dei omnium noſtrum Saluatoris ſanguinem ſuum profuderunt, & fluxã hanc pręſentemq; vitam, ob ſuam in Deum charitatem animosè ſpreuerunt, viuificaſque ac ſalutares illius perpeſsiones imitati ſunt. Complector itidem ſuſcipioq;, non ſolùm venerãdas Chriſti omnium Saluatoris noſtri iconas, & venerabiles ſanctiſsimæ Dei matris imagines, verùm ſacras quoque ſanctorum omnium effigies, eamque venerationem illis exhibeo, quam honor eorum meritò

meritò poſtulat. Et paucis interiectis.

Syn. Nicęn. ſecuda præcedentium omnium dogmata confirmauit.

Recipio tandem ſeptimam ſacram 150. ſanctorum Patrum Synodum noſtro hoc æuo in ciuitate Nicæa denuò celebratam, quæ oẽs præcedentes ſacras Synodos, earumq; dogmata, ac decreta confirmauit & quodam modo obſignauit, ſacrarumq; ac venerabilium imaginum cultum, venerationemq; iam inde ab initio Eccleſijs traditam, ſuſcepit, definiuitq; non ſecus venerandas eſſe, atq; viuificę crucis effigiẽ. Eos proinde ex Eccleſijs eijciamus, qui in harum contumeliã & euerſionem futili garrulitate Chriſtianis inſultant, quaſi deorũ loco hactenus illas habeant, venerenturq;, quales ſunt Theodoſius, Baſilius, & Siſinnius, qui Dei permiſſione Epiſcopalibus ſedibus præfuere. Hæc ille.

Sic igitur Chriſtianæ ſynodi, ſic Chriſti Eccleſia credidit & locuta eſt. Quamobrem vbi pręter Diuinum verbum rectè intellectum, ac præter innumeros Theologos, & confeſſores, habes quoq; mille & ſeptigentorum octoginta ſex Epiſcoporum, quibus totidẽ populos, vel regiones Deus ſubiecit, vnanimem hac de re, ac de alijs omnibus fidem (tot enim Epiſcopi ſeptem illis œcumenicis ſynodis interfuerũt) propterea ne mirere, ſi vni vel alteri apoſtatæ Luthero aut Melanchthoni minus fidei, q̃ illis habeamus. Cæterùm quæ tu de idololatria, deque ſuperſtitionibus garris, & aduerſus conſcientiam tuam ſcis te mentiri, eius farinæ ſunt, cuius cætera veſtra fuere ſemper maledicta. Eccleſia enim Catholica Romana omnes ſuperſtitiones reijcit, docetq; accuratiſſimè quid fugiendum, quid ſequẽdum ſit. At verò Chriſtum Ieſum adoramus vnicam primariã ſpem noſtram, per quem & habemus acceſſum ad Patrem. In cuius nomine Oceanũ, & quantum Eccleſiæ Catholicę commiſſum eſt populorum non deſunt qui imperterriti decurrant, ac libentiſſimè dent ceruices pro hac veritate, quotieſcunq; ferat occaſio.

Vide Cõc. Trid.

A SERENISSIMIS FERDINANdo Cæſare, à Galliæ Regibus, ab Alberto Bauariæ, & à Ioanne Baſilij Magno Moſcouiæ Duce, condemnari Chytræum mendacij, qui Principum illorum nominibus, in negotio vtriuſq; ſpeciei Euchariſtiæ fallaciter abuſus ſit.

SECTIO VLTIMA.

CAPVT I.

POſtremum hoc erit caput Refutationis meæ ad reſponſum tuũ, vt qui principio ad ſereniſſimum Sueciæ Regem prouocans ab eodem fuiſti condemnatus, nũc item à Ferdinando optimæ memoriæ Imperatore, atq; à reliquis ad quos prouocaſti, damneris.

Ac vt à Moſco incipiam, non rectè facis, qui à ſchiſmaticis ſubſidium petis. Et tamen qualiſcunq; ille Dux fuit, is tuæ cauſę minimè patrocinatus fuiſſet, cùm præſanctificatis (vt Græci, & Moſci) interdum vteretur, quæ tantum ſub ſpecie panis ſumunt.

Vide Auctoris Moſcouiam.

De Galliæ autem Regibus, falſum eſt quod ais. Neq; enim ſemel interfuimus, dum Diuinæ Euchariſtiæ ſub vna ſpecie participes fierent. Nec à Clodoueo primo Gallorum Chriſtiano Regę quẽquam eorum facilè comperies, qui vrſerint, vt populis paſſim ſub vtraq; ſpecie Euchariſtia traderetur. Ac cũ Eccleſię Catholicæ vndecim propè ſecula, Regnum illud magno præſidio, & ornamento fuerit, inuictum abſq; vllis præualentium eiuſmodi hæreſum monſtris perſtitit.

At quod ais, ſcire me, Ferdinandum & Albertum Bauariæ Ducem conceſſionem calicis in ſynodo Tridentina procuraſſe, quin tu eò ibas, vt cauſam iſtam euinceres? Sed ſanè ſcimus, quæ tantorum Principũ mẽtes fuerint, piæ videlicet, ac ſanctę. Qui licet quædam eiuſmodi proponi ſinebant (cùm ipſi vna tantum ſpecie conſtantiſſimè vterentur) quidquid tamen à ſancta illa Synodo, ac demum à ſede Apoſtolica ea de re decretum fuiſſet, id certiſſimè à ſpiritu ſancto profecturum fuiſſe, non dubitabant. Cùm verò Albertus tentaturus an hæreſes, quæ in Bauaria ſuccreſcebant, poſſent calicis cõceſſione ſuccidi, eundẽ procurari permiſiſſet, ac Pius IIII. Põt. Max. ad quẽ tota res à Synodo, fuerat delata, id integrũ ijs cõditionibus reliquiſſet, quibus Cõſtantienſis Synodus, alicubi permiſerat, nõ tam citò in rem conferri cum laicis cœptũ eſt, cùm vidit non hæreticos ad vnitatem Eccleſiæ, ſed ab hac, Catholicos ad hæreſim eodẽ calice abduci. Quare & intellexit Tridentinæ Synodi Patres non ſine cauſſa diu ei conceſſioni fuiſſe aduerſatos, quippè qui hęreticorũ ingenia noſſent, eo quaſi cuneo, eandem Eccleſiæ vnitatem ſindere ſtudentium. Quamobrem argenteis vaſis retractis, quæ ad liquidæ ſpeciei decentiorem vſum curauerat effici, ijſq;, Ratisbonæ infici iuſſis, mandauit, vt vnicam de omnibus dogmatibus, & ritibus Catholicam religionem ſubditi ſui complecterẽtur. Qui parere nollent, hi ex patria ſtatim emigrarent. Is verò idem Princeps anno huius ſeculi 78. litteras ea de tota re ad ipſum Sereniſſ. Io. Suecię Regẽ ſcripſit, ne tu putes hęc ab eo ignorari, aut iſtas quoq; tuas impoſturas agnitas non fuiſſe.

Ac cũ ꝑmiſſus calix in Stiria, Carinthia,

Auſtria, Boëmia nihil poſtea profuerit, nõ ſemel aſtũ ſatanæ eò liquidius cognouerũt omnes boni, quod ex eius calicis falſa cupiditate, latenter in dies venena ſimplicibus alia propinarētur. Ac nos quoq; vidimus, quidnam cõſequentibus tot annis, ex iſto calice effectum ſit, quænam fuerint hominum ad Catholicam fidem conuerſiones, quæ maior pietas, quæue inita Concordia, qui ſedati apud vos fluctus, quàmue repreſſæ technæ VVittembergenſium ac Tubingenſium, vt nemo niſi cœciſsimus, intelligat iam eſſe optimum nolle hariolari, ſed Catholicæ Eccleſiæ in omnibus acquieſcere, quæ vt magis ſobrios conatus ad Chriſti gloriam promouendam adhibet, ſic ſapientiore charitate, quàm vos, eſurientibus Diuinum panem frangit, & in omnibus materna ſuis vbera ſemper admouit.

Habes Chytræe reſponſum ad omnes prouocationes tuas. Nam quod ad Auguſtanam Confeſsionem, atque ad Picardicã ſectam, & ad Eraſmũ, attinet, de quibus aliqua tuo ſcripto inſperſiſti, cùm ego de ijs propria tractatione alibi egerim, non eſt quod hic eadem iterem. Inde autem intelliges, quàm indignè ad hæreticum tribunal appellaueris, qui prius ad verbum Dei, ad Synodos œcumenicas, & veteres patres prouocaueras. Sanè cui iſti non fuere ſatis, mirandũ non eſt, ſi ad tetras illas ſordes, (Picardicam quoque ſectam Catholicæ anteponens Eccleſiæ) deſcenderis: Vtinam verò qui hactenus non tã mei, quàm multorum ruina gradum tibi ad infamẽ gloriam facere nõ erubuiſti, attollas oculos ad Chriſtum, & ex iſta hæreſum caligine emergẽs, cernas hæc tandem: quæ vt pro vna ipſa veritate tuenda, ſic non odio tui, prolata ſunt.

Vide librũ Auctoris de conf. Auguſtana, de Picardica ſecta, & de Eraſmo.

RETECTIO IMPOSTVRARVM CVIVSDAM DAVIDIS CHYTRAEI, QVAS IN ORATIONE QVADAM INSERVIT, QVAM DE STATV

Eccleſiarum, hoc tempore in Græcia, Aſia, Africa, Vngaria, Boëmia, inſcriptam edidit, & per Sueciam, ac Daniam aduerſus orthodoxam fidem diſſeminari curauit.

DAVIDIS CHYTRAEI IMPOSTVRAE, QVAS IN ORATIONE ROSTOCHII in lucem edita inſeruit, quam de ſtatu Eccleſiarum hoc tempore in Græcia, Aſia, Africa, Vngaria, Bohêmia, inſcriptam curat per Sueciam, & alibi diſſeminari.

Vide Harmoniã Auguſta. Confeſsionis Coloniæ editã collectore & autore Fabricio Leodio

QVOD paulò antea Grammaticus iſte Chytræus fecerat, cùm mendaciorum farraginẽ ſine capite, ac pedibus, titulo Confeſsionis Auguſtanæ inſcriptam edidit (quæ quidem mendacia Sereniſsimi Bauariæ Ducis Conſiliarius, Fabricius Leodius iampridem aperuerat, & confutarat) id etiam, in hoc nouitio partu, vt ſui ſemper ſimilis ſit, miſer effecit. Nã vbi fallaci prætextu interpretãdi Charionis Chronici ſermonẽ detorſit ad ea, q̃ ad religionis ſtatum pertinent, tam apertè ſecum ipſe pugnat, tàmque confusè mentitur, vt facilè ſit, ex iſto exiguo ſcripto non ſolùm inconſtans & vaniſsimum eius ingenium, verùm etiam hominem nullius eſſe religionis deprehendere. Id verò an ita ſit, obſecro per Ieſu Chriſti ſanguinem, attentè vt ſequentia perpendantur.

IMPOSTVRA PRIma Chytræi.

INitio (inquit) de Græciæ, poſtea dè Aſiæ, Vngariæ, & Boëmiæ Eccleſia dicturus, æterno Deo conditori & cuſtodi Eccleſiæ ſuæ toto pectore gratias ago, quòd immenſa bonitate, & miſericordia Eccleſiã ſibi æternam publicà Euangelij voce ex genere humano, paſſim toto orbe terrarum colligit & conſeruat. Nã in ipſa Græcia hodierno die nõ modo doctrinã & ritus Chriſtianæ religionis: verùm etiam ordinem, & gradus Epiſcoporum, totamque politiam & iuriſdictionem Eccleſiaſticam ſub Turcica tyrannide tolerari, & defendi cognoui.

IMPOSTVRAE Retectio.

AT paulo poſt Chytræus in Græcia, & Aſia fatetur, eſſe ritum orandi pro viuis & mortuis: inuocandi item Beatiſſimam virginem, et Sanctos alios Dei ſeruos: his porrò & pijs eorum imaginibus, adhiberi ait venerationem: Ordinem autem & iuriſdictionem Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Monachorum, monialium cerni, De iuſtificatione pleroſque ſententiã D. Baſilij in ore habere, quæ in homilia de pœnitentia extat, eadem pagina, vbi de filio prodigo celebrem illam vocem edit, μόνον θέλησον, ϗ Θεὸς προαπαντᾷ: Tantùm velis, & Deus præoccurrit. Quid iuſtum eſt apud iuſtum Deum? paucorum meminiſſe, an multorum obliuiſci? Appendantur lances, & qua mẽſura mẽſi fuerimus, remetietur nobis; Si plura peccata erunt, iniuſtus erit: ſin plura bona opera, iuſtus erit. Quæ omnia cùm Lutherani, & alij Hæretici conuellere ſoleant, ecquid hæc ad Lutheraniſmi, ac non potius ad Catholicæ antiquæ fidei comprobationem faciunt?

pagina. 11. 12. 13. 14. 15.

D. Baſilius.

In Africa itẽ, cùm vel in reliquis prouincijs Mahometiſmus, & gentilitas vigeat, vel in ampliſſima illius ditione, qui Presbyter Ioãnes dicitur, ita catholici ritus multa extẽt veſtigia, vt & Chytræus fateatur, ab eo literas & legatos ad Clementẽ VII. Pontificẽ Maximũ fuiſſe miſſas, vt Eccleſiæ cõciliaretur, quidnam hoc põderis habet, ad recentes hæreſes aſtruendas?

In Vngaria verò, & Bohemia, cũ, vbi Regna illa ſeſe ab vna Catholica Romana Eccleſia ſegregârunt, ex ſola Lutheri hæreſi tot ſectæ pullulauerint, aut reuocatæ fuerint ab inferis, Anabaptiſtarũ, Picardorum Caluinianorũ, Trinitariorum, Lutheranorũ rigidorum, & molliũ; palmariũ ne hoc ad Chytræi errores confirmãdos videtur argumentum?

Quin verò cùm ipſe eodem in loco ſubdat, à pleriſq; Græcis D. Thomæ Aquinatis ſcripta, & præcipuè ſummam in Græcũ ſermonem conuerſam, magna cum ſubtilitatis, & acuminis diſputationũ illius admiratione, ſtudioſè legi ſolitã, ſuo ſe gladio iugulat; & velit, nolit, vim Catholicæ fidei inter Schiſmaticos quoq;, quanta ſit, prodit.

SECVNDA CHYTRAEI impoſtura.

GRæci Miſſas abſq; communicantibus celebrare non ſolent.

IMPOSTVRAE Retectio.

PRimò obſeruandum eſt, Græcos, quibus tãquam Patronis vti velle ſimulabat, à Chytræo ſuperſtitionis, idololatriæ, errorumque plurimorum non ita multò poſt argui: Ac tamen vt Catholicos mordeat, ex illis petit exempla, q̃bus vaga iſta ſui cerebri ſomnia confirmet. Interea verò ſtupidè ignorat, nullã poſſe dici priuatam Miſſam, quæ pro toto Chriſti Domini corpore myſtico (vt ritè à Catholicis fit) celebretur. Prætereà falſum eſt, Græcos (id quod ille ait) omnes facere. Si enim in Corcyra, Creta, Chio, Mitylenis & Peræ, quæ eſt propè Byzantiũ, & in qua Chriſtiani frequẽtes commorantur, fuiſſet, ipſiſsima Catholici ritus in pluribus veſtigia vidiſſet. Mitto Calabriæ ſeu magnæ Græciæ, & Siciliæ monaſteriorum S. Baſilij, Ruſsiæ itẽ, & eorum qui Leopolim incolunt, non exiguas reliquias ex quibus impoſtura iſta facilius deprehẽdi poteſt. Nec verò Sãctiſſimi ſacrificij Miſſæ vis pendet in primis ex præſentia plurium, aut etiã ex eorum, qui interſunt ſumptione: ſed ex Chriſti præſentia, & oblatione, in memoriam cruẽtæ illius oblationis, in qua Dominus pretioſiſſimum ſuũ ſanguinem immenſa charitate pro nobis (vt ita dicam) prodegit. Ac tamẽ nec Sacrificij, participatio deeſt, cùm Sacerdos, quod Deo oblatum eſt, ſumit, cumque in tota Eccleſia iugis eiuſdem ipſius Sacrificij, quod nõ poteſt eſſe non vnum, plurimi alij participes eadem hora, & momento alibi fiunt. Vt mittam in vniuerſa Eccleſia Catholica frequentiſſimos Laicos octauo quoq; die, ne dicã quotidie, ſolitos eſſe cõmunicare.

TERTIA CHYTRAEI impoſtura.

IN Græcorum Miſſis nulla ſacrificij, & ſanguinis Chriſti pro redemptione viuorum & mortuorũ oblati mentio fit: Sed λογικῆς λατρείας, precum, gratiarum actionum, laudum Dei, Eleemoſynarum in vſum pauperũ præcipuè offerri ſolitarum, vt verba canonis ſonant τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν.

IMPOSTVRAE Retectio.

ET memẽto (inq̃t in ſua Liturgia D. Baſilius) omnium dormientium in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ, & refrigera eos vbi viſitat lux vultus tui. An hic non fit mẽtio ſacrificij pro mortuis oblati?

Eadem ferè verba in Miſſa S. Ioannis Chryſoſt. habẽtur: Et memor (ait) eſto omnium in Domino dormientium, in ſpe reſurrectionis vitæ æternæ, ac requiem præſta eis, vbi lumen vultus tui ſuperintendit, ac precamur te, &c.

Similia ſunt in D. Iacobi Miſſa, cæteriſq; Apoſtolorũ Liturgijs, quẽadmodũ vel ex alijs, vel ex D. Dionyſio Areopagita, colligere licet, de quo quidẽ Dionyſio aliqua poſt. Quin verò Chytræus, vt, (quemadmodum

dum dictum est) sui semper similis sit, id est, vt pugnātia loquatur, subdit, morem in Græcia inoleuisse, orādi, & sacrificium seu Misśá offerendi, pro viuis ac mortuis.

Sin autem ex limpidis Theologiæ fontibus veritatis lucem hausisset, intelligeret, opinor, quàm vel ea solùm cogitatio plena blasphemiæ sit, qua existimet aliquis, paśsionis Domini oblationem mancam esse modò, neque vti profuit in cruce, ita etiamnum viuis & mortuis prodesse: Qui enim passus est pro omnibus, quique ad inferna descendit, thesaurum ibi quoque infiniti sui meriti effusurus, quomodo is ita exhaustus sit, vt iam vtrisque non prosit? Nisi Chytræus putat locum illum, in quo Patres, & alij vincti tenebantur in lacu, in quo non erat aqua, (sicut ait Propheta:) Sic vim Christi meritorū exhausisse tunc, vt deinceps ijsdem meritis nullæ posterorum animæ iuuari possent. Quòd si ita sit, cur idem pro viuis factum quoque non arbitretur? Scilicet, otiādum vt sit, & inter cantharos perpetuo torpore viuendum; sola verò nescio qua dæmoniorum fide, facinora quæque delenda, nec verò vlla ratione pro viuis orandum, vel offerendum, ne (si Deo placet) Christi Domini meritum obscuretur.

Verùm suas ipsemet Chytræus imposturas apertiùs retegit, cùm verba illa ex Græco Missæ canone, τὰ σὰ, ἐκ τῶν σῶν σοὶ προσφέρομεν, tua ex tuis tibi offerimus, quod Latinus Canon habet, de tuis donis, ac datis, &c. ad eleemosynas torquet. Ea enim post consecratam Eucharistiam dicuntur, vt cùm summum omnium donum, qui est CHRISTVS IESVS, præsens habeamus, idem Deo offeramus sic, vt donum agnoscentes, dicamus: Quæ de manu tua accepimus, hæc & reddimus tibi. Ecquis autem ita stolidus sit, qui hæc de Eleemosynis, quę nobis, non autem de ijs, quæ Deo offeruntur, interpretari ausit? Sed & suo se indicio Chytræus prodit, cū haberi inquit, in Missa mentionem τῆς λογικῆς λατρείας, quod tamen Latinè non vertit. Id autem est, rationalis cultus & adorationis. Aperiat igitur D. Ioannes Chrysostomus, & alteram istam Chytręi imposturam. » Adhuc (ait) offerimus tibi rationabile, ac incruentum hoc obsequium, & precamur, ac supplicamus & deposcimus, vt mittas Spiritum sanctum tuum super nos, & super hæc apposita munera. Quale autem istius oblationis genus est, quod rationabile, & incruentum dicitur? nempè quòd Græca semper Ecclesia ἀναίμακτον θυσίαν incruentum sacrificium; ἱερὸν Sacrum; μυστήριον, mysterium; quodque μυσταγωγίαν, & ἱερουργίαν, Sacram operationē Diuus Gregorius Naziāzenus; Arcanam verò, & mysticam expiationem, τελετὴν ἀπόρρητον, Synesius appellarunt: Ita verò quoque sanctus Dionysius Areopagita τελετὴν τελετῶν, & Apostoli (vt colligitur ex eorum actis) λειτουργίαν, & ἁγίαν προσφορὰν, Sacram oblationē vocârunt; quemadmodum cōstat ex Canone tertio & septimo ipsorum Apostolorum. At & Martyr S. Ignatius idipsum postea, & Concilia Neocæsariense 9. ac Nicænum προσφορὰν vocant, vt mittam Iustinianum, qui etiam προσκομιδὴν, qua designatur oblatio; & multò antea Iustinum Martyrem, qui eam ex Malachia Propheta sacrificijs antiquis substitutam προσφερομένην θυσίαν, & verò λατρείαν οἰκονομίας, cultum œconomiæ Epiphanius nominauit. Quare Chytrçe istam ficti Theologi laruam depone, ac te, si sapis, intra Grammaticę cancellos actutum recipe.

QVARTA CHYTRAEI impostura.

INtegrum Sacramentum, siue vtraq; species, etiam populo à Gręcis distribuitur.

IMPOSTVRAE Retectio.

ET hæc imposturam & mendacium simul sapiunt. Toto enim quadragesimæ tempore cùm Græci Missarū solemnia exceptis Sabbatis, ac Dominicis minimè celebrent, præsanctificatis, quæ illi προηγιασμένα dicunt, (sicut Catholici in die sancta Parasceues) vtuntur. Atque ita tunc qui communicant, sub vna id specie faciunt. Nec verò vnquam Græcis cum Latinis vlla de vtraque specie contentio fuit, quippe qui scirent, integrum Christi Domini corpus & sanguinem æquè sub vna, atque sub vtraque specie sumi; si quidem à Catholicis Sacerdotibus ritè consecrantibus Eucharistia porrigatur. Sed de vtraq; specie, vt ordine ad reliqua, quę ille hac de re tractat, descēdamus, postremo loco fusiùs aliquid dicemus.

QVINTA CHYTRAEI impostura.

APud Græcos mariti à Sacerdotio non arcentur.

IMPOSTVRAE Retectio.

AT & hoc non omnino verum est. Vt enim mittam, neminem Græcorum iam sacris maioribus initiatum, seu Sacerdotem post ordinationem ad nuptias accedere, aut si quam antea virginem duxerat, illa demortua ab eo alteram postea vxorem

rem non duci, certissimum est, Episcopos qui apud Græcos interdum ex Hieromonachis deliguntur esse perpetuò cælibes. Quod quidem non in Græcia solùm, verùm etiam in Oriente, & Syria apud Libani montis incolas, hoc ipso tempore diligenter obseruatur. Sed cùm eos Chytræus citet, qui ab antiquæ puritate Ecclesiæ deflexerunt, cur qui ad Apostolicæ Ecclesiæ normam suas hęreses ędificatas esse conatur exprimere, ipsiusmet Apostolicę, & primitiuæ, vel adeò vniuersę Græcę Ecclesię ante septingentos annos. quo tempore deinde peccata peccatis maioribus, Græci cumularunt, exempla nō affert? Scilicet, odiosa ægris lux est, & animalis homo non percipit ea, quæ Dei sunt, nec enim potest. Audiat igitur in nomine Iesu Chytræus, sine inuolucris veritatem, ac qui nonnunquam minus sincerè legens antiquorum Patrum scripta. se à mensa & lecto proripuit, & humi prostratus clamare cogebatur se damnatum esse. quod & fidei Catholicæ contraria doceret; ac quæ nolebat, ea in patribus expressa reperiret, idem de se sinceriore animi demisśione sentiat, & ad cor redeat, minimamque humanæ vitę, & falsæ existimationis, maximam verò & summam, ne perpetuò damnetur, æternę vitę, ac dignitatis rationem habeat.

Primū itaq; si Euangelicę legis perfectionē non sensu carnis suæ, sed spiritu Dei metitus fuerit, scio cogitabit, summā in Sacerdotib' puritatem decentissimā, & necessariam fuisse, sic quidē, vt non solum casti, sed continentes, quique cùm propius Deo seruirent, diuisi nō essent, sed vnus spirit' (vt inquit Apostolus) efficerentur cum eo.

Deinde facilè intelliget, à tempore Apostolorū quicunq; ob sanctitatem Episcopi, aut Sacerdotes in honore ab Ecclesia Dei habiti fuêre, nunquam eos vxores duxisse, aut si ante ordinationem duxerant, ab earū postea concubitu prorsus abstinuisse. Quod quidem non humano inuento, nec à Siricio tantùm Pontifice, sed Spirit' sancti monitu in Ecclesia vbique antiquitus, decretum fuit. In GERMANIA per Concilium Aquisgranense primum, per VVormaciense, per Moguntinum. In GALLIA per Concilium Arelatense secundum, per Aurelianense, per Turonense primum & secundū, per Agathense. In ITALIA, per Romanum Concilium sub Syluestro. In HISPANIA, per Elibertinū, per Toletanum secundū, quartum, & octauū. In AFRICA, per Carthaginēse secundum, quo loco hanc de cœlibatu Sacerdotum inquit fuisse ab Apostolis traditam legem, per Carthaginēse quintum, per Africanū. In GRAECIA seu ORIENTE per Concilium Ancyranum, per Neocęsariense ante annos mille ducentos: per Nicęnum primum Canone tertio; Cuius mentionē fecit S. Basilius ad Gregoriū Presbyterum cui è domo iusśit, vt vxorē eijceret, & in monasterio inter virgines collocaret.

Præter hæc facilè cognoscet Chytræus, Græcos, & orientis antiquissimos Patres, qui semitam Apostolicæ vitę, ac doctrinæ triuerūt, vnanimi consensu (qui solet in re fidei certū esse diuinæ volūtatis argumentū) cœlibatum in Sacerdotib' Christianis ita cōmendâsse, vt q secus verbo vel facto docerent, pro Hęreticis haberentur, atque anathemate ferirentur. Extat Origenis Homil. 13. in Numeros, Epistola item multorum Patrum orientis de Paulo Samosateno Hæretico ad Dionysium Pontificē Romanum, quo Paulum illum Sacerdotibus vxores permittentem Dionysio accusant, Cyrillus Hierosolymitan' in VII. Catechesi, S. Ioānes Chrysostomus Homil. 2. de patientia Iob, Maximus in quæstionib' & responsis ad Thalasśium, Eusebius Cæsariensis libro primo Euangelicæ demonstrationis, Gregorius Nyssenus S. Basilij frater lib. de Virginitate Epiphanius non solùm vbi contra Nicolaitas agit & in compendiaria doctrina in fine operis: verùm etiam secundo in libro aduersus hæresim Catharorum. Et ipsi, inquit, dum omnia simul miscere voluerunt, omnia rursus amiserunt: ac cùm non intelligerent perfectam Dei doctrinā, in errorem lapsi, ad aliam viam se verterunt, ignorantes, hanc esse Scripturæ diuinæ traditionē, ac consequentiam, quæ enim tradita sunt ad Sacerdotium pertinentia propter sacri ministerij excellentiam, hæc ad omnes forsitan ptinere, arbitrati sunt; cùm audissent, Oportere Episcopum sine crimine esse, Vnius vxoris virum, continentē: Similiter & Diaconum ac Presbyterum. Reuera enim sancta Dei prędicatio post Christi aduentum non permittit, vt post primas nuptias mortua vxore, iterum vxorem ducant, propter pręstantiam honoris Sacerdotalis, atq; hęc quidem sancta Dei Ecclesia diligentissimè seruat: imò & eū, qui adhuc dat operā liberis, (alioqui vni' vxoris virū) non admittit, nisi illum, qui aut viduus est, aut ab vna se abstinet, tum Diaconus, tum Presbyter, tum Episcopus & Hypodiaconus: atque hoc illic potissimū seruatur; vbi sunt limati, ac perfecti Canones Ecclesiastici.

Libr. 7. hist. Ecclesf. Eusebij.

Sed age Chytræe, cōuerte iterū oculos ad Apostolos ipsos, & ad ipsa, quæ attuli oriētis lumina, & vide num quis post Sacerdotij ordinationē operam liberis dederit, aut horū nomina gestaue vlla, tanq carnalia illorū monumenta, historiæ cōmendârit? Age inquā, id ipsum de Occidētalis Ecclesię

Patribus, ac dispice, quęnam illos caussę ad duxerunt, cur istam cœlibatus legem tam imperterrito pectore defẽderint. Inde fortassis intelliges, cur ij tot libros edidere de virginitate, de cõtinentia, de pudicitia Sacerdotum: cur item aduersùs Nicolaitas, Catharos, Iouinianũ, cæterosq́; eius farinæ homines ipsũ Christi vitæ doctrinęq́; gladium, & calamum strinxerint, qđ quidẽ nunquam vllus eorum fecit, quos tu heri enatos cùm noueris, vnde & quanam ratione prodierint intelliges, ac si frontẽ habes, sordidas te & à Satana sparsas eorũ feces lambere pudebit.

Quod si ad Africanos Patres antiquissimos respexeris, hi tibi omnes verbo, & facto respondebunt, Sacerdotum cœlibatum diuinæ conformem esse doctrinæ, nec vlla ratione honorabile vnquam habitum fuisse coniugium, aut thorum immaculatum inter Sacerdotem, & solutam, seu voto virginitatis obstrictam, inter Monachum & Monialem, sed vt fœditatis & turpitudinis plenum, ita corã mundo & diuinis oculis abominabile. Rationem autem si quæras, cur, cùm bonum sit nubere, ordinatis tamen haud iam liceat cõuenire, ipsa ex multis eiusmodi q̃ in operibus D. Augustini leguntur, sequentia te doceant.

Putabam, inquit, me miserum fore, si fœminæ priuarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuę ad eandem infirmitatem seruandam non cogitabam: quia expertus non eram, & propriarum virium credebam esse continentiam, quarum mihi non eram conscius, cùm tam stultus essem, vt nescirem, sicut scriptum est: Neminem posse esse continentem, nisi tu dederis. Vtique dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida in te iactarem curam meam. *To. primo lib. sexto Confeß. cap. 11.*

Nota.

Illi qui Virginitatem Deo vouent, quanquam ampliorem gradum honoris & sanctitatis in Ecclesia teneant, non tamen sine nuptijs sunt; nam & ipsi pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptijs Sponsus est CHRISTVS. *Tomo nono in Euangelio Ioannis tractatu nono.*

Gaudeat puella (*loquitur de Demetria de Virgine*) nobilis genere, nobilior sanctitate, quòd sit per diuinum consortium, præcipuam in cœlis consequutura sublimitatem, quàm si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosius quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare, nuptias nesciendo, quàm multiplicare pariendo, & in carne iam imitari vitam Angelorum, quàm ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc est vberior fæcundiorque felicitas, non ventre grauescere: sed mente grandescere: non lactescere pectore, sed corde candescere: non visceribus terram, sed cœlum orationibus parturire. Dominarum honore dignissimæ filiæ, perfruamini in illa quod defuit vobis, perseueret vsque in finem, adhærens coniugio, quod non habet finem. Imitentur eam multæ famulæ dominam, ignobiles nobilem, fragiliter excelsæ excelsius humilem, Virgines quæ sibi optant Aniciorum claritatem, eligant sanctitatem. Illud enim quantalibet cupiditate quando assequentur? Hoc autem si plenè cupierint, mox habebunt. (*& in calce Epistolæ*) Velationis apophoretum, ait, gratissimè accepimus. *Tomo 2. Epist. 179. ad Probam & Iulianam.*

Velationis apophoretum.

Præsumite itaque, fidite, roboramini, permanete, qui vouetis, & redditis Domino DEO vestro vota perpetuæ continentiæ, non propter præsens seculum, sed propter regnum cœlorum. *Tom. 9. de Virginitate, ca. 29.*

Nam diligenter interrogata doctrina Christiana, primas nuptias iam isto tempore, nisi incontinentia sit impedimẽto, contemnendas esse respondet. Qui enim dixit, Si se non continent, nubant: potuit dicere: Si filios non habent, nubant. Sed post resurrectionem prædicationemq́ue Christi, quando iam ex omnibus gentibus filiorum spiritaliter gignendorum tanta suppetit copia, tale officium cesset ex carne filios propagare, quale primis temporibus fuit. *Tomo quarto de bono viduitatis, cap. 8.*

Nec sanè Spiritus sanctus tacuit, quod contra istos impudentissimè, ac dementissimè peruicaces apertum, atque inconcussum valeret, eorumq́ue beluinũ impetum ab omnibus suis inexpugnabili munitione repelleret. Cùm enim dixisset de Spadonibus: Dabo eis in domo mea & in muro meo locum nominatum, meliorem multò quàm filiorum, atque filiarum. Ne quis nimium carnalis existimaret in his verbis aliquid temporale sperandum, continuò subiecit. Nomen æternum dabo eis, nec vnquam deerit: tanquam diceret: Quid tergiuersaris impia cœcitas? quid tergiuersaris? quid serenitati veritatis nebulas tuę peruersitatis offundis? quid in tanta scripturarũ luce, tenebras vnde insidieris, inq̃ris? Quid temporalẽ tantummodo vtilitatem promittis continẽtibus sanctis? Nomen æternum dabo eis. Quid ab omni concubitu im-

immunes, & eo quoque ipso quo hinc sese abstinent, ea quæ sunt Domini, cogitãtes, quomodo placeant Domino ad terrenam commoditatem referre conaris? Nomen æternum dabo eis. Et si fortè hîc ipsum æternum pro diuturno conaris accipere, addo, accumulo, inculco: nec vnquam deerit. Quid quæris amplius? quid dicis amplius? Aeternum hoc nomen, quicquid illud est spadonibus Dei, quod vtiq; gloriã quandam propriam excellentemq́; significat, non erit cõmune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo cõstitutis. Nam ideò fortassis & nomẽ dictũ est, q̃ eos quib⁹ datur, distinguit à cæteris. *Tom. 6. de Sancta virginitate. ca. 25. Vide in hanc sententiam plura cap. 22. & seq.*

Sed fortè dicatur. Scilicet & bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet vxores habere: id est, vt ordinatis iam non liceat conuenire? Quis nesciat vnumquodq; suam legem habere? Est enim quod omninò generaliter omnibus non liceat: est item quod alijs licet, & alijs non licet: & est q̃ aliquando licet, & aliquãdo nõ licet. Fornicari omnibus semper non licet; negotiari verò aliquando licet, aliquando non licet. Antequã enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari: facto iam, non licet. Propter dies enim processionis aliquando nõ licet conuenire: quia etiam à licitis abstinendum est, vt faciliùs impetrari possit, quod postulatur. Vnde Apostolus: Ex cõsensu, ait, abstinendum ad tempus, vt vacetur orationi. Nam secundùm legem in ieiunio cædi, & iurgari nõ licet, postea licet: quia maior reuerentia debetur Dei caussis: Nunquid omne, quod ante cæteros licet, ante Imperatorem licet? Quantò magis in Dei caussis? Ac per hoc Antistitem eius puriorem esse cæteris oportet, ipsius enim personam habere videtur: est enim vicarius eius, vt quod cęteris licet, illi non liceat: quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et non solùm huic concubitus non licet, verùm etiam ministro eius, quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt, quæ ministrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantùm obscuræ, sed etiam sordidæ sunt, ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est, ad solis verò comparationem Stellæ nebulosæ sunt, ad Dei autem claritatem Sol nox est. Ita & quæ ad nos licita & munda sunt, ad DEI autem dignitatem quasi illicita, & immunda sunt: quanquã etiam bona sunt, Dei tamen personæ non cõpetunt. Nunquid non tunica mediocris hominis, quamuis munda, Imperatori tamen sordida, & illicita est? & similiter Saxonica senatori: ac per hoc Antistites Dei puriores esse debent, quàm cæteri, quia & CHRISTI habent personam, & ministros Dei mundiores esse oportet. Nemo enim Imperatori ministrat, nisi vestimentis claris & mundis indutus: Deus autem quia natura clarissimus est, ministros eius natura magis, quàm vestibus mundos esse oportet. *Tom. 4. quæstione ex vtroque testam. mixtim 127. sub finem.*

Pulcherrimè.

Atque hæc quidem D. Augustinus; cuius solidam pietatem, atque doctrinam cùm Lutherus etiam vbi fuit apostata negare nequiuerit, an non pungent ista quantumuis saxeum cor, cui minima scintilla lucis affulserit? Quin verò eadem Chytræus magis approbabit, quòd, quos in suo scripto ad cœlum vsque extollit Sacerdotes Hussitas, hosce (vrgente veritate) confessus est, ab vxoribus prorsus abstinere, vt scilicet minus (ait) onerentur auditores à quibus aluntur, atque vt commodiùs & expeditiùs Ecclesiæ seruire queant. Ac certè ex Sacerdotum coniugio, muliebriq́ue illa consuetudine sexcenta perniciosissima sequuntur incommoda, quæ quamuis iam manifestissima sint, initio tamen eò minus cerni videbantur, quod ad tegendas turpitudines institutum à CHRISTO DOMINO pœnitentiæ Sacramentum hæretici sustulere. Iam verò testimonia istarum calamitatum plusquam euidentia sunt, templa ipsa omni cultu destituta, pauperes & ægroti hiantes, ac nosodochijs, non vno in loco euersis non habentes quo se recipiant. Virgines item aut orbatæ parentibus, aut quæ libenter seruare virginitatem sanctissimum Euangelicæ Religionis vestigium cuperent, pueri denique qui cùm literis, & pietate antiquitus à Catholicis excolebantur, nunc grauissimo Reipublicæ ac posteritatis dãno deseruntur, aut pestilentibus erroribus imbuuntur. In Græcia item, vbi hic propterea morbus inualuit, id an contigerit, cùm ibi iam pridem omnes bonæ artes, & auctores antiqui pene siluerint, testis esto is ipse, qui hæc quę de Gręcia dicit Chytræus, ad illum nouissimè ex oriente perscripsit. Mitto prodigiosas libidines, quæ inter istos symmistas ex frequenti ancillarum conspectu & præsentia contingunt; cùm & Deus spurcas diuina mysteria tractantium manus abominetur, quæ totæ in patrimonium filijs augendum, in idola sua, id est, concubinas ornanda, in dotes filiabus comparandas incumbunt. Quamobrem nec Episco-

Vencesla⁹ Budouuitz a Budouua in literis 9. Octobris 1579.

porum(quis enim ſanæ mentis vocauerit
Epiſcopos) iſtorũ viſitationes ꝑ diœceſes,
nec reliquos properare vnquam videas (id
quod relictis omnib⁹ Catholici faciunt) ad
maria in Indias vſq; traijcienda, vt gentiles
Chriſtũ Dominum agnoſcãt. Interea verò
ex carneis cõplexibus nihil ij in ſuggeſtum
aliud afferũt præter Sycophantias, quas vt
fœditates ſuas operiãt, diuinis quoq; Scrip
turis quas deprauârunt, & ipſi quoque B.
Virgini impudentiſsimi affingunt.

An igitur forſan, quoniam Lutherus, et
alij fabulam aliquam de Paphnutio, vel ſi-
milibus ſuæ libidini obtendunt, illico Ec-
cleſia Dei omnis leuiſsimè reijcietur? Aut
Magdeburgẽſium Cẽturiatorũ innumera mendacia. cùm Magdeburgenſes Centuriatores innũ
meris mendacijs ramenta ſua inferſerint,
ſubtrahẽtes interim (quãtum in ijs fuit) ex
Academiarum vſu, hominumq; conſpectu
priſcos ipſos omnes authores, quos citant,
ſtatim omni hęreſum vento, & carnis impe
tu circũferemur, ſicut equus & mulus, qui-
bus non eſt intellectus?

Age igitur Chytræe, vt tibi bonum prò
malo reddatur, quã breuiſsimè, vnde cœli
batũ illi ſæpius oppugnant, ac tu quaſi ali-
ud agens hunc, (ſcio à quibus excitatus) la-
tenter euertis, argumenta pendamus.

Paphnutium aiunt, cæteris Nicæni Con-
cilij Patribus aduerſatum fuiſſe; eiuſquè
conſilium permittẽdi Sacerdotibus vxores
præualuiſſe. Socratis autem & Sozomeni;
vnde poſtea reliqui hauſerunt, hiſtoriam
afferunt: Verùm ſubdolè interea tacent eo
rum hiſtoriam in pluribus mendacẽ, ac qđ
hic Nouati hęreſim ſequeretur, Eccleſiæ
Greg. lib. 6. Epiſt. 31. Catholicæ (vti inquit Gregorius) nunquã
fuiſſe probatam. Tacent eam prçcisè aduer
ſari tertio Nicæni Concilij Canoni, cui tot
Patres ſanctiſsimi quos attulimus, Sanctus
Hieron. l. 1. aduerſ. Iou. item Hieronymus, Ruffinus, Epiphanius,
Baſilius centum ante annos Nicæno Conci
lio, in quo nihil extat eiuſmodi, viciniores
quàm ipſi, tum aduerſantur, tum eius rei
nullam faciunt mentionem. Silentio deni-
que inuoluũt, quod vel ipſi Socrates & So-
zomenus ſcribunt Paphnutium dum ꝑmit
tendas eſſe Sacerdotibus vxores diceret,
quas ante ſuſceptos ordines ſacros duxiſ-
ſent, ſimul adiecisse, non eſſe permittendũ,
vt ſacris ordinibus initiati, poſtea ducerẽt.
Quamobrem ſi Spiritu ſancto dictante, Pa
phnutij ſententiam ſancta Nicæna Syno-
dus recepit, planiſſimè efficitur, vt Luthe-
rus, Lutheraniquè omnes qui violata voto
rum fide poſt Sacerdotium vxores duxere,
ſcelus horrendũ patrauerint aduerſus Pa-
phnutium, aduersùs Concilium Nicęnum,
aduersùs Spiritum Sanctum.

Eiuſdem generis ſunt alia mendacia. Nã
ſi qua in Synodo legerunt, Clericis permiſ
ſas fuiſſe vxores, reticent id minoribus qui
dem ordinibus fuiſſe permiſſum, ſed ma-
ioribus vt Hypodiaconis, Diaconis & Sa- Toletan. Concil. 4. Can. 42. & Can. 26. Gangren. Cõcil. Cã. 1
cerdotibus prorſus interdictum.

Si quę altera deſignat & increpat Mani-
chæos, atque alios qui ſimpliciter nuptias
contempſere, hoc ad ſua carnis deſideria,
& ad Sacerdotum connubia permittenda
malitiosè torquent. Tacent interim Syno
dum illam reprobatam fuiſſe à Sergio Pon
tifice, vt Beda in vita Conſtantini ſecundi
declarat.

Si Epiphanius, vel Zacharias Pontifex Epiphã. hære. 59. Zachar. Põt. ad Bonifaciũ Innocent. c. 1. Epi. 22. ad Epiſcopos Macedonios.
quoſdam reprehenderint, qui cũ eſſent Sa-
cerdotes genuere filios, vel ſi Innocentius
primus Macedonios de bigamorum ad-
miſsione ad ordinationem, de reprehenſio
nibus ne verbum quidem Hæretici faciũt,
coniugium Sacerdotum, inde impura cal-
liditate aſtruentes.

Si quæ decreta haud omnino rectè cita- Con. Turo. 2. c. 8. Trullanũ c. 48.
ta è Gratiano afferuntur, quibus caueatur,
ne vxores à ſacerdotibus abijciantur, ta-
cent, non de thoro, vel cohabitatione, ſed
de cura vxorum loqui, nempè vt illis aut
in monaſterio, aut alibi neceſſaria vitæ mi
niſtrentur.

Sicubi adhuc in ipſis Gratiani decretis
legitur, conſilium nõ præceptum fuiſſe cœ
libatũ, non ipſum Patrum contextum affe
runt, ſed Gratianum pro Auguſtino affe-
runt, aut aliud ſimile.

Si Stephanum Pontificem referunt di-
xiſſe, in orientali Eccleſia ſolere Presbyte-
ros matrimonio copulari, nihil penſi ha-
bent certæné autoritatis ſit ille Canon, cu-
ius nulla in Epiſtolis Stephani mentio fit,
nihilq; inde elici, vnde ante ordinationem
coniugio copulari dicantur.

Alij naturali neceſsitate coniugij neceſ Melanchtõ art. 23. Cõfuſionis Auguſtanæ. Tertullia. Apollo. Cyprian. de habitu virginũ. Hierõ. lib. 1. cont. Iouin.
ſitatem tribuunt, quaſi Euangelij tempore
gratia naturę vires haud antecellat, vel pe-
tentibus ſua dona negauerit Deus. Quod
verò benedictionis initio fuit verbum Dei
in propagatione generis humani, id quaſi
ad præceptum, cui omnes addicti ſint
ad perfectionem Sacerdotij Chriſtiani iã
ſatis hominibus repleta terra infringendã
malitiosè tranſuertunt.

Ita miſerrimè Caluiniani, cùm vident pu Auguſt. de ſancta Virginitate cap. 9.
ritatis pluſquam voluiſſent firmiſsima pa
trocinia, omnes quidẽ veteres Patres in E-
piſcopali ordine aiunt approbâſſe coniu-
giũ, ſed nullũ adferũt, & neminẽ vnquam è
Patrib⁹ permiſere, vt in lucẽ ederetur. Qui
enim malè agunt, lucem oderunt.

Nec verò defuere, q Epiſtolã ſancti Vdal
rici nomine confictã inſeruerũt, edito quo
dam libro Baſilæenſi tanquam ad Nicola-
um Primum, pro Sacerdotũ coniugio ſcrip
tam, ſed neq; eius Epiſtolæ aut rei vlla mẽ
tio

Vide Chronicõ Eccleſiæ Auguſtanæ, Nauclerum, Abbatem Vſperg. tio vnquam extitit in Auguſtano Epiſco-
patu: Et vt ſanctus ille Vdalricus multos
annos poſt Nicolaũ primum natus, ita ante
Nicolai ſecundi Pontificis Maximi creatio
nem plures quoque annos eſt mortuus.

Si quis aut Apoſtolos, aut alios antiquos,
vt Patrem Gregorij Nazianzeni, vel Gre-
gorium Nyſſenum vxores habuiſſe lege-
rint, callidè omittunt, eos vel cum illis non
habitaſſe amplius, vel nunquam poſtea rẽ
habuiſſe coniugij. Ecce nos (inquiunt Apo
Mat. cap. 9. ſtoli) reliquimus omnia, et ſecuti ſumus te,
id eſt Patrem, matrem, vxorem, ſorores, vt
Chriſti ipſe Dominus explicat.

Si quis vnus, aut alter Paulo Apoſtolo
vxorem fuiſſe dicunt, tacent conſtantẽ om
nium antiquorũ Patrum conſenſum, quo
id mendacium eſſe teſtantur. Afferunt ve-
rò vel vitiatos textus, vel deprauatas verſio
nes, aut codices antiquiſsimos non reſpe-
xere, qualis locus eſt Ignatij ad Philadel-
phenſes, cuius Epiſtolę multi codices nil
de Paulo habent, ſed de Petro. Interea verò
vulpino aſtu diſsimulant neſcire, Paulum
in numero ſe innuptorum & continentiũ
numerare.

Si piarum quarundam mulierum Apo-
ſtolis miniſtrantium, vt & eiuſmodi quę-
dã Chriſtum Dominum ſequebantur, fit
mentio; ſtatim oculus carneus ad carnem
reſpicit, ſibique quales ipſi ſunt hæretici,
tales fuiſſe Apoſtolos, vel cogitant, vel vt
computreſcant in ſuis fœditatibus, nulla,
cum fronte mentiuntur.

Si loquitur Apoſtolus, ne quis ad Epiſco-
patum, qui fuerit bigam⁹ eligatur, illico ſta
tuunt, vxorem diuino Epiſcopatui eſſe an
nexã, ac verò ſenſum Apoſtoli, Chriſtique
ipſius Domini, & eorum, qui ſanctiſſimi,
vel ex Apoſtolis fuerunt Epiſcopi, nec vn-
quam vxorem duxere ad carnis normam
inuertunt. Quamobrem neque in his vn-
quam ſpiritus Dei permanſit, nec permane
bit in æternum, quandiu caro ſunt.

Si Paul⁹ idem futuros ſuo tẽpore proxi-
mè hęreticos deſignat, qui nuptias eſſẽt ꝓ-
hibituri, id peſſimè cõtra Catholicam Ec-
cleſiam torquent, quæ tantùm abeſt, vt nu
ptias legitimas dãnauerit, vt earum Sacra-
mentũ à Chriſto inſtitutum agnoſcat, qđ
Hæretici negãt; Ac nuptias interea Chri-
ſtianas tollentes, concubinatu, & inceſtis
Auguſt. T. 6. cont. Fauſtum Manichæum li. 30. c. 6. ſunt contenti. Porrò ille (vt D. Auguſtinus
ait) prohibet nubere, qui hoc malũ eſſe di-
cit, non qui huic dono melius anteponit.

Poſtremo itaq; vbi clariſſimã ſolis lucem
tot mendaciorum caligine occultari non
poſſe viderunt; vel peccata enumerant, q̃
à Sacerdotibus committũtur, quaſi omnes
eiuſmodi ſint, quales illi blaſphemãt; Deo
autem iuſtitiæ ſuę exequendę vis deſit, et-
iã aduersùs eos qui nolint ſancta ſanctè tra
ctare; aut quaſi optimi politici & pacifici
quidã mediatores aiunt, ſe à ſancta Apoſto
lica Sede diſpenſationes cupere, non intelli
gentes lubricos nimis &, prçcipites ad ſub-
limium myſteriorum tractationem grad⁹
eſſe carnales. Cùm verò propter innume-
ras humani generis fornicationes, nihil de
præcepto ſuo aduersùs eas, Deus vnquã re-
miſerit, ſanè nec Spiritus ipſius ob aliquo-
rum peccata in Eccleſia Catholica Sacerdo
talis caſtitatis, præſcriptos terminos voluit
vnquam perrumpi.

Ex ipſa igitur tot teſtium nube, ex ipſis
rationibus, ex Eccleſię antiquiſsimo cõſen
ſu, ex Apoſtolorũ, atque adeò Domini no-
ſtri Ieſu Chriſti exemplo, quid amplius ob
ſtrepat humani generis hoſtis cœlibatui Sa
cerdotum? Sanè ſi quærat humanum inge-
nium meliorib⁹ legibus Chriſtianã muni-
re Rempub. quam ijs, quas Spiritus ſanctus
perfectiſſimè ſanxit, excordem & ſtupidũ
ſe fateatur neceſſe eſt. Quod ſi D. Auguſt. To. 2. Lib. 2. retract. Cap. 22.
monſtrum appellat Iouinianum, quod ali
quas Sanctimoniales in nuptias deiecit, ac
cum (vt idem ait) virorum Sanctorum ſan
ctum cœlibatum, commemoratione Pa-
trum coniugatorum, & prædicatione fran
gebat, ſancta Eccleſia fideliſsimè ac fortiſ-
ſimè reſtitit, quale tandem monſtrũ voca-
ueris eum, (cui quidẽ fortiſsima fide reſiſtẽ
dum ſit) qui non ſolum ſuaſu, ſed facto ip-
ſo Monachus cum plurimis Monachis, ſan
ctimonialem cum pluribus Sanctimoniali
bus in matrimonium & duxit, & auctor
fuit vt ducerentur.

SEXTA CHYTRAEI impoſtura:

Recentiores etiam formæ, & ſi Pag. 18.
mortuorum animas in requie
& luce vultus diuini collocari petũt,
tamen oblationem pro animabus
ex igne purgatorio liberandis nullã
faciunt. Et quanquam tria loca diſ-
cedentium ex hoc vita Grçci diſcer-
nunt: eorum enim, qui vixerunt, &
in Domino mortui ſunt, beatas ani-
mas rectà in cœlum transferri; Im-
piorum verò, qui ſine pœnitentia o-
bierunt, recta ad inferos detrudi do-
cent: Eos autem, qui in fine vitæ pri-
mùm ad Deum conuerſi ſunt, alio
in loco, media conditione inter bea
tos & damnatos collocant, vnde
eos Eleemoſynis & precationibus
viuorum liberari ſentiunt: tamen
hunc locum ignem purgatoriũ non
appellant.

IMPOSTVRAE Retectio.

INprimis hoc loco obſeruãdum eſt, Chytræum, vt ad ignis purgatorij, & S. Ioannis Chryſoſtomi liturgiæ fidem eleuandã ſibi aditũ paret, aliqua paulò antè de diſſimilibus eius Patris Miſſarum formis attingere. Quæ (ſubdit) varietas liturgiarũ falsò eas Chryſoſtomo tribui, & haud dubiè eius ætate multò puriorem, ac ſinceriorem adhuc liturgiæ formam fuiſſe manifeſtè demonſtrat. Hæc ille. Nos autem qualis fuerit eius ætate liturgiæ forma præſertim in negotio, de quo agitur, ex alijs eiuſdem Patris operibus, quæ ne Hæretici quidem negant, diligentiùs expendamus.

Chryſoſt. Pro vniuerſo (ait ſexto de Sacerdotio libro S. Chryſoſtomus) terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorq́; eſt apud Deũ Sacerdos, vt hominum omnium nõ viuentium modò, ſed etiam mortuorum propitius fiat. Atqui ſi per Sacerdotẽ Deus propitius fit viuentibus & mortuis, inde fit, quia in Miſſa pro vtriſq; victima illa offertur & diſpenſatur, qua (vt eodem penè ſeculo aiebat D. Auguſtinus) Chirographũ deletum eſt, quod aduerſus nos erat.

Lib. 12. Confeſſ.

Chryſoſt. Homilia verò vigeſima prima in acta Apoſtolorum, non fruſtrà (inquit) oblationes pro defunctis fiunt, non fruſtra preces, non fruſtra eleemoſynæ: hæc omnia ſpũs diſpoſuit, volens, vt nos mutuo iuuemus. Hic habet Chytræus & oblationes fieri pro defunctis, & has ab eleemoſynis diſtingui. Deinde paulò pòſt addit. Non ſimpliciter miniſter clamat pro his, qui defuncti ſunt in Chriſto; & pro his, qui illorum memoriam faciunt. Non Diaconus eſt, qui talem illam vocem emittit, ſed ſpiritus Domini.

Rurſus homilia quadrageſima prima ad Corinthios: Non eſt temerè hoc excogitatum, nec fruſtrà memoriam mortuorum inter ſacra myſteria celebramus, aut accedimus, pro illis agnum illum iacẽtem, & peccata mundi tollentem deprecantes, ſed vt his cõſolatio aliqua fieret: Nec temerè, qui altari aſſiſtit, inter horrenda myſteria clamat. Pro omnibus in Chriſto dormientibus, & pro his qui in memoriam celebrant illorum. Nunquam ita fierent, neq; hæc dicerentur, ſi pro illis commemorationes nõ fierent. Neq; enim ſcena iam ampliùs noſtra ſunt, ſed ſpiritus ordinatione fiunt. Opitulemur igitur his fratres, & memoriam pro ipſis faciamus. Nam ſi Iob illius liberos patris victima purgauit, quid dubites, è nobis quoq; ſi pro dormientibus offeramus, ſolatij quiddam illis acceſſurum? Gratificari Deus propter alios alijs ſolet, quod Paulus hic oſtendit: vt ex multis, inquit, perſonis pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro vobis agantur. Ne defatigemur mortuis auxilium ferendo, preces pro ipſis offerendo: communis totius orbis victima preces ſunt. Hinc pleni fiducia pro toto etiam orbe ſupplicamus. Inter Martyres, inter Cõfeſſores, inter Sacerdotes, mortuos recenſemus. Vnum enim corpus omnes ſumus, ſint membra licet alia alijs illuſtriora: vndiq; veniam ipſis impetrare licet, precibus pro ipſis effuſis, muneribꝰ datis, conſortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur. Quid ergo doles? Quid lachrymaris? cùm impetrandæ mortuo veniæ tot extent rationes?

Denuò Hom. 3. ad Philip. Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerãdorum myſteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt. Nouerũt illis multum hinc emolumentũ fieri, multum vtilitatis. Stante ſiquidem populo vniuerſo, manus in cœlos extendente, cœtu item Sacerdotali, verendoq́; poſito Sacrificio, quomodo Deum non placaremus pro iſtis orantes? Verùm iſtud quidem de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt.

Vides igitur Chytræe, quàm ſibi veritas ſemper cõſtet, falſitas aũt & ſecum ipſa perpetuò pugnet, atq; homines leues ad pauca reſpiciẽtes adigat, ad impoſturas aduersùs id quod veriſſimũ eſt, cumulandas.

Sed & facili negotio ſcire poteris, quid Miſſa, cur tradita, quæ illius vtilitas, qui ritus, & ordo in oblatione ac precationibus ipſo tẽpore fuerit, ſi loca D. Chryſoſtomi legeris, q̃, ne nos eadẽ retexamus, Claudius Sanctius Epiſcopus Ebroicẽſis Theologus optimus, & Iacobus Pamelius vir eruditiſſimus in ſuis liturgicis demonſtrarunt.

Ceterùm ad purgatorium ignẽ, ſi poſſes, extinguendum adhuc addis Dionyſiũ quem Areopagitam vocant, quemq́; non multis annis Chryſoſtomi ætatem anteceſſiſſe Eraſmus etiam coniectat, cùm diligentiſſimè oẽs ſuo tempore ritus in Eccleſiã vſitatos recitet, nullam prorſus oblationis aut Sacrificij pro mortuis mentionem facere.

Sed primum quicquid coniectet Eraſmus, homo plus Grãmaticus quàm Theologus, ac cuius cùm vellet eſſe omnium iudex, cuncta ferè iuſtiſſimo Dei iudicio ab Eccleſia exploſa iam ſunt, ſanè haud ita opinor loquereris, ſi legiſſes, quę de illo prę-ter recentiores *a* Franciſcum Turrianum, *b* Ambroſium Camaldulenſem, Marſiliũ Ficinum, Dionyſium Carthuſianũ, & antiquiores Ioannem Scotum, *c* Ioannem Saracenum, Michaelem Syngelũ, Hilduinũ, Anaſtaſium Bibliothecariũ, *d* Nicephorus quoq; *e* Damaſcenꝰ, Sophroniꝰ in epiſtola, Concilium tertium Conſtantinopolitanũ annos pluſquam ſupra nongentos, S. *f* Gregorius Magnus, Origenes item ſcriptum reliquere. Germanos enim fuiſſe Dionyſij Areopagitæ fœtus, qui eius nomine inſcripti ſunt libri, & ab Angelico ſpiritu non ab humano ingenio (vt ait Suidas) fuiſſe profectos magis admirareris. At cũ ex Apoſtolorum ritibus, cum quibus verſatus eſt Dionyſius Areopagita, cuius item extãt ad Ioannem Euangeliſtam, huiuſque auditorem D Polycarpum, & ad Titum S Pauli diſcipulum Epiſtolæ, videres ſanctam Romanam Catholicam Eccleſiã inter medias omnes Tyrannides, atque hæreſes integram fidem ſeruáſſe, procul dubio vnico illo tam graui teſte tuos errores deponeres, ſinceramque iam veritatem, ad quam non ſemel magnos à Deo ſtimulos, & propenſionem ſcio te ſenſiſſe, amplecteris.

a Lib. de Hierarch. ordinationibus.
b In præfatione operũ D. Dionyſ. Areopag.
c In ſcripta & vitam D. Dionyſ.
d Li. 2. hiſt. cap. 20.
e Oratione de dormiẽ. & lib. 2. de orthod. fide, ca. 3.

f Hom. 34. in Euan.
g Hõ. 2. ad diuerſos ep. 1. 9. 7.

Cæterum quòd ſubdit Chytræus à Dionyſio nullam prorſus oblationis aut Sacrificij pro mortuis mentionem fieri, id etiam vel temere vel fallaciter prolatũ eſt. D. enim Dionyſius ſic prorſus habet: Oratio igitur diuinam bonitatem precatur, vt remittat defuncto quæcunque per humanam infirmitatem peccauit, eumq́ue collocet in lumine & regione viuentium, in ſinu Abrahæ, Iſaac & Iacob, in loco vnde fugit dolor, mæſtitia, & gemitus. Porrò orationem hanc Sacerdotes offerunt, non ſolùm quemadmodum quiuis de plebe, verùm in primis vt perſonę publicæ, & ὑποφῆται (vt ſanctus inquit Dionyſius) τῆς θείας δικαιώσεως, hoc eſt, diuinæ iuſtificationis ſubnuntiatores, & adminiſtri, qui poteſtatem ligandi & ſoluendi à Domino acceperunt. Piè enim defuncti (ait) quaſdam ſecum maculas ferũt, humana infirmitate inuſtas. Accedit, quod & precatio hæc fit, quo tempore tremendum illud Sacrificiũ (quod Græci non ſine cauſſa φρικωδεστάτην θυσίαν, terribiliſſimum Sacrificium vocarunt) offertur. Nullum ne ergo Chytræe oblationis pro mortuis hinc veſtigiũ cernis?

Denique quod inquis Græcos etiamſi tertium locum ſtatuant, vnde ſuffragijs piorum animæ liberentur, illum haud ignem Purgatorium appellare; id mendaciũ eſt. Ac licet vbi de re conuenit, videri poſſet ſuperuacanea de nomine diſceptatio: hoc tamen ad temeritatem coercendã non recentiorum modò, verum etiam antiquiſſimorum Græcorum teſtimonio refellimus. Primùm autem ſciendum eſt, in ore Græci populi adhuc ſæpe verſari nomen hoc καθαρτήριον, quo nomine Purgatorium deſignant. Deinde pro omnibus defunctis præter eas quæ pro ſingulis orationes & oblationes identidem fiunt, commemorationem haberi bis in anno, ſolennem ſemel die Sabbathi ante Dominicam Quinquageſimæ, quam ipſi vocant Dominicam aduentus Domini: Iterum peruigilio Pentecoſtes. Præterea S. Maximus Græcus author, Græci autoris S. Diadochi locum interpretans, in quo ille ſcripſit, iudicandos eſſe aliquos per ignẽ, ac poſt hanc vitam purgandos in futuro, ſic ait: Quibus perfecta charitas erga Deum eſt, quique animæ alam virtutibus in ſublime ſuſtulerunt, hi in nubibus rapientur, neque in iudicium venient. Qui verò nõ omnino perfecti fuerunt, ſed peccata cum virtutibus habuerunt admixta, hi veniunt in iudiciũ, vbi examinatis bonis & malis operibus quaſi πυρωθέντες, hoc eſt, igne probati, bonorũ operum lance præponderante purgantur ſupplicio. Atqui & præter S. Maximum, atque Ioannem Damaſcenum, Gennadius Scholarius Patriarcha Conſtantinopolitanus, proprio hac de re libro, D. autem Baſilius nonum Eſaiæ caput explanans, & Gregorius Nyſſænus in ſermone de mortuis, manifeſtè Catholicã de purgatorio igne fidẽ confirmant. Nyſſęnus. n. ad epiſtolę ab Apoſtolo ad Corinthios ſcriptæ locũ reſpiciens, in qua per ignem probandos, ac tamen ſaluos futuros dicit, aſſerit, vel in hac vita per virtutis ſtudium: vel in altera multos per ignis purgatorij fornacem expurgandos: ἡ μετὰ τὴν ἐνθένδε μετανάστασιν διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας. Adderem alios, & ipſum Theodoretum à D. Thoma hac de re citatum, in lib. quem aliqua ante ſecula conſcripſit aduerſus errores Gręcorũ, & Armenorum, niſi quem locum ſanctus ille Theologus attulit, ex ipſius Theodoreti codicibus non leuis eſſet coniectura, in Gręcia fuiſſe olim ab Hæreticis eraſum. Sed & eò ſpectat, quæ de loco tenebricoſo S. Dionyſius Areopagita ſcriptum reliquit, inde enim vt animę ad lucentem locum φωτεινὸν educantur, orat Sacerdos, quę ue erant diuinę quaſi iuſtitię compedibus vinctę, vt laxentur à vinculis, & in ea regione ſtatuantur, vnde fugit dolor, mœror, & gemitus. Quod quidem ipſum (pręter id quod Dominus in Euangelio carcerem vocauit, quem D. Ambroſius cum alijs Patribus purgatorium interpretatus eſt) ipſa quoque ab Apoſtolis iam ante quindecim ſecula profecta conſtitutio planiſsimè teſtata eſt.

S. Diadochus l. de pfectiõe ſpirituali cap. 100.

καθάρσιος πῦρ.

Clemẽs in conſtit. Apoſt. lib. 8. ca. 31.

Poſſem addere, quòd qui ex Gręcis huiuſmodi errorem olim conceperant, hi aut antiquitus ab ipſis Patribus Gręcis (vt Epiphanius adnotat) habiti ſunt Hęretici, quales Aeriani fuère, aut poſtea in magna Florentina Synodo eum publicè abiurarunt, quę

quę quidem Synodus etiam Græcè extat. Sed cùm in vniuerſa Dei Eccleſia hoc de purgatorio dogma ſemper fuerit certiſſimum, qua etiam veritate coactus Lutherus & in diſputatione Lipſica,& in 37. Aſſertionum articulo dixit ſe credere, conſulere,ac ſuadere credendum eſſe purgatorium,demiror Chytræe , quid probans eſſe purgatorium , id tamen improbes , niſi quod cùm ad fideles pœnitentes id credas pertinere,nihil tamen ſpectare ad Hæreticos rectiſsimè putes,cũ perpetuo igne cruciandi ſint. Qui enim non crediderit, iam condemnatus eſt.

SEPTIMA CHYTRAEI impoſtura.

SYri liturgiæ ſuæ autorem laudãt D. Baſilium, ſed Sanctorum commemoratię,in quorum interceſſione latere, & per eos ad Deum accedere cupiunt,aliquanto impudentior, & oratio pro mortuis prolixior eſt, &c. (ſuprà verò de Græcis dixerat) Nec tantùm interceſſione, & precibus,verùm etiam meritis, & auxilijs Sanctorum confidant,ac tetræ, & idololatricæ inuocationis non modò exempla in eorum templis, quotidie cõſpiciuntur,verùm etiam formulæ in illis ipſis precibus horologij Græcorum ſolemnibus in ſingulis horis præſcriptæ ſunt, vt in Meſonyctico.

Pag. 13.

Σὲ τὸ ἀπόρθητον τεῖχος, τὸ τῆς σωτηρίας ὀχύρωμα θεοτόκε παρθένε ἱκετεύομεν, τὰς τῶν ἐναντίων βουλὰς διασκέδασον: Te inexpugnabilem murum,& munimentum ſalutis Dei genitrix Virgo oramus , inimicorum conſilia diſſipa, &cet.

IMPOSTVRAE Retectio.

PArum ſibi ſceleris patrâſſe videbatur Chytræus,qui Chriſti Domini meritum animab⁹ in purgatorio denegauerat, (quod quidem facinus animarum cædem Synodus Carthaginẽſis vocauit)niſi ſuperbia,quæ ſemper aſcendit, cornua vſque ad cœlos attollens,Chriſti membris , ipſique adeò gratia plenę Virgini Dei matri bellũ intuliſſet. Quaſi vel ipſa,vel ſancti Idola eſſent,ac Dij gentium, quæ quidem Idola nihil in Mundo ſunt, ac tantò minus ſunt, quantò ipſimet ſancti,vt illa euerterẽtur, ſanguinem ,& quidquid habuêre, libentiſſimè profuderunt. Scilicet, impleri oportebat omnia,quæ de filio hominis, deque eius regno prædicta ſunt à Prophetis. Porrò S.Ioanni iſtud quoque,de quo agimus, reuelatum fuit in Pathmo. DATVM EST (inquit) EI (id eſt, Antichriſto & Sectatoribus eius) OS LOQVENS MAGNA, ET BLASPHEMIAS,Et paulò poſt. APERVIT OS SVVM IN BLASPHEMIAS AD DEVM: BLASPHEMARE NOMEN EIVS, ET TABERNACVLVM EIVS: ET EOS QVI IN COELIS HABITANT. Hæc ille;quib⁹ breuiſsimè ingeniũ hæreſeos graphicè deſcripſit. Quæ cùm diuinitati aliquando,mox humanitati Chriſti bellũ atrox indixiſſet,mox exacuit dentẽ aduerſus Sãctos,quos qui ſpernunt,& mordent, nonnè ij Chriſtum eorum caput eodẽ Chriſto nunquam mentiente ſpernunt & mordent? Et quidem antea præter Euſtachiũ, Vigilantium,Eunomium,Heluidium,reliqua illa antiqua hæreſeos fæx id inchoârat. At quanta acceſsio à recentioribus Lutheranis,& alijs ad eos facta ſit, non ita fortaſsis omnes nôrũt. Nam vbi Chriſtũ Dominum de proprio ſolio deturbare conati ſunt, Primò vel antiquos Patriarchas , & Moyſen (vt *a* Caluin⁹) vel Iob & Hieremiã (vt *b* Brẽtius) vel Ionã Prophetam,& opera pœnitẽtiæ à Niniuitis ſuſcepta,& à Chriſto commendata (vt *c* Pomeranus) petulãter incuſarunt : Inde item iam non amplius Deiparam,ſed Chriſti tantùm matrem vocarunt,ac ne matrem quidem eſſe, ex qua filius Dei carnem ſumpſerit,auſi ſunt poſtea dicere Anabaptiſtæ. Chriſtianos verò quoſq;(modo nudam habeant fidem) nihilo minore eſſe ſanctitate, quàm beatiſſimã illam Virginem (vt Lutherus) In hac reliquias peccati manſiſſe (vt Loſſius *a* & Brẽtius) eam in fide nutaſſe,& Chriſtum ignoraſſe,atque adeò penè deſperaſſe,(vt cum ſuo *b* anteſignano Luthero reliqui *c* blaſphemi) euomuerũt. Sic alij,vt omnẽ iniquitatis menſuram implerent de Petro ac Paulo (vti *d* Centuriatores) Paulum itẽ indoctum (vt AEgeranus) Vas fractum,ac Ioannem ſtolidulum , Matthæum fœneratorẽ, ac Petrum Abnegatorem Chriſti præ contemptu nominârunt, vt & Quintinus Anabaptiſtarum caput in Gallia fecit. Hinc verò machinas omnes adhibuere, quibus vix permitterent ,vt nomina Apoſtolorũ in baptiſmo aliquibus imponerentur; Sed & furenti illa rabie ,quantum potuerunt, effecêre, ne templa eorum extarent, ne libri cernerentur, quibus Sanctorum vitæ, doctrinaq; continentur, ne ipſi quidem eorum cineres locum haberent , vbi cum honore quieſcerent.

a In cõmẽt. ſuper Gen. In Ex.c.32. *b* In c.3.Iob & homil.36 in Lu. pa.3. *c* In expoſit. prophetæ Ion.& Matth.12.

a In ca. 12. Matth. In tract.2. ca. Euãg.Ioan *b* In maiore Poſtilla de Euã. Dõ.3. ab Epiph. *c* Bucer⁹ in 12. c. Matt. Loſſi⁹ in 2. c.Luc.10. Pomeran⁹ in c.44 Hieremię. Georgius Maior in Euã. Dõ.1. poſt Epipha. Iacob. Schẽck in Ep. circa Euang. de Chriſti cõcept. *d* Cẽtur.1. li.2. cap.10.

Agedum igitur Chytræe,qui tuum quoque impurum os aperuiſti ad blaſphemandum tabernaculum Dei, & eos qui in cęlis habitãt, cur Virginis beatiſsimę et Sanctorũ

laudes tibi adeò fœtent? Laudant (inquies) Græci ſupra modum beatiſsimam Matrẽ Dei. At ſcito, & ſupra modum eam fuiſſe cœleſtibus Chariſmatibus imbutam. An verò cũ illa cõmendatur, is à quo hæc dona accepit, Deus in ipſa nõ laudatur? Tu autẽ cùm Regem aliquem compellas, vel ad eum ſcribens, Potentiſsimum & Inclytũ, ac Sereniſsimum vocas, teque Epiſtolę ſubſcribens,ſemper eum te colentẽ adſcribis; nec verò vnquam illum alloqueris, quin honoris ergô, ſacram eius & Regiam Maieſtatẽ appelles: ſi te velim criminis arguere,quod Idololatriam committeres,quod, quæ Dei ſunt, homini tribueres, verane ego proferrem? non diceres opinor. Cùm enim omnis poteſtas à Deo ſit, in Regia dignitate diuinam Maieſtatem reueremur; cùm verò eos in ſeculari adminiſtratione Iudices,protectores, vindices, orphanorũ & afflictorum ſpem,patronoſq; ac Dominos vocamus,certè nullam diuinæ clementiæ,aut poteſtati iniuriam facimus. Et verò ordinatiſsimum diuinæ prouidẽtiæ ordinem in ijs agnoſcimus, quæ ſic per ſuperiores poteſtates in ſubditos, vt per cœleſtia, & elementa ſublimiora in ipſam terram diuitias ſuæ bonitatis ſemper influxit. Quod ſi ſpecie zeli,aut diuini honoris prętextu legitimum Regum tribunal ſubditi detrectarent,aut falſa clementiæ Regiæ exiſtimatione Regum Conſiliarios ſpernerent, eorumque opera nulli vſui eſſe putarent: an non eſſent ex ijs,quos cum D. Petro S Iudas tanquam ad Antichriſti membra ſpectantes, prædixit Dominationem ſpreturos, & Maieſtatem ſeu glorias blaſphematuros.

Ita Chytræus cùm sereniſſ. Regi Suetiæ ſcribebat.

1. Pet. 1. & Epiſtola Iudæ. κυριότητα δὲ ἀθετοῦσιν, καὶ δόξας δὲ βλασφημοῦσιν.

Hîc igitur Chytræe, te in nomine Ieſu adiuro,cõſcientiam vt tuam interroges, deſq; ad æternam tuam ſalutem ſine malo pudore honorem Deo. Cur (inquam) cùm Eccleſia omnis ſciat,credat, fateatur,quicquid in Virgine beatiſsima cæteriſque cœlitibus eſt boni, id ab ipſo Deo manâſſe,ac verò ancillæ & ſeruorum honorem ad Dominum redundare, tu teipſum maceras, quòd à Deo vocatis amicis,luci,fundamẽtis, paſtoribus honor adhibeatur, & per eos ad communem Dominum aditus pateat? Cur item in primis ſanctiſsimę Virgini à Deo per tot prophetias & figuras pręnunciatæ,benedictę, plenę gratię,organo Spiritus ſancti , Portatrici Chriſti in mundum,ſalutatæ ab Archangelo,qua ne Deus quidem in tanto redemptionis opere vti inſtrumento dedignatus eſt, tu homuncio honorem,ſalutationem,preces ab hominibus inuides? Sed vtinam nullis alijs erroribus (ſi dicendus error hic ſit,qui eſt gratiſſimus Deo cultus) Græci non fuiſſent impliciti. Staret enim adhuc apud eos libertas, qui quamdiu ſeſe ab Apoſtolicę ſedis obedientia penitus haud ſeiunxerunt, nec Turcicum iugum perpeſsi ſunt, nec viderunt à pectoribus Chriſtianorum parentum liberos (vt modò fit) tributi loco ſingulis annis ad eiurandam fidem Chriſtianam auelli.

SIN verò qua recentiores facis, eâdem non audes labe Græcos ſanctiſsimos Patres antiquiores aſpergere: audi Diuum *a* Athanaſium & *b* Methodium ex DEI *c* verbo beatam Virginem MARIAM DEI tabernaculum, ſanctumque Germanum Patriarcham Conſtantinopolitanum eam animatum Dei templum ναὸν θεοῦ ἔμψυχον, cœlum & ſedem *a* Dei, puritatiſque tabernaculum οὐρανόν, καὶ θρόνον θεοῦ, καὶ δοχεῖον καθαρότητος, vocantes. Lege item, quæ de illa Sergius Hierapolita, Damaſcenus, ſanctus Cyrillus Alexandrinus, Proclus Epiſcopus Cyzici, Achatius Epiſcopus Melitenſis in Synodo illa ex quatuor primarijs frequentiſsima aduersùs Neſtorium tanquam in theatro totius Chriſtiani orbis, Spiritu ſancto dictante , de Dei Matre ad Chriſti eius filij honorem dixere: Vt omittam Effremum, ac Nicænæ ſecundæ Synodi Patres, & reliquos innumeros; cum quorum vita, doctrina, ſanctitate, miraculis, ecquis ex iſtis apoſtatis audeat ſuas tenebras conferre?

a In Euangel de Dei Para. b In Hypopante Domino. c Pſal. 45. Sanctificauit tabernaculum ſuum altiſſimus. a In Pſal. 44. b Tom. 6. cap.6. & ſeq. Conc. Epheſi.

QVÒD ſi te circumſeptum illa vniuerſæ antiquæ Eccleſiæ corona videres, nonne erubeſceres, niſi , cum ſancto Gregorio Nazianzeno veritatẽ confeſſus, Matri Dei eundem, quem ille ante mille ducentos annos cecinit, hymnum concineres? Ita enim beata illa vox pronunciabat.

Χαῖρ' ὦ κόρη πάγχαρτε, μήτηρ παρθένε,
Κάλλιστα πασῶν παρθένων ὑπερτάτη,
Οὐρανιώνων ταγμάτων ὑπερτέρα,
Θέσποινα, παντάνασσα, χάρμα τοῦ γένους,
Α' εἰ ποτ' εὐφρονοῦσα τυγχάνοις γένει
Κ'αμοὶ μεγίστη πανταχοῦ σωτηρία.

Aue parens, virgoq; plena gratia:
Tu virginum longè omnium pulcherrima,
Exercituq; cœlitum potentior
Domina, omnium Regina, Mundi gaudium,
Noſtrum genus benigna ſemper aſpicis;
Mihiq; opem tu fers vbique maximam.

SED dices, laudes audio Sanctorum, Inuocationem non oſtendis. Breui igitur ſic habeto. Nullo vnquam ſeculo à Domini morte in eius Eccleſia Sanctos non fuiſſe inuocatos; quod certò certius eſſe tum ijdem & reliqui grauiſsimi teſtes, ac templa ipſa, tum veriſsima Sanctorum miracula ſemper declarârunt. Vt verò omittam Africanos Patres,& vniuerſam Eccleſiam latinam, in qua ne ipſi quidem aduerſarij iã

Sanctorũ Inuocatio.

 negare

a In Oratione de B. Maria, & Oratione 19. in Cyprian.
b D. Ephrē in oratio. in 40. Martyres & in lament. Mariæ ad crucē stantis, Et Basi. in oratio. in 40. Martyr.
c In orat. in Theodorum Martyrem.
d Orat. in qua inuocat Gorgoniam.
e In orat. de S. Martyr. Epiphodio & Alexand. & homil. de natali D. Genes.
f In c. 2. Epist. Pauli ad Philemonem.
g Lib. con. Celsum ad finem h. lib. 3. ca. 13.
Aurelianus in vita S. Martialis.
i Li. 8. constit. Apostolorum c. 33.
Theodoretus in Epistol. Pauli ad Heb. c. 13.
Epist. ad Heb.
i Epist. 2. Felicis in Tom. Concil.
k Epistol. ad Burdegal. & Aurelianus in eius vita.
l Abdias l. 5. & 6. hist. Euseb. lib. Eccle. hist. c. 16.
m D. Basil. in reg. fusius explicatis in respō. ad 40.

negare audent, Sanctorum inuocationem in vsu fuisse. An illa inuocatio est, qua D. *a* Athanasius beatissimam Virginem sic compellat: Ad te clamamus, recordare nostri Sanctissima, quæ etiam à partu Virgo permansisti. Sed & alibi orat B. Cyprianū: Ac cùm Martyres quadraginta D. *b* Ephrē vnà cū B. Basilio, ac sancti *c* Nectarius Theodorum Martyrem, Gregorius *d* Nazianzenus Gorgoniam, Eusebius *e* Emisenus, Epiphodium, Alexādrum, & Genesium, S. *f* Chrysostomus, *g* Origenes & S. Martialis Christi Domini discipulus Sanctos inuocent: *h* Irenæus verò Beatam Virginem nominet aduocatam, nullius ne erunt fidei tot sanctissimi vel Martyres, vel Euāgelicę colūnæ ad Sanctorū inuocationē astruendam? Aut verò hęc ab vno, vel altero Pōtifice non ita multò antea prodierunt?

Verùm & festorum institutio, ipsaque Templorum extructio euidentissimum inuocationis Sanctorum, toto orbe terrarum est argumentum. Apostolica verò cōstitutione præter alia docemur, vt in diebus Apostolorum, qui essent mortui, & B. Stephani Protomartyris Christiani vacarent, ac reliquis diebus Sanctorū Martyrū qui Christū vitę suæ anteposuerunt. Vacarent (inquā) sic, vt (quēadmodum ait Apostolus) meminissent præpositorū suorum, qui ijs locuti sunt verbū Dei, quorū intuentes exitū conuersationis, imitarentur & fidē. Ità schismatici ab *i* Optato vocati sunt Donatistæ, vt ab Ecclesia habitus est Hæreticus Eustachius, quia non cōmunicabant memorijs martyrū, quas quia Felicis Pontificis tempore extingui vnà cum eorum veneratione curabant, Synodo cautum est, vt tantò magis instarent, vt super memorias Martyrum missæ celebrarentur. Sancti verò *k* Martialis templi à se edificati in memoriam B, Stephani Protomartyris, mentionem facit, vt & reliquis Apostolis aliquibus fuisse ædificata, nisi ipsis credatur *l* historijs parietibus certè ipsorum templorum antiquissimis, velit nolit stulta hæresis credat necesse sit. Atqui templa & festa instituta sunt ad *m* orandos Sanctos, eorūque vitas recolendas, ac sedulò imitandas.

Ad hæc omnia, accedunt perpetua temporum serie, ad reliquias Sanctorum miracula diuinitus effecta: quibus eos non solùm inuocatos fuisse, verùm etiam vota precantium audiuisse manifestissimū est. Sed & neminem constat in catalogum Sanctorum hactenus fuisse conscriptum, cuius sanctitas à Deo miraculis haud fuerit cōprobata. Quæ res maximi quoq; ponderis est ad Ecclesiæ, veritatisq́; Catholicę certā notam indicandam, quā neq; Hæretici vlli, neq; Ethnici, aut Mahometani vnquam habuēre: ac propterea vinculis miraculorum se in Ecclesia Catholica teneri aiebat sanctus Augustinus. Quæ miracula Catholicis nunquam, si contra rectum Religionis cultum Sanctos orâssent, fieri permisisset. Quæ si quis non credat accidisse, is & omnipotentiam Dei pernegat, & vniuersę antiquitati, grauissimisq́; omnium seculorum testibus (quos tamen Hæretici ipsi sanctissimos interdū agnoscunt) omnem auctoritatem detrahit. Quòd si alij (quemadmodum blasphemi illi Cēturiatores Magdeburgenses fecerunt) eadem miracula vocant prętigias Dęmonum, agnoscant tum necesse est, sese ex eadem schola prodijsse, ex qua vel *a* Manichæi, vel Pagani, vel post Manichæos alij Hæretici, vel ipsi adeò Pharisæi, & Scribę prodierunt; ij enim omnes simile conuitium in Christum Dominum, eiusq́; sanctos Martyres iaciebant, cùm ille cœlestem suam doctrinam sequētibus signis ad Sanctorum corpora præter naturę ordinem editis confirmaret, atque ora malignantium obstrueret. Quidni verò negabunt isti patrata miracula per Apostolos, quorum sine vlla superstitionis suspicione vmbra, semicinctia, strophiola, ægrotos tangentia mirabiliter sanabant? scilicet Dominus IESVS qui veritas ipsa est, mendacium pronunciabat, cùm maiora quàm ipse de his rebus fecisset, miracula facturos discipulos suos prædixit. Porrò nemo nisi impius ea vnquam negauit, quemadmodum *b* Tertullianus, atq; Lactantius fusè docuerūt. At Luthero, Caluino, Illyrico, & cęteris eiusmodi sordibus fidem adhibere, quā Christi Domini Ecclesię neges, quęnam est, si non hęc diabolica superstitio est? Sin autem ad fidem plantandā, aut ad extraordinarias à Deo missiones persuadendas miracula semper necessaria fuēre, sicut ex vtroque *c* Testamento, ac *d* Patribus planissimum est, quodq́; vel Melanchthō, (licet Hęreticus) coactus est fateri, cur Magię, aut Antichristi imposturis ac signis mendacibus tribuas, quod dexterę Dei nū quā abbreuiatę, qui mirabilis semper fuit in Sanctis suis, tribuendum est.

Miracula Sanctorū.
Aug. li. de vtilitate credendi. & lib. contra Epist. fundamenti cap. 4.
a August. lib. vno cont. Manichęos c. 16.
b Tertull. in Apologet. c. 21.
c Exod. 4. Matt. 10. Mar. vlt.
d Augu. li. 22. de ciui. Dei c. 8.

In Indijs sanè nouoque orbe Christiano surdis & mutis redditio sensus, vitaque de mortuis restituta, morbi itē alij vel solius aquę in nomine Domini benedictę, vel Baptismi Sacramento accepto sanati, dubia possent hoc nostro seculo esse miracula, nisi eadē in primitiua quondā Ecclesia contigisse sciremus. Nisi inquā Euangelij propagationem, quę ijs in regionibus per solos Catholicos fit, consequuta fuissent, quę per Apostolos Deus operabatur antiquitus, *I*dolorum euersio, crucis vbique trophæi erectio, scelerum nefandorum horror,

martyria,

martyria, lumen deniq; veritatis, dispulsa gentiliū errorum teterrima caligine, splendidissimum. Videre autem à Catholicis pauperibus, inermibus, atque omni penè humano præsidio destitutis tot maria e-mensa, ignotaq́; lingua ad Christi Domini fidem conuersos fuisse tot populos, qui non solùm humanum sanguinem sitiebāt: verùm etiam non ita pridem, humana quoque cadauera iam fœtentia, exhumare solebant ad cibum: Videre inquam verbo Christi à Catholicis tantùm prædicato iniecta iam Orienti, Occidenti & Meridiei frena pietatis, an vt hoc euidentissimum miraculum miraculorum est, ità etiam id, quod paulò antè diximus, manifestè designat, miracula in Ecclesia semper fuisse, atque hæc ad veritatem fidei Catholicæ, & ad signa Antichristi, atq; falsorum magorum dignoscenda maximè facere?

Sed vt redeamus ad id, vnde digressi sumus, prisci Orientis Patres, ijq́; grauissimi testes pleni sunt miraculorum, quæ fiebāt ad martyrum sepulchra; quamobrem & hæc cū mausoleis Imperatorum conferuntur à D. *a* Ioanne Chrysost. & ijs ille dæmones torqueri, ait, sicuti & puluere sancti Cypriani D. Gregorius Nazianzenus; atq; ossibus beati Theodori, Gregorius Nyssenus, ac reliquijs quadraginta Martyrum, & beati Mamantis, sanctus Basilius, & B. Babylæ Martyris mutum fuisse redditum dæmonem apud idolum Apollinis Daphnæi Nicephorus; Atque ex sepulchro & ossibus B. Euphemiæ Martyris in Concilio Chalcedonensi consecutam illam admirabilem disputationis discussionē scriptum reliquerunt; præter sexcēta alia, quæ huc minimo negotio ex Theodoreto, & alijs antiquissimis Gręcis possent afferri.

a Chrysost. hom. 29. in 12. c. 2. Epist. ad Corint. & in orat. de virtutibus & vitijs.
Niceph. li 15. cap. 5.

Quare i modò Chytræe, & Catholicā Ecclesiam Idololatriæ teterrimæ argue. Qui si Gręcæ Ecclesię testimonium ad cōprobandas hæreses tuas iterum accersis, conferes ista cum tuis, qui te ad hanc impietatem lactârunt, & videbis ab omni antiquitate istas Lutheranas blasphemias fuisse semper explosas. Desines verò tandem cum Vigilantio vereri, sanctos, quoniam hinc corporeis vinculis sunt soluti, audire petentium preces, ac propterea non esse inuocandos. Audiunt enim mira celeritate ea percipiendi, quæ Deus vult, vt aduersus Vigilantium D. Hieronymus scripsit, ac vult quidē Deus, vt sese collaudent, & eam, quæ nunquam Apostolo testante charitas excidit, continenter exerceant. Audiunt item S. Angelorum ministerio, cuncta, vt D. inquit Basilius, perlustrantium, cùm in diuino quoque verbo, in quo relucent, ac quasi in speculo cernuntur, oēs creaturæ ea intueantur, quę ad sese, ad glorię suæ perfectionē attinent, quemadmodum D. Gregorius, & Fulgentius dixerunt. Ecquid aūt non viderint ad charitatem suorū spectans, qui Agnum, vt S. ait Euangelista, sequuntur, quocunq; ierit, ac videntem omnia vident? scilicet Sancti & Martyres adhuc in corpore cōstituti (vt S. aiebat Hieron.) cū adhuc pro se esse debēt soliciti, possunt orare pro cæteris; quantò magis post victorias, post coronas, post triumphos? vnus homo erat Moyses, sexcentis millibus armatorū veniam à Deo impetrat. Et Stephanus imitator Domini sui, & primus martyr in Christo pro persecutoribus suis veniā deprecatur, & postquā cum Christo esse cœperint, minùs valebunt? Paulus Apostolus, ducentas septuaginta sex animas sibi dicit esse condonatas, & postquam corpore resolutus, cœperit esse cum Christo, tunc ora clausurus est, & pro ijs qui toto orbe ad suum Euangeliū crediderunt, mutire non poterit, meliorq́; erit Vigilantius canis mortuus, quàm ille Leo viuus? Et hęc quidem D. Hieronymus.

At præterea si voluntatis & Spiritus imperium omnia membra nostra sentiunt, licet per se surda, si quod membrum benè vel malè habet compatiuntur, aut congaudent, & alterius mentem vel per atramentum cernimus, ac mortui, Lazarus, & Thabitha vocem Christi Domini, & Petri exaudiuerunt, & Prophetę aliorum absentiū cōsilia & secreta cognouerunt, Vti Eliseo cum Giezi, & cum Rege Syriæ, & Petro cū Anania & Saphira contigit, Spiritu nimirū sancto, qui pro nobis postulat (ὑπερεντυγχάνει) gemitibus inenarrabilibus, id operante, postea dubitabimus, quin multò magis, cùm Christus Dominus in terris hoc pro sua reuerētia exauditus impetrauerit, ij plenissimè in cœlo sint assecuti? Rogo (aiebat) te Pater, vt omnes vnum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, &c. Claritatem quam dedisti mihi, dedi eis; vt omnes vnū sint, sicut & nos vnum sumus; quam quidem claritatem (exponit sanctus Hilarius) vult intelligi honorē, affirmās sanctos Dei, nō voluntate mētis tantū vnū esse in Christo, verū naturali quadā per gratiam impertita vnione, vt sicut ipse viuit per patrē, ita ipsi viuāt vita Christi; & impleatur dictū illud D. Petri, quo dicit: Sanctos diuinę cōsortes esse naturę, atq; illud Domini: Ego sum vitis, vos verò palmites. At viuere per Patrē, ac cōsortes esse naturę diuinæ, & palmites esse Christi, quid hoc est, si non est, & in eiusdē Patris lumine videre lumen, quicquid aduersus expressum Dei verbum mētitur Caluinus, & operari per gratię participationē, id quod Christus per ipsam sui

Caluin. li. 3. c. 20. art. 23. hist.

 essentiam,

essentiam, vnionemque cum diuinitate, ac meritum & audit, & operatur.

Cæterùm ob resipiscentem animam Angeli lętantur, qui plus super vno peccatore pœnitentiam agente gaudent, quàm super nonaginta iustis, ac non solùm veteris legis, sed & noui Testamenti tempore phialas aureas odoramentorum, & incensa multa offerunt Deo, quę vt scriptum est in Apocalypsi, sunt orationes Sanctorum, ac postea verebimur, quin odorẽ odoramẽtorum, & incensi, id est, vota & preces Christianorũ à Sanctis audiantur in cœlo?

Quòd si superioribus solidissimis rationibus prætermissis, plumbeum à Caluinianis petens argumentũ vrgeas Sanctorũ, haud eandem esse, quæ Angelorum est ratio, quod hi, non illi administratorij Spiritus sint, imprudentissimè id facis. Neq; enim agimus, nũ Sancti mittantur ad nos, sed, num orent pro nobis, nostrasq; precationes inaudiant. Romani certè non erant administratorij spiritus, & tamen Apostolus rectissimè eos rogabat, vt pro se orarẽt. Quibus vt alijs Christianis vitam hanc etiamnum agentibus, nisi ratio defuit, qua desideria nostra cognoscerent, quantę nã stoliditatis erit, cogitare vbi est summum Ecclesiæ triumphantis cum hac militante vinculum atq; communio, & vbi vtriusque spiritus, idem Deus cœlestem illã Sion admirabili & immensa luce perfundit, vt ibi vota nostra non innotescant.

Quòd si animalis homo capere posset ea, quæ Dei sunt, nemo est, quin planissimè intelligeret, nullam præter incredulitatẽ atq; hęresim esse causam, cur Sancti, q sunt in cœlo, & nos nõ audiant, atq; pro nobis nõ orent. Vt enim vtrũq; nõ fieret, quatuor omninò causę afferri possẽt, quarũ cũ nulla sit vera, claudat necesse est ora pfidię & obmutescat. Vt S. Ambrosij verbis vtar.

S. Ambr. in ca. ad Bonesum.

Porrò caussæ illę sunt, quòd Sancti in cœlis, aut res nostras ignorant, aut pro nobis orare nequeunt, vel nolunt, aut deniq; ne id faciant, à Christo vnico mediatore prohibentur.

Verùm in primis non ignorant ij, quæ fiunt apud nos, tum ob eas rationes, quas paulò antè attulimus, tũ quod illi miserias nostras plus satis experti sunt. Qui verò Angelorũ apostatarum ruinas erãt impleturi, Angelis itẽ (vt inquit Christus) futuri erant æquales, eodemq; in lumine nostra cognituri, in quo eadẽ Angeli nostra cognoscunt. Ac de Angelis quidem nulla ne apud Hæreticos quidẽ est dubitatio, quin nostra cognoscant, quòd etiam ex historia Cornelij liquidissimũ est. Veruntamen & manifestissimum est, Sanctis eandẽ fuisse per suum sanguinẽ comparatã pręrogatiuã à Christo, ac proinde ex verbo Dei atque ex historia Abrahami, qui preces existentis in inferno (tanto licet chao interiecto) audiuit, *a* S. Patres hanc veritatem vt compertissimam astruxerunt. Sed & illud inuictũ est argumentum in Apocalypsi, vbi nõ Angeli tantùm, verùm etiã Seniores & alij orationes eorum, qui sunt in terris offerũt Deo: Ac cùm *b* beatus is sit, qui habet omnia, quę vult, & nihil vult mali; cumq; Sancti (quẽadmodum scripsit D. *c* August.) velint etiã intelligere, quæ apud nos gerantur, vix beati, aut pij esse possent, si ea, quę necessaria sunt, & ad tantam pietatem pertinent haud cognoscerent.

a S. Augu. li. 2. de cura p mortuis agenda ca. 14. & 15. Cyrill. 9. li. in Leuit. b August. lib. 13. de Trin. c. 6. c in Psal. 108.

An verò, qui carnis pondere pressi diligentissimè pro alijs orabant in mundo, id iam omni deposita sarcina in cœlo facere nequeant, vix stupidissimus aliquis dixerit. Sanctorum enim mentes cum Deo, qui purissimus est actus, proximè cõiunctæ immensam, & inexcogitabilẽ (vt ita dicã) perfectionem sunt assecutæ, vt longè quàm in mundo fuere, sint potentiores. Nec verò amici Dei esse desierunt, quibus cũ in terris maxima mysteria, excellentioremque charitatis viam Christus Dominus ostenderit, hęc eadem multò magis in cœlis ijs aperuit, atque diffudit, qui admirabilem illam charitatem, ac gloriam in hæreditatẽ perpetuam sortiti sunt.

S. Ambro. lib. de viduis, vbi triplici ratione sanctos inuocandos esse ostẽdit.

At si neges, Sanctos velle pro nobis orare, alterutrum fatearis necesse est, vel voluntatẽ (quod absurdissimum est) de mortuo corpore interijsse; vel si eam habent, nefarium esse cogitare eam frustra esse, quę ad charitatis actum (vt Philosophi aiunt) non reducatur, quippè cùm certò sciant, continentem nobis esse colluctationem cũ aëreis potestatibus, quæ nos circumeunt, vt deuorent; videant aũt nos (vt Apostolus inquit) factos esse spectaculum Angelis, & mundo, quãobrem & promptissimi sunt ad petẽdum nobis ab eo Duce subsidium, qui per eos non solùm sine vlla sui iniuria, verùm etiam cum insigni clarificatione tot miracula, & munera charitatis erga humanum genus impleuit.

Restat igitur, id quod ad faciendum simplicibus fucum commentus est per hæreticos Satanas, nimirum, hoc intercedendi pro nobis officium solius esse Christi, quasi hoc ita alijs prorsus indixerit, vt piaculum sit, si quis per Sanctos ad Christum adire tentauerit.

Primùm autem neque vspiam legitur à Christo id Sanctis fuisse interdictum, ac si Christo iniuria irrogaretur, quod Sanctos inuocamus, iniuriã Apostolus intulit Christo, cùm Philemonem & Romanos rogauit, vt pro se orarent. At Paulus (inquies) orabat

viuos, nõ mortuos: Tãtò ergo maiorem irrogabat iniuriã Domino, cũ ijs vteretur intercessoribus, qui essent, necne, amici aut inimici Dei ignorabat. Porrò non sunt mortui Sancti, qui cum Christo, qui vita est, vitam viuunt verissimam. Iustorum (inquit sapiens) animæ in manu Dei sunt, visi sunt oculis insipiẽtium mori, illi autem sunt, in pace. Non legistis (inquit Christus Dominus) quod dictum est à Deo: Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob, non est Deus mortuorum, sed viuorum: atque alibi. Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Iam minor non erat iniuria (scriptum est aduersus Iulianum Apostatam in historia Tripartita) minorq; contemptus Baptismum perfusionem, aut Christum Galilæum appellare, quàm Sanctos, qui cum Christo viuunt & regnant, appellare tantùm mortuos.

Sap. 3. Matth. 22. Apoc. 12. Hist. Tri. part. lib. 6. ca. 44.

1. Ioan. 2.

At iterum vrgebis: Christus est aduocatus noster. Scilicet id nesciebamus; non est autem scriptum eum sic esse solum aduocatum, vt alijs prorsus hoc munus fuerit ademptũ; alioquin facinus esset inexpiabile alterum pro altero homine orare; Christo enim eadem in terris potestas & officiũ est, quæ est in cœlis. Sed cùm ille aduocatus est, id habet, quod alij nõn habent, vt, quẽadmodum ipsemet Euangelista subdit; sit redemptio pro peccatis nostris, soluat ipse pretium, sit inquam non solùm in se, verùm etiam in alijs aduocatus. Cur me persequeris? dicebat Saulo, cùm Sanctos persequeretur. Addo, Aduocatus est, non solùm qui interpellat pro nobis, quod cuiuis licet, verùm etiam quoniam potestatem habet quicquid petit concedendi: qui enim in instanti (vt Theologi loquuntur) suæ cõceptionis consummatã gratiam & gloriã adeptus est, tum quicquid in vita promeritus est, id promeritus est nobis. Itaque quicquid petit, id ei iure debetur, sic suo innititur iuri cùm petit. At Sancti non suo, sed Christi iuri atq; misericordiæ innituntur, cũ orant pro nobis. Id q fida Christi Sponsa Ecclesia disertissimè ostẽdit, cũ orationibus Sanctorum addit, per Christũ Dominum nostrũ; atq; in Litanijs à Christo misericordiam, à Sanctis orationem ad eam à Christo impetrandam petit.

Cur igitur (inquis) Paulus ait, vnum esse mediatorem Dei, & hominum? Nempè, quod natura mediator vnic⁹ est, quatenus vnus idemq; verus Deus cum Patre, qui nostris sceleribus erat offensus, ac verus homo nobiscũ, qui Deum offenderamus. Deinde quod is vnicus est mediator officio redemptionis, quod nemini alteri vnquã cõuenit, ipse enim se dedit redemptorem & ἀντίλυτρον pro omnibus. Præterea qua ratione interpellat pro nobis sic interpellat, nulla vt pro se egeat interpellatione. Mediatio autem Moysis (ait Cyrillus) sicut serui est, Christi sicut filij. Ad hæc accedit ea, quæ impulit Apostolum, caussa, cur hãc de Christo mediatore ita veritatem inculcaret. Ephesij enim ac Græci alij vicini, quorum Episcopus erat Timotheus, ex Simone Mago angelos habendos esse pro redemptoribus putabant: quod & ex *a* Actis Apostolorum diuus *b* Hieronymus ad Algasiam, & sanctus *c* Chrysostomus atque *d* Theodoretus exponunt. Cæterùm quis ita hebeti sit ingenio: vt, quoniam *e* Apostolus inquit: solùm Deum habere immortalitatem, illicò inferat, neque Angelos, neq; animos esse immortales? Alia enim ratiõe Deus immortalis est, qui (vt verbis vtar *f* Iustini Martyris) ex propria natura, non item ex aliena voluntate immortalitatem habet; alia angeli, & animi non tam natura sua, quàm Dei voluntate. Ita alia ratione Christus Propheta, alia reliqui Prophetæ, alia ille fundamentum, alia Apostoli fundamẽta: Sed tamen vtriq; Prophetę, & fundamẽta, alia ille intercessor, alia sancti intercessores nostri. Christi natura, qua De⁹ & homo: sancti gratia, quia sunt homines. Christus sanguine & orationibus; sancti nõ sanguine, sed precib⁹. Itaq; quoniam cũ fundamentũ sit, cętera fundamẽta nõ euertit, supra se posita, ita quoniam intercessor est, reliquos nõ abnuit, quibus adeò intercedendi vim, & facultatem præstat.

1. Tim. 2.

Act. Apo. ca. 19. & 7. a Act. Apost. c. 19. & 7. b Hieronymus quæst. 10. ad Algasiã c. Chrys. in 2. c. Epist. ad Coloss. d Theodo. in priorẽ epist. ad Timotheũ. e 1. Tim. 6. f Iustinus in quæst. Christianis propositis.

Hac responsione reliqua concidunt in Hæreticos tela, quæ in Catholicos intorserunt. Quod enim Christus sit ostium per quod habemus accessum ad Patrem, non propterea mutua, vel inter homines, vel inter cælites nobiscum oratio tollitur. Ad idem enim ostium ijdẽ nos ducunt, qui orãt pro nobis, nec per aliud ingredi quàm per Christum ad Patrem audemus. "Si verò ad ægrotos (inquit S. Ambrosius) nõ ipsorum "sed aliorum precibus inuitetur medicus, "certè nos quibus mens ægra est, & peccatorum vinculis impedita, debemus nos, non "nostris, sed Sanctorũ intercessionibus Deũ medicum animæ inuitare.

Nec (quod Caluiniani mentiũtur) propterea dubitamus, quin Christus det nobis qđ petimus, quasi seuerior esset, nec verax. Gratissima enim semper fuit humilitas Deo. Zachæus indignũ se putabat, qui coram Deo se sisteret, Centurio puerum ad Christũ mittit, nec tamen minùs aliquid de Deo quã æquum esset sentiebant, qui vt Iob verebãtur opera sua, nec sibijpsis aliquid dignitatis adscribere audebant. Denique quas Caluinus affert rationes, hæ omnes euanescunt, cũ homines pro hominibus,

Caluin. li. 3. ca. 20. arti. 21. Insti.

bus,& Angelos pro nobis item orare demōſtratum ſit. Qui verò tot media nobis propoſuit Deus, vt ad eum per Chriſtum accederemus, is tanto magis bonitatē ſuā & ſapientiā multiformem exeruit, cū per innumeros riuos ex inexhauſto illo infinitę charitatis fonte gratiā in Eccleſię hortū vndequaq; deriuet. Itaq; Hęreticis illud dici poteſt: cur tu nequā es, cū Deus ita ſit bonus?

S. Amb. de Iſaac & de anima. Simile eſt, quod ex eodem Patre affertur. Chriſtum eſſe os noſtrū, per quod loquimur cum Patre, noſtrum oculum, quo videmus Patrē, &c. os enim, & oculus noſtrum, qui ſumus in terris, & Angelorū ac beatorū Spirituū, qui ſunt in cœlis, eſt Chriſtus. Itaq; vt noſtræ, ita Sanctorū orationes in Chriſti nomine exaudiuntur, ſicut, qđ paulò antè dicebamus, Vniuerſa per Chriſtianum orbem canit Eccleſia Catholica.

Addunt in Concilio Carthaginenſi, Patres prohibuiſſę, ne qua oratio in altaris Sacrificio referretur ad Sanctos; ſed decipiuntur cùm alios tētāt decipere. Neq; enim eo in Concilio de orationibus ad Sanctos, ſed de ſacrificio ipſi Deo offerendo habita fuit mentio. Ita B. Auguſt. reſpondebat Lib. 20. cō. Fauſt. Manichæum. ca. 21. Manichæis, idipſum Chriſtianis obijcientibus, Sacerdotes Chriſtianos non offerre Sacrificia Martyribus, ſed Deo. Cæterùm orare Deum, vt Martyrum meritis conſocientur & orationibus adiuuentur.

Artic. 24. Inſt. Caluin. At Sanctis, inquiunt, adimitur requies, cùm orantes pro nobis noſtris orationibus diſtrahuntur. Hic verò vide ſenſum verè hęreticum & animalem. Quid ni item Angelis, atque adeò ipſi Chriſto tanquam homini adimetur requies, cùm vndique ad eum orationes fundimus?

In Phil. 1. ſiue occaſione ſiue veritate Chriſt. annuntiatur. Sed & aiunt, Chryſoſtomus pronunciat, non eſſe nobis opus patronis, noſque faciliùs Deum per nos, quàm per alium quemuis exoraturos. At mirum eſt, cùm vbique D. Chryſoſt. Sanctorum inuocationem acerrimè tueatur, ſexcenta loca apertiſsima ab Hæreticis relinqui, vnum afferri, quē tamen (vt ſolēt) vaferrimè ad ſe detorqueāt. Aiebat autē in eo loco, aduerſus Sacerdotes quoſdā, qui ſe ita Sanctorum patrocinio committebāt, vt interea nihil ipſi niſi peccata committerent. Quibus certè nihil Sanctorum orationes prodeſſe alibi beatus affirmat Chryſoſtomus. Homilia enim in Matth. Si (inquit) negligentes fuerimus ac deſides, nec per aliorum quidem merita poſſumus ſaluari, &c. Hæc autem dicimus, non vt pro peccatoribus ſupplicandum eſſe, ſanctis negemus; ſed ne noſmetipſos in otium ac deſidiam reſoluamus: & dormientes ipſi alijs tantummodò noſtra curanda mandemus. Et homilia 5. in Matt. ait. Etiamſi Abraham Patriarcha pro nobis ſupplicet, qui in ſuis vitijs permanendo immedicabiliter ægrotant, abibit Deus, relinquens rogantem, ne vocem pro talibus interuenientis exaudiat, &c. Non igitur quaſi oſcitantes & deſides ex aliorum meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximam, orationes, ſupplicationeſq; Sanctorum, ſed tunc profectò, cùm nos quoque ad ipſum per pœnitentiam poſtulamus, & ad ſtudia meliora cōfugimus. Et homilia 43. in Geneſ. Quando (inquit) quod ex nobis eſt, ſimul afferim⁹, & accedit interceſsio Sanctorum, plurimū nobis confert, quòd ſi ipſi negligentes fuerimus, & ſpē in illis ſolis collocauerimus noſtræ ſalutis: nihil ampliùs nobis prodeſt. Non quòd infirmi ſint iuſti, ſed quia propter noſtram deſidiam nos ipſos perdimus. Et homilia prima in priorem Epiſtolam ad Theſſalonicenſ. ait. Quid mihi opus eſt, inquis, aliorum precibus, quando ipſe ſedulus fuero? nunquā hoc dixeris homo: neceſſe eſt, & multa prece neceſſe eſt, &c. Ac vbi multis rationibus Sanctorum implorationem ſummoperè nobis neceſſariam cōprobauit, ſic deniq; orationem cōcludit. His itaq; cognitis, nec Sanctorum preces contemnamus, nec totum in illas proijciamus: hoc quidem ne temerè inſidijs opprimamur: illud verò, ne extra multum lucrum, & profectum excidamus: Sed oremus etiam, vt pro nobis precentur, manumq; porrigant, adhæreamuſque ipſi virtutis ſtudio, vt bona diligentibus Deum promiſſa conſequi valeamus.

Porrò neque obliuiſcimur Abrahami in noſtris precibus, ſicut Caluinus calumniatur, extat enim in ijs illud, omnes S. Patriarchę & Prophetę orate pro nobis. Apoſtolos quidem ac reliquos alios quoſdam nominatim inuocamus, quod Chriſtianā Eccleſiam, in qua nos ſumus, fundârunt, quod miraculis, ac ſanguine illuſtrem reddiderunt, eoſque nobis Saluator Doctores nominatim tradere dignatus eſt.

Ad hæc blaſphemiam cæteris nectunt, cùm blaſphemiam eſſe Catholicorum dicunt, qui Mariam Virginem orantes, vocamus ſpem noſtram.

Sed interim virus impietatis hoc fuco tegunt, Pater enim eſt Deus, ac tamen haud blaſphemamus, cùm vocamus aliquem Patrem: nec blaſphemabat Apoſtolus, cùm ſcriberet per Euangelium, ego vos genui. Lux & lumen eſt Chriſtus, nec tamē Chriſti blaſphemia fuit dicentis: Vos eſtis lux mundi. Spes noſtra primaria & corona, & gaudium, & gloria eſt Chriſtus: Nec tamen Paulus fuit blaſphemus, cùm Theſſalonicenſes compellans: 2. Theſſ. 2. Quæ eſt enim (inquit) noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? nonne vos ante Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM eſtis in Aduentū eius? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium. Quod ſi ſano ſenſu illi de hominibus adhuc in terris verſantibus dixere: Ecquid de beatiſsima Virgine cæteriſque dicemus, quorum nobis certiſsima charitas eſt? quique ante conſpectum Dei coronas immarceſsibiles ſunt aſſecuti?

At eſto, inquiunt, ita inuocentur Sancti, illud autem, quòd per Virginis beatiſsimę, atque aliorum Sanctorum merita oretur Deus, ferri non poteſt. Sed his reſpondendum eſt, eò magis Chriſti meritum celebrari, quò eum non ſibi ſoli, gloriam & merita, ſed nobis ac tantò magis Sanctis promeritum fuiſſe confitemur. Ipſe enim, qui ſe nobis dono dedit quomodo ſecum non nobis omnia donauit? In capite quidē plenitudo ſenſuum eſt: At ſi neges membra moueri, vel ſentire, aut capiti iniuriā inferri, ſi ipſi moueantur, id prorſus erit plenitudinē ſenſuū, etiā in ipſo capite tollere. Si quoniam qui ex fonte ſcaturiunt riui, hos putas fonti honorem demere, deciperis: cū ij vbertatem fontis magis oſtendant. Porrò nec de palmite negamus racemum prodire, licet in primis è vite & palmitem ac racemum oriri ſciamus. Ac ramus quidem ſylueſtris arboris bonæ inſitus oliuę (vt Apoſtolica ſimilitudine vtar) quia particeps ſit radicis & pinguedinis illius, eundē fert fructū. Et homines igitur inſiti Chriſto, non eundem fructum ferent, aut tantę pinguedinis gratia inefficax erit, nihil vt valeat ille fructus, aut nihil vt mereatur? Quòd ſi in veteri Teſtamento per Sanctorum merita, Deus multa poſteris bona elargitus eſt; Et, verò propter hominum peccata, plagas acerbiſsimas populis inflixit; quid noui Teſtamenti diuitias ſpernimus, aut negare audemus, per obedientiā Chriſtianorum Deum præmia, quæ tam conſtanter pollicitus eſt, pijs præſtitiſſe? Quicquid ergo blaterent Nouatores, Catholicū hac de re dogma veriſsimum eſt. Exod. 31. Moyſes orat Deum, quieſcat Domine ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui, recordare Abraham, Iſaac & Iſrael ſeruorum tuorum. Azarias quoque apud Danielem: Dan. ca. 3. Ne tradas nos in perpetuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuū, & Iſrael electum tuum. Quorſum putas eos ſeruos, dilectos, electos vocari, niſi quòniam, quæ illis impertita fuerat à Deo gratia, & cui ipſi legitimè cooperati fuerant, ea adhuc in poſteris fructus miſericordiæ germinabat? 3. li. Reg. c. 11. & c. 15. & 4. Reg. c. 19. Quin verò Salomoni conceſſum eſt, ne eo ſuperſtite, propter Dauidem eius patrem ſcinderetur illius Regnum, atque Abiæ data eſt proles à DEO, li. 3. Reg. c. 15. ob eundem Dauidem eius Patrem, ac dixit DEVS ſe protecturum ciuitatem propter ſe, & propter Dauidem ſeruum ſuum, ſcilicet, quià (vt ſcriptum eſt) Dauid fecit rectum in oculis Domini omnibus diebus vitæ ſuæ. Itaque non eſt quòd dubitemus, quin quo tempore Chriſtus Dominus abyſſum charitatis ſuæ in ſuos effudit, multò item magis quàm veteris Teſtamenti Patribus, vt alijs bona mereri poſſint Apoſtolis, & reliquis Patribus noſtris conceſſerit. Videat pius quæ homil. 48. in 18. cap. Geneſis ex ijs quæ produximus teſtimonijs diſertè D. Chryſoſtomus diſſeruit.

Ad extremum ergo Hæretici ne vllam ſe habere cum Sanctis communionem oſtenderent, ac verò nihil, quod Eccleſia Catholica facit, non morderent: duo illa obijciunt. Alterum quod coram B. Virginis, aut alterius Sancti imagine, orationē Dominicam pronūtiamus: alterum, quod Angelicam ſalutationem recitando roſario ſæpè repetimus. Interea verò miſeri nondum didicere, Sanctos à nobis vt ſocios ad orandum tanquam fratres pijſsimos & digniſſimos aſſumi, ſenſumque ipſum, ſi quo ad bonum vterentur, eos docere potuiſſe ad imitationem, ad dolorē ex peccatis, ad ſpem de diuina bonitate concipiendam nos acriùs moueri, cùm imagines eorum, qui quondam apud nos ſanctè vixerunt, aſpicimus; quàm ſi varijs cogitationibus, & rerum caducarū ſpecie ſubinde nobis occurrentiū, mentem auertamus à cœleſtiū rerum contēplatione. Quē enim pœnitentem dum orat, non moueat imago B. Magdalenæ lachrymas fundentis, mundo renuntiantis, crucem amplectentis, vitam deinde totam perpetua abſtinentia, & rerū quibus delectabatur nuditate traducentis? Quis tum alto de corde ſuſpiria non trahat, & non exclamet, ô Sancta, quod remedium à Chriſto nacta es, id nobis procura, noſtrarūq; miſeriarum, quas olim es perpeſſa, ſic miſerere, vt miſericordiam eandē nobis à Deo per Chriſtum exores.

Iam quod ad Angelicæ ſalutationis iterationem attinet, ſi ponatur id, quod pluſquam ſatis probatum eſt, beatiſsimam Virginem vti gratiſsimum Deo inſtrumentum, fuiſſe omnibus ſeculis (quod nec Hęretici iam negant) in vniuerſo orbe Chriſtiano inuocatam. Diuinæ verò bonitati ſemper placitū fuiſſe, per eā in merito vnigeniti filij ſui, in quo & ipſa multa merita cōſecuta eſt, plurima beneficia cōferri, nemo mirabitur, Angelicā ſalutationē, piaſq; alias orationes iterari. Quod enim per ſe pium & ſanctū eſt, id iteratum non modò

quidquam ſanctitatis amittit, verùm etiã ſanctitaté in animis piorum maiorem gignit, & ſancit.

Sed & antiquiſsima eſt, ad calculos orationum iteratio, ſicuti in Palladij hiſtoria extat. Ac nulla penè in vniuerſo orbe terrarum eſt regio, vbi Apoſtolicę atq; Catholicæ Eccleſię veſtigium aliquod ſit, quin adhuc in ea extet pia conſuetudo beatiſsimæ Virginis ſalutandæ, per hunc roſarij modum: Armeni, Indi, Græci id faciunt, vt mittam vniuerſam Eccleſiam Catholicam, quæ puriſsimam doctrinę, ac pietatis regulam ſemper ſeruauit, ac ſeruat.

Quare quibus id orationum genus haud arridet, ij meminerint, S. Auguſtinum dixiſſe, inſolentiſsimæ inſaniæ eſſe, velle abrogare id, quod per totum mundum vniuerſa obſeruat Eccleſia.

At meritò inquit Dauid, Beatum eſſe eũ, qui poſuit aſcenſiones in corde ſuo, diſpoſuit in valle lachrymarum. Hæ enim ſunt aſcenſiones ſanctæ meditationis & orationis, quando recolentes œconomiam ſalutis noſtræ aſcendimus, quaſi per quoſdam gradus; ab incarnatione & initijs vitæ Domini noſtri, vſq; ad paſsionem, & denique ad poſteriores glorias, & beatitudinem illam æternam, in qua per merita vitæ Domini noſtri IESV CHRISTI regnant cum Chriſto omnes Sancti, quiſq; pro menſura gratiæ, quam in hac vita conſecutus eſt. In aſcenſionibus autem iſtis adhibemus calculos, vt in illis veluti gradus aliquos memoriæ cauſſa conſtituamus. Porrò ad ſingula myſteria recitatur decies ſalutatio angelica beatiſsimæ virginis, quia numerus denarius pertinet ad perfectionem laudis diuinæ, ſicut ſcriptum eſt: In decachordo pſalterio pſallam tibi. Facimus autem hoc propter memoriam incarnationis filij Dei ex Virgine, & quia ex hoc myſterio cætera omnia ſalutis noſtræ opera profluxerũt. Quamobrem poſt ſingula myſteria ad hũc veluti fontem reditur, vt eò maiores gratiæ pro tanto beneficio vnde cætera promanârunt, diuinæ Maieſtati agantur, & Virgo beatiſsima pro nobis intercedat ad filium, per quam ipſe datus eſt nobis.

Cur autem non optimum eſt, cùm quinquies orationem Dominicam recitem, vt quinq; illa, quę pro nobis Chriſtus accepit vulnera, offerã Deo, ſiue cùm decies vt decalogi præcepta ſeruandi gratiam conſequar, ſiue trigeſies, aut tricies, vt ſingulos vitę Chriſti annos, eiuſq; immenſos labores pro humano genere exanlatos, ac pro nobis ſanctiſsimè traductos meminerim, ac per eoſdẽ labores meritũ Chriſti aſſequi ſtudeã, eandẽ Dominicam orationẽ recitẽ, vel denique ſępiùs adhuc ipſam angelicam ſalutationem repetam, perpenſa interim immaculata B. Virginis vita, quã & imitari conemur, & nobis aduocatam vti ante mille, & quadringentos annos S. Irenæus eam vocaſſe diximus, accerſamus?

Scilicet ſi ſępè ijſdem hominibus eodem die, pluſquam diuinum cultum exhibuerimus, & demiſſas genuum flexiones, ad quælibet verba adhibuerimus, ac (quod belluinum ſapit) ſi canthari ad ebrietatem quotidie centies iterabuntur, ſcõmatiſque Eccleſia Dei frequenter traducetur, ſanctique & tabernaculũ Dei creberrimè blaſphematum fuerit, hæc omnia purum verbum Dei, purũ Euangelium erunt: orare autẽ ſæpè, & iterata cum amicis Dei habere colloquia, ſalutationeſq́; repetere, cùm iam nec aduenę, nec hoſpites, ſed ciues Sanctorum ſimus, idololatriam ſapiet?

Quòd ſi quis ſuperſtitioni tribuerit numerum illum precum ita frequentem, ſentiet opinor ſi paulò aduertat animum conſcientiam reclamantem, ac dicentem: ô homo tu quis es; qui alienum cor iudicas? Cũ enim nunquam probaueris vim pietatis in numero, quatenus numerus eſt, ab Eccleſia poni, quid fruſtra pietatem, quæ ad omnia valet, quæque nullis terminis circumſcripta eſt, vis in terram defodere?

Nec verò liberæ deſinunt eſſe precationes noſtrę, quaſi numero ac tempore aſtringantur; quæcunq; enim à Deo ſunt, ordinata ſunt; nec item propterea illis interdictũ eſt, quin ſi legitimè impediãtur aliquid ſibi demant earũ, aut item maiorem earum menſuram adſciſcant, quantum nempè & charitas erga Deum, ac recta ratio dictet.

Atqu ſi id, quod de numero inuidiosè ab hæreticis obijcitur, verũ ſit, cur eãdẽ ratione nõ cõuellatur Daniel, in hoſtili ſolo ter orans in die, ꝙ quidẽ in ſingulis etiã locis antiquiſsimè, id eſt, Eccleſia naſcẽte fieri conſueuiſſe, in Apoſtolicis cõſtitutionibus inuenitur? (Clem. li. 7. conſtit. Apoſtol. c. 25.) Cur itẽ Chriſtus Dominus nõ accuſetur in oratione pernoctãs, ac ter ipſa, qua traditus eſt nocte, ad Patrẽ orandum accedens, eademq́; ipſi non ſemel offerens: Eccleſia item ſepties in die (quod & Dauid faciebat) orans; quã Apoſtolorum traditionẽ Oriens primò, deinde occidens poſt horribiles illas perſecutionũ clades, vbiq; recepit? (Clem. A. poſt. cõſti. lib. 8. c. 24. Caſsianus lib. 3. de inſtit. Catholi. c. 4. & 8. Act. 3. & 10.) Nam & Græci orationẽ in ſeptem tempora diſtinctã adhuc retinent, vtramq; enim cõiungunt primam cum matutino, quas μεσονυκτικὸν ὄρθρον, πρώτην, τρίτην, ἕκτην, ἐννάτην, ἑσπερινὸν, ἀπόδειπνον ſeu ἐπὶ λύχνιον vocant, quibus reſpondent ex Latinæ voces nocturnorũ, matutini ſeu laudũ, primę, tertię, ſextę, nonę, Veſperarũ & cõpletorij ſeu lucernatis, ꝙ perpetuò

vniuerſa Occidentis Eccleſia decantat ad gloriam Dei, & ad Chriſti paſsionis geſta quotidie recolenda, quemadmodum Apoſtoli declarârunt. (Clem. vbi ſup.)

Verùm & compertum eſt, ſanctos illos Aegypti Patres conſueuiſſe ardentes identidem orationes in cœlum iaculari, ac D. Bartholomęum Apoſtolum centies in die, ac tantundem nocte genua flectere: Sanctumq́; Apollonium Abbatem idem adhibitis quibuſdã precationibus facere; Paulũ Abbatem, 500. Monachorum Patrem in finibus Africæ nullo die quidquam prius agere ſolitum fuiſſe, quã trecentas orationes Domino obtuliſſet, quas calculis in ſinum ingerendis, numerabat. (In eorum vitis. Hiſt. Tripar. lib. 8. cap. 1. Pall. hiſt. 61.)

Accedit ratio ad veritatem, atq; conſuetudinem, quæ tria cùm aliqua in rę inueniuntur, nihil firmiùs (vt inquit S. Auguſtinus) eſt retinendum.

Qui enim legere neſciunt, aut iter habentes recitare orationes nequeunt, vel animo iam meditationibus aut non aſſueto, aut fatigato, aliquid tamen ad diuinam gloriam boni dicere, quàm nugas effutire, aut inanium rerum obiectu diſtrahi malunt, percommoda hæc ijs ratio orãdi propoſita fuit. Atq; inde ſumma cum pietate factum, vt qui ſacræ ſeſe militiæ addixerunt, hi numerum aliquem precationum Dominicarum & Salutationum indies recitantes, quaſi penſum aliquem armis licet tecti, & aduersùs hoſtes progredientes, perſoluere poſſent.

OCTAVA CHYTRAEI IMPOSTVRA.

Apud *a* Armenios, in Syria *b* quoque & Perſide, ac latiùs Aſia & *c* Africa, præcipuè autem in *d* Aegypto, ampliſsimis Aethiopiæ regnis, & in ea *e* Africæ parte, quam vnà cũ 40. regnis, tenet potentiſsimus Monarcha, quem incolæ Belungian, noſtri corrupta voce Preteſan appellãt, in *f* Pãnonia quoq; & Trãſſyluania, & in *g* Bohemia *h* Eccleſiæ, in vera doctrina Deo iuuante firmæ & ſtabiles permanent, ac Doctores pietate, doctrina, conſtantia & zelo ſingulari lupos ab ouilibus ſuis arcentes benignè & conſtanter fouent. Ac poſtea. Hæc de Eccleſiarum Græciæ, Aſiæ, Vngariæ & Bohemiæ, conditione præfari hoc loco Chronici lectioni, quam vſq; ad Auguſtum, & nati Chriſti tempora deduximus, volui; nam ea de cauſſa præcipuè ſcribi, & extare Chronica Deus voluit, vt vbi & qualis ſemper fuerit in mundo Eccleſia, ſciremus. (*a* Pag. 20. *b* 21. *c* 24. *d* 27. *e* 29. *f* 31. *g* 32. *h* 31.)

IMPOSTVRAE RETECTIO.

ET in his omnibus quoque ſuo ſe gladio iugulat Chytræus. Dum enim de prouincijs & regionibus hiſce loquitur, vt vnam ibi vigere doctrinam ab antiquis tẽporibus oſtendat, quæ cum hæreſibus Germanicis conueniat, Catholicæ quidem Eccleſiæ veſtigia prodit antiquiſsima, velit nolit, qualia ſunt, quæ de eorum Liturgijs, & Sanctorum commemoratione & inuocatione, de Monachis, de cœlibatu Sacerdotum, de pleriſque omnibus penè ritibus diſertè confitetur.

Ac de Armenijs dicit inuocationis & interceſsionis Sanctorum & oblationis Sacramenti, pro alijs expreſsior & prolixior, quàm in veteribus Græcorũ Liturgijs mentio apud eos fit. (Pag. 22.)

De Syris, Maronitis, ad montem Lybanum, ait eos nunc ſolos ferè in Aſia Latinæ conformes Eccleſię eſſe. (Pag. 23.)

Hieroſolymæ non negat eſſe templa Chriſtianorum cum Chriſto Domino, dũ eius ſeruis, qui ſunt in cœlo S. Michaeli, S. Iacobo, S. Teclæ, S. Ioanni Baptiſtæ, S. Georgio, S. Demetrio, S. Catharinę, dicata; Varios item Monachos eſſe, ac præcipuè Franciſcanę familię, qui præcipuè ipſum Chriſti ſepulchrum, non ſine diuini numinis, magna prouidentia, cuſtodiunt. (Pag. 24.)

Ex Aethiopia, eoque ex pretioſi Ioannis ingenti Imperio fatetur, cũ ab illo Chriſtiana religio colatur Patrum noſtrorum memoria ad Sixtum IIII. & poſtea ad Clementem VII. Pontifices Maximos veniſſe Legatos, à quibus ſeſe pendere, & dirigi velle, & ſanctam Sedem Apoſtolicam agnoſcere, liquidiſsimè teſtati ſunt, quin verò Aethiopes illos, qui Abyſsini dicuntur, Romam religionis cauſſa venire, inquit, vbi & in Vaticano (quod verum eſt) proprium cum domo templum poſsident. (Pag. 28.)

In Pannonia non deeſſe Concionatores (vt ille inquit) Pontificios dicit, & in ea trans Danubium circa fluuium Arabonẽ Patriã agnoſcit ſancti Martini, in qua arx & ſepultura ſit S. Stephani primi Vngariæ Regis Chriſtiani inſignis, quorum vtrumque cùm Sanctos nominet, videat qua doctrina, & ſanctitate vterque fuerint, Eccleſia verò eorum tempore viguerit; ſimilẽ enim prorſus præſenti Catholicę Eccleſiæ reperiet.

In Bohemia Huſsitas omnia ferè Pontificia, in cæteris articulis retinere, niſi quòd malunt ex Senatus Eccleſiaſtici Pragę paucos ante annos facti, quàm ex ſummi Pontificis à Chriſto inſtituti, auctoritate pendere ac regi. (Pag. 41.)

Quæ

Quæ cùm ita ſint, quid Chytræus effecerit, iudicium eſto ſobriè ſapientiū Chriſtianorum. Nam cùm eorum quæ ad religionis ſubſtantiam pertinēt, antiquiſsima adhuc ibi veſtigia appareant. Et verò vel ibi nunquam Romanos Pontifices fuiſſe ſciamus, ne quid illis tanquam dominantibus inuectus ille ritus tribuatur, conſenſu totius orbis terrarum, velit, nolit, proprio gladio, vt diximus, hæreſis iuguletur neceſſe eſt.

At, inquit, alicubi ijs in Prouincijs aut ſacrum vulgari lingua cantatur, aut Sacramentum ſub vtraque ſpecie datur.

Quidni igitur, cùm inde ad veritatem antiquitatis, & Eccleſię veræ eruenda argumenta petuntur, ea quæ magis ad ſubſtantiam religionis pertinent, non admittit in primis?

Et quidem (inquam) ſi admittenda ſint hæc, quæ tamen non ita prorſus habent, vt iſte mentitur: Neque enim in Gręcia, lingua vulgari in Liturgijs vtuntur. Nec quæ ab aliquibus alijs populis vſurpata eſt, ea paſsim ab hominibus de plebe prorſus intelligitur. Nec ſub vtraque ſpecie ſic ſumitur vbique Sacramentum, vt etiam ſub vna, quemadmodum ſuperius attigimus, interdum non ſumatur, præterquam, quod nunquam ij Catholicis vnquam inſultârunt, quòd ſub vna ſpecie ſumerent D. myſteria. Qua de tota re, vt adhuc apertius impoſtura Chytræi aperiatur, hęc quæ ſequuntur adijciamus.

DE EVCHARISTIAE SANCTISSIMÆ ſub vtraque ſpecie ſumptione Chytræi & aliorum, ſeu Hæreticorum ſiue Schiſmaticorum retectio, manifeſtior, &c.

INPRIMIS iuſtiſsimum Dei iudicium perpendendum eſt, quale in ijs fuerit, ac ſit, qui vrsēre, vrgentúe petitionem vtriuſque ſpeciei neſciētes quid petant, aut quid velint, niſi libertatem, quæ ex Deo non eſt. Iamdudum enim (quæ certè infœliciſsima calamitas eſt) nullos Epiſcopos aut ſacerdotes legitimos: itaque nec Eccleſiam habent: extra quam nullas ſalus eſt. Quòd verò vbi deſint Epiſcopi & ſacerdotes veri, ibi nulla Eccleſia ſit, S. Patres ex Dei verbo rectè intellecto, ipſaque ex ratione pleniſsimè docuerunt. Eccleſiam inquit S. Cyprianus eſſe Epiſcopo adunatam, & Epiſcopum eſſe in Eccleſia, & Eccleſiam in Epiſcopo. Et S. Hieronymus Eccleſiam ait non eſſe, quæ non habet ſacerdotes. Quod & probatur ex D. Paulo qui ſcriptum reliquit; Et ipſe (Chriſtus Dominus) dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes, &c.

Vide in reſp. ad ſepten. S. Cypria. Epiſt. 4. libr. 4. Hieron. li. cont. Luciferanos. Ephe. 4.

Ac Dominus ipſe oſtendit gregem Paſtoribus deſtitutum neceſſariò perire. Mercenarius autem (inquit) fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues. An verò in Germania, ijſque in locis, vbi ſe ab Catholica Romana Eccleſia populi, & regna ſeiunxerūt lupi rapuerint oues, videant ſobrij Iudices veritatis. Quòd cùm non niſi impudentiſſimè inficiari nequeunt, fateantur id effectum eſſe abſentia verorum Sacerdotum & Epiſcoporū, ſine quibus, vt dictum eſt, Eccleſia nulla eſt. Ioan. 10.

Accedit diuinum alterum, idque horrendum iudicium, quod ſtupida cœcitas, & cęca ſuperbia non ſentit, ſenſura paulò pòſt niſi ante mortem haud reſipiſcat. Idque iudicium eſt, quod Chriſtum in Euchariſtia nunquam accipiunt, cùm ab ijs ſumant, qui legitimi Sacerdotes non ſint.

Præterea hi fructu Baptiſmi, ac reliquorum omnium Sacramentorum miſerrimè carent, quæ à Chriſto Domino inſtituta, quęque vaſa gratiæ diuinę ſunt, per quę nēpè pretioſiſsimum Chriſti Domini meritum in nos deriuatur: Nec tamen & huius rei iacturam ſentiunt, quod certum eſt, diuinę reprobationis argumentum.

Sic neque Patrum doctrinam habent, qui quidem Patres Eccleſiam, veræ & Apoſtolicę fidei cōfeſsione, ac ſanguinis profuſione ædificârunt. Nam & horum lectionem haud vſurpant, ſed pro ijs conſentientibus & qui fuēre ſanctiſsimi, Apoſtatarum, & impurorum, eorumque inter ſeſe diſsidentium hominum libros vſurpant. Sic hęreſes anathemate percuſſas, & damnatas excitarunt, fœdiſsimeque in nouas Sectas quotidie ſcinduntur.

Sic religioni ſibi non ducunt, quòd bona Deo dicata, aut ſacrilegè furentur, aut impiè poſsideant, aut non reſtituant vſque ad minimum quadrantem, cùm ſcriptum ſit: Non furtum facies, & reddite quę Dei ſunt Deo: Itaque & ad æternos cruciatus infęliciſsimi deſcendunt.

Sicque inter ebrioſos, vetere interea & nouo Teſtamento, modò ab vno, modò ab altero Apoſtata deprauatis ad ſpeciem, & hypocriſim, non ad pietatem & humilitatem vtuntur: cumque impiè iactitent, velle ſeſe tantummodò verbum Dei, nihil iam habent, niſi verba apoſtatarum & Hęreticorū, qui ſeſe inuicem miſerrimè dilacerant.

Sic denique diuino iudicio factum eſt, vt qui ſeſe propter Calicem ab Eccleſia ſancta Catholica, Romana ſeparârunt, ab ſola eadē diſpēſationem eiuſdē calicis petierūt, ac petūt, cui ꝑinde volētes nolentes regni cœlorum claues, & ligandi atque ſoluendi fuiſſe traditas, confitentur.

HAEC cùm ita ſe habeant, ſi quis ex iſtis ſalutem ſitit, & ſeriò credit vitam æternam, mente reuoluat, quæ olim Michael Vehus Theologus Germanus, quæq; alij contra iſtiuſmodi calicis petitores ſcripſere, quorum quidem adnotatis in fine huius ſcripti eorum libris ſat fuerit hæc pauca, quæ ſequuntur, attingere. Sic itaque ille optimè de vtraque ſpecie loquens, aduerſùs Pomeranum dicebat.

IN quolibet negotio optimum fundamentum eſt veritas, qua hæretici prętermiſſa libros cōtexunt ordientes à mendacijs. Itaq; eorū calumnię domū eorum remittēdę ſunt, donec ſua probēt mendacia. Quòd ſi verò neſcij ſunt, quid illis probandū incūbat, nos haud grauatim eos docebimus.

PRIMVM quidem planum faciet, calicem ex Chriſti mandato ab omnibus neceſſariò ſumi oportere; id quod illi adhuc cū ſuis nō fecerunt, neq; facere vnquam valebunt. Si enim pro ſuo fundamento afferāt, id quod Huſsitę ſolebāt afferre: Niſi mādu caueritis carnē filij hominis & biberitis eius ſanguinē, &c. Iā Lutherani, quos ſequitur Pomeranus, docent in ijs verbis, nullā mentionem fieri Euchariſtię, quæ necdum inſtituebatur. Sin aūt afferunt illud: Bibite ex hoc omnes: planiſsimum eſt ad Apoſtolos id ſpectâſſe: Neq; Eccleſiam, aut Patres, vnquā ex ijs verbis neceſsitatem, alicuius præcepti credidiſſe, vel docuiſſe; cùm & in Euangelio apertè declaretur, qui ſint illi omnes: Et biberunt ex eo omnes; hoc eſt, duodecim Apoſtoli, inquit Euangeliſta.

QVIN verò ſi Pomeranus ſuos hîc conſulat, inueniet ſuæ ſectę primarios, id etiā negare, dicereque Chriſtum, neque alterā ſpeciem, neque vtramque ſpeciem ſumendam ab omnibus præcepiſſe.

DEINDE ſi hoc quoque poneremus, ea verba neceſſariam habere pręceptionē; iam illud nihilominus eſſet probandum, quòd ad ſingulos ſpeciatim, nō ad omnes generatim fuiſſent dicta: ſicut illud; Creſcite & multiplicamini. Certū eſt enim, non ſingulis ſpeciatim, ſed omnibus in genere hoc eſſe dictū: cū & multi ſint ad generationem minùs idonei, & ipſe Dominus laudet eos, qui ſe caſtrauerunt propter regnū Dei, & Apoſtolus oēs velit eſſe ſicut ſeipſum. Atqui hoc etiā conceſſo, dicta ea eſſe ſpeciatim ad ſingulos, eſſet præterea probandū, etiam huius pręcepti verba ad ſingulos pertinere. Cōcurrunt enim huc multa: benedicere ſeu cōſecrare, facere, ſeu offerre, edere, bibere, in memoriā eius facere, ſeu mortē eius annunciare. At hoc certè planum nunquam illi efficient, niſi conſecrandi munus velint ad ſingulos ruſticos, atque adeò ad ipſas mulieres pertinere.

Præterea reſtat adhuc illis probandum, Chriſtum, accedente neceſsitatis periculo, & alijs rebus vt ſchiſmate, & hęreſi, ex illis verbis prauè intellectis concepta, non reliquiſſe id liberum Eccleſiæ, cui dedit infallibilem, ac perpetuam Spiritus S. aſsiſtentiam, & diſpenſationem, ſeu adminiſtrationem Sacramentorum.

Reſtat inquā probandum, Eccleſiā, tali occurrente caſu, nō eſſe hac auctoritate prędıtam, vt eiuſmodi poſsit edere conſtitutionē, qua id periculi euitetur. Hęc ille.

Sed præterea nemo, vix etiam literis ſacris tinctus, niſi datus ſit in reprobum ſenſum, negauerit, tam vnius, quàm vtriuſque ſpeciei mentionem, in Euangelijs & Actis Apoſtolorum fieri, vt id, pro ratione temporum & perſonarum, poſſe ac debere ſtatui in Eccleſia, intelligeremus, quòd ad maiorem Dei gloriam eſſet, & ad pacem retinendam, cuius hoc potiſsimum Sacramentum eſt ſymbolum.

Nemo item, niſi planè ſtupidus ſit, negauerit, calicem Corinthijs, vtpotè ex gentilitate ad Chriſtū conuerſis, datū eſſe, vt nempè calicem Dæmoniorum gentilibus ſuauiter adimerent Apoſtoli: Sed ceſſante poſtmodū illa cauſa, ſublatū eſſe vſum vtriuſq; ſpeciei, paulatim ex ſe ipſo in multis populis Chriſtianis, ſatis planè liquet.

Nemo item oſtendet ex Actis Apoſtolorum, aut ex Euangelio, fuiſſe Laicis Iudæis calicē datum; quandoquidem, ne in Teſtamento quidem veteri participes erāt liquidorum, quæ in Sacrificijs offerebātur: itaque erant frequentes in fractione panis, vt eſt in Actis Apoſtolorum.

Iam verò cùm integer Chriſtus ſit in vnaquaque mica, vel ſtilla, fruſtra anguntur ij, qui deſerunt Chriſtum, niſi habeant vtramque ſpeciem; cùm ſpecies ipſę accidentia tantùm ſint.

Ex hiſtorijs itē antiquiſsimis, quoniā modò ſub ſpecie panis, modò ſub ſpecie vini tantū, Euchariſtia ſumpta ſit ab aliquibus: neminem ex Patribus ſcimus, Eccleſię Catholicę vllā propterea erroris notā inuſsiſſe. Quòd ſi afferunt Gelaſiū vel Leonem Pontificē iuſsiſſe, vt ſumerentur integra Sacramenta, id eſt, ſpecies integrę Euchariſtiæ; afferant etiā, ſi ingenuè & Chriſtianè ſe velint gerere, cauſam, cur id præceptum fuerit. Manichęi enim, qui ſanguinem omnium horrebant, & eū à malo Deo creatum dicerent, ne deprehēderentur hęretici, ſoliti fuēre inter eos Catholicos cōmunicare, qui vna tantùm ſpecie vtebantur. Itaq;, vt illi retegerentur, eam tulit legē Pontifex: nec tamen vbique, ſed vbi hæreſim ſuam

Mani-

Manichæi ſpargebant; qua hæreſi ſublata, integrum relictum eſt Eccleſiæ, vt qui vellent vna ſpecie vti, ea vterentur.

ATQVI ex hoc quoque iugulant ſeſe aduerſarij, qui cùm dicant, in Eccleſia vſum vtriuſq; ſpeciei ſemper, ac præſertim paucos annos fuiſſe, iam fatentur ante tot ſecula, etiam vnius ſpeciei in Eccleſia Catholica vſum inualuiſſe.

ACCEDIT, quòd vt non minùs baptizatus eſt, qui vna merſione, quàm qui trina tingitur: ita non minùs accipit Chriſtum, qui ſub vna, quã ſub vtraque ſpecie ſumit.

QVIN verò ex hoc auctoritas à Chriſto Domino, in bonum Chriſtianorum Eccleſiæ tradita cernitur, quòd ſicut varijs de cauſis vnica merſione vſa eſt, id eſt, ad indicandam vnam in tribus perſonis eſſentiam; & trina, ad oſtendendum aduersùs hæreticos trinitatem perſonarum: ita primùm quidem Euchariſtiæ ſub vtraq; ſpecie miniſtratione, & calix idololatrarum gentilibus ademptus eſt, atque Manichæorum hæreſis retecta. At verò Huſsitæ, Lutherani, & eiuſmodi alij, erant vnius tantũ ſpeciei Euchariſtiæ porrectione manifeſtandi, & ſui erroris arguendi: quippè qui non propterea deſtituuntur vtraque ſpecie, quòd Eccleſia non cupiat ijs integrum Chriſtum tradere; ſed quod ipſi putant, ſe integrum Chriſtum haud ſumere, ſi ſub vna ſumpſerint; voluerint autem à Chriſto Laicis præceptum fuiſſe, vt ſub vtraq; communicetur: quod quidẽ nunquã præcepit.

ITAQVE quod in ijs eſt, conditiones tentant Spiritui ſancto & Eccleſiæ præſcribere, qui debent intellectum in obſequiũ fidei captiuantes obedire; cùm Eccleſiam Spiritus ſanctus (non Ioannes Huſs, aut Lutherus, vlliue ſimiles Apoſtatæ) regat in perpetuum. Id quòd ſi quis negauerit, iam verbum Chriſti expreſsiſsimum neget neceſſe eſt: ac proinde indignum ſe reddit, cui non ſolùm Euchariſtia, ſed alia quoq; Sacramenta negentur; vti re ipſa fit.

EX IIS, QVI DE VTRAQVE SPEcie, an danda ſit Laicis, ſcripſerunt, ſequentium auctorum libri perutiles hæc capita continent.

IOANNES Hofman Epiſcopus Miſnenſis, peculiari libro tempore Concilij Conſtantienſis, aduerſus Bohemos conſcripto, id ipſum pertractat, atq; hic Venetijs anno 1561. iterum editus eſt.

IOANNES ECKIVS, in ſuo Enchiridio breuiſsimè, ſed efficaciter id ipſum oſtendit, poſt ſanctum Martyrem IOANNEM ROFFENSEM.

IOANNES HESSELS, Theologus Louanienſis, poſt alios multos, in libro ſuo de vtraque ſpecie, aduerſus quendam conſultorem, qui ſe pacificatorem Eccleſiæ venditabat, quatuor capita pulchrè & perdoctè attingit.

Ex Scriptura omnibus locis, quæ aduerſarij ſolent citare, nullum extare præceptum de ſumendo à Laicis calice.

Ex Patribus, Eccleſiam veterem, nulla ratione ſenſiſſe, communionem vtriuſq; ſpeciei eſſe præceptam à Chriſto Laicis.

Nõ plus ſpiritualis fructus ex vtraq; Sacramẽti ſpecie ſumpta percipi, quã ex vna.

Non licere cuiquam Superiori illis annuere vſum calicis, qui eum ex errore petũt.

EDMVNDVS AVGERIVS, Theologus Societatis Ieſu, in libro ſuo de Sacramentis Gallicè conſcripto, & Pariſijs edito, agit de hac ipſa materia eruditè & rationibus efficacibus: Atq; ex Eccleſiæ Africanę, Orientalis, & Occidentalis praxi, eandem, quę alia methodo ab alijs Theologis tractantur, veritatem oſtendit.

CLAVDIVS SANCTES, Epiſcopus Ebroicenſis, in lib. 10. ſuarum repetitionum de Euchariſtia, fusè hac de re agit, cùm ibi multa, quæ item attigerat Ioannes Heſſels, penè ad verbum ex eo referat.

GVLIELMVS ALANVS, Anglus, inſignis Theologus lib. 1 de Sacramentis, ca. 2. & ſequentibus, hanc ipſam materiam (alia licet methodo) perdoctè & profundè pertractat: oſtendit enim:

Totum Chriſtum eſſe ſub vtraque ſpecie. I.

Totam rationem ſeu ſignificationem Sacramenti, ſub vna tantùm ſpecie eſſe. II.

Totam Sacramenti gratiam vna ſpecie acquiri. III.

Nec inſtitutionem, nec præceptum, nec exemplum Chriſti efficere, vt vtraque ſpecies cuilibet cõmunicanti ſit neceſſaria. IIII.

Pro vnius ſpeciei communione, exemplũ Chriſti & Apoſtolorum extare. V.

Praxim Eccleſię poſt Apoſtolorum tempora, pro indifferentia vtriuſq; vel vnius ſpeciei. VI.

Aſſeruationem in vnica ſpecie panis multò communiorẽ inueniri, quæ & ad ſanctiſsimi Sacramenti reuerentiam, ſemper eſt viſa commodior. VII.

Quæ ex decreto Gelaſij obijciuntur, dilucidè & planiſsimè declarantur. VIII.

Aſſertiones Theologicę, de communione ſanctiſsimę Euchariſtię ſub vna ſpecie, defenſę publicè Viennę, anno 1580. à Georgio Seckera de Pijſnicz Morauo. Ex his breuiter, & fœcundæ rationes, & loca D. verbi atq; Patrũ, impoſturæque Hęreticorum ac ſchiſmaticorum percipiuntur.

Henricus Blyſſemius Theologus ſocietatis Ieſu hanc nouiſsimè materiam perdiligenter ac doctè vniuerſam excuſsit.

ANTO-

ANTONII POSSEVINI, DE SOCIETATE IESV, EPISTOLA AD STEPHANVM PRIMVM, POLONIAE REGEM SERENISSIMVM; DE STATV *Eccleſiæ præſentis aduerſus quendam hæreticum.*

EPISTOLA AD SERENISSIMVM STEPHANVM PRIMVM POloniæ Regem.

QVo die, Sereniſsime Rex, ijs de rebus, de quibus ad te ſum miſſus, Regiam Maieſtatem tuã adij, eodem oblatus eſt mihi Volani cuiuſdam liber, eidem Maieſtati tuæ inſcriptus, & ſuperiore hoc ipſo Menſe proximo exeunte editus in lucem, aduersùs Petrum Scargã, & Franciſcum Turrianũ Societatis Noſtræ Theologos: Qui liber, cùm Proceribus iſtis obtrudatur, paſsimq; (licet clàm) inter alios quoque diſſeminetur, eà continet, quę victoriã, quam iuſtè ſperas de hoſtib' tuis, & pręclariores cęteros conatus tuos poſsint retardare, ne dicam impedire: Si nempè, qui tecum in bello iſto gladium ſtricturi ſunt, ea labe aſperſi, à veritate, & ſpe, quæ eſt in Chriſto Ieſu exercituũ Deo, animum auocarent. Itaq; à bonis admonitus, etſi ad alia mihi eſt properandum: ſtatui tamen hanc Maieſtati tuæ Epiſtolam relinquere. Neq; enim verentur itidem boni, quin pro ſapientia & perſpicaci illa mente, qua te diuina bonitas inſigniuit, vbi hęc legeris, proiectam hominis decepti audaciã interiùs agnoſcas, & mendaciorũ atq; ſeditionis ſemina, quæ ille ſpargit in ſimplex vulgus, quã primùm extinguas. Requirit autem Deus ipſe, qui Maieſtatem tuam ad iſtud faſtigium euexit, euecturus altius, ſi fidelem ei præſtiteris operam, vt verbis, & re declares, te omnino ab iſtis peſtibus, quę (vt inquit Sanctus Auguſtinus) Chriſtum aduerſus Chriſtum portant, abhorrere: eò verò magis, qd', qui talibus flagitijs patrociniũ optimi Regis aucupari conantur, ij tibi fallaci inſcriptionum prætextu notam hæreſeos Orthodoxo, & Catholico Regi ſenſim inurũt: qui niſi (quod cupimus) reſipiſcant, intelligere debent, vt autoritatem, ita voluntatem, & verè Regiam animi fortitudinem haud deeſſe, qua aduerſus iſtiuſmodi ora impudẽtia ſeuerè (ne interim alij cadant) animaduertas. Quod quidem ſanctiſsimi & fortiſsimi alij Reges ſummis etiam Reipub. ac bellorum perturbationibus impliciti, propter ipſius Chriſti Domini gloriam, felici exitu perfecère.

Quæ igitur Volanus, & alij ſcribunt, qui huic in ramentis libri illius ex Caluini, eiuſque farinæ Hęreticorum doctrina colligendis operam commodarunt, eiuſmodi ſunt, qualia fidei hoſtes ſolent dicaciter oblatrare aduersùs Pontificiam in terris à Chriſto Ieſu dignitatem inſtitutam; deinde ad myſtici corporis illius (quæ eſt Eccleſia) dilacerationem; ac denique ad ipſius Chriſti Domini corporis in Euchariſtia negationem, aliaque huiuſmodi à Catholicis ſexcenties propugnata, & ab omni Hęreticorũ impetu vindicata. Quãobrem ad ea prudentiſsimo Regi ſatis ſit dicere, Orientis, Occidentis, & Africę Eccleſiam, per ſexdecim pene integra ſecula nunquam in Pontificem Maximum Chriſti Vicariũ, nunquam in reliqua (vt iſti faciunt) eſſe loquutam: alioquin, Patrum antiquorum librum aliquem eo titulo inſcriptum, & eodem conſcriptum exemplo proferant, ſi poſsint. Cõtra verò, eſt inuictũ illud veritatis argumentum, iſtis heri enatis Satanę ſpiritum adeſſe, quod cùm neq; miracula, neq; ſolida doctrina, nec vitę probitas vlla fidem ijs conciliarint, tum vbi erũpere, ſtatim inter ſeſe diſſecti, iã centũ varias hęreſes excitârunt. Antiquitatis autẽ libros omnes diligentiſsimè ſuſtulerunt; Neque hoc contenti, ipſum Dei codicem, hoc eſt, ſacra Biblia; contrarijs inter ſeſe verſionibus deprauarunt; vt ſi Zuinglij, cũ Lutheri, hæc cum Caluini, horum cum reliquis hęreticis, aut ſcripta, aut verſiones contuleris, manifeſtiſſimè nõ ſpiritũ Dei, (qui eſt pacis nõ diſſenſionis Deus) ſed vertiginis, & eius de quo dictum eſt, Satanę ſpiritum deprehendas.

Ecquid autem, Sereniſſime Rex, de illo ſtatuas, qui ad tribunal tuũ vocato aduerſario, huius ad ſe bona pertinere clamitet, quòd ea de re apud ſe dicat, iuris ſui formulas, & reliqua eſſe omnia, ſeq; proinde maiorum ſuorum poſſeſsionem iuſtiſſimè repetere, legitimo poſſeſſore depulſo. Vbi verò iuſſeris, vt iſta integra proferat, illico quicquid ea de re ſcripti, quicquid ſigni ad Nota Lector.

 veri-

veritatis teſtificationem inuenerit, id aut igni tradat, aut mutatis notis, vel eraſis alijs, tantùm fragmenta vel fruſta proponat. Si quid denique ex his aduersùs ipſum faciat, id non ex legitimi iudicis ſententia, ſed ex ſui ipſius commento pronuntiandum eſſe contendat. Si Maieſtas tua diuerſum cum Senatu pronuntiet, contra hoc tandem armis ipſis, & tumultu excitato audaciſsimè irruat. Num tu iſti cauſſam adiudicaueris? Lutherus certè, vbi cum ſacra veſte pudorem abiecit, & proſtitutæ virginis antea Deo dicatæ concubitum, connubij nomine conatus eſt tegere, votis autem perfidè violatis, in Eccleſiam Dei debacchari cœpit. Tua Maieſtas ignorare non poteſt, quid de antiquiſsimorum & Apoſtolicorum virorum ſcriptis, quid de Concilijs omnibus Eccleſiæque decretis fecerit, cùm ea omnia publicè vel concremârit, vel flocci fecerit. At Caluinus, cùm ex tot Geneuenſibus Typographijs ſua, & aliorum aliquot Hæreticorum ſcripta innumerabilia manauerint, ecquê vnquam Apoſtolicæ teſtem Eccleſiæ prodire, curauit: vbi poſt Farellum, & Viretum in eius Epiſcopi & Subaudi Principis ciuitatem fraude vſurpatam irrepſit?

Vide hiſtoriam Fontani aduerſus mendacia Sleidani.

IAM verò cùm deceptus iſte Pontificē nominat Antichriſtum, deque illo ad iudicium Maieſtatis tuæ prouocat, non intelligit miſer, quantam irroget iniuriā Deo, quem in iſto ſpernit, infamiq; titulo (quod nemo vnquam Patrum antiquorū fecit) dedecorat. Nec verò itē intelligit infelix, quantū pœnarū daturus ſit, qui dentem aduersùs Deum acuit, & blaſphemias iſtas dignis pœnitētię fructibus haud deleuerit.

AC de Antichriſto quidem (ne alienos labores huc inferam) leget aliquādo Maieſtas tua, quæ Nicolaus Sanderus vitæ, ac doctrinæ laude excellens, 8. lib. de viſibili monarchia ſcripſit, cùm Proteſtantes & Caluiniſtas cæteroſque iſtos qui ex nobis exierunt, (ſed non erant ex noſtris) inuictis ex verbo Dei, ac totius Eccleſiæ conſenſu argumentis, euincat eos membra eſſe Antichriſti, viaſque ad huius aduētum ſternere planiſsimè demonſtret. Illud certiſsimum eſt, Pontificem Maximum neq; Antichriſtum habendum eſſe, neque vnquā habitum fuiſsè à quoquā, niſi à procaciſsimo aliquo Hæreticorum, qui ſicut latrones magiſtratum, ita hi poteſtatem diuinitus inſtitutam ferre non poſſunt. Quare nec Pontifex Antichriſtus eſt, ꝙ ad doctrinā fidei attinet, in qua cum vniuerſa cō ſentit Eccleſia: Neq; quòd ad Sacerdotalis ordinis gradum legitimè ac ritè ſuſceptū ſpectat. Nec quoniam Concilia omnia, diuinámq; inprimis ſcripturam, vnà cum veterum Patrū ſcriptis perpetuò tanquam depoſitum fideliſsimè aſſeruârit: Nec quia hæc identidem edita quoquo verſus diſſeminare curauerit (vt ſcilicet antiquæ ſemper Eccleſiæ facies, Euangelicęque veritatis ſplendor vbique cerneretur) Nec quoniam Chriſti Domini nomen & geſta, atque inter hęc infinitum illud meritum nobis ante oculos diligentiſsimè & aſsiduè poni curat, quod effuſo pretioſiſsimo ſanguine filius Dei, humano generi comparauit. Cùm enim hæc omnia nulla intermiſſione, Euangelicis autem quotidianis lectionibus & declarationibus, ceremonijs, ſignis, & imaginibus ipſarum rerum, iam inde ab Apoſtolorum tempore vſurpatis, feſtisque ſolemnioribus anniuerſarijs, in mentis aciem Chriſtianis (procurante prę ſenteque Pontifice) defigantur. An ille erit Antichriſtus qui Chriſtum toto corde adorandum proponit? Non inquam erit Antichriſtus, qui vt latiùs Chriſti nomen & fides propagetur, operarios ad vltimas quaſque orbis partes indies mittit; qui quidem pro ipſius Chriſti nomine ſubinde martyria non pauci ſubeunt. At neque certè, quod ſeruos & amicos Dei honore afficiendos, eorumque charitatem expetendam & fructuoſam eſſe, vnà cum antiquiſsima credat Eccleſia: nouit enim id ad æterni Regis gloriam redundare: eos verò (quod S. Hieronymus dixit) vt ſecuros de ſua, ita ſollicitos eſſe de noſtra ſalute.

Nicolaꝰ Sāderus quonā modo in li. inuictis argumentis euincat præſentis temporis hæreticos eſſe Antichriſtos.

Vide Canones Apoſtolorum conſti. itē Apoſtolicas à Clemente cōſcriptas, & quicq̃d S. Dionyſ. Areopagita.

S. Baſ. ad Amphilochium.

S. Aug. Ep. ad Ianuarium Epiſtol. 118. & 119. ad Probum

Cōcilia 4. prima generalia.

Et erat quidem, optime Rex, Babylon ipſa Roma & vt (inquit Tertull.) magna, & Regnorum ſuperba, & Sanctorum Dei debellatrix: quo tempore Sanctorum Martyrum ſanguis à Tyrannis fundebatur, treceutoſque integros prope annos Pontifices ipſi, vitam pro Chriſti nomine penè omnes profundebant. Sed vbi collum Euangelico iugo ſubdidit, quæuè erat diſcipula erroris, facta eſt magiſtra veritatis, tū ceſſauit eſſe Babylon. Idololatria verò omni extincta, ſuum ius palàm obtinuit à Chriſto Ieſu, Eccleſiæ principatui traditum, de quo aduersùs Donatiſtas Catholicam Eccleſiam, de terrarum orbe perijſſe mentientes, ſcriptum eſt à S. Auguſtino, ſuperbas inferorum portas non victuras Apoſtolicæ ac Romanæ Cathedræ petram eſſe ſucceſsionem.

Tertull. li. aduerſ. Iudæ. & 3. lib. aduer. Marcionem.

S. Augu. in Pſal. con. partem Donati.

Et verò ſi contra, ego eſſe hæreticos iſtos aſſeram Antichriſti membra, mendacem me, Rex, vtique non agnoueris. Quæ enim veteres de ijs Hiſtoriæ referant, tum ex ipſis fontibus (non ex Centurijs, neſcio quibus mendaciſsimis) hauſiſti. Et vides & ſentis, q̃ in Germania, Galliis, Anglia, Scotia, Belgio ab iſtis (ſi Deo placet) fidelibus Euangelij pręconibus patrata ſunt, & patrentur identidē. Antichriſti enim membra ſunt Rex, qui à nemine miſsi, currunt, qui ſanguinē innocentium populorū fuderunt, qui Deo dicatas virgines temerário auſu polluerunt, vel ne quod Euangelicæ atque Apoſtolicę puritatis veſtigiū extaret, è ſacris locis abegere; qui dānatas omnes antiquas hęreſes ab inferis excitarūt; qui tēpla inuaſere, in quibus omnia pietatis auitę ornamenta aurea & argentea libentius quàm lignea, ſancto ſcilicet illo idololatriæ (an Chriſti Domini memoriæ abolēdæ zelo?) diripuerūt; qui ſacrilegè direptis ſacris veſtibus, ipſas etiam quæ primam fidem irritam fecerunt, virgines, ad omnē inceſtum ornarunt, qui Regias (quę à Deo ſunt) Maieſtates, & poteſtates inſtructis rebelliū copijs euertere, ſi poſſent, Reges autem ipſos obtruncare nituntur; qui ſpirituale Chriſti Regnū, quod eſt Eccleſia, dominatibus tēporalibus ſubijciendum eſſe perſtrepūt. Quod quidem S. Athanaſius agnouit eſſe verā abominationem deſolationis, cū etiā iſto aſtu ineſcatis principibꝰ & reliquo magiſtratu, ipſi ſeſe tamen Apoſtatæ miniſtrique Hęreticorū, Regnis & Regibus præfici velint. At iſte vrget carnificinā procurari à Pontificè; hunc neminem docere, ac proinde non eſſe paſtorē. Idololatriam autē tuēri, & propagare, vix ter in anno miſſam facere; deniq; nihil, quod nō peſſimū ſit, agere. Itaque de te ingentia aduersùs iſtū (quē vocat Antichriſtū) ſperare ſe ſcribit; ſcilicet, vt à recuperandis, quas Moſcus inuaſit, Regni tui ciuitatibus, vt à frangenda infidelium, & hæreticorum ſuperbia iſtum equitatum & copias aduersùs ipſum Pontificem Maximum abducas, te in Eccleſia totius cauſſa iudicē ſtatuas, te denique Caluiniſmi, quem meritò tantopere odiſti, vindicem omnino declares.

Centuriæ Illyrici & aliorū Hæreticorum mendaciſſimæ.

Vides Rex, quæ tibi ab hæretico trôphæa proponuntur. Sed ſi iſtam primò carnificinam expendamus: ea deniq; eiuſmodi eſt, ac ſi Regni huius decreta conuellentes, tuaque iſta moderatione animi abutentes, ſeſeque ipſos aduerſus Rempublicam inſidioſè armantes, ſæpe verò patienter admonitos, nec denique reſipiſcentes, ac tamen ſeditioſiſsimos rumores in vulgus diſſipantes, iuſtiſsimo iudicio coerceres. Tu verò nō ignoras, quàm ſalutare fuerit ſemper, ſi quod Chriſtus vult ſeriò effici, id diligenter curetur, vt Hæretici ab ipſiꝰ ouili arceantur. Qua in re conficienda, patrocinium & opem incredibilem attulit dextera Dei præſtantiſſimis Imperatoribus Theodoſio, Valētiniano, Martiano, Carolo Magno, S. Ludouico Galliarum Regi, quorū conſilia & leges in ſummis rerum difficultatibus latas, vtinā omnes proceres ac Senatores tui perlegant, atq; ad earū amuſſim Rempub. iſtam in tanta re, quanta ſalus æterna eſt, adminiſtrent. Sed & noſti ab antiquiſſimis omnibus Synodis, Hæreticos anathemate plexos, atque vt putrida membra ab Eccleſiæ corpore reſectos. Scis autē verbo Chriſti pronuntiatos, vt Ethnicos et Publicanos, qui Eccleſiā non audierint, ac quo ardore beata illa Apoſtoli anima optabat, vt qui Chriſtianos varijs hęreſibus cōturbabant, ij abſcinderentur. Vides autē q̃ tot variarū hæreſum morſibꝰ diſcerpti huius Regni ſit ſtatus, cū vigēte Catholica Religione, & ſancto fœdere hæreticos ꝓcul amouente, inuictū eſſet, & omnibus bonis affluentiſſimū Montfortius Aquitanus, exiguus licet Princeps, quadraginta totos annos Catholicā Religionē aduerſus Albingenſes Sacramentarios hæreticos propugnauit: itaq; continuatæ ſpei non defuit Deus. Cùm .n. mille tātùm equites haberet armatos, quos confeſsionis, & Euchariſtię Sacramentis prius expiari curauerat, centum hoſtium millia fortiſsimè fudit, qui cū Aragoniæ Rege in ſubſidiū Toloſani Comitis aduenerant, viginti nēpe hoſtiū millia cęſa ſunt, Rexq; ipſe trucidatus, reliqui diſperſi & ſpoliati, aut capti. Deniq; Toloſanꝰ Comes nō ita multò poſt reſipuit, & ex Gallia monſtrorum diu ignara lues eâ teterrima expulſa eſt. Cùm autē Regnū illud mutilatum, morumq; corruptione, atq; hæreſum peſte lacerū eſſet, Rex ipſe Ludouicꝰ ſancta Montfortij cœpta proſequens, in ſplendorē priſtinum reſtituit. Sciebat enim ſibi, ſi iuſtè Regni diadema geſtare vellet, cauſsā Regis Regum eſſe ſuſcipiendam, cuiꝰ ope pluſq̃ copijs nixꝰ, quemq; ſępiſſimè orabat, ad ſanctiſsimarum legum obſeruationem Regnum illud reuocauit.

Vide S. Aug. Epiſt. 48. & 50. & l. 2. cōt. Lat. Petil. 184. et Hiſtoriā li. 2. c. 15. & Cod. de S. Trinitat. & fide Cat.

Alphonſus de iuſta Hęreticorum punitione. Item Ioan. Lelaus Belliolanus Theologus Louanienſis reſpōdens libello cuiuſdam hæretici hęreticorum punitionem eſſe iuſtā negantis.

Noſtro quoq; tempore, vix aliquandò iuſtis prælijs de Catholica religione diſceptatum eſt armis, quin hæretici ſemper fuerint ſuperati. Ac niſi Catholica manſuetudine retēti Principes ſanguinē odiſſent, ad internecionem fuiſſent deleti. Ita Heluetij Catholici pauciſsimi, magnas Hæreticorū copias Zuinglio interfecto fudere, ac Tigurinos æterno iureiurando (ꝙ extat adhuc) obſtrinxerunt, vt Catholicam religionem eſſe veram, faterentur: Se verò nunquam illaturos Catholicis pagis iniuriam in poſterum ſponderent. Centum ruſticorum millia in Germania, ac deinde alio bello Lutherani Principes aduerſus Carolum V. Cęſarem, ita repente oppreſſi ſunt, vt illa ex Carolo vox prodierit, veni, vidi, Chriſtus vicit. Caluiniani ad arma cōtra Carolū IX. Galliæ Regem quater exciti, & ꝑrſus ad vnū interfecti, aut magna clade accepta turpiſsimè diffugerūt. Quod ſi ij qui propter

hæreſim pœna mulctati ſunt, in vniuerſo orbe terrarum, hoſce cum Catholicorum numero contuleris; quos quidem hæretici ſine aliqua legum, Regumque autoritate trucidârunt: nullos fuiſſe eos planè iudicaueris. Et inter hos tamen, qui perfidiæ ſuæ pœnas haud indicta cauſſa dederunt, plures errorem agnouêre, ſupplicium autem publicè ſibi ſubeundum intellexerũt, quò audacia repreſſa, quas proximo aſperſerãt maculas faciliùs eluerent: vt iam ex Eccleſiæ gremio, in Chriſti ſinum exceptis, Lutherus, Caluinus, & reliqua fex inuideat, æternosque illos cruciatus cum eorũ tam fructuoſa, & momentanea pœna libenter cõmutarent ſi poſſent. Et ſanè vbi Clodoueo, ad fidem Chriſtianam conuerſo, Catholica cœpit in Gallijs religio latiùs patere: non ita multos (vndecim quamuis ſeculorum ſpatio) inuenies, de quibus ob hęreſim ſuppliciũ, (re diligẽtiſsimè prius examinata) ſit ſumptũ. At hoc ſeculo ſoli' vn decẽnij ſpatio, iuſtitio extorto, pruptisq; iudiciorũ & poteſtatis Regiæ tribunalib' quingenta minimũ hominum millia hęreticis omnia turbantibus in Gallia, Belgioque ſunt interfecta. Quot Sereniſsime Rex (quarũ ego rerum haud exiguam partem toto illo tempore in Gallijs vidi) quot inquam, virgines, quibus ab hæreticis vis eſt illata, mammillis deinde intra arcarum ſeras compreſsis, quòd Catholicam fidem nollent eiurare, miſerrima lentaq; morte perierunt? Quot innoxij religioſarum familiarum viri, & Sacerdotes, quoniam Euangelium Chriſti ſequuti, rebus ſeſe mũdi omnibus exuerunt, alij viui in terram defoſsi, alij abſtracta cute, clauisq; crania transfixi, alij ſibimet humum ad ſepulturam effodere coacti, diritatẽ Caluinianorũ experti ſunt? quoties ex Sacerdotum adhuc ſpirantium ventribus diſciſsis, atque inter ipſa gementium piorum viſcera iniecto hordeo, equis ipſis, inſolens pabulum horreſcentibus, cibus eſt propoſitus? cùm etiam ex aliorum Sacerdotũ naribus & auribꝰ abſciſsis, frena ſibi equites hęretici ornâſſent, alijs autẽ ingeſtus in ora tormentariꝰ puluis, atque ignis admotus, capita in minutiſsima fruſta diſcerperentur, & in aerẽ euolarẽt. Plures & nobiles quidem multi amicè ab Hęreticis conuiuio excepti, de turribus & montibus pòſt ipſa fercula ſtatim præcipites acti, mulierum adhuc prægnantium & viuentium vteri ſecti, earumque ob oculos palpitantium embrionum membra ſaxis illiſa, pueri vagientes in ignem iniecti: alij verubus appliciti, atque alligati, & ad ignem toſti cùm ſacris precationum Catholicarum paginis contortis, tanquam ſuillo abdomine infarti fuiſſent, furentem iſtam & famelicam hæreſeos rabiem exſaturârunt. Extãt horum multoque plurium facinorum, (quæ nõ ſine lachrymis memoria repeti poſſunt) hiſtorię, veritatem poſteritati conteſtaturæ: atq; ipſi adhuc parietes cruore fidelium hominum, & innoxiarum virginum cernuntur aſperſi. Quæ verò erant olim omnis pietatis Scholæ, noſodochia, cœnobia, ſepta ſeu ſacrarũ virginũ monaſteria, ægrotis & pauperibꝰ alendis pfugia, ea ne vni quidẽ Hęretico miniſtro cum ſua filiorum & mulierum turba capiendo vel alendo ſufficiunt: & in Senatus Pariſienſis regeſtis acta leguntur, quibus Poltrotus equorum diſcerptioni traditus pœnas dedit, quẽ Theodorus Beza verbis promiſsisq; pellectum, ad Illuſtriſsimi Ducis Frãciſci Guiſij proditionem, & cædem inflammauit: ipſi autem ſi loqui poſſent lapides, & arę ſacræ ad propitiandum Deum, ab ipſo pene Apoſtolorum tẽpore erectæ, horruiſſe ſe dicerent, cùm vel Caluinianorum ſtercore flagitijsque conſpurcatæ, vel antea Caluini iuſſu ad ſternendum ſupplicij locũ deportatæ, innoxiorum corpora ad necem excepere, inter hos autem militũ præfecto, ꝙ cędi alicuius ſibi propoſitæ, nec animum neq; manus applicare voluerat, Caluinus ipſa die naſcenti Chriſto ſacra, caput, in Geneuẽſi foro, ſuper ara ędis ſacræ, curauit amputari. Ita nouum litandi genus viderunt Geneuẽſes, & anniuerſarij illius dĩei ſublata eſt celebratio, quo ineuntis noſtrę ſalutis commemoratio ſemper eſt habita. Sed & ignota ſęuiſsimis barbaris feritate in mortuos ſæuitum eſt, nec Euangelicæ iſti Caluinianæ iactatę puritati, & videlicet charitati viſum eſt eſſe ſcelꝰ, ſi poſt fœdata & conculcata, quæ fuerunt à Dei filio inſtituta Sacramenta, ſi poſt ſanctorũ Virorũ reliquias aut incẽdio conſumptas, aut in Ararim, alioúe proiectas capitibus ipſorum Regum exhumatis ad ludibrium pro pila abuterentur. Et audet adhuc impurus homuncio Volanus carnificinæ Catholicos, & ipſum adeò Põtificem inſimulare coram Chriſtiano Rege, aut deceptis nobiliũ mentibus faces admouere, quibus tantum quoque in Lituania moliantur incendiũ; qui tamen ſi ſaperent, acerbosque nouę iſtius fidei fructus meditatiùs inſpicerent, priſtinã illã maiorũ ſuorũ (diſcuſſã hæreſum caligine) lucẽ vtiq; reciperẽt. Ac ſanè, ſi proceres tui, (ſicuti quondã huius Regni VVladislaus Iagello, Sigiſmũdusq; ipſi Reges poſt oblatũ ſibi Bohemiæ Regnum, quoniã hęreſibꝰ ſcatebat, ęterna cũ laude reſpuerunt) ipſi quoq; ſordes iſtas, quæ tantũ dedecꝰ & damnũ Polonico ac Lituanico nomini attulere, longiſsimè amo-

Li. vitarũ nouem Carolorũ Regum Franciæ, Liber de direptionibus templorũ ſcriptus à Claudio de Sainctes.

Alter liber Gallicè aduerſùs Hugonem D de Sãdonaci. Suriꝰ, & alij. Vide itẽ Sanderũ de viſibili Monarchia, vbi de martyribus Angliæ ſub Hẽrico octauo & alijs.

Cromerus in funebri oratione Sigiſmũdi I. & in hiſtoria ſua.

lirentur, ſancito ſanctiſsimo illo antiquo aduerſùs omnem impietatẽ fœdere, nunquam paucorũ transfugarũ, & Apoſtatarũ fœdos concubitus, atque latrocinia priuilegio nobilitatis tuerentur, aut tegerent.

Habes Rex de carnificina. Quòd ſi ex iſta hæresũ colluuie alias Chriſtiani ſanguinis effuſiones, & ſtrages aliquibꝰ cognoſcere libuerit, liquidius noſcent ex eo, quem tu libenter verſas, Oſorio Epiſcopo, qui eã de re, ac de Regni adminiſtratione Epiſtolã Reginæ, librosq; tres Haddoni Cancellario Angliæ facunda veritate perſcripſit.

Oſorius. Vide etiam Sanderum de ſchiſmate Anglico qui extat m. ſ.

ADDIT porrò deceptus doceri neminẽ à Pontifice, huiusq; generis alia ex alijs mẽdacia nectit, quæ niſi in hac Sarmatia, longiſsimè nempe ab vrbe, rudibus ac ſimplicibꝰ, quibus etiam debitores ſumꝰ, ita ſeriò obtruderẽtur, ne attingerẽ quidẽ. Ignorat autẽ cùm de ſummis rebus Põtifex, quique apud eũ ſunt cõſiliarij quotidie agãt, id maximè ad docẽdos populos attinere. Et otiabitur ſcilicet Pontifex, neq; ſuis ouibus pabulũ procurabit, cùm in cœtu Cardinalium ſingulis hebdomadibus agit, de Euangelio in Indias, interq; gentiles inferendo, de reuocandis ad auitam fidem ſeptentrionalibus, & orientalibus, de diuino cultu vbique reſtituendo ac propagando, de arcẽdis ab ouili Chriſti lupis; de mittendis ad omnes Reges, aut nuntijs, aut operarijs; De creãdis aut ſufficiendis in demortuorum locum Epiſcopis, deq; alijs ad reliqua officia Eccleſiæ promouendis; de Synodis cogendis, aut de coactis examinandis; de pijs in vrbe Roma, totáque Põtificia ditione operibus (de quibus aliquid dicã pòſt) conſeruandis & augendis; de componendis Catholicorũ diſsidijs, litibúsue dirimẽdis, quæ vndequaq; ad tribunal Romanũ referuntur; cùm denique Epiſcopos & Cardinales ac Reges, & ſingulos quoſque indefeſſo labore decrepitus licet, tum voce tum literis ad religionẽ, & pietatem Chriſtianam cohortatur.

QVID igitur ſi te, Rex optime, explicãdis Regni huius difficultatibus obnixè operam ſic dantem, vt neque ſomnum, neq; ipſum aliquando cibum capere poſsis, audeat aliquis otij ſocordięúe arguere? An nóvel ille rerũ imperitus, ac proinde temerarius: vel certè ſi hæc cogitare debuit, nec fecit, audacis impietatis plenus cenſeatur?

IAM de Sacro quod ter in anno duntaxat fieri à Pontifice dicit, ignorat infelix non publicè ſolùm diebus ſolennioribus, ſed ſingulis hebdomadibus priuatim, præſentibus ſuæ familiæ primarijs, à Pontifice Sacroſanctam illam Chriſti hoſtiam, pro vniuerſa Eccleſia Deo offerri. Ignorat item ſingulis diebus ab eo ſupplicationes haberi, hymnos autem & pſalmos ſepties in die, diuinaq; ex ſcriptura lectiones recitari, pręter aſsiduos illos gemitus, & ſuſpiria q̃ ad Deũ de credita Petro naui ad portũ appellenda, ſanctus nauclerus effundit.

QVIN ſi contra ſeductus iſte æqua lance perpẽderet, negotiorum & orationum tempora, quæ à Catholicis D. cultui adhibentur: quamúe iſti miniſtri ad deformandam Eccleſiam ſedulitatem adhibent, ſanè pectus tunderet, ac ſi quid pudoris haberet reliquum, veniam digno pœnitentię fructu deprecaretur. Quæ enim in Catholica Eccleſia à virginibus & Sacerdotibꝰ ad celebrandas diuinas laudes horæ impenduntur, iſtis Volani miniſtri bene poti, aut aliquam deniq; ad ferenda inter Chriſtianos diſsidia, concionem eructant, aut tunc in fœdiſsimo ſuarum voluptatum cœno volutantur.

AT vrget, quicquid Pontifex agit, id ad Idololatriã tuendã vel propagãdam pertinet, cùm tranſubſtantiationis nomine inuento, idolũ in terris ſtatuit, & creatas res adorandas proponit. Hîc ergo, Rex, animum quæſo mihi adhibe. In hoc enim cardo videtur eſſe præcipuus, in quo verſatur iſtorum fucatus zelus, quo Catholicã Chriſti Domini religionem ex animis omniũ euertendam ſibi eſſe perſuaſerunt. Primũ autem, hoc iterum quæro Synodine vllæ, aut Patres vnquam idololatrię, aut artolatriæ Pontificẽ, Eccleſiamúe Catholicã accuſarunt? Agnoſcit enim Volanus ſanctiſſimos (vt eius verbis vtar) & orthodoxos, ac magiſterio Spiritꝰ ſancti edoctos & vitæ ſanctimonia excellentes Auguſtinũ, Chryſoſtomũ, Ambroſiũ, Gregoriũ Naziãzenũ, & reliquos. At horũ ad Pontifices honorificentiſsimæ extãt Epiſtolæ, quibus & eorum dignitatem à Chriſto inſtitutam, & veriſsimi corporis Domini oblatione in altaris ſacrificio, ſinceriſsimè Deo cultum exhiberi, planiſsimè confitentur. Oſtẽdat igitur Volanus iſtam idololatriã, editis ipſorum integris libris, non autem detortis ad blaſphemiã ſuis terriculamentis, ſi poſſit: tum dicat cur ipſi Manichæi, & Pagani (S. Auguſtino teſte) Cereris & Bacchi adorationem Chriſtianis exprobrabant, niſi quòd à Dei Eccleſia videbãt Chriſtum in ſanctiſsimo Euchariſtiæ Sacramento adorari, idq; à Patribus conſtantiſsimè doceri. Adde, cur ſacroſanctũ hoc Euchariſtię ſacrificium, ex diuino & Apoſtolico verbo, S. Auguſtinus idololatrico gentilium, & vmbratili Iudæorũ opponit, & peracti in cruce ſacrificij memoriam (inquit) celebrari, ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti? Et verò nũ ipſos Manichæos arguens, nõ arguit item

Auguſt. li. 20. in Fauſt. c. 13. Chryſoſt. hõ. 24. in 1. ad Corint. & hõ. 81. ad populum Anti. Ambroſ. lib. 3. de Spirit. S. Aug. Pſal. 98. & lib. 20 cõt. Fau. c. 21. & Epiſt.

120.cap.17. Aug.Tom. 6.cōt. Fau. libro 28. cap.18. & Tomo. 5. de ciuitat.l 10.c.7.&ca. 20.To.6.li. 5.con. aduer.leg.& prophetarum.

Caluinianos, cùm ſequētia verba cōtra Fauſtū ſcribit? Manichæi (verò ait) neſcientes quid damnandū ſit in ſacrificijs gentium, & quid intelligendum in ſacrificijs Iudęorum, & quid tenendū, vel obſeruandum in Chriſtianorum ſacrificio, vanitatem ſuam offerunt diabolo, qui eos decipit, recedentes à fide, intendentes ſpiritibus ſeductoribus, & doctrinis dęmoniorum in hypocriſi mēdaciloquorum. Et hæc quidem beatus ille Vir. Sed vt diuini iſtius myſterij vim adhuc teſtatiorem faceret, quid illum Spiritu S. afflatum impulit, æternæ vt memoriæ conſignaret, quod 8.c.li.20. de ciuitate Dei aſſeruit, ſacrificij nempe corporis Chriſti oblatione ab vno è ſuis Sacerdotibus facta, dæmones qui multam cladem attulerant, loco abactos fuiſſe, protinusq́; calamitatem ipſam ceſſaſſe. Cur item matris ſuæ teſtimonium, ac memoriā ſui ad altare fieri deſiderantis recitat? cui nullius (inquit) diei prætermiſsione ſeruierat, vnde ſciret diſpenſari victimā ſanctam, qua deletū eſt chyrographū totius mundi, quod contrarium nobis erat? Si iſthæc erat idololatria, quid eā aut tanto exēplo muniuiſſet vir ſanctus aut tot ſecula permiſiſſet De⁹, acerrimus alioquin tāti criminis vindex? Iā Chryſoſtomi libros ſex de Sacerdotio, & tum ipſius, tum S. Baſilij illius ęqualis liturgię, vnà cū D. Ambroſij miſſa, ordoq́; ipſe tanti ſacrificij obſeruatus ab Apoſtolis, non ſolum Dionyſio, & Clemente, verū etiam S. Auguſtino, teſtib⁹ euincūt: tantū abeſſe, vt quoniā illa in vniuerſo Chriſtiano orbe celebratur idololatriæ nota ſit inurenda Pōtifici, nihil vt ex hoc ab eo ardentius, quā ipſiſſimum Dei cultum procurari intelligatur. Et in Africa quidē, aut in Aſia, nō ipſe erat Pontifex, tū cùm ſacroſanctum miſſę ſacrificiū in ijs longinquis regionibus ſacra frequētabat Eccleſia. Quis igitur hanc quā decept⁹ iſte voce blaſphema vocat idololatriā, eò primus inuexit? edant hæretici originē ſi poſsint, ac cùm originē nō inuenerint, prouocēt ad antiquiſsima illa Apoſtolicorū virorū ſecula, indeq́; integros illorū libros (quòd ſępe dicēdū eſt) promāt, & ex ſcripturis nomina (ſi Deo placet) & ꝓphetias de Luthero, Caluino & eiuſmodi nudū ꝓ vero Chriſto panē ſupponētibus, tanq̃ futuris Eccleſiæ inſtauratorib⁹ eruāt.

Auguſt.li. Cōfeſſ.9.c. 13.

Terull. de præſcript. aduerſus hæreſes. Optat⁹ Mileuitanus. Lyrinēſis.

Cæterum quis tot ante ſecula Græcos ad idem vbiq; celebrādum myſteriū, Chriſtumq́; in Euchariſtia adorādum adduxit? niſi quod Apoſtolica traditione edocti, & ipſi, & Aethiopes, alijq́; in toto oriēte Chriſtianæ fidei aut nomen, aut fidem adhuc retinent, cùm hoc vbique pręſtiterint, falſiſſimæ calumnię arguunt impoſtores hęreticos: Trecentos verò totos annos naſcens Eccleſia, martyresq́; plurimos Pontifices habens, cùm neque ad luxum diuitias quæſijſſe, nec ad quæſtum ſacra feciſſe poſsit, niſi impiè argui, anne miſſæ ſacrificium vnquam vel inter compedes, & inter ſepulchra martyrū, vel in cryptis omiſit? Quis autem Pontifices illos tam fortes Chriſti athletas ſpiritus animabat ad hūc cultum vſque ad mortem retinendum, niſi is ipſe Chriſti Domini ſpiritus, pro quo eadem in fide omnes, ſicut pro eiuſdem nominis gloria ſanguinem effundebant? Et ſanè in vniuerſo orbe (Romę item) dœmonum & idolorum inſinuato olim antiquiſſimo cultu Satanæ regnū ſtabat incolume, cùm ijdem ipſi Pontifices & martyres, qui ſacroſanctū miſſę ſacrificiū quotidie offerebant, oracula Deorū muta reddidere, & idola, cęteraque illa portenta, aras itē ſylueſtres deiecēre: quamobrē Gręci, potentiſſimum ac terribiliſſimum hoc ſacrificiū vocârunt.

Sed recentiora, & ipſa quidem in hac Lituania, Sarmatiaque tota paucis recenſeamus. Colebant pro Dijs Poloni, & cæterę Slauici nominis gentes Iouem, Martem, Plutonem, Cererem, Venerem, Dianam, quos Ieſſam, Ladum, Niam, Marzanam, Ziziliam, Zieuanam vocabant: his ſacra & aras dicârat antiquitas, vt difficillimum eſſet, eos ab idololatriæ tam inueterata conſuetudine abducere. Vxores ſeptem barbarico more duxerat Miecislaus, is qui denique abdicatis illis Dambrouucam Boleslai primi Bohemorum Regis filiam duxit. Iam verò proauorum noſtrorum ætate, eodem adhuc morbo Lituania laborabat, ſic, vt ignem pro Deo coleret, eum perpetuò ſeruans, & Percuno, id eſt, fulmini, diuinum tribuebat honorem: Si verò arbores dæmonibus dicatas ferro aliquo violâſſent, hi dæmonum vi interibant; ſerpentibus autem & viperis, lacte libato, gallinaceis item gallis immolatis, eos vt Deos colebant: Hæc autem omnia exterminata ſunt, cùm antiſtites ipſi à Pōtifice Romano delecti, Catholicam religionem cum Euangelio inuexerunt. Miecislaum verò, ac deinde longo poſt tempore Iagellonem, baptiſmate initiarunt. Iā noui orbis, ingentisq́; illius terrarum tractus, ad occaſum, nouę Hiſpanię, atq; Americę, qui ipſam pene Europā ęquant magnitudine: deinde ad meridiem Braſilię: reliquarū deniq; ad Orientē remotiſſimarum Indiarū cōuerſionem, ad Chriſtū indies fieri nemo non ignorat, qui noſtro adhuc tēpore idola multa colebant, atq; homines dæmonib⁹ immolabant, & viuos ad eſcā trucidabant, cū vxores ſeſe maritis demortuis in accenſum rogum inijcerent. Si quis igitur neſcit à ſummo Pōtifice, ad eas omnes prouincias

Anno à Chriſto nāto 900.

Vide Cromerū & Dūgloſſum.

Oſorius, Surius Epiſt. Indicæ. Canibales in Braſilia.

auo-

auocandas ab ijs erroribus miſſos, & ſingulis annis operarios mitti, qui diuinę miſericordiæ cooperantur, is ne viuum quidem ſe audeat dicere. Quin ergo Caluiniani iſti tam inſigne bene gerendæ Euangelicæ rei ſtudium non ſunt amplexi? cùm præſertim plures, religioſarum, & catholicarū familiarum viri, patria, parentibus, mundo relictis, eò intrepidè traijciant, non pauci verò ſanguinem pro Chriſti nomine fundāt, miracula virtute Chriſti edant, Regna ipſa cum Regibus ad fidē diuina ope conuertant. An verò cùm hoc ita ſit & Catholici eò ſeſe conferant, vt ad nos ampliùs non redeant, id ſcilicet faciunt, vt ſacerdotia dignitatesq́ue Romanas conſequantur, quod deceptus iſte blaſphemando mentitur? Quin inquam Caluiniani, tā infenſi idololatriæ hoſtes, non ſeſe illuc inferunt, vbi prodant fidem illā ſuā, & ſpiritum Euangelicum de quo tantopere apud ſtupidos ſibi gratulātur?

Sapientiæ itaque Maieſtatis tuæ iudiciū eſto Rex, quinam Chriſti nomini propagādo, Euangelioq́; & veriſſimo cultui paſſim inferendo veriorem operā nauent. Catholici enim, quo tempore traditam ab Apoſtolis Religionem hæretici ſpreuerunt, ad gentes ſeſe conuerterunt: Inter eas Spiritu ſancto quicquid reliquū futurum eſt, myſtici corporis viuificante, diuinum verbum per vniuerſum illum orbem à Catholicis dūtaxat annūciatur. Hi ſoli deſtruētes idola, trophæum vbiq; crucis erigunt, efferasq́; illas nationes ad omnem ſanitatem in obſequium Chriſti redigunt.

At dum hæc fiunt, hęretici non Ethnicorum delubra, ſed tēpla Chriſtianorū euertunt: nec gentium auferunt idola, ſed Chriſti ipſius imagines delent: nec barbaricæ impietatis ſuperſtitionem, ſed Catholicæ Eccleſiæ ritus Apoſtolicos tollunt: atq; vt ſynceri Euangelij memoriam ſenſim obliuio deleat, ipſas potius veteris, quā noui Teſtamenti figuras, & hiſtorias proponi patiuntur; liberis autē, ſuis iam ne Apoſtolorū quidem nomina volunt imponi. Cū autē Chriſti reiecerunt imaginem, Caluini tamen, Melanchtonis, Lutheri, & reliquæ illi⁹ diabolicę ſordis imagines proponūt, ac de collo pendentes ferunt. Interea verò ne pedem quidem extra domeſticam, & muliebrem illam turbā efferunt, niſi ſpoliandi alicuius templi, aut diripiendarum ciuitatum non incerta ſpes affulſerit.

Verùm (inquiunt) & nos Oceanum pręternauigamus, curſumq́ue non ſemel verſus Indias direximus. Scimus, nec facinora iſtorum egregia Hiſpanos & Luſitanos latēt. Hi enim aduerſus piratas Caluinianos, qui ex Anglia, & Rupella excurrunt, claſſem emittere coguntur, quo tranſmittentes maria, Catholici ad oras illas ſalui poſſint appellere. Sed ſi hos qui auri Indici, non animarum Chriſto lucrandarum ſpe illecti, ad id auferendum nauigant, cum Catholicis illis, operarijs conferas, horum certè Chriſtianum, hæreticorum autem Piraticum Euangelium dixeris. Scimus autem Richerium vbi è ſacro Carmelitarum ordine, in Caluini caſtra conuolauit, ementito habitu cum Villagagnone equite Rhodio Catholico in Galliam Antarcticam ſemel traieciſſe, ſed ſuis denique fraudibus ab ipſo Villagagnone detectis, re infecta Geneuam redijſſe. Vix enim (quòd animaduerſione digniſſimum eſt) reperias vnquam, vt vbi antea fidei Chriſtianæ, à Catholicis iacta non ſint fundamenta, eò Chriſti nomen ab hæreticis, aut alijs infidelibus potuerit importari. Extant Villagagnonis perſpicaci ingenio viri, aduerſus Caluinianos ea de re, ac de tranſſubſtantiatione eleganter & eruditè conſcripti libri. Scimus denique paucos antè annos duabus nauigationibus ab iſtis Euāgelicis piratis, medio in Oceano, ſexaginta noſtræ Societatis Ieſu ſocios, vario mortis genere interfectos, qui in Braſiliam ad Euāgelium prædicandum, idololatriamq́; exterminandā tranſmittebantur. In ea enim ad meridiem India, vti in reliquis Indijs collegia, domosq́; Societas habet, in quibus Canibales etiam ipſos continēti labore, ad omnem pietatem excolunt.

Agnoſcis hinc Sereniſsime Rex, è fructib⁹ vel potius ex ſpinis fœcundā iſtā hęresū ſyluā. Quamobrē nemini cordato verēdū eſt ampliùs, quin miſerrimā hui⁹ Regni faciem velit conſtituere, qui Chriſti Domini præſentiam nobis adimat, illud autē ita certò loco affigat, vt inde ſe dimouere nō poſsit: q̄ & tu indignū diuina p̄ſentia, miſerūq́; adeò à Caluinianis effici Chriſtū, dixiſti ſuperiore anno, cū Leopoli publica in ſupplicatione ſummo æſtu, nudato capite, circumlatā Euchariſtiam ſequereris, & ad Regiam tuam reuertereris. Sed & pleniſsimum eſt fraude, quod ſimiolus iſte Caluini aſtum imitatus, de reali Chriſti corporis præſentia librum ſuum inſcribit, ac deinceps verè & re ipſa exhiberi in Sacramento cœnę, ſubiungit. At, vbi, qualis iſta exhibitio ſit quæritur, iam Chriſtum à nobis tantùm diſtare, quantum diſtat à cęlo terra, iam nihil, aut pene nonnihil in tanto myſterio; opere autem fidei duntaxat exhiberi, Chriſtum audacter pronuntiat. Et ſanè in Caluiniano panè non reperiri Chriſtum non negamus; At in Euchariſtia veracem Chriſtum agnoſcimus, verbi Dei virtuti, non noſtrę fidei tam admirabile factum tribuimus, atque vt antidoti vim in

Dictum Sereniſſimi Regis Poloniæ aduerſ. hæreticos.

Volanus ſimiol⁹ Geneuæ lactatus quid tandē euomat.

 ipſo

ipſo antidoto, non in languentis deſiderijs
ſitam: ita in tanto myſterio ipſum Domi-
ni reale corpus, nō in decepti hominis phā-
taſmate à Deo ipſo edocti cōſtituimus. Et
cum Apoſtolo conſtāter dicere (licet vita ꝓ
fundēda ſit) poſſum⁹, ſcimus cui credim⁹.

Si verò Maieſtas tua quęſierit, cur ita trā-
ſubſtantiationem in hoc myſterio oderit
hæreticus, reſpondet, vocem illam in Euan
gelio non reperiri: ſi vrgeas, nec vocem i-
tem eſſe Trinitatis, cùm ſatis ſit, eſſe rem
ipſam alijs verbis idem ſignificantibus ex-
preſſam: tum, vel quo nitebatur, Achilles
concidit, vel viam ſternit, ad ipſam quoq;
Trinitatis vocem pernegandam, quam qui
dem ſibi diſplicere, auſus eſt ore blaſphe-
mo Caluinus, aliquando proferre. Qui vè
rò tranſubſtantiationem negaſſet, author
tamē fuit neſcio cui⁹ canaliſmi, cùm ꝑ car-
nem velut per canalem, aut ſyphonem vi-
tam, quæ in Deo Patre reſidet, in ſuōs dif-
fundi affirmaret: Itaq; & carni Chriſti viui
ficationis titulum tribuit, & diuinum ſpi-
ritum per ipſam manducatum nos accipe-
re confeſſus eſt. Sed ſubdolus, vbi aliquid
commentus ad Valentinum hæreticum ac
cederet, Mariā Chriſti canalem eſſe ſomni-
antem, tandem negatione Chriſti in Eucha
riſtia lectores eludit.

Caluin⁹ in c. Ioan. & inſtit.

Ergo, Rex, Catholici & verè fideles ſunt,
qui non Caluino damnato, ſed Chriſto
clarificato credunt. Hic enim verba vitę ę-
ternæ habet, hic mentem ſuam diſertis, at-
que ijſdem verbis per ſuos Euangeliſtas ex
poſuit: qui & hiſtoricè loquebantur, cùm
& Dominus teſtamentum conderet, à quo
abeſſe debent omnes tricæ, occaſioneſque
errorū: & teſtamēti veteris figuras, non ina
nibus vmbris impleret, atq; etiam ſciret ex
tituras hac de re maximas ab hęreticis lites,
ſenſu carnis ſuæ omnia metientibus; quas
quidem lites ille dirimere ſapientiſſimus
legislator, & iudex cùm volebat, & poterat
tum dixit & fecit. Sciebat (inquam) fu-
turos, qui negaturi eſſent modò conſub-
ſtantialitatem, quia vox hæc in ſcriptu-
ris haud eſſet; modò duas Chriſti vna in
hypoſtaſi naturas; modò humanitatem;
modò realem in Sacramento pręſentiam,
atque ſubſtantiam ſeu tranſelementationē
(vti Theophilactus) aut immutationē (ſic-
ut Chryſoſtomus) vel (vti cæteri Patres) cō
uerſionē, aut carnem (vti Diuus Cypria-
nus) Omnipotentia verbi Dei factam, ſeu
tranſubſtantiationem, quemadmodum v-
niuerſus Chriſtianus orbis, ad euellendam
radicitus iſtam hæreſim nominārunt. Ita-
que cùm Catholici nitantur eo Chriſti ęter
næ Patris ſapientiæ verbo: Hoc eſt corpus
meū, intelligunt eos qui id negant, diuinā
quoq; omnipotentiam & incarnationem
filij Dei deinceps negaturos. Ita vocem hāc
diuinæ omnipotentię in conuentu Poiſia-
co omiſſam à Theodoro Beza in fidei ſuæ
confeſsione, Theologi Pariſienſes animad
uertentes perfidum Apoſtatæ Symbolū ex
ploſere. Præter autem illa, quę inter illos
Caluinianorū duces diſſidia fuerunt, Mar-
loratū olim Auguſtiniani ordinis, ſed po-
ſtea laqueo ſuſpenſum ob Rothomagēſem
proditionem, Petrum martyrem Canoni-
cum quondam regularem, ſed deinde ad
Zuinglianos deficientem, Bezam (vt mit-
tam modò pugnantem cum illis, Luthera-
nam panis & Chriſti in Sacramento, Chri-
ſti conſubſtantiationem) alij illi Caluini,
Bezæque Atheiſmi eruperunt. Et iſtas au-
tem impietates haud mirum eſt, ſi tot de-
nique ſuperſtitiones, & magicæ impoſturę
ſint inter hæreticos conſecutæ, facili vt ne-
gotio deprehenderetur, inter quos Satanas
regnet.

Geneuæ quidem lamiarum turba, non
ita pridem fuit tanta, vt ipſi miniſtri, ni-
ſi fœdere cum dæmonibus icto, horum ſi-
bi ſtudium conciliāſſent, iam citiùs quàm
denique fiet, ſeſe deturbatum iri, ad teter-
rimas illas tenebras, præſenſiſſent. Sed au-
di Rex, id de quo Deus ſcit, quia non men-
tior; Cùm Geneuam ex Galliæ prouincia
Maſsilienſi abducta ab hæreticis fuiſſet
adoleſcentula, Miſſam deteſtari eſt iuſſa,
quæ dęmone deinde ſuggerēte, ipsum etiā
Deū apertius conceptis verbis, traditaque
dæmoni ſchedula pernegauit: Ex eo tem-
pore cum incubis rem habere, & facinora
quæque committere, ac publicè teſtari cœ
pit (vbi in eandem Prouinciam redijt) ne-
minem à ſe, prężter Satanam agnoſci aut co
li dicebat. Itaque ne ipſius quidem Dei no-
men pronuntiare voluit coram ſenatori-
bus ijs, qui fortè adhuc Auenione ſuperſti-
tes ſunt, quiq; cùm apud ſeſe iudiciū de illā
haberent, totius rei ſeriem in acta publica
retulerunt: Tandem exorato Deo reſipuit,
& cùm quadraginta dies ad ſuppliciū, quo
fuerat mulctata, ſe pararet, mirata eſt diui-
nam erga ſe clementiam, quam lachrymis
ante iudicum ſubſellia extollens, Sacra-
mentis expiata, ad locum ſupplicij acceſ-
ſit. Quid Deus optime (cùm & ipſe adeſ-
ſem) retulit de Hęreticorum fallaciſſimis
fraudibus, mulier moritura & mortem (vt
diuinæ iuſtitię Chriſto miſerante ſatisfa-
ceret) non detrectans, cùm tamen haud dif
ficile ex cuſtodia potuiſſet aufugere.

Lamiæ & ſuperſtitiones inter hęreticos.

Sed & propria habem⁹. Volanus iſte, qui
tuę Maieſtati librum inſcripſit, pecuniā an-
te paucos dies perdidit, famuli culpa id ac
cidiſſe ſuſpicatus, Cracouienſem iſtum ha
riolum Vilnæ commorantem, alios itē ſci
ſcitatur, quanam ratione poſſet argentum
reperi-

Nota Volani egregiū facinus.

reperire; reſponſum accepit, chartam
in caſei fruſtum imponat, adſcriptis qui-
buſdam diabolicis verbis: ſic diuiſi in fru-
ſta caſei, & data famulis de quibus dubita
bat, portione, eum qui hunc deglutire non
poſſet, pecuniam eſſe furatum. Conſiliū er
go Volanus iſte tantus Euangelicus, ab om
ni ſcilicet ſuperſtitione, & idololatria ab-
horrens, arripuit, idq́; in rem conferenti ſu
us adfuit Satanas, qui deluſo homine famu
li fauces impedire videbatur, quominus ca
ſeum deglutiret, tum Volanus miſellum
in vincula conijci curauit, præclarumq́; i-
ſtud ſuæ in diabolum fidei ſpecimen ante
octiduum ita amicis retulit, vt iam illuſtri
bus iſtis Proceribus tuis, ac magiſtratui eo
ipſo referente innotuerit.

Reſponſio Catholicorū qui ꝓpē Geneuam ſedes ſuas habent, cur Caluinianā doctrinam nunquā admiſerint.

Talia ergo & ipſi proximi Geneuēſibus
pagi atque oppidani, ad Sabaudum Prin-
cipem ſpectantes cognouerunt: qui quoni-
am ſemper in Catholica fide perſtabant, à
viro prudente ſunt interrogati, cur nouū
illud Euangelium, Catholico abiecto non
dum admiſiſſent, cùm præſertim ad eam
rē ſedulò & ſępè fuiſſent inuitati, ac verò
longinquæ tot regiones eo contagio auidè
inficerentur. Ad ea reſponderunt; minimè
quidem hoc eſſe mirandum; longius enim
Caluinianorum verba, libelloſque plenos
fuci & mendaciorum, quàm ſcelerū hiſto-
rias inde exportari. At nos (inquiunt) qui
ſingulis hebdomadis, Geneuam ad forum
nundinaſve conuenimus, qui Regnum il-
lud Diabolicæ confuſionis plenum etiam
ex ipſa oculorū inuerſa acie cernimus. Vi-
demus autem hinc inde ad eum aſylum tā-
tummodo trāsfugas, apoſtatas, exules, quo
tidie accurrentes, nunquam patiemur nos
deduci de recta religione, quam plenam pa
cis, & fidei erga Deū & principes fuiſſe, ma-
ximo noſtro bono experimur: quæ niſi eſ-
ſent omnia, certè is qui olim Catholicæ
ac modò eiectis antiquis ciuibus hæreticæ
Geneuę eſt ſtatus, in hac nos ſententia ma
gnopere confirmaret. Quamobrem in fi-
de ſtant, & præfecturæ iam aliquę finiti-
mæ ſenſim ad fidem Catholicam re-
deunt.

Miniſtri Caluiniani cum Turca colloquiū & Caluinianę cū Mahometana ſecta collatio

Dignum autem illud eſt, quod tibi, Se
reniſsime Rex, Hungaro narretur, quod
in Hungaria paucos ante annos accidit Cal
uiniano cuidam miniſtro, qui cùm pręfe-
ctum Turcarum vrgeret, vt ſectam ipſe ſu
am captiuis Chriſtianis, ſine periculo poſ-
ſet exponere, afferebat, hęreticorum, id eſt,
ſuum Euangelium Corano, ſiue Mahome
tis legi non adeò eſſe diſſimile: Sancto-
rum enim, aiebat, virorum qui ſunt in
cœlis, preces, purgatorium item, & alia (vti
vos Mahometani facitis) nos quoque Cal-
uiniani negamus. Antiquas bibliothecas
& Synodorum memoriam, vti vos feciſtis,
ipſi etiam ſuſtulimus. Quòd edixit Maho-
metes, ne quis aduersùs ſuam legē diſputa-
ret, eam verò iureiurando obſtrictus fate-
retur, id nos item Geneuę cauemus. Nā vel
ex pueris nouam fidei noſtræ confeſsionē à
nobis tātum editam, extorquemus, & hos,
quamuis quod recitant non intelligant, ad
præſtandum tamen iuſiurandum cogi-
mus. Plures aliquādo vos Mahometani vx-
ores aut cōcubinas ducitis: Et nos Calui-
niani mulierē ſuperſtite licet marito, poſſe
ſeiungi, & cum alio viro coniungi (alterā
licet hic habeat vxorem) non ita ingens fa
cinus arbitramur. Sacraria templaque in
Synagogas ſiue Moſcheas mutāſtis, aut de-
ſtruxiſtis. Nos quoque ſacrarijs direptis ea-
dem vel in noſtra conſiſtoria, vel in equo-
rū ſtabula, vel armamentaria cōuertimus,
vel denique ſolo æquauimus. Scripta de
virginitate, deque alijs eiuſmodi Apoſtoli
cæ Eccleſiæ veſtigijs non agnoſcitis. Nec
verò qui virginitatem voueant habetis.
Nos item Caluiniani nihil vnquam pro
virginitate cæteriſque hu[illegible]modi rebus
in lucem edidimus, quin v[illegible]ò & cœnobia
virginum antiquiſſima eraſimus: conſci-
entiæ libertatem, vnicuique in veſtris ci-
uitatibus permittitis, hanc nos quoque, &
à Regib⁹, & à Rebuſpublicis vel armata ma
nu exigimus, niſi quòd in noſtris locis ne-
mini eandem libertatem concedimus, ac
ne Catholicum quidem librum retineri
libenter ſinimus. Ad hęc Turcarum præfe-
ctus quem Baſſam vocant. Quin, ait, iam
vos Caluinianos, & nos eoſdem breui futu
ros video, niſi quòd relicto nobis aquæ po
tu, vos tamen vinum omnino retinere, eo-
que inebriari voletis.

Verùm his omiſſis ad vrbem Romam,
quam Volanus omniū ſcelerum officinam
vocat, veniamus. Et primùm de Pontifice
ipſo, ætas, rerum vſus, frugalitas, in paupe-
res autem effuſa liberalitas, doctrina,
ſolicitudo omnium Eccleſiarum & reliqua
q̄ ſupra de illo attigi, hominē mendacij et
calumniæ poſſent conuincere, niſi faſcina
tus oculus ad lumen magis cœcutiret.

De Romana verò officina, age, aliquid
expendamus: Si primū iſtud ſtatuemus, ex
legitima ipſarum legum promulgatione,
non ex aliquorum vitijs veritatem illa-
rum eſſe perpendendam; alioquin nec inſti
tutam à Chriſto familiam, in cuius ali-
quem (vt ſanctus inquit Auguſtinus) ſce-
lus peruaſit, nec Apoſtolicam Diaconorū
ordinationem, ex quibus Nicolaus ceci-
dit, neque omnino Eccleſiam vnquam
Regeſve vllos (licet præſtantiſſimos) à ca
lumnia vindicaueris. Et legib⁹ quidē Eccle
ſiæ, quæ ad mores attinēt, cū antiquis veri-
tas,

tas, recentibus autem falſitas, ab iſtis aſcribatur, tu optime Rex, qui ſanctam Tridentinam Synodum integram ante bienniũ perlegiſti, cognoſcis, quàm impudenti mẽdacio hæretici Romanam Eccleſiam onerant.

Catechiſmus Roman⁹ elegantiſſima & illuſtriſſima veritate conſcriptus.

Iam de doctrina fidei ſatis dictum eſt, quam item ex ipſa eadem Synodo, & Catechiſmo Romano, quem libenter verſas, ſolidiſſimam eſſe intelligis. Hic autem liber ſi à proceribus iſtis abiecta ramentorũ iſtorum & hæreſum ſorde, attentiùs legeretur: nihil ipſi in eo aut illuſtriſſimæ veritatis, aut elegãtiſſimi ſtyli deſiderarent. Sin verò q̃ Romę pietatis opera eduntur, addũcimus in mediũ, non deerit in quo tanquã in ſpeculo vberrimum pietatis exemplum eluceat. Plurima enim in ipſa vrbe templa ędesve ſacræ numerantur, in quibus, vbi olim dæmonibus, & turbæ illi falſorum Deorum litabatur, iam per tot ſecula pſalmi, preces, & Sacra Deo Optimo Maximo offeruntur. Plures ibi ſunt Virginum, & hominum familiæ religioſæ, quę cùm Patrem, Matrem, Fratres, Sorores, mundũ atque adeò animas ſuas, Euangelium Chriſti ſecutę, reliquerint, certant bonum certãmen, expreſſumque in ſeipſis antiquiſſimę veſtigium Eccleſiæ ſeruant, vbiq; quotidie verbum Dei explicant, & ad ipſius normam animas exercent. Sodalitates autem plurimas videres, quarum hę cuſtodiarum publicarum inuiſendarum, & è manibus infideliũ redimendorum captiuorum, alię ſepeliendorum pauperum mortuorũ, illæ Virginum legitimis thoris iungendarũ, aut orphanorum alendorũ, vel pauperibus erubeſcentibus ſubſidij ferendi, aut deniq; reliqua charitatis officia præſtãdi curã gerunt. Vna inter alias ſanctiſsimæ Trinitatis nomini dicata, multorum nobiliũ ſodalitas eſt, quę vnã centum & viginti peregrinorum millia, ad pia vrbis loca, ex vniuerſo orbe Chriſtiano confluẽtium, ante quadriẽnium ipſo vno anno excepit, aluit, viatico denique iuuit. Illuſtriſsimi Principes, & Reuerendiſsimi Cardinales, pauperũ pedes lauare, & inungere, atq; his publicè ac priuatim ad multam noctem cibum ferre, & inſeruire non erubuerunt. Iam in ſancti Spiritus, quod dicitur noſodochio, & in eis, quę Beatiſſimæ Virginis, ſanctorũ Ioannis, Iacobi, & alię vocantur hoſpitales domus, cęterisq; pijs in locis, ſi dixerim ſupra Centum aureorum millium numerũ, in pauperes ęgrotos ſingulis annis impendi, fortaſſe non mentiar. Domicilia verò excipiendis, quæ ad caſtitatem reſipiſcũt, meretricibus, & ijs quibus ob parentũ improbitatem aut penuriam, vel externorũ vitam impuram, periculum aliquod imminet, nec deſunt, & hę Pontificis Cardinalium, & aliorum piorum hominũ eleemoſynis ſuſtentantur. Tu autẽ Rex non ignoras, Collegia ibi eſſe plura, Oriẽtale, quod Græcorum dicitur, Germanicum ſeu ſeptentrionale, cui vni plus duodecim nummorũ aureorũ millibus, in ſingulos annos à Põtifice hoc fuere perpetuò attributa. Anglorum item & Romanorum clericorum, atq; Neophitorum ſeminaria taceo, cùm & alia tot Pontificis ſumptibus inſtituta fuiſſe, & inſtitui modò ſingulari tua cum lætitia cognoueris. Quæ cùm ita ſint, eruntne hæc tanti, vt ſi aliquorũ illinc peccata, hinc autẽ virtutem & pietatem omnem aliquis cernat, non potius ei quod bonũ eſt (ſi bonum quærit) cogitatione inhæreat? Quę autem Pontificis & Catholicorum præcipua mens ſit, hinc facilè non deprehendat? Mitto Sacrarum ædium extructiones, cultum, ſumptus in eaſdem familias religioſas ingẽtes, quicquid verò, nulla recuperandi ſpe, vel Regib⁹, vel alijs miſſum eſt, & ad Turcam, atq; ad rebelles à vaſtatione ac direptione Regnorũ & templorum arcendos ex vrbe prodijt, id certè opinionem multorum ſuperat. Romani autem populi, religio, & reſipiſcentiũ conuerſiones, qui à remotiſſimis finib⁹ ad expiãda ſua facinora, ad vrbẽ ꝓperant, & ablata reſtituũt, ac deſerta pietatis caſtra repetunt, & cœlibatũ iterũ amplectuntur, quãtę, qualesve ſint, ex ipſa Pœnitentię & Euchariſtiæ Sacramẽtorum quotidiana perceptione cernuntur.

Quin igitur, qui tot probris impudentiſſimè (quia ſcilicet iſti Caluiniani tantũ carnalia ſectati ſunt) vrbẽ afficiũt: hæc poti⁹ non meditantur, atq;, vt ęgroti faciunt, qui cùm conualeſcere cupiunt, non aliorũ morbos, ſed ſuam ipſorum valetudinem cogitant & curant, ad illas quas diximus, pietatis officinas, oculos & animos potiùs quàm (vt muſcæ ad ſcabiem, relicto toto corpore ſano) ad fœditatem aliquorum conuertunt. Verùm & ſcorta (inquit Volanus) et alia ſcelera, & luxus à multis exercentur. At & hæreticus ſciat, ſuggeſtibus vndique à Catholicis concionatoribus, ipſo Pontifice iubente & præſente, talia increpari, publicáque deteſtatione remoueri. Nè hunc attingam, quæ de multis ſupplicia ſumuntur. Qui autem pœnitentium confeſsiones excipiunt, diſpoſiti ſunt, vbiq; & hi pietate Chriſtiana, vt continenter peccatores obiurgant, ita redeuntes ad cor, oleo, & vino vulneribus appoſito, ad ſanitatem reuocant. Cæterum ſacrilegia, & lapſus reliquos, ſi quis dixerit Pontificis, & ſanctę ſedis Apoſtolicę decreto, vel doctrina defendi, is aut hæreticus, aut lęuiſsimus, & impudentiſsimus fit.

Si qui autem, cùm cæteris lumen præferre deberent, ij turpis vitæ edunt exemplũ, nemo negat, quin iuſtiſsimo iudici (niſi reſipuerint) caſuri ſint, ac Chriſti bonis ad luxum, ad auaritiam, ad faſtum abutentes, æternis doloribus ſint amariſſimè excruciandi.

Scis autem ex varijs Prouincijs, plures ad vrbem (vt alibi quoque fit) accurrere, vel ambitionis, vel aliarum cupiditatum ſtimulis incitatos. At quid hæc ad veritatem doctrinæ, ad leges optimè ſancitas, ad Sacerdotij dignitatem, ad illa clariſſimæ pietatis veſtigia infirmanda faciunt? Quid inquam, ad Pontificem, & vrbem ipſam mordaci dente conuellendam? Prophetæ, & alij ſanctiſſimi viri, ſi vitia exprobrarunt, nunquã ritus Eccleſiæ, aut Sacramenta, vel pietatẽ, quæ reſidebat in bonis reprehenderunt, nunq̃ item templa euerterũt. Sed & ipſi Pontifices, atque alij antiſtites edi, & in alias linguas conuerti, ac legi eorũ libros, ſedulò curârunt, qui malos mores in Eccleſiam irrepentes, vehementiùs accuſarunt. Quòd quidem Catholicæ ac ſinceriſſimæ ingenuitatis eſſe indicium, nemo pius non intelligit: Hæc igitur eſt officina Romana, & præcipuus vrbis ſtatus. Quòd ſi Regum aliorumq; Principum ſtudio caueri poſſit, ne, qui ex eorum ditione Romam malè morati commigrant, alieno patrocinio in flagitijs aduerſus omnẽ magiſtratus diligentiam tegerentur, haud tantopere laboraremus.

Ceterum iniquum eſt, aliquos ad dignitates falſa à Laicis commendatione, & narratione Pontificibus obtrudi, eorumque promotiones interdum quoque minis tẽtari, atque omnes adhiberi machinas ad turbandum Eccleſię ordinem: deinde verò in Vrbem contumelias iaci, & ipſa etiam pecunia conducere nonnullos, qui ad quæſtũ ſcriptitantes, ſcandala omnia colligunt, vt pietate obſcurata, iniquitas vbiq; diſſeminata, latiſſimè pateat. Sed & tu, Sereniſſime Rex, intelligis, in tuo regno quorſum Romana ſtudia ſpectant, & cùm nihil non rectum tibi inde ſcribatur, vides tamen quãtæ difficultates in minimo quoque negotio cõficiẽdo exiſtunt. Intelligis enim, Maieſtati tuæ continẽti ſtudio à Pontifice proponi, vt dignis ſacerdotia conferantur, vt ſuum cuiq; ius tribuatur, & ij, qui ouibus præſunt, ouilia ne deſerant. Si qui ex plurib⁹ ſacerdotijs reditus, & pecuniã improba ſiti corradũt, ij vno contẽti ſint, cũq; ita paſcẽdo Chriſti gregi plures ſint futuri, ſuũ etiã diligentius officiũ pręſtare poſsint: Vt itẽ in Catholicis Academijs, aut collegijs iuuentus inſtituatur, vt deniq; Rutheni, Liuones, Moſci, Tartari, te Eccleſiæ ſtudio ſtudiũ tuum adiungente, Chriſtũ rectè colãt, nempe vt aliquando cum eis ſempiterno omnes æuo, perfruamur.

Hæc verò cùm ita ſe habeant, cogita, an iſti, qui ad iudicium & autoritątem tuam de Romana Eccleſia prouocant, tuæ Maieſtati de alienatis Eccleſię ac Reipublicę bonis, quidquam vnquam propoſuerint, ratione ſcilicet vt inires vt quæ Dei ſunt, Deo, quæ tua ſunt tibi redderentur: quòd cùm ſubdola calliditate prætermiſerint, iſta verò pronuntiẽt, ſentis qua pœna eorum linguæ eſſent à iuſto Rege coercendę, ne dicam præcidendæ.

Nota de ijs qui ad Principũ tribunalia fidei cauſas reuocare nitũtur.

Quod ſi adhuc de iſtis quęras, vndenam tibi de Eccleſia iudicium ſumes? quid obſecro reſpondebunt. Tu certè inquies, Chriſtus Dei filius, non Stephano Polonię Regi, alijsve Regibus, ſed Petro paſcẽdas oues tradidit, in controuerſijs autẽ fidei finiendis, diuiniſq; eloquijs ad ſancti ſpiritus mentẽ exponendis, quæ à Chriſtianis, & præſtantiſsimis Regibus inita eſt ratio, vt ad Chriſti Vicarium adirent, eandem me ſequi fas eſt, ſi Rex & Regum qui ex Deo regnarunt ſimilis eſſe voluero.

Sed fac, vt in negotio religionis pro voluntate Caluinianorum decernatur, num fœderati ſocij, qui alijs hæreſibus ſunt imbuti, iniuriam iſtam deuorabunt? Sin autẽ ab antiquiſsimis Synodis, ad verbi Dei & Spirit⁹ ſancti amuſſim peſtilẽtes hæreſes iã exploſę, iam iterũ examinandę ſunt, incertius quàm mundanum erit diuini numinis tribunal, in quo poſtrema promulgata ſententia nemini licet hiſcere. At cùm deceptus putat, quoniã Apoſtolorum tempore de Meſſię aduentu, Iudęi ſcripturas ſcrutabãtur, idipſum quoq; ab vnoquoq; ſemper (ſublato licet illo Iudaico velamine) eſſe faciendũ, non videt infælix q̃ inde conſequũtur incommoda. Iam enim Symbolum Apoſtolicum iterum exploditur, & Chriſtus ipſe negatur Deus, ac deniq; cùm nullus futurus ſit (vt inquit Tertullianus) quærẽdi finis, fiet, vt veritas inuenta omnino perdatur. Sic itaq; diuerſarum hęreſum procella multos ſemper inuoluit, & in Atheiſmum tandem præcipites agit.

Tertull. de præſcriptione.

Iam verò quartum pene elabitur ſeculum, cùm de tranſubſtantiatione hęretici pertinaciter diſputare, & virus ſuum vbiq; ſerere cœperunt. Conuenêre cùm Romano Pontifice Conſtantinopolitanus, & Hieroſolymitanus Patriarchę, Archiepiſcopi ſeptuaginta, Epiſcopi duodecim ſupra quadringẽtos, Abbates, et Priores mille ducẽti, & q̃ndecim; Legati affuêre Gręci & Romani Imperatorũ, Regum itẽ Chriſtianorũ Hieroſolymæ, Gallię, Hiſpanię, Anglię; in eo exactiſsimè verbum Dei, veri-

tasque

tasque examinata est. Et vniuersus orbis Christianus, diuina sententia per vniuersalis Ecclesię cōsensum, incredibili veritatis pręsidio excepit. Quis igitur erit ille nunc adeò excors, vt vel in dubium definita reuocet, vel ad vnius perstreperi corui volatum timeat, si Christi, & Christi Ecclesiæ potiùs, quàm hæretico homuncioni, fidem inconcussam adhibeamus?

Synod. Tridentina.

Duodeuiginti annos Satanas omnem lapidē mouit, interturbando sacrosanctæ Tridentinæ Synodi progressu: Ad hanc de controuersijs, quæ nostro hoc seculo emerserunt, hæretici sunt euocati, ab ipso etiam Cæsare, & Regibus, à Principibus omnibus ferè Christianis, fides publica ijs missa est, vt si perstare in errore voluissēt, impunè ac liberè abirent: Cæsaris autem & Regum atque aliorum Principum oratores affuerunt, neque verò Romæ, sed inter fauces hęreticorum (vti sæpissimè alias à Pontificibus Maximis procuratum est) Synodus habebatur. Ad illā ex Indijs, Lusitania, Hispanijs, Gallijs, Italia, Germania, Polonia, Hungaria, Dalmatia, Græcia, Asia, Episcopi vita doctrinaque excellentes, & Theologi alij plures confluxēre, & ipsi quoq; Reges ac Principes, Theologorum numerum qui Synodo interessent, cum suis oratoribus miserunt. Hos autem omnes neque Gallici tumultus, nec marium pericula, nec immensi itinerum tractus, neque Lutheranorum metus, aut ignotæ linguæ perterruerunt, quò minùs, vbi Ecclesiæ erat corpus, eò tanquam aquilæ conuolarent. Cur hæretici tum, qui ad terrenorum Principum tribunal diuinam caussam reuocant, ad eandem Synodum non iuere? scilicet, aut in carnali illo suo cœno latitabant, aut Germaniam & Gallias excitabant ad diadema de Caroli IX. Galliarum Regis capite decutiendum. Si verò ab inermibus Episcopis, alienoque in solo commorantibus sibi metuebant, vbi erat illa Spiritus sancti vis, verbique Christi virtus, qui ore suo interficit impios, vbi infractus ille Euangelij propugnandi animus, qui toti spirituales ob diuinam gloriam se iactant omnia passuros? Sed demus hoc talium Prophetarum trepidationi, illud autem quanam excusatione tegent, quòd neque eo tempore, neque postea vnquam cum Lutheranis, nec cum reliqua hæreticorum colluuie, in fidei caussa quicquam vnanimes statuere potuerunt? Proferant Hæretici Synodum aliquam suam, quæ extet adhuc. Conciliabula sanè scimus fuisse nonnunquam, quę item latrones cogunt. Sed & ea in irritum illicò veritate elucescente recidisse, nemo vix literis tinctus, ignorat.

Nunquam hæretici inter se coueniret potuerunt.

Haec res caussa fuit, prudentissime Rex, cur Germanica natio alioquin viribus ac virtute pręcellens, fortitudinem animi haustis hæresibus ita amiserit, vt postea aduersus Christiani nominis hostes, nunquam arma alacriter sumpserit. Et tu quidem intelligis, non ita alacri animo, Imperatorem in aciem copias educturum, in quibus variæ sectę cùm sint, varia item dissidia gignunt. Ex his enim aut detrectatur imperium, aut tardiores progressus habet victoria: ac si quando ex inimicis per inimicos suos, Deo supplicium sumente, aliquid fortius patratur, id denique (quod ad eos attinet) vim nullam soliditatē habet. Et tamen Volanus ex calice illo Geneuensi ebrius, cùm nihil videat, nisi quod velit, audet asserere, Heluetios vnicas Ecclesiæ Dei colūnas esse, quib⁹ inter sese cōcordibus, Academiam quoque Parisiensem succubuisse mentitur. Diuinum autem virū, honoris caussa, Bezam appellat.

Sed de Heluetiorum concordia videamus. Quinque enim nobiliores pagi, quorum primarius est Lucernensis, Catholicam ita fidem retinent, vt hęreticos iustis pręlijs hosce totos annos in Gallijs sępe vicerint, & collegium non ita pridem Societatis IESV Lucernæ instituerint, vti & alterum fit Friburgi. Ex quibus tanquam seminarijs prodibunt, qui denique illud Geneuense impietatis antrum euertent. At neque inter ipsos hæreticos pagos de religione idem est sensus. Nam inter eos monasteria sunt ingentia, & Abbates, quibus non minima pars obedientiam, & omne officium, vel contra ipsos Sacramentarios præstant.

Heluetiorū meliores Pagos esse Catholicos.

De diuino verò isto Beza, Lituanis fortasse venditari posset ab hæretico fucus: Sed qui vocationis, seu fugæ illius miseri, ad Geneuenses, initia & progressus norit, tam impudentis tituli mendacium horrebit. Beza enim Sacerdotio (quod olim obtinuerat) duobus eodem tempore diuendito, vt maiorem pecuniæ summam corraderet, Candida autem sartoris adhuc superstitis vxore, quam ille deperibat, abducta, Geneuam nouus Paris, & patriæ conflagrator aufugit. Hic se ad Caluinum adiunxit, qui cùm antea Canonicus Nouiodunensis in Gallia fuisset, ac deinde à Catholica religione deficiens, in Germaniam esset profectus, homo versipellis & superbus, etiam à Lutheranis, quorum dogmata conuellebat eiectus, sedem sibi Geneuam delegit. In hac plures annos cùm vixisset, eiectis ciuibus, & exulum manu in Rempub. introducta, Galliam bello inflammauit, deniq; sparso latè veneno, quartum iam cōiunx, quòd sine carne spiritualis ille tantus vir viue-

Bezę vocatio, & progressus in hæresi.

Caluini vita & mors.

viuere nunquam potuisset, incidit in fœdissimum morbum, vermibus autem scatens, extremos cruciatus ferens, vt Herodes, qui cædem tot innocentium patrârat, aut sicut Antiochus, qui Dei templum polluerat, miserrimus ad inferna descendit. Hi igitur sunt Dij Volani (Rex) hi sanctissimi scilicet & diuini viri, qui eū ad istud virus euomendum lactârunt.

Quòd si Ignatij Loiolæ, quem iste toties vnà cum Societate nostra plaustris contumeliarum onerat, initia, progressus, exitū, cum istis suis hæresiarchis contulisset, næ aut mutiret ille, aut si saperet, sanctas Christi Domini vias suspiciens, & resipiscens veneraretur. Quo enim tempore Lutherus ad sordes, ad carnem, ad Germaniæ diuisionem, à religione secesserat, ille alter à seculo, à nobili, quæ est in Cantabria familia, relictis omnibus, ad pœnitentiæ opera, & ad eremum confugit. Lutherus scholas pietatis, & religiosas domos euertit: Ignatius eas Deo adspirante, vel excitauit, vel iuuit. Luthero, Satanas ad bonarum literarum studia, & diuinam scripturam deprauandam; Ignatio, Christus Dominus ad collegia instituenda, diuinumque verbum rectè exponendum, est vsus. Illo Magistro Luthero plerique discedentes à fide naufragium passi sunt: Ignatio laborante plurimi vel facinorosi ad probitatem, vel hæretici ad Ecclesiam Catholicam, vel gentiles ad Christi fidem accessēre. Luthero quasi tibicine suscitata, aduersus Christianos Principes bella subditorum; nulla vnquam seditio, nulla ex Ignatij disciplina, nulla vnquam in ciuitate commotio est orta. Qui ex schola septicipitis Lutheri prodiere, sectas penè innumerabiles, vel ipso superstite peperere: Ignatius etsi antequam moreretur, centum collegia in omnibus omnium fermè nationum Regnis instituit, summa tamen suorum consensione Christi Regnū, aduersus omnes sectas promouit. Lutherus se in Pontificis conspectum dare detrectans (quòd reorum est proprium) vel iusti tribunalis, vel legitimæ Synodi præsentiam, vel Academias omnes celeberrimas, vbi hæreticum virus cępit spargere, declinauit. Ignatius primò multam pœnitentiam egit, summis autem laboribus exantlatis, cùm maria traiecisset, Christi Domini patientis loca inuisit, inde in Salmanticensi, Complutensi, Parisiensi Academijs, opera literis strenuè data, ad Ecclesiæ tribunal, ne in vanum curreret, accessit. Retrò respiciente Luthero virginitatis cultus, & cœlibatus, ieiunia, Sacramentorum vsus, ac reliqua eiusmodi cęlestia exercitia conciderunt: Eadem plurimis in locis Ignatio ad aratrum nunquam

Lutheri initia, progressus, exitus cū Ignatio conferuntur, qui fuit fundator Societatis Iesu.

reuocatam manum ponente stetēre, & in pristinum statum rediere. Ex corde calamoq; Lutheri libri virulenti exierunt, qui bus Cæsaris, & Regum omnium atque aliorum Principum nomina proscissa sunt: Ex corde calamoque Ignatij spiritualium exercitiorum liber, qui Christi Domini vitæ capita, seriemque mirabili Spiritus sancti artificio proponit, Sanctæ item & ab Ecclesia approbatæ constitutiones editæ sunt in lucem. Neque verò ex eius Societate liber vnquam, ne aduersus quidem ipsos Ecclesiæ Dei inimicos Principes prodijt. Denique (vt multa prætermittam) Lutherus Imperio, Germaniaq; labefactata, cùm vespere bene potus, contumelijs in Ecclesiam editis cubitum iuisset, in lecto repertus est mortuus, quicquid ad eius vitæ, corporisq; fœtorem tegendum, procurauerit Ionas de illius morte mentiri: Ignatius cùm tot virtutis seminaria, quæ indies augentur, reliquisset, præuisa ante aliquod tempus morte, rebus Societatis explicandis, & orationi sedulò vacauit, deinde Sacramentis munitus, IESVM identidem appellans in pace animam efflauit. Neque verò orba tali parēte Societas in varias sectas discissa est, sed qui superfuere Patres, stetere animis, ac per omnes ordines insolita suauitas Spiritus, & mētium vigor effecit, vt quoquouersum incredibili alacritate cœptum strenuè cursum tenerent, ac teneant.

Sed redeo ad te Rex, ad quem iste tanquam ad veritatis vindicem prouocat. Venisti non ita pridem ad hanc ciuitatem Lituaniæ caput. Hîc vides ex altera parte perfidos Tartaros & schismaticos Ruthenos, ac varia hæreticorum genera, ipsos autem ex altera parte Catholicos plurimos. Et Tartari quidem, quoniam Mahometem sectantur, Rutheni autem quoniam cum schismate multos errores hauserunt, ac denique hæretici, qui à recto fidei tramite deflexerunt, quid est hoc, quod ipsum Catholicæ Ecclesiæ iugulum caudis iuncti, diuisi capitibus, omnes petunt? Ipsa verò vna Catholica Ecclesia, veritatis firmamentū, istos scopulos tuta prænauigat, & sola improbi auri, & fallacis metalli speciē tanquā index certissimus prodit? Sanè, quod vnum consentiensque est, id verum atque adeò solum est.

Cur hæreses omnes Catholicā Ecclesiam oppugnāt, à qua omnes expugnantur.

Iam vniuersum Christianum orbem circumspice, Siciliam, Sardiniam, Cyrnū, Baleares, atque Adriatici, & Aegæi maris nonnullas Insulas. Catholicam hæ omnes fidem antiquissimam profitentur. Lusitanię Regnum, quæque ad illud oppida in Africa, Insulę in Oceano pertinent. Hispania vniuersa eundem ritum, & religionem colunt. In Gallijs verò (ne Volanus ipse si bi

Nota. Sicilia, Sardinia, Cyrnus, Baleares, aliæ Insulæ Catholicæ Lusitaniæ & Hispaniæ Insulæ.

Galliæ primariæ omnes ciuitates.

bi nescio de qua prophetia, & Galliarũ interitu glorietur) Lutetiæ, in qua sunt minimum ad Quadringenta millia hominum, Rothomagus, Aurelia, Tolosa, Lugdunũ, Gratianopolis, Auenio, Maſsilia, Burdegala, Burgundia vniuersa, Campania, Morini, Turonensis regio, & pleræque aliæ integerrimam à Regno Clodouei per vndecim secula Catholicam fidem seruant. Italia Catholica est, quæ vna plusquam ducentos partim Archiepiscopatus, partim Episcopatus habet, populis scilicet frequẽtiſsima. In vno enim Archiepiscopatu Mediolanensi nongenta, id est, nouies centum millia hominum sunt. In Brixiensi quingenta millia, totidem in alijs nonnullis.

Belgiæ ordines è multis ciuitatibus hæreticos eiecerunt.

Belgium autem, licet ab hæreticis afflictũ, non minima tamen ex parte fidem tuetur auitã, ita vt Duaco, alijsq́; ex ciuitatibus, & ex Artesia tota, non ita pridem hæresum pestem eiecerit, quòd sub præsidij specie sensit tardius quàm expediebat, in sua viscera callidè insinuatos, ex Anglia puritanos, ex Hollandia, & Zelandia Anabaptistas, ex tractu Rhenano Caluinianos, ex interiore Germania Lutheranos.

Iam verò plures Germani Principes Catholici sunt, & magnum Catholicorum numerum habent, aut ciuitates integras, non ita difficili negotio ad Catholicam fidem indies reuocant. Rodulphũ Cęsarem audiſti Rex, Flaccianam Manichæi hæresim ab Opitio olim sutore Ratisponensi inuectam, vnico penè momẽto, Vienna prorsus expulisse.

Vienna eiecti oẽs hæretici ministri.

Idem iam fit in Morauia, in qua Anabaptismus, & aliæ pestes grassantur: Et Olomutij, quæ regionis illius primaria est ciuitas, nullum est templum, in quo ritu Catholico sacra non administrẽtur. Cùm etiam septingenti ibi sint adolescentes, quos Collegium Societatis nostræ pietatem cum literarum studijs docet.

In Bohemiæ Regno multi Catholici. Pilzna ciuitas Catholica.

Bohemiæ Regno Catholici non desunt. Nam præter Illustr Rosembergij ditionem, aliaque loca, Pilzna est insignis ciuitas, quæ aduersus Ziscam, & reliquos Husſitas cùm fortiſsimè pugnasset, antiquiſſimam semper fidem retinuit.

Pragæ Seminarium Pontificis & collegiũ Cæsaris.

Iam Pragæ Pontificium est seminariũ, Cęsareo Collegio adiunctum: in quibus aliquot adolescentum centena ad omnem pietatem à Catholicis erudiuntur.

Comitat⁹ Tyrolensis Catholic⁹.

In comitatu Tyrolensi nemo hæresim docere audet, prohibente Sereniſsimo Ferdinãdo Archiduce Austriæ. Augusta ipsa Vindelicorum cùm bonam Catholicorum partem contineat, in pace, & spe restituendæ fidei administratur.

Bauaria vniuersa Catholica.

Bauariam superiorem atque inferiorem, Illustriſſimus Princeps Albertus, omni prorsus hæreseos exercitio purgauit. Hic rogatus à multis apud Pontificem egerat, ijs qui vtramque speciem cuperent, ea vt porrigeretur, ratus ea ratione complures hæreticos ad Ecclesiam Catholicam sese adiuncturos. Verùm deinde expertus eam porrectionem (vt ille dicere solitus est) fomitem esse hęreseos, turbinem illum schismatis sustulit, & vasa ei rei destinata publicè effringenda curauit. Is Germaniam vniuersam (si Principes velint) Catholicam illicò futuram non dubitat, cùm ipse vniuersam Bauariam varijs infectam hæresibus, & à Prouincijs hæreticis totam penè circumseptam, iam ab aliquot annis Catholicam, Deo iuuante, reddiderit. Quæ quidem ditio in centro penè Germanię sita, Academiæ Ingolstadiensis, Collegij Monachiensis, domus Lanspergensis, aliarumq́ue in primis religiosarum familiarum opera, fructus longè lateq́ue in finitimas regiones Catholicos immittit. Is ille est Princeps, qui cùm vitas omnes Apostolorum, & Martyrum, atque aliorum sanctorum à Surio collectas legisset, eas in Germanicam linguam edi magna impensa, & in vnaquaque Parœcia haberi curauit, vt populi Apostolicæ Ecclesię, ac consequentium seculorum statu perspecto, neque omni vento doctrinę circumferrentur, & ad pietatem accenderentur. Eiusdem Principis iussu Concilium Ephesinum, ex sua illa celeberrima bibliotheca depromptum, & à Theodoro Peltano in Latinũ versum est. Quod ego cùm tuę Maiestati obtulissem, vidisti quanam ratione Theodosius, & Valẽtinianus Imperatores sartam tectam Catholicam religionem, contra istiusmodi hæreticos conseruârunt.

Seminaria & Collegia Catholicorum in primarijs Germaniæ ciuitatibus.

Sed ad id, vnde digressus sum redeo. In primarijs ferè omnibus Germanię ciuitatibus, & aliquibus item oppidis, Collegia iuuentutisq́, vel domus Catholicę institutę sũt. Pręter eas quas superi⁹ attigi, Treuiris, Coloniæ, Moguntię, Spirę, Herbipoli, Fuldæ, Oeniponti, Dilingę, Augustę, Brunę in Morauia, Viennę in Austriæ, Grę cij in Stiria, vt mittam Belgica, Gallica, Hispanica, Lusitanica, atque adeò illa, quæ in tuo Regno isto iam adolescunt.

Illustriſsimus Dux Saxoniæ quid de ministris Saxonibus deliberauit.

Quin ipse quoque Illustriſs. Saxonię Dux, fœdas monasteriorum ruinas ex inuecto Lutheranismo non semel deplorauit, multisque Caluinianis ministris capite mulctatis, reliquos in exilium egit. Et cùm in Saxonia spirantem adhuc noua genera veneni videat hęresim Lutheranam, ægerrimè fert peramans pacis Princeps, inter Saxones ministros nulla ratione conuenire, & cùm sese mutuis libellis & ferro perscindant, sentit, quantum ab illa vetere Saxonia mutati sunt populi, quos olim vna fide Catholi-

ca &

ca & cultu sinceriſsimo coniunctos Deus ipse aduersus omnem Christiani nominis hostem, reddebat impauidos. Itaque & conuentu ministrorum indicto, si qua ratione conuenire possent, vidit denique nihil, nisi discordiſsimam concordiam esse consecutam. Inter eos autem nec de lana caprina, nec de quæstionibus ad acuenda ingenia propositis (vt interdum salua religione inter veros Catholicos fit, quod deceptus in diuersum blaterando detorquet) sed de Dei filij ipsius natura, deque alijs eiusmodi lites extitere grauiſsimę, quas Ecclesia Christi jamdudum omni anathemate confodit.

Ex toto igitur Catholici orbis theatro, ad quem ingentes noui orbis regiones ad solis occasum & ortum, & ad meridiem (ne dicam & ad septentrionem) vbere populorum conuersione, sese indies aggregant, istum mihi Zizaniorum, & lolij manipulũ, istud mihi Vilnense Caluinianorum latibulum, quod nouiſsimè aduersus edictum tuum extructum est, & reliquas paucas Synagogas ebriorum ministrorum cum Catholica Ecclesia confer, Sereniſsime Rex; ac demum dispice, num verum sit, quòd iste gloriosè effutit: ipsum nempè tantùm Caluinismum efflorescere, Catholicam autem vbique religionem prorsus extingui, monachosq́ue cerni hiantes. Atqui verum est, Monachos à Iudæis, ab Hęreticis sperni, sed ab ijs, qui veri Christiani & Catholici sunt, non item. Quadringenti (vt de sacris & pijs Dominicanorum & aliorum ordinibus taceam) Franciscani sunt in hoc Regno, quos Bernardinos vocant. Hi pro tua Reipublicæque salute asſiduè Deum orant, & abiectis omnibus mundanis rebus summa cum honestate cultum diuinum exercent. Populis autem istis pijs magno solatio sunt, & Euangelicæ veritatis exemplo. An igitur isti extincti iam sint prorsus Volano? Vnum Hæreticorum ostendat ipse, qui ea vitæ sanctitate (re inquam ipsa) abiecta carnali sarcina, ita vnquam vixerit, aut in tota Polonia nunc viuat. Sed & in hac ciuitate ex iis triginta sunt, quibus templa non desunt. Cùm præter illud, quo integro vtuntur, maius alterum templum piorum ope hisce diebus instauratum sit, quòd capiendis Catholicis, alterum esset angustius. Quingenti verò discipuli, præter alios ipsius Parœcię centum, qui in Vilnensi nostro Collegio Societatis Iesv instituuntur, non ita post multos annos latiſsimè Aegyptias istas Hæreticorum tenebras discutient, discutiendas vtiq; latius, vbi tot centena adolescentum peruenerint ad frugem, quæ in reliquis Collegijs tui Regni Brunspergæ, Posnanię, Iaroslauię, & alibi, vti quoq; Pultouię, vbi fratris tui filium Illustriſsimum Andream, admirabili pietate adolescentem, doceri curas, erudiuntur. Interim Cracouiensis Academia magno huius Regni bono Catholicam religionem tuetur, ac docet. Quęq; sempiterna cum laude à Reuerendiſsimis Polonię, atq; Lituanię Episcopis Synodus Tridentina recepta est, Synagogas istas deijciet, ac Deo iuuante (quòd omnibus istiusmodi latebris semper accidit) funditùs euertet. Ac tute quidẽ pro tuo perspicaci iudicio intelligis, quàm facile in antiquas suas sedes, etiam in hoc Regno veritas restitui vbique poſsit, dum sese isti inuicem dilacerant. Iamq; semina iniquitatis sata pestilentes istas Arianismi, Anabaptismi, Caluinismi pestes; & sexcenta alia portenta efficaciſsimo Dei iudicio protulerit. Cùm verò Illustriſsimi Radiuilij fratres perpetua cum gloria viã, ad Lituaniam purgandam, fortiſsimè patefecerint, vides Rex, quàm facile alijs proceribus sit, prẹclariſsimum illud gestum, in suis ciuitatibus imitari. Ij enim, Aui, Ataui, Tritaui, & suorum maiorum pietatem, magnanimamq́ue illam in abstergenda à sua nobiliſsima familia hæreseos labe fortitudinem ostenderunt, cùm scilicet domesticum istud latibulum ad terram deiecere. Typographiam autem, quà errores & verbum Dei deprauatum cudebantur, ad diuina eloquia incorrupta, atque ad pios libros sanctorumq́ue Martyrum, Virginum, & Apostolorum vitas edendas conuerterunt. Itaque peſsimè habet Volanum, quòd ramenta ista suorum prẹceptorum, cernat iam sordescere ijs, qui caussas tanti morbi acutiùs inspiciunt. Et hæc est caussa, cur primùm Illustriſsimos Radiuilios inanibus terroribus tentat à via Christi auertere. Denique antiquos Patres (quos tamen interdum Caluinus suus blasphemo ore asinos vocat) sanctiſsimos & castiſsimos verbi Dei interpretes iam nominat. Promat igitur, (vt adhuc semel hoc dicam) illorum integra scripta.

Caluin. in Insti. de Sacramento pœnitentiæ.

Hæc in Polonicam linguam (si veritatis zelo mouetur) conuertat, atque ita non adeò egebunt ipse Volanus, & alij infelices doctiſsimis, & modestiſsimis præceptoribus, Scarga & Turriano, qui omnes istius libri errores iam pleniſsimè refellerunt.

Quòd si Sereniſsime Rex, quemadmodum nunc ad restituendum Reipublicæ splendorem, & ad aduocandos pro Transsyluania Catholicos operarios incumbis, ita id semper defixum in animo habeas, quòd tam altè à puero tibi, tuęque Illustriſsimę familię inhęsit, nihil vt decernas, quin Deo prius sedulò commendes; Con-

ſiliarios verò eos tibi adhibeas, qui terrena prudentia Samariam cum Hieroſolyma non cõiungãt, neq; in boue & aſino (quod diuina Scriptura prohibuit) arent, certiſsimè verò tibi perſuadeas, eos qui Deo inimici ſunt, nec Maieſtati tuæ amicos eſſe; Interim autem caueas, ne peſtes iſtæ libellorum, & ſeditionum hæreticarum peruolent in manus eorum, qui apud te ſunt, rẽ dignam Chriſtiano & Catholico Rege facies, tuæq́; iſti coronę alteram ſplendidiorem, & immortalem adiunges. Vilnæ ipſa die Pentecoſtes.

ANTONII POSSEVINI, DE SOCIETATE IESV,

RESPONSIONES AD NOBILISSIMI ET REGII VIRI SEPTENTRIONALIS INTERROGATIONES: QVI DE

ſalutis æternæ comparandæ ratione, ac de vera Eccleſia cupiebat inſtitui. Additus eſt modus, quo verbum Dei, & Patrum libri legendi, ac legitima Concilia, ab illegitimis diſcernenda ſunt.

RESPONSIONES AD REGII VIRI SEPTENTRIONALIS INTERrogationes, de vera Eccleſia.

INTERROGATIO I.

Num ij, qui omnia Eccleſię Catholicæ dogmata non credunt, poſſint æternam ſalutem conſequi, dum tamen profiteantur ſe in Chriſtũ credere, & peccata odio habere?

RESPONSIO.

De fide ad Petrũ c.38.

SANCTVS Auguſtinus reſpondet: Firmiſsimè tene, & nullatenus dubites, non ſolùm omnes Paganos, ſed etiam omnes Iudæos, Hæreticos atq; ſchiſmaticos, qui extra Eccleſiam Catholicam præſentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius.

Ibidem ca. 39.

Rurſus. Firmiſsimè (inquit) tene & nullatenus dubites, quemlibet Hęreticum vel Schiſmaticum, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizatum, ſi Eccleſiæ Catholicę non fuerit aggregatus, quantaſcunque Eleemoſynas fecerit, & ſi ꝓ Chriſti nomine etiam ſanguinem fuderit, nullatenus poſſe ſaluari. Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, neq; Baptiſmus, neque Eleemoſyna quamlibet copioſa, neq; mors pro Chriſti nomine ſuſcepta, proficere poterit ad ſalutem quamdiu in eo hæretica vel ſchiſmatica prauitas perſeuerat, quæ ducit ad mortẽ.

Rurſus. Nunquid poteſt (inquit) vis Baptiſmi maior eſſe, aut potior quàm Confeſsio, quã paſsio, vt quis coram hominibus Chriſtum confiteatur, & ſanguine ſuo baptizetur; & tamen neq; hoc Baptiſma Hæretico prodeſt, ſi quãuis Chriſtũ confeſſus, extra Eccleſiã fuerit occiſus, quia charitatẽ non habuiſſe cõuincitur, de qua Apoſtolus dicit: Etſi tradidero corpus meũ, vt ardeam, charitatem autẽ non habeam, nihil mihi prodeſt. Quod ſi propter hoc, quia charitas deeſt, paſsio nihil prodeſt, nec illis prodeſt, quos in inuidia intus, & maleuolẽtia ſine charitate viuere, Paulus dicit.

Tom.7. de Baptiſmo contra Donatiſt. lib. 4. cap. 17. Similia Tom. 9. in Euan. Io. tract. 6. propè finem.

S. item Cyprianus lib. de vnitate Eccleſiæ ſic ait: Eſſe Martyr non poteſt, qui in Eccleſia non eſt: Ad regnum peruenire nõ poterit, qui eam, quæ regnatura eſt, derelinquit. Et infra: Cum Deo manere non poſſunt, qui eſſe in Eccleſia Dei vnanimes noluerunt: Ardeant licet flammis & ignibus traditi, vel obiecti beſtijs animas ſuas ponant, non erit illa fidei corona, ſed pœna perfidiæ: occidi talis poteſt, coronari non poteſt.

Porrò nemo integrè credit in Chriſtũ, qui oẽs fidei Articulos nõ credit, quorũ vnus eſt: Credo Eccleſiã Catholicã, quæ firmamentũ eſt & colũna veritatis. 1. Tim. 3.

INTERROGATIO II.

An Schiſmatici ſaluari poſſunt, cũ ea, quæ ad fidem pertinent, omnia ferè credant?

RESPONSIO.

CVM qui in vno peccat (vt habet S. Iacobus) factus ſit omnium reus, procul dubio, ſi quis, quæ docet Eccleſia, dicat ſe credere, non aũt illi obediat, vel non obediendũ eſſe illi doceat, reijcitur in æternũ à Deo, cui obedientia plus placet, quã victimæ. Itaq; rectiſsimè ait B. Auguſt. Neque Schiſmatici aliquid ſibi ex iſta mercede ꝓmittant, quia ſimiliter vbi charitas nõ eſt, non poteſt eſſe iuſtitia. Dilectio enim proximi, malũ nõ operatur, quã ſi haberẽt, nõ dilaniarẽt corpus Chriſti, ꝙ eſt Eccleſia.

To. 3. lib. 1. de Ser. Do. in monte c. 9. & To. 4 quæſt. ex Matt. 9. 11.

S. Cyprianus de ſimpli. Præl. ſiue de vnitate Eccleſiæ.

Auelle (inquit S. Cyprianus) radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis, vnitas nõ capit: frange ramum ab arbore, fractus germinare nõ poteſt. A fonte præcide riuum, præciſus areſcit.

Aug. To. 7. ſer. ſuper geſt. cũ Emerito vltra mediũ.

Salutem autẽ (inquit S. Auguſt.) non poteſt habere, niſi in Eccleſia Catholica: extra Eccleſiã totum poteſt prçter ſalutem, poteſt habere honorẽ, poteſt habere Sacramẽtum, poteſt cantare Alleluia, poteſt reſpondere, Amen, poteſt Euangelium tenere, poteſt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. fidem, & habere, & prædicare, ſed nuſquã niſi in Eccleſia Catholica ſalutem poterit inuenire.

INTERROGATIO III.

Cùm inter Lutheranos ij nominentur Sacerdotes, atq; Epiſcopi, qui res Spirituales & Sacras adminiſtrant, nõne hi ſunt aliqua ſaltem ex parte Sacerdotes & Epiſcopi?

RESPONSIO.

NEc nomen, neq; rerum Spiritualiũ tractatio, ſed ritè ſuſcepta Conſecratio, Sacerdotiũ, aut Epiſcopatum efficiũt. Si enim quæratur à quonam iſti conſecrati ſint, reſpondebitur, ab Epiſcopo. Si verò rurſum vrgeatur, ecquis Epiſcopum illum creauerit, ad id venietur, vt à ſeculari Magiſtratu eum fuiſſe creatum intelligamus. Itaque prudenter ac verè Sereniſs. quidam Rex dixit, hoſce qui prodierunt, ex laica poteſtate, nec aliud quã ex Cancellaria ſeculari literas habuère, nõ eſſe aut Sacerdotes, aut Epiſcopos veros. Cùm enim Conſecratio ſit opus ſupernaturale, & Chariſma iſtud diuinum atq; character, quem veri Sacerdotes accipiunt, nunquã magiſtratui à Deo conceſſum fuerit, vt ab eo conferretur, ac ne tributus quidem ſit vnquã (neq; enim minor poteſtas in maiorem agere poteſt) cumq́; Lutherus à quo iſta falſorum Epiſcoporum, & Paſtorum turba prodijt, nunquam Epiſcopus fuerit: cumq́; nullus eorum impoſitionem manuum ab ijs habuerit, qui legitima ab Apoſtolis ſucceſsione deſcenderunt: nõne ex eorum numero ſunt, quos in Aſinio non veros Senatores Cicero, atq; in Nouatiano Pſeudoepiſcopos, & Pſeudoparochos S. Cyprianus deſignârunt? Nã Aſinius (inquit Cicero) quidã Senator voluntarius, lectus ipſe à ſe apertã curiam vidit poſt Cæſaris mortem, mutauit calceos; Pater conſcriptus repentè factus eſt. Sic iſti cùm expulſis; aut trucidatis ab Apoſtata Luthero veris Epiſcopis & Sacerdotibus, apertam curiam vidiſſent, illicò (ſicut momento penè temporis ex putredine fungus enaſcitur) Superintendentes, miniſtri, cæteraq; fex eruperunt.

Cicero in 14. Antoniana.

lib. 1. Epiſt. 6. ad Magnum.

Nouatianus verò (ait S. Cypria.) in Eccleſia non eſt, neq; Epiſcopus cõputari poteſt, qui Apoſtolica traditione contempta nemini ſuccedens, à ſeipſo ordinatus eſt. Ac infrà: Aut Paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero Paſtore, & in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & à ſeipſo incipiens, alienus fit & profanus? Quæ quidem cauſſæ ſunt, cur laici non ſolùm Sacerdotum officium impiè aſſumunt, verùm etiam Reges ſeſe tandem velint conſtituere: Quemadmodum & in Ciuitate Monaſterienſi non ante multos annos tentauit quidam Anabaptiſtarum Dux: & his annis Galli, & Belgæ quidam tentarũt in Gallijs, & Belgio. Quos autem conſcientię ſtimulus in rebus Sacris vſurpandis & retinẽdis non mordet, multò minùs mordebit, ad ciuitates Regnaq́; conuellenda, & ad Reges eijciendos. Quamobrem vbi hæreſis altas egit radices, ſemper eam denique aut Ethniciſmus, aut barbara aliqua ſecta, (vt in Africa & Aſia cernimus) aut cùm rerum Diuinarum obliuione, peſtilens tandem anarchia, vel Regnorum mutatio eſt conſecuta.

INTERROGATIO IIII.

Eccleſiáne dici poteſt alicubi eſſe, vbi Sacerdotes, & Epiſcopi veri, ac legitimè conſecrati non ſint?

RESPONSIO.

RESPONDET S. Cyprianus Martyr: Loquitur, inquit, illic Petrus, ſuper quem ædificata fuerat Eccleſia, Eccleſiæ nomine docens, & oſtendens, quia etſi contumax ac ſuperba obaudire nolentium multitudo diſcedat, Eccleſia tamen à Chriſto non recedit, & illi ſunt Eccleſia plebs Sacerdoti adunata, & Paſtori ſuo grex adhærẽs. Vnde ſcire debes Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo: Et ſi qui cũ Epiſcopo non ſint, in Eccleſia non eſſe: & fruſtrà ſibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei nõ habentes, obrepunt, & latenter apud quoſdã communicare ſe credũt. quãdo Eccleſia Catholica vna eſt, ſciſſa nõ ſit, neq; diuiſa, ſed ſit vtiq; connexa, & cohærentium ſibi inuicem Sacerdotum glutino copulata. Hæc Cyprianus.

Epiſt. 69. ad Pub.

S. autem Hieron. in Dialogo contra Luciferianos: Cùm (inquit) homo mortuus ſit Hilarius (videlicet quidam Hæreſiarcha) cum homine pariter interijt & Secta: quia poſt ſe nullum clericum Diaconus potuit ordinare: Eccleſia autem non eſt, quæ non habet Sacerdotes.

Ex his habes, vbi deſunt Sacerdotes, quorum glutino copulatur Eccleſia, & vbi Paſtore legitimo populus non adhæret: ibi ho-

homines fruſtrà ſibi blandiri de Eccleſia, q̄ nullā,& proinde nec vllā ſalutem habent.

Porrò vt Regnum nō eſt,cui Rex, Cōſiliarij,Legiferi, Præfecti legitimè delecti, leges itē ipſæ deſunt: ita neq; Eccleſia(quæ cum Regno in Scriptura ſæpè cōparatur) dicēda eſt,in qua antiquæ Eccleſiaſticæ Leges ſilent,Archiepiſcopi,Epiſcopi,Canonici,Sacerdotes, Monaſteria, Spiritualiſq; omnis poteſtas,& decor adempti ſunt. His enim Eccleſiæ facies,& ordinis Hierarchici forma & dignitas ſtabat & cernebatur. Cùm verò ab aratro ad altare traductis bubulcis reliqua omnia,quę Dei erāt,conuerſa ſint in rapinā & ſacrilegium,atq; hæc nō ſolùm tolerentur adhuc, verùmetiam ipſe verus omnis Eccleſiæ ſtatus explodatur: quis ibi Eccleſiam eſſe dixerit, qui tenebras lucem, lucem tenebras non dicat?

Huc quoq; pertinet, aliorum Eccleſiæ nominum conſideratio, quibus eam Spiritus S. expreſsit: Turris,de qua mille clypei pendent: Vineæ, quā cœleſtis plantauit agricola: Caſtrorum aciei ordinatæ,contra quam inferi portæ nunquam eſſent præualituræ: Corporis,quod vnum ſit,& vnum ſpiritum habeat. At hîc nullam turrim,niſi Babelis, nullum ſpeculatorem,niſi falſos Superintendentes ſubintroductos,nullos clypeos cernis: ſed montes Gelboe,vbi neq; ros,neq; pluuia vnquam decidit, vbi ſterilis fides eſt, vbi abiecti ſunt clypei fortium,vbi populus miſerè perijt, aut turpiter in manus Philiſtinorum,id eſt,Apoſtatarum deuenit.

Ita quoq; nec vllam vineę faciem vides, cùm Apoſtolicis Conſtitutionibus & antiquiſsimis ritibus antiquatis, ſepes,qua vinea ſepiebatur proſtrata ſit:cumque nullus palmes cum vite,nulli digni pœnitētiæ fructus,nullum torcular,canalia verò perrupta,& Sacramenta maxima ex parte ſublata:nullus Paterfamilias & cœleſtis agricola,nullum opus bonum fructuoſum, vnde mercedem denarij, qui laborârunt, accipiant,apparent. Ferus enim aper ex ſylua, id eſt,ex multiplicium errorum tenebris, in vineam irrupit,hācq; omnibus direptis atque fœdatis exterminauit, & ſicut cucumerarium dereliquit.

Præterea nec vllam caſtrorum aciem ordinatam iſthic intueri potes. Quis enim aciem vocet, vbi nullus Imperator legitimus,nulla certa vexilla & ſigna, nullæ excubiæ & vigiliæ nocturnis precibus,nullus ſufficiens commeatus,nullæ tubæ,quę certum dent ſignum, ſed confuſus variarum hæreſum ſtrepitus conſpiciuntur aut exaudiuntur? Cùm autem turbatis ordinibus talis iam Sacerdos ſit, qualis eſt populus,diuiniſq; humana ſint permixta: anne abominationē iſtā deſolationis ſentis,quā S.Athanaſius eſſe dicebat,cū Laici creare Epiſcopos & Sacerdotes,res ſpirituales adminiſtrare,diuiniq; myſterij ac verbi tractationem ſibi vſurpare, intolerabili temeritate ſunt auſi?

Iam verò nec deniq; vnū corpus iſthic cernimus, ꝙ vnum ſpiritum habeat: tum quoniā monſtrum eſſet corpus, quod duæ animę regerent,(vnius verò formę,atq; animę,vna primaria operatio eſt, nec diſcors, & ſecū pugnans, qua quidē diſcordia cùm hæreſis agatur,nō vnum, ſed varios ea ſpiritus habeat neceſſe eſt) tum etiā, quòd cui propria deeſt operatio, huic,quoq; ipſa vita deeſt,ac ſpiritus. Cū verò iſti quandā ſolùm fidē informem ac mortuā agnoſcant, ecquam Eccleſiam aut corpus viuum agnoueris? Præterea ſi euerſo fundamento omnia ruunt,fide aūt ac religione, & reliquis pleriſq; Articulis fidei deficientibus,in horum locum errores ijdem ſucceſſere, quos euidentiſsimum eſt antiquitus ab Eccleſia fuiſſe damnatos,nullum hîc tu iam corpus aut Eccleſiā mihi oſtendere poteris. Si quis autem præciſis in animāte neruis,fibris, venis,primarijs item membris,corde,hepate, cerebro amotis,corpus tamen viuere dixerit,vtiq; cadauer potius iſtud fuerit,ad qd corui,id eſt, Apoſtatę confluxerunt,quàm corpus illud,ad quod(teſtante Chriſto) Aquilæ,hoc eſt,ſapientiſsimi, & perſpicaces Patres à terrena vita procul euolantes, vnanimi cōſenſu conuenerunt. Sed audiamus B.Auguſt.(To.*10*.Ser.de tempore *186*.

Videtis quid faciat anima in corpore? omnia membra vegetat, per oculos videt, per aures audit,per nares olfacit, per linguam loquitur,per manus operatur,per pedes ambulat:omnibus ſimul adeſt membris vt viuant, vitam dat omnibus,officia ſingulis. Non audit oculus, non videt auris,non videt lingua, nec loquitur auris & oculus: ſed tamen viuit, viuit auris, viuit lingua,officia diuerſa ſunt, vita communis.Sic eſt Eccleſia Dei, in alijs Sanctis fecit miracula,in alijs Sanctis loquitur veritatē, in alijs Sanctis cuſtodit virginitatē, in alijs Sanctis cuſtodit pudicitiam virginalem, in alijs hoc,in alijs illud : ſinguli, propria operantur,ſed pariter viuunt. Quod autē eſt anima corporis hominis, hoc eſt,Spirit' S.corporis Chriſti,quod eſt Eccleſia:hoc agit Spiritus S.in tota Eccleſia, quod agit anima in omnibus membris vnius corporis. Sed videte quid caueatis, videte quid obſeruetis, videte quid timeatis. Contingit vt in corpore humano, imò de corpore aliquod præcidatur membrum, manus,digitus,pes: nunquid præciſum ſequitur anima ? cùm in corpore eſſet,viuebat,

præ-

præciſum amittit vitam . Sic & homo Chriſtianus, Catholicus eſt dum in corpore viuit, præciſus, hæreticus factus eſt: mēbrum amputatum non ſequitur Spiritus.Si ergo vultis viuere de Spiritu Sancto, tenete charitatem, amate veritatem deſiderate vnitatem , vt perueniatis ad æternitatem. Hæc ille.

Cùm verò ex ipſis Euangelijs, Actis Apoſtolorum, Canonibus Apoſtolicis,& antiquiſsimis Synodis conſtet, nullam vnquam habitam fuiſſe Eccleſiam,quam quę ijſdem ritibus & ordine conſtituta eſt,quibus Catholica conſiſtit:ſanè nemo cordatus ſibi imponi patietur; ſi quem dicentem audierit, Eccleſiam ibi eſſe,in qua antiquiſsimæ totius Eccleſię, ne vllum quidem veſtigium exiſtat.

INTERROGATIO V.

Cùm Baptiſmus in Septentrione verus adminiſtretur, nonné ſaltem qui eo initiantur,ad Catholicam, id eſt, veram Eccleſiam ſpectant, licet veros Sacerdotes non habeant?

RESPONSIO.

NIhil ſanè prohibet : in fide enim Eccleſiæ baptizantur, quotquot ritè baptizantur: ac niſi extra Eccleſiam per hæreſim aut perfidiam exeant, ſunt è noſtris, Catholicique ſunt, æternam verò ſalutem conſequi poſſunt, ſi fidei fundamento ſuperædificent aurum, argentum, gemmas,ſicut Apoſtolus ſcripſit: aut ſi in peccata prolapſi,denique verè reſipiſcant. Verùm quotuſquiſq; eſt qui cùm adoleuerit,haud iſtis falſis Sacerdotibus adhæreat,eorum erroribus non imbuatur, falſa pro veris Sacramenta non ſumat, atque etiam vbi vnà cum ijs Eccleſiam Catholicam(quę eſt corpus Chriſti)blaſphemare didicerit, tum moriens peſtilenti pane,nō autem vero Sacramento & corpore Chriſti Domini accepto,miſerrimè non pereat? Vnus(inquit S. Auguſt.)eſt Deus, vna fides,vnum Baptiſma ; vna incorrupta Catholica Eccleſia: nō in qua ſola vnus Deus colitur, nec in qua fides retinetur : nec in qua ſola vnus Baptiſm' habetur,ſed in qua ſola vnus Baptiſmus ſalubriter habetur.

INTERROGATIO VI.

Licebit né alicui ob metum mortis, aut ob rerum ſuarum amiſsionē, vel propter ſpem alios ad Catholicā fidem conuertendi, ſimulare Lutheraniſmum aliāue hæreſim, aut publicè profiteri ſe nolle Catholicæ Eccleſiæ obedire: etiam ſi clàm velit eſſe Catholicus?

RESPONSIO.

FAlsvm bonum eſt verum malum, ſicut vel ipſe Philoſophus dixit, Mala autem (inquit Apoſtolus)facienda non ſunt,vt veniant bona. Itaque ſi quis hæreſim ſimulet,quæ res alijs ſcandalum & perniciem ſemper attulit, is flagitium Chriſtiana veritate indignum committit.Deus porrò,qui veritas ipſa eſt, neque ad veritatis ædificium extruendum mendacio noſtro eget,nec vſus eſt vnquam.Quod ſi aliquando ante Synagogę & Moſaicę Legis ſepulturam(Chriſtianæ ſcilicet initio naſcentis Eccleſię)aliquid Apoſtoli viſi ſunt in obſeruatione ſimulaſſe,id nō erat hæreſim fingere ; (quod ſemper habitum fuit immane ſcelus)nec facinus aliquod perpetrare,cùm Euangelio nondum plenè promulgato, lex illa(quę fuerat ad tempus à Deo inſtituta,neq; ex ſe mala erat)vim aut ſaltem dignitatem quandam tam diu obtineret, donec Euangelij lux altiùs exoriens, præteritarum rerum vmbram prorſus abigeret. Itaq; cùm quidam antiquitus 1.Cor.8. idolo oblatis veſcerentur(& ſi non ad eum finem,vt viderentur idololatrię cōſentire)quoniam aliqui ſcandalum patiebantur,eos damnat Paulus acerrimè : quantò acriùs damnaſſet eum,qui licet non hæreticus nec idololatra, vnà tamen cum hęreticis voluiſſet ſentire videri?

Accedit exemplum Eleazari, cui cùm ſub capitis pœna iuſſum fuiſſet, vt carnes ſuillas ederet,& ſecretò carnes alias nō prohibitas , quę ſpeciem porcinæ haberent,amici offerrent:intrepidus mori,quàm fingere maluit, nempè ne aliqui putarent,ipſum legem tranſgredi, & cum idololatris ſentire. Quantò igitur minùs licebit hæreſim ſimulare, aut hęreticorum falſis Sacramentis, vel eiuſmodi alijs rebus, vnde alij vel erroris, vel confirmationis in errore occaſionem ſumunt ſeſe immiſcere?

At etiam innumerabilia ſunt exempla Martyrum,qui cruciatus acerbiſsimos pertulēre,ne vel ſolo nutu perfidiæ ſignum aliquod ederent, & Eccleſiam, quam Dei Filius veritate & amariſsima morte fundauit,mendacio polluerent, & vitę fœda cōuerſione defererent.

Accedit veneranda illa, & tremenda Chriſti ſententia:Si quis me erubeſcet corā hominibus , & ego erubeſcam eum coram patre meo.Quam ſi quis verè æſtimat,fateatur neceſſe eſt,eum , qui capitis ſui & caducarum rerum , quàm Chriſti Domini maiorem rationem habet, ac terrę cœlum poſtponit,nunquā cœlum(niſi reſipiſcat) conſecuturū. Rurſus(inquit Apoſtolus) Corde creditur ad iuſtitiā,ore fit confeſsio ad ſalutē.Quamnam igitur ſalutem ſperet,

 qui

qui cùm esse debeat paratus, vnicuique de ea, quæ in nobis est spe interroganti rationem reddere, confessioné fidei suæ opportuno tempore non faciat? Addit porrò Apostolus: Ab omni specie mala abstinete vos. (1.Thess.5.) Atqui hoc habet specié mali, quare & peccatum est: quin verò cùm ab aliquo aliquid fit, vt hæreticus videatur, id non speciem solũ, sed rem quoq; mali habet, præter quã quòd actiuum scandalũ (vt cũ Theologis loquamur) ex se (licet inde alij scãdalo non afficiantur) peccatũ est contra ius diuinũ & naturale. Quamobrem quis erit in sui & proximi salutẽ tam excors, vt naturalem ac diuinam legem, quam Christus venit implere, pro leuitate nostri capitis, (qui vermiculi sumus) putet esse abrogandam? At verò cùm ea, quæ ad diuinũ cultũ, fidemq́; pertinent, ad primam Decalogi tabulam spectent, legesq́; alias omnes, vel naturalia præcepta præcellant, sanè vbi agitur de fide sincerè testanda, diuinus honor, intrepidè nostræ vitę præponendus est. Nec verò metus mortis, aut mundanarum rerum amissio est expauescenda. Timete enim (ait Dominus) qui potestatem habet mittere in gehennam. Atque alibi: Quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suę detrimentum patiatur? Quamuis autem fidei Catholicæ confessio semper & vbique (hoc est sine necessitate) facienda non sit, nunquam tamen hæreticos nos esse, aut ipsorum ritibus nos adhęrere ostendendum est. Quin verò eò magis esse Catholicos testari debemus, cùm ex nostra taciturnitate scandalum consequeretur aliorum. Quod quidem ad eos pręcipuè pertinet, qui publicam personam vel magistratum gerũt. Si qui autem putant sibi licere hæresim nõ solùm fingere, verumetiam ijsdem de causis, quas attigimus, iuramento confirmare se non esse Catholicos: ij legant B. Augustini libellum de Mendacio, & ad Quod vult Deum de hæresibus, inter quas illos ab Ecclesia Dei damnatos enumerat, qui cùm hoc ipsum sentirent & facerent, Carmen illud vsurpabant:

Iura, periura, secretum pandere noli.

INTERROGATIO VII.

Licet ne Sacro interesse, vel Eucharistiã sumere, vbi Sacerdos ritè quidem olim Sacris initiatus sit, verũ posteà fuerit, & adhuc habetur Lutheranus, atq; ideò nescitur, an Ecclesiæ Catholicæ sit recõciliatus?

REPSONSIO.

EXCOMMVNICATVS ab Ecclesia, ligatur in cœlo, vt S. Augustinus ait. (In. Ioan. Tom.9. tracta.50.) Agit enim (vt ille ipse inquit) in Ecclesia excommunicatio, quod agebat in veteri Testamento interfectio: omnisq́ue excõmunicatus, Satanæ traditus est, quemadmodũ (To.7.quæsti.super Deut. li.5. cap.9.To.2.Epist.75.) pręter B. August. S. Paulus ostendit, & corporibus inflictæ à Dęmonibus pœnę, initio nascentis Ecclesię cũ aliqui excommunicabantur, apertè designabant, quã horrendum sit incidere in excommunicationem, ex qua multò grauiùs animæ affliguntur, quàm cùm corpora patiebantur. Apostoli verò atq, Concilia, & Patres, hac excommunicatione non vt politico remedio, vel vt Poëtico spectaculo, sed vt ignis gladio, quemadmodum eam ab Apostolis esse vocatam, (testis est S. Clemens Romanus) pertinaces & impios semper ab Ecclesia resecãrunt. (S.Clemen. constit. Apost.c.24.43.47.)

Hi verò (vt extat in Apostolicis constitutionibus) ex Ecclesia eiecti, sunt meritò abscisi à cœtu Domini, & à vita immortali & gloria reiecti, atq; apud iustos & pios homines inhonorati & inglorij, atq; apud eundem Deum dãnati: quibus abscisis, Ecclesia Dei magis quã antea ornata est, cùm erat in eã aliquod membrum superuacaneum, & ab ea alienum.

Quæ cũ ita sint, esto iudicium eius, qui seriò & sincerè ad vitã æternã aspirat, num Christiano liceat de manibus excõmunicati, & apud Deũ & Ecclesiã publicè dãnati Sacerdotis, Sacramẽtum accipere, aut eius Sacro interesse? Quę enim participatio lucis ad tenebras, inquit Apost. At de manibus pestilẽtis hominis, cibũ ob contagionis metum nõ audemus accipere, & verò ab homine ab Ecclesia triumphãte ac militãte abscisso, diuinã Eucharistiã sumemus? Peccãt igitur multùm qui hoc faciunt. Nec ille quoq; non grauiter à Deo plecteretur, qui verbo, aut ipso nutu id licere, honestum ob finẽ aliquem esse assereret. Quod enim sua natura malum est, id bonum esse nunquã potest. Quare non tantùm qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, eàdem digni sunt pœna. Atqui cùm Sacerdos, cui ab Ecclesia Sacris interdictum est, Sacrum facit, aut Sacramenta ministrat, lethale peccatum cõmittit: quamobrẽ, & qui ipsi peccandi occasionẽ præbet, eodem se miserrimus laqueo implicat. Quod si (vt inquit Scriptura) mẽdacium Deus abominatur: quã in negotio fidei erit abominabile, ipso Sacramento, & re Sacramẽti abuti? quæ quidem Christus Iesus, qui seipsum nobis in Eucharistia misericordissimè dedit, vt præter alia certissimum fidei veritatis atq; vnitatis Christianę symbolum esset, certè ab ijs, qui ab vnitate ipsa sunt pręcisi, nulla ratione vult sumi, vel ministrari: nec denique vult vt à nobis in diuinis rebus vlla cum ijs communio retineatur.

INTERROGATIO VIII.

An ab Orientis Ecclesijs, qualis est hoc tempore Alexandrina, atque aliæ eiusmodi, regula credendi, & Sacerdotum consecrandorum facultas peti iustè possit?

RESPONSIO.

PELAGIANI antiqui hæretici cùm fide & auctoritate Occidẽtalis Ecclesiæ, à B. August. sic premerentur, vt nõ possent euadere, ad Orientis Episcopos se prouocare fingebant, quibus ille ita respondet: (To.2.Con. Iuli.Pelag. lbi.cap.2.)

Iterum (inquit) te admoneo, iterum rogo, aspice tot ac tales Ecclesiæ Catholicę defensores atq; rectores. Vide quibus tam grauem, tamq; nefariam irrogaris iniuriã. An ideò contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesiæ sunt omnes, nec vllus in eis est commemoratus à nobis Orientis Episcopus? Quid ergo faciemus? cũ illi Græci sint, nos Latini? Puto tibi eam partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorũ voluit Deus gloriosissimo Martyrio coronare: cui Ecclesię præsidentem B. Innocentium, si audire voluisses, iã tunc periculosam iuuentutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille S. Africanis respondere Concilijs, nisi quòd antiquitus Apostolica Sedes & Romana, cũ cæteris tenet Ecclesia? Et paulò pòst: Non est ergo quòd prouoces ad Orientis Antistites, quia & ipsi vtiq; Christiani sunt, & vtriusque partis terrarum fides ista vna est, quia & fides ipsa Christiana est, & te certè Occidentalis terra generauit, Occidentalis regenerauit Ecclesia. Et pòst citatum Gregorij Nazianzeni testimoniũ: Audis omnes vno corde, vno ore, vna fide idipsum dicere, & hanc esse Catholicam fidem non dissonante contestatione firmatam. An tibi parua in vno Gregorio Episcoporum Orientalium videtur auctoritas? est quidem tanta persona, vt neque ille hoc, nisi ex fide Christiana omnib⁹ notissima diceret, nec illi cùm tam clarum haberent, atque venerandum, nisi hæc ab illo dicta, ex regula notissimæ veritatis agnoscerent. Sed si vis, addimus & huic S. Basilium, imò velis nolis, addendus est. Et paulò pòst: Vide iam vtrum sufficiant tibi ex Orientis Patribus duo isti tam insignes viri, & tam clara præditi sanctitate, & sicut fer tur, etiam carne germani? Sed dic non sufficere. Habemus alios Oriẽtales Episcopos quatuordecim, Eulogiũ, Ioannẽ, Ammonianũ, Porphyrium, Eutoniũ, Porphyriũ Fidũ, Zozymũ, Zoboenum, Nymphidiũ, Chromatiũ, Iouinum, Eleutheriũ, Clematium, quos vno loco simul inuẽtos, in istum consessum introducere valeam. Et hæc quidem B. Augustinus.

Ex quibus facilè colligi potest, sufficere nobis debere Occidentalem Ecclesiam, in qua tot Martyres, tot ac tales Ecclesiæ defensores, ipsa à CHRISTO instituta veritatis cathedra sunt, à qua ista quoque Regna Catholicam fidem acceperunt: ac proinde non sine crimine schismatis ab eiusdem ordine, ritibus ac legibus, nemini esse recedendũ. Quod si tamen ad Orientis Ecclesias & Episcopos etiamnũ prouocetur, cur non prouocatur ad antiqua Orientis lumina, quorum cum Romana Ecclesia, vna fides eademq́; Ecclesia fuit? Neque. n. aut legem cœlibatus inter Sacerdotes violatã, aut hierarchicum Ecclesiæ ordinẽ turpiter à laicis corruptum, ex antiqs Orientis Patribus poterunt afferre, qui Apostolicã normam secuti, nunquam suo tempore id permisère: quales fuère Sancti Alexãder, Athanasius, Cyrillus Alexãdrię, Sanctus Chrysostomus Bizantij, Diu⁹ Basili⁹ Cæsareę, B. Gregorius Naziãzi, S. alter Cyrillus Hierosolymæ, B. Epiphanius Cypri, B. Theodoretus Cyren. & plerique oẽs alij Episcopi. Octingenti verò propemodũ anni sunt, quib⁹ Gręci & Oriẽtales permulti, non solùm in ritibus, verùmetiã in præcipuis fidei articulis, atque adeò in Spiritus Sancti processione à Patre & Filio aberrantes, antiquos quoq; Canones, laxata disciplina respuere cœperunt, quos quidẽ Canones, in ipsis Orientis Cõcilijs, ipsi Patres vniuersa cum Ecclesia, vnanimi consensu olim ediderant. Quamobrem iusto Dei iudicio factum est, vt qui dum Ecclesiæ Catholicæ adhæserunt, per octingentos fermè superiores annos, octo generalia concilia, plurimosq́ue sanctissimos & doctiss. Patres habuerunt, sequentibus octo iam seculis, nullã ampliùs Synodum, nullos habuerint Sanctos, aut integros in Orthodoxa fide Theologos, pręter eos qui ab Ecclesia catholica seiungi noluerunt: corpora item, & scripta Patrum antiquorum amiserunt, quæ ad Catholicos omnia, tanquam iusta ad veros hæredes possessio (recusantibus ipsis eorum Patribus, cum degenerib⁹ filijs remanere) trãslata sunt: Gręci verò libertatẽ deniq; corporũ perdiderũt: ac qui Põt. Max. & Apostolicę Sedi primariæ à Christo institutæ aduersari præsumpserunt, etiã barbarorum turpissima mancipia sunt facti. Itaque ab istis Ecclesię formã fideique regulam petere, quid aliud est, quàm ex ruderib⁹ & ruinis potiùs, quã ex integro, solido, pulcherrimoq; palatio, formã ædificãdi, aut ex abscisso ac demortuo membro, potiùs quàm ex viuo capite viuendi spiritum petere?

INTERROGATIO IX.

Quid ergo? ſi quis triumphantis Eccleſiæ fidem & antiquorum Patrum doctrinam ſequatur, nonne ſaluari poſſit?

RESPONSIO.

Rom. 8. ECCLESIA triumphans, nullam iam fidem, aut ſpem habet: nam quod videt quis, inquit Apoſtolus, quid ſperat? Et Sanctorum quidem hinc euolãtium in cœlum, fides & ſpes ceſsârunt, charitas verò manſit, nec vnquã excidet. Eorum autem viuam fidem dum in terris verſabantur, ſi quis in hac vita ſequutus fuerit, ſaluari ſine dubio poterit. At eam re vera ſequi nemo dicendus eſt, qui in Eccleſia militanti cum immaniſsimis hoſtibus, mundo, carne, Satana, perpetuum bellum non gerat: nec in alijs caſtris, vel ſub alijs vexillis, aut alijs teſſeris & Sacramentis pugnandũ eſt, quàm quibus ijdem Sancti, cœleſte ſtipendium meruerunt. Porrò ij prius integerrima cũ fide & maxima cum humilitate, in Eccleſia Catholica vixerunt, tantumq́; abeſt, vt metu aliquo ſeſe ab ea ſeiunxerint, aut in re fidei ſimulauerint, vel leges ipſas Eccleſię præuaricati fuerint, vt pro his omnibus vitã, duriſsima inter cruciamenta profuderint. Quamobrem nec nobis temerè triumphus ante victoriam canendus eſt; cùm qui coronari, & triumphantium in cœlo felicitatem aſſequi velit, is legitimè priùs credat, & certet neceſſe ſit.

Iam quod ad Patrum doctrinam pertinet, cũ hoc ipſum, quod de triũphante Eccleſia diximus, referri huc poſsit; tum ex eorum Patrũ vitis & libris, hauriẽda noſtrę vitę, doctrinęq́; ratio eſt: vtrumq; autẽ horum ſi quis fecerit, ſaluari ſanè poterit. Veruntamen inprimis (vt dixi) ſeriò eorũ fidem teneat, vitamq́; imitetur, nec ſibi fruſtra de alterutro blandiatur, ſi neutrum faciat, aut ſententias Patrũ (nec eas forſan omninò intelligens) duntaxat aliquas legerit, vel audierit. Cæterùm qua ratione diuina Scriptura, & Patres legendi, intelligendiq́ue ſunt, poſteà dicetur.

INTERROGATIO X.

Quid verò, ſi quis obiecerit, Eccleſiã quoque Catholicam defeciſſe, aut ita ægrotã eſſe, vt ſenſum veritatis amiſerit, num quis differre ad Catholicos reditum debet?

RESPONSIO.

NEQVE Eccleſia Catholica vnquam defecit, aut deficiet, neque ægrota eſt, ac proinde nemo differre debet, quin Catholicus fiat. Audi verò B. Auguſt. iſti quęſtioni reſpondentem: Sed illa Eccleſia (inquiunt de Catholica hæretici) fuit omniũ gentium, iam non eſt, perijt. Hoc dicunt (reſpondet Auguſtinus) qui in illa non ſunt. O impudentem vocem, illa non eſt, quia tu in illa non es; Vide ne tu ideò non ſis: nam illa erit, & ſi tu non ſis. Hanc vocẽ abominabilem & deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, pernicioſam, pręuidit Spiritus Dei. Hæc ille: qui & alibi aduerſus Donat. libro 3. de Bapt. cap. 2. adhuc preſsiùs hoc ipſum vrget. Aut iſta (ait) Eccleſia, quę nunc apparuit, antea perierat, & nunc reſurrexit; aut non perierat, ſed tantùm latuerat, & nunc extulit caput. Nõ primùm, quia tunc non potuiſſent renaſci ipſi, ſi mater perierat: Si perijt, vnde ergo bonitas apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo cœlo cecidit? Hoc igitur & nos Catholici aduerſus hos Lutheranos afferre poſſumus, qui ſicut Donatiſtæ faciebant, de toto orbe terrarum Eccleſiam perijſſe mentiuntur.

In Pſalm. 101. Con. 2.

Præterea ſi Eccleſia defecit aut ignota eſt, id contigiſſe dicendum eſt, vel ob doctrinæ immutationem, vel propter Sacramentorum numerum ab antiqua diuerſum Eccleſia, vel ob nouum in ea ordinem (qui olim non fuerit) inſtitutum: ſed hęc tantùm abeſt, vt quidquam immutationis acceperint, nullo vt ſeculo non eadem fuiſſe credita aut vſitata ipſimet Lutherani Magdeburgenſes fateri ex ipſis Patribus coacti ſint. Alioquin tempus, locus, perſonæ monſtrentur, quibus cerni poſsit, noua Sacramenta, nouumq́ue ordinem ſacrum inſtitutum à Catholicis fuiſſe: aut à legitimo aliquo & approbato Concilio ſuperiora fidei dogmata conuulſa; vel Patres & Eccleſiæ Doctores poſt quæſtiones aliquas ab Eccleſia deciſas, nouam è proprio capite eadem de re doctrinam inter populos ſparſiſſe; vel aliũ in Eccleſia Primatum ſummãq; auctoritatem à Chriſto inſtitutã agnouiſſe, quàm quę nunc ſit. Quod ſi ita eſt, quid iſtos Lutheranos prohibet, quo minus antiquiſsima Concilia, Patres ipſos Apoſtolis viciniſsimos, potiùs quã noua Apoſtatarum deliramenta ad verbũ Dei ritè exponendũ, & antiquę ſtatũ Eccleſię oſtendendũ populis proponãt? Nota. At quãdo iſtos ſepeliũt, nec ex ijs docẽt, & pro verbo Dei ſua figmẽta venditãt, & ſinguli varias & diſcordes Chymeras nõ Eccleſias excitant: cordatus quiſq; iudicet, quàm impudẽti fronte, Eccleſiæ Catholicæ notam interitus (quoniã ipſi interierunt) vellent inurere.

Reſtat igitur, vt fortè ſic ægrotârit, vt quoniã qui pręſunt in ea, improbi ſunt, ꝓpterea Spiritus S. illã prorſus deſeruerit. At

At auctoritas eorum, cùm à Chriſto pendeat, neque ſuper hominibus tantùm, ſed ſuper Chriſto ſit fundata, & in aliorum bonum tradita, aliaq́ue officij, alia vitij ratio ſit, illa vel probitate augeri, vel improbitate minui nequit. Alioquin Apoſtolorum tempore naſcens Eccleſia in morbum grauiſsimum incidiſſet, ex quo nunquam cõualuiſſet. Intercideret item poteſtas omnis ſecularis, à Deo, inferiore licet gradu inſtituta, ſi ſtatim ob peccata alicuius ægrotare & ineruari deberet.

Sed fac Eccleſia ſenſum veritatis ex eiuſmodi morbo amiſerit, quinam noui Galeni, vel Paracelſi, nouo aliquo medendi aut diſtillationis genere, ſaniei non purgatę cicatricẽ volentes obducere, eam ſanabũt? certè diuinæ oculus ꝓuidentię immẽſa ſua ſapientia, in Eccleſia tanquã diuite officina (ſicut eã S. Baſil. vocauit) aduerſus omnium generũ morbos, omnia medicamentorũ genera olim locauit in perpetuũ. Quæ pharmaca per generalia legitimaq́ue Concilia, perq́; alias rationes, erroribus & vitijs extirpandis, à legitimis medicis adhibita ſemper fuerunt & profuerunt, neq; Eccleſiæ vnquã defuerũt aut deeſſe poſſunt. Fruſtrà ergo ſibi quiſquã illius ſanandæ curam vſurpat, ſuis quã quiſq; morbis depellendis, niſi velit eſſe inſanabilis, procurare ab ipſa vna Eccleſia debet.

INTERROGATIO XI.

Suntne aliquæ proprietates tàm certæ, vt ijs Eccleſiam Catholicam ab omnibus alijs Eccleſijs dignoſcere poſſimus?

RESPONSIO.

SVNT ſanè, atque ita certæ, vt articulos fidei in Symbolo cõprehendãtur. Sed in primis illud ſtatuendum eſt, Eccleſiam eſſe viſibilem cętum, in qua qui ſunt, ij eũdem Baptiſmum, eandemq́ue fidei Catholicæ profeſsionem habent, ſubiectionem verò, & obedientiam legitimis Paſtoribus præſtant.

Catechiſ. Rom. Cùm itaque audis Eccleſiam, quæ vox euocationem ſignificat, ſtatim diuinæ gratię benignitas, & ſplendor menti tuæ illuceſcat: intelligaſq́ue Eccleſiam ab alijs Rebuſpublicis maximè differre. Illæ enim humana ratione nituntur: hæc autem Dei ſapientia & conſilio conſtituta eſt. Vocauit enim nos intimo quidem Spiritus ſancti afflatu, qui corda hominum aperit, extrinſecus autem Paſtorum & prædicatorum opera, aut miniſterio. Et quidem Synagoga (vt docet Sanctus Auguſtinus in Pſalmo ſeptuageſimo ſeptimo & octuageſimo primo) ita vocabatur, quia pecudum more, quibus magis congregari & cogi conuenit, terrena & caduca tantùm bona ſpectabat: Chriſtianus verò populus Eccleſia dicitur, quia terrenis & mortalibus rebus contemptis, cœleſtes, & æternas tantũmodo conſectatur.

Cùm verò aliquis nullam viſibilem, ſed inuiſibilem Eccleſiam eſſe dixerit, ab hoc fuge tanquam à facie colubri, & prophanas vocum nouitates deuita. (Contrà Parme. li. 3. cap. 4.) Nulla eſt enim (vt ait S. Auguſt.) ſecuritas vnitatis, niſi apud Eccleſiam, quæ ſupra montem poſita abſcondi non poteſt: & ideò neceſſe eſt, vt omnibus terrarũ partibus nota ſit. (Auguſt. ad Vincent. Epi. 48.) Itaque vbi Eccleſia manifeſta non eſt, ibi nec Chriſtus quidem (eodem teſtante) manifeſtus eſſe poteſt, qui per Eccleſiam non ſolùm hominibus, ſed Principibus, & poteſtatibus in cœleſtibus innoteſcit.

At cùm eandem Eccleſiam eſſe intelligis cœtum, hunc non ſolùm plebem, peculiaremq́ue ac nouam eſſe Rempublicam, quæ per Baptiſmum nomen Chriſto dederit, eiq́; conſecrata ſit crede: ſed & ipſos Eccleſiæ pręfectos, atque antiſtites, in quibus poteſtas huius Eccleſiæ potiſsimum reſidet: veriſsimum enim illud Ariſto. eſt, ciuitatẽ id maximè eſſe, ꝙ eſt in ea principale, (Ethic. 4.)

VNITAS, ECCLESIAE PROprietas.

CHRISTIANOS autem ante omnia Spiritus ſanctus edocuit, vnam eſſe Eccleſiam, quia hac proprietate attẽtè perſpecta, ipſa ſe Eccleſiæ pulchritudo, & veritas mirificè exerit. Nec porrò vna tantùm dicitur ob eundem finem, ſpemq́; felicitatis ęternę: vel ob eadem media, Sacramenta nempè & leges, aut propter eundem Spiritum S. à quo gubernatur, & diuiſiones gratiarum accepit, perinde ac ab anima corporeis membris vita tribuitur: verùm in primis propter membrorum, id eſt, fideliũ cum ſuo capite; & inter ſeſe admirabilem vnitatem, atque connexionem.

Cùm autem caput dico, Chriſtum intellige, ſed eum, qui pro noſtro captu ſapientiſsimè nos regat. Itaque quẽadmodum verũ eſt, quod ab Apoſtolo dicitur: Ipſum dedit caput ſuper omnẽ Eccleſiam: ita verum illud eſt, quod ipſemet Chriſtus dixit Matth. 16. Et ego tibi dico Petre, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam, &c. Et Ioan. 21. Paſce oues meas: Neque verò quoniam Prorex in Regno cõſtituitur, Regis poteſtas tollitur, ſed ſaluti omnium meliùs proſpicitur. At cùm ordinatiſsimè omnia faciat Deus, non tantùm quid ille abſoluta poteſtate facere queat, quã quid nos deceat, ſpectare debemus. Alioquin ſi viſibile demas Eccleſię caput, eadem ratione Paſtores omnes tollas neceſſe eſt, quos & fundamenta, & lapides, & rectores,

ctores,ac tanquam viſibilia quædam capita,loco Chriſti in priuatis Eccle. dedit,ad conſummationem Sanctorum in ædificationem corporis Chriſti.

Chriſtus itaq; caput eſt ſuper omnẽ Eccleſiam,id eſt,triumphantem, & militantem,quæ eſt corpus eius, vt ſit Deus omnia in omnibus: quia(vt inquit Theodoretus) natura diuina circũſcribi nõ poteſt. At nõ eſt hîc omnia in omnibus,ſiquidem hîc alij ſunt impij, alij ſcelerati, & peccatis dediti: Deus autem habitat in ijs,qui timent eum, & ſperant in miſericordia eius. In altera vita,tributa immortalitate,& depulſo interitu,& peccatis omnibus eiectis, erit omnia in omnibus,quando(ſicut ait Sanctus Ioannes)ſimiles ei erimus. Hæc ille. Tale igitur Eccleſiæ caput eſt Chriſtus,ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis,ſecũdum operationem in menſurã vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit,in ædificationem ſui in charitate.

Petrus autem, quique illi ſucceſſere, vt auctoritatem, ita vim omnẽ ab eodem capite acceperunt, vt rectiſsimè S. Leo Primus,ita loquentem Chriſtum faciat: Ego (inquit Chriſtus)inuiolabilis petra:ego lapis angularis, qui facio vtraque vnum:ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere:tamen tu quoq; petra es,quia mea virtute ſolidaris, vt quę mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.

Leo ſer. in die anniue aſſumpt. ſuæ.

Itaque nec aliunde(vt inquit S. Cyprianus)ſchiſmata,& hęreſes obortę ſunt,quã quoniam viſibili in Eccleſia Paſtori pro tempore à Chriſto conſtituto, tota fraternitas non obedit, Eccleſięque Romanæ ob potentiorem(vt inquit S. Irenęus)principalitatem non accedit:ac propterea(vt S. Hierõnymus docet)profan⁹ eſt,qui cathedrę Petri non conſociatur,& extra hanc domũ agnum vult comedere: Si quis verò obijciat(inquit B. Ambroſius)Eccleſiam vno capite ſponſo Ieſu Chriſto contentam,prӕterea nullum requirere,in promptu reſpõſio eſt. Vt enim Chriſtum Dominum ſingulorum Sacramentorum, non ſolùm auctorem,ſed intimum eius præbitorem habemus(nam ipſe eſt qui baptizat, & qui abſoluit,& tamen is homines Sacramentorũ externos miniſtros inſtituit) ſic Eccleſiæ, quam ipſe intimo Spiritu regit,hominem ſuæ poteſtatis Vicarium & miniſtrum pręfecit. Nam cùm viſibilis Eccleſia, viſibili capite egeat, ita Saluator noſter Petrum, vniuerſi fidelium generis caput, & Paſtorẽ conſtituit (cùm illi oues ſuas paſcendas, verbis ampliſsimis commendauit) vt qui ei ſucceſsiſſet, hunc eandem planè totius Eccleſię regendæ & gubernandæ poteſtatem habere voluerit.

Ire. li.3. c.3. In lib. cõ. Iouin. in medio, & Epiſt. ad Damaſc.

Cæterùm non cum capite ſolùm,ſed inter ſeſe quoque hæc vnitas eſt, ad quam ſignificandam,huic articulo fidei,verba illa adiecta ſunt: Credo communionem Sanctorum. Quare eadem Sacramentorũ communione Catholici colligantur, participeſque fiunt omnium timentium Deum. Ac licet multa ſint membra, vnum tamen corpus cõſtituunt,in quo ſingula proprio,non autem omnia, eodẽ munere funguntur. Sic porrò ita apta inter ſe, & connexa ſunt,vt ſi vnum doleat,aut gaudeat, condoleant & congaudeant reliqua, mutuamque operam ſibi prӕſtent. Atque denique ad ſubleuandam aliorum miſeriam prompta ſint ſemper, atque parata.

Accedit id, quod infrà inſeremus, omnes ſcilicet Scriptores ſacros,mirabiliter in omnibus, quæ ab Eccleſia fuere decreta, conſenſiſſe,quamuis diuerſiſsimi illi,temporibus ac linguis, & in locis diuerſiſsimis fuerint:quę res tanquã diuina à S. Auguſtino monſtratur, lib. 18. ciuit. cap. 41.

Prӕterea omnia Conciliorum atq; Pontificum decreta, mirificè in omnibus dogmatibus,conſentiunt: licet edita ſint à diuerſis hominibus, varijs in locis, temporibus,occaſionibus: & contra diuerſiſsimas, immò ſæpè contrarias hereſes. Quod vt eſt apertiſsimum ſignum, vnius & eiuſdem Spiritus, ſanctam Eccleſiam gubernantis: ita hoc eſſe veriſsimum,oſtendit ſilentium hæreticorum, qui licet omnia diligenter euoluerint, tamen nihil alicuius momenti inuenerunt,ꝙ poſſent reprehendere,vti doctiſsimi Catholici ſcriptores oſtendũt.

Quęomnia ſi in hęreticorum congregationibus conſiderentur (qui iſtam non ſolùm cum capite viſibili, & inter nos,ſed inter nos quoque & Eccleſię triumphantis ciues,communionem negant)nulla apparet vnitas,nulla Sanctorum communio, ac propterea nulla inter eos Eccleſia eſt. Quot enim hæreſes,& antiquo tempore,& etiam hoc noſtro ex ſepticipiti illa hydra Lutherana enatę ſunt, quæ de fundamentis fidei,deque ipſo Chriſto, de Sacramentis,de perſonis ipſius ſanctiſsimæ Trinitatis,mirificè diſsident, plus notum eſt, quã vt dici queat. Proinde ſchiſmatici(vt ſuperius monſtratum eſt)nullam Eccleſiam habent,quos cum ramis, riuulis, & radijs,ab arbore,fonte,ſole, præciſis,apertiſsimè collatos Optatus ait eſſe, protentos de mendacio,non de radice veritatis. Non ergo, ait S. Auguſtinus, inſultent hæretici per partes conciſi:non ſe extollant,qui dicunt Eccleſiæ:hîc eſt Chriſtus,ecce illic. Qui dicunt ecce hîc, ecce illic,ad partes inducunt. Vnitatem promittit Deus. Reges in vnum collecti ſunt, non per ſchiſmata diſsipati. Sed fortè(ſubdit)iſta ciuitas, quæ mundũ tenuit,aliquando euertetur? abſit: Deus fundauit eam in æternum. Quid times?ne cadat firmamentum? Iam igitur vnám certiſsimam Eccleſię proprietatem hábes, ex qua item intellige, non mirum eſſe, ſi qui populos ab Eccleſia ſeparârunt, eos tam auidè & à Regibus terræ tandẽ Regna diuellere,atque Ciuitates, & omnia præcipiti caſu diripere, miſericordiſsimo autem Dei iudicio eſſe factum, vt ipſi inter ſeſe ſemper diuiderentur,vt Scriptura impleretur: Diuiſum eſt cor eorum,nũc interibunt:& omne Regnum in ſe diuiſum deſolabitur. Quod an omnibus Hæreſibus Schiſmaticiſque euenerit,ipſa res clamat.

SANCTITAS, ALTERA ECCLEſiæ proprietas.

Catechiſ. Rom

ECCLESIA dicitur Sancta, quia tanquam corpus cum ſuo capite Chriſto, totius ſanctitatis fonte coniungitur, à quo ſanctificatur & eius ſanguine abluitur, ſolaque legitimum ſacrificij cultum, ſalutaremque Sacramentorum vſum habet, per quæ tanquam efficacia diuinæ gratiæ inſtrumenta Deus veram ſanctitatem efficit:nec tamen quoniam ſancta eſt, peccatores non habet: Apoſtolus enim Corinthios ſanctificatos,& ſanctos vocat,in quibus nõ nullos fuiſſe perſpicuum eſt, quos vt carnales, & grauioribus etiam nominibus acriter obiurgat. Hi enim quãdiu à corpore Eccleſiæ abſciſsi non ſunt, mortua licet membra ſint,iuuantur tamẽ à reliquo corpore,vt charitatis defluxum accipiant.

Sancta item Eccleſia eſt, quia religio quam profitetur, nihil falſi in doctrina fidei, nihil iniuſti in doctrina morum vnquam admiſit. Lex Domini(inquit Dauid)immaculata,teſtimonium Domini fidele,præceptum Domini lucidum. At Gẽtilium, Mahometanorum, & Hæreticorũ ſectæ omnes abſurdæ,pugnantes,leues,inconſtantes, libertatem carnis, & ſexcenta alia monſtra continent, nec Lutherani,& recentiores alij hæretici ſanctitatem quidem vllam in Sacramentis agnoſcunt,nec merito Chriſti, & libertati, qua nos donauit, tantum tribuunt,vt veram nobis & inhærentem iuſtitiam ſit impertitus,ac tanquam horridi præcurſores Antichriſti, iuge Chriſti ſacrificium omni conatu abolere nituntur.

Sancta præterea eſt Eccleſia, quia doctrina eius eſt efficax atque conuertens animas,vt ait Scriptura. Itaque ſola Eccleſia Catholica, vbique fidei fundamenta iecit,& Chriſto annuntiato, nullis armis, nulla vi, nulla eloquentia, ſed in virtute Spiritus tantùm, homines non ad delitias, & carnis libertatem,ſed ad perfectiſsimam vitam,ad cruces atque anguſtias pro Chriſto perferendas conuertit: ſicque falſo dæmonum cultu ſublato, veram religionem conſtituit. Quod vt antiquitus in omnibus prouincijs accidit: ita hoc ſeculo in noui mundi, atque Orientis, & Occidentis Indiarum conuerſione, euidentiſsimum eſt. Verùm neque Philoſophi quantumuis celeberrimi,vnquam populos ad virtutes ſolidas conuerterunt, neque hæretici vnquã alicubi prima Euangelij fundamenta iecere. Hoc enim(vt inquit Tertull.) negociũ eſt illis, non Ethnicos cõuertendi, ſed noſtros euertendi : noſtra ſuffodiunt,vt ſua ædificent. Quare Dominus de Pſeudoprophetis dixit; Venient ad vos:cùm de veris Apoſtolis, legitimiſq; Eccleſiæ Paſtoribus dixerit; Exibunt in omnem terram, incipientes ab Hieruſalem, prædicantes pœnitentiam in remiſsionem peccatorum,& populum, qui erat diſperſus,congregantes in vnum.

Ad hęc ſancta eſt Eccleſia, quoniam in ea primùm Patriarchæ atque Prophetæ; deinde Apoſtoli & Euangeliſtæ; Doctores item, qui aduerſus ſingulas hæreſes fortiſſimè dimicârunt; atque inſtitutores Ordinum Religioſorum, adeò ſancti,caſti,pij, & ſobrij fuẽre, prorſus, vt in his nihil habeant aduerſarij, quod mordeant,niſi nimiam ſanctitatem; quẽadmodum de Monachis,ac de Doctoribus ſui temporis, feciſſe hæreticos,refert S. Auguſtinus. Quam ſanctitatem, quia nunquam in aliquibus ex ſuis oſtendere potuerunt, ſeque(vt inquit Apoſtolus) deſperantes tradiderunt impudicitijs:mirum non eſt,ſi non ſolùm peccent,ſed peccando nunquam ſe peccaſſe fateantur, ſuperbiam colentes;quę vna omnium hæreſum mater eos genuit.

Accedunt miracula, quibus Eccleſia ſemper vſque ad hęc ſecula, ſuę doctrinæ vim atque ſanctitatem teſtata eſt. Quamobrem neceſſaria fuiſſe miracula, vt mundus crederet, S. Auguſtinus dixit:ac plura ſuo quoque tempore ad memorias, reliquiaſq; Martyrum contigiſſe ſcribit, quæ neque Lutherani Cẽturiatores diffiteri auſi ſunt, ſed veriti,ne tantis teſtimoniis, eorum fallacia commenta ruerent(ſicut Phariſæi & Scribę)potentię Chriſti ſplendorem,Satanę potiùs quàm Deo,perfidè blaſphemantes tribuerunt. Ac verò prӕter miracula,lumen Prophetarum fuit in ſola Eccleſia Catholica:qua item proprietate,ſanctitatem Eccleſię à Spiritu ſancto impertitam, Dominus ſæpè indicauit. Agabus enim,& Philippi filię,quarum mentio fit in Actis Apoſtolorum; B. Antonius, de quo S. Athana-

ſius in eius vita; Abbas Ioannes, de quo D. Auguſtinus: ac reliqui innumeri, de quibus D. Hieronymus, S. Gregorius,& grauiſsimi alij teſtes & hiſtorici, teſtimonium ferunt, multa diuinitùs prædixerũt; quod neque Ethnici, nec Hæretici vnquam fecëre: quia nulla apud eos Eccleſia eſt, cùm in hac Sancta & Catholica ſola Eccleſia, diſpertiatur gratias ſuas Deus.

Itaque tot præſidijs à Chriſto munita Eccleſia, deficere atque errare nunquam potuit, ac ne poterit quidem.

Primùm, quoniam verax eſt Deus, cuius verbo, merito, inſtituto, non humanis præſidijs ipſa nititur: cœlum enim ac terra tranſibunt, verba autem Chriſti nõ præteribunt. Et verba Chriſti ſanè ſunt hæc: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et, ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi: Et, Spiritus veritatis ſuggeret vobis omnẽ veritatem: & tu Petre confirma fratres tuos. Ac rurſus per Apoſtolum: Eccleſia quæ eſt Domus Dei viui, firmamentum & columna veritatis: vt nemo niſi perfidus impiè ſe inde ſubducat, vnde omnem veritatem orbi Chriſtiano ſuppeditauit, & ſuppeditaturus eſt Deus. Verùm hanc ſanctitatem, id eſt, firmitatem atque ſoliditatem, Prophetæ quoque priùs declamauère, cùm ſcriptũ ſit, deſponſandam à Chriſto in fide Eccleſiam, foreq́ue vt is eam teneret, nec dimitteret: & Dominum electurum eſſe Sion in habitationem ſibi. Hæc enim (inquit) requies mea in ſeculum ſeculi. Cumque in æternum Deus præparaturus eſſet ſemẽ Dauidis, quod eſt Chriſtus, & Chriſti Regnũ futurum eſſet in æternum, quoniam Deus fundauit terram ſuper firmamentum eius: meritò (inquit S. Auguſtinus) firmati non inclinabimur in ſeculũ ſeculi. Nihil enim firmiùs iſto fundamento: Infirmus fueras, ſed firmum fundamentum te portat. In te firmus eſſe non poteras, firmus eris ſemper, ſi ab illo fundamento non recedas. Nõ inclinabimur in ſeculum ſeculi: ipſa eſt prędeſtinata columna, & firmamentum veritatis.

Iam verò Chriſtus perpetua teſtificatione iſtam Eccleſiæ firmitatem commendauit; cùm & in primis illis peracerbis Iudæorum oppugnationibus, deinde irruentibus perſecutionibus Imperatorum per 300. totos annos, quibus etiam Pontifices omnes Maximi, ceruices pro Chriſti fide dederunt: poſtremò à ducentis varijs hæreſiarchis circumquaque pulſata, atque cribrata Eccleſia, non ſolùm permanſerit, verùm etiam creuerit; ſicut vineæ (inquit Iuſtinus Martyr) ad vbertatem putatione prouocantur. Id quod præſenti ſeculo etiam manifeſtiſsimè patuit. Neq; enim tam citò Lutherus cœpit hæreſibus Eccleſiam velle labefactare, cùm eodem momento Deus in Indias, populoſq́ue frequentiſsimos, (vbi vna ciuitas plus hominum, quã integra aliqua Regna, continet) fidem Catholicam inuexit, quæ in dies longè, lateq́ue propagatur.

At contrà, omnes hæreſes à Chriſto paſſo, (ſummos licet Imperatores ac Reges fautores habuerint) ſic euanuère, vt neque vlla ſcripta, ac ne nomina quidem ipſa hæreticorum iam extarent, niſi hęc à Catholicis, qui eos redarguerunt, memorię mandata fuiſſent. Quamobrem & qui nos hoc tempore exercent Hæretici, ad nihilum (vt Dauid prophetauit) deueniẽt, tanquam aqua decurrens. Non ergo vos (inquit Sanctus Auguſtinus) terreant fratres quidam fluuij, qui dicuntur torrentes: decurrit aqua ad tempus, perſtrepit, mox ceſſabit: diu ſtare non poſſunt: multę hæreſes iam emortuę ſunt; cucurrerunt in riuis ſuis quantum potuerunt, decurrerunt, ſiccati ſunt riui, vix eorum memoria reperitur, quia fuerint. Hæc ille: Veruntamen neque ſolùm ſancta hęc Eccleſia Hęreticos, quiq; eis fauerũt, virtute diuina in nihilum redegit, tetra morte cladeq́ue afficiens Iudęos, Herodem, Pilatum, (qui ſeipſum interfecit) Neronem, Domicianum, cæteroſq́ue Imperatores, vnà cum hęreſiarchis, qui Catholicos perſecuti ſunt: ſed & Imperia Renaq́ue Imperatorum eorum roborauit, & auxit, qui Catholicę Eccleſię ex animo fuere addicti: quales fuerũt Conſtãtinus Magnus, Theodoſius ſenior, Martianus, Honorius, Theodoſius iunior, Iuſtinianus, & Heraclius, (donec hi duo Catholicam religionem tenuerunt) Carolus Magnus, S. Ludouicus, Galliæ Rex, atque alij, qui ex Deo regnarunt.

VNIVERSALITAS, TERTIA Eccleſiæ proprietas.

ECCLESIAE Chriſtianę tertia proprietas eſt, vt Catholica ſit, hoc eſt vniuerſalis, nullo ſcilicet hominum, locorum temporum genere definita aut circumſcripta. Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo (inquit per S. Ioan. ipſamet Eccleſia) ex omni tribu, & lingua & populo & natione, & feciſti nos Deo noſtro Regnum. Ad qđ Regnum, etiam quicunque in Chriſtum credentes, Chriſtũ præceſſere, idcirco pertinent, quoniam in eo angulari lapide, qui fecit vtraque vnum, & pacem ijs qui propè & qui longè annuntiauit, (cùm ipſe ſit primarium fundamentum) conſtituti fuere atque fundati Prophetę & Apoſtoli.

Catholi-

Catholica item dicitur, propter vniuerſalem atque communem fidem, quam omnes, qui ſalutem æternam cupiunt, cõplecti debent: alioquin errorum diluuio ſubmergendi, quemadmodum contigit ijs omnibus, qui extra arcam Noe fuere.

Catholica deinde, quòd ſola contra omnes errores ſemper pugnauerit, ac pugnat, à nullo autem errore expugnatur. Credamus (inquit S. Auguſtinus) Eccleſiã Catholicam: ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari non poteſt: Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa: Ipſa autem manet in radice ſua, portæ inferi non vincent eam. Hæc ille, de Symb. lib. *1*. cap. *5*.

An verò contra omnes errores ſola ſemper pugnauerit Eccleſia Catholica, inde euidentiſsimum eſt, quòd cùm primùm aliqua hæreſis ſeſe exeruit, ſtatim ſigno dato ſe in Synodis tanquam in acie caſtrorum ordinata coëgit, eamq́ue hæreſim anathemate percuſsit. Sicq́; Patres aciem eandem ſecuti, ſcriptis, prędicatione, ac ſanguine, hęreſes omnes euellere curârunt. Quod autem contra hęreſes fecit, idipſum contra errores omnes præſtitit. Quamobrem quacunque aditus patuit, imperterrita per maria, per ignem, ad omnes barbaras nationes penetrauit, ac continenter penetrat: vt extirpato idolorum ac vitiorum cultu, ibi ſimulachrorum fana, in Chriſtianorũ templa conuertat, crucisq́; tropheum paſsim excitet. Quæ vna res, tam illuſtrem hanc Catholicę Eccleſię proprietatem reddit, vt cùm ea tanquam ſol radios ſuos, in vniuerſum terrarũ orbem, iuxta Prophetarũ prædictiones, ſemper diffuderit: Lutheranas quoq; & Caluinianas atq; alias ſordes, latitantes in ſuis angulis & tenebris, patefaciat omnibus, quicunq; vident iſtos, qui ſe Euangelicos mentiũtur, neq; inter barbaros, neq; vltra maria, ad inferẽdũ Euãgelij lumen vnquã nauigâſſe, contentos ex Eccleſię Catholicæ ruina, ſibi ſuiſq́; mulierũ turbis antrum conſtituere, vnde fœtores ſub verbo Dei prętextu exhalant.

Iam verò ſi omnia ſecula percurramus, non aliunde Prouincias ad Chriſtum fuiſſe adiunctas cernemus, quàm ab ijs, qui ex Catholica Eccleſia prodierunt. Nam vbi iam Apoſtolicus ſonus in vniuerſo orbe terrarũ inauditus eſt, ducibus illis primis, vbique bellum aduerſus mundum, carnẽ, Satanam indicentibus; Catholica Romanorum fides, ſicut ijs Apoſtolus gratulatur, paſsim ad omnes peruaſit: quæ poſtea tanquam vitis adhuc latiùs palmites extẽdens ſparſa eſt: quemadmodum per omnes regiones nunc cognitas, ipſi ſuo tempore, id eſt, ante mille circiter quadringentos annos teſtati ſunt, Sanctus *a* Irenęus, & Tertullianus. Clemens autem ipſe Alexandrinus, cùm Orientis peragraſſet Eccleſias, vt antiquarum Apoſtolicarũ traditionum veſtigia cerneret, eandem vbiq; reperit.

At Sanctorũ Cypr. *a* Athanaſij, *b* Chryſoſtomi, & Hieronymi, *c* Auguſtini, *d* Theodoreti, *e* Leonis primi conſecuta ſunt tempora, quibus ipſi Catholicam Eccleſiam vbique viguiſſe docuerunt. Per Sacram (inquit Leo) Beati Petri Sedem, caput orbis effecta, latiùs pręſides religione diuina, quàm dominatione terrena: quãuis enim multis aucta victorijs, ius imperij tui terra mariq́ue protuleris, minùs tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quã quod pax Chriſtiana ſubiecit. Cęterùm Sancti alij Pontifices, Hilarius, Simplicius, Symmachus, Hormiſda, & alij vſq; ad S. Gregoriũ Magnum, & poſt hunc multi ſancti Pontifices, alijq́ue percelebres Doctores ſecuti ſunt, quorũ ſeculis videmus eandẽ Catholicã Eccleſiã ſemper manſiſſe. Id quod ipſi qui varijs in prouincijs erant, primũ re ipſa, & doctrina, & loco, deinde literis quas per vniuerſum orbẽ ſcribebant, planiſsimũ faciũt, pręter ipſas Generales Synodos, quæ ex omnibus omniũ orbis partiũ Epiſcopis collectę, idem manifeſtiſsimè comprobãt.

a Ire. lib. 1. cap. 3. Tertullia. lib. cont. Iud. cap. 3. Cypr. li. de vnitate Eccleſiæ. a Atha. de humanit. verbi. b Chryſoſ. & Hier. in cap. 24. Matth. c Auguſt. in epiſt. 78. & 80. ad Heſydiũ. d Theod. l. de legib. e Leo ſe. 1. de SS. Petro & Paulo.

At & hoc dilucidiùs fit, primò, ſi quæ Patres antiquiſsimi ſcripsere, de moribus Eccleſiæ Catholicę; ea conferantur cum noſtris tẽporibus. Eadem enim in ijs prorſus videbunt extitiſſe, quæ apud nos (vt ſuperius diximus) & manent, & aliò propagantur: Tu verò lege S. Auguſtinũ de moribus Eccleſię Catholicę, eiuſq́; Epiſtolas ad Ianuarium, Epi. *118*. & *119*. Patres autem vetuſtiores, vſq; ad beatum Dionyſium Areopagitã: ac deinde Apoſtolorum Acta, & ipſa Euangelia; facileq́; & verbum Dei ſcriptum, & quidquid Spiritus S. promiſſę veritatis, ſuggeſsit ſemper Eccleſiæ, agnoſces. Deinde cogita (vt antiquiora ſecula omittam, de quibus nulla controuerſia eſt) Anglos Paganos, tempore S. Gregorij Magni, miſsis à Pontifice ad eos Monachis, fuiſſe ad Chriſtum adiunctos: ſequenti ſeculo, per S. Chilianum à Summo Pontifice miſſum, Francones Chriſtianos factos: poſteriore ſeculo ingentem Germaniæ partẽ acceſsiſſe ad Chriſtum, per ſanctum Bonifacium, Epiſcopum & Martyrem, ad eam à Zacharia Pontifice Maximo miſſum. Poſtea à Corbienſibus Monachis Vandalos, ab alijs autem Suecos, deinde Bulgaros, Sclauos, Danos, Morauos fuiſſe conuerſos. Ita poſtea S. Adalberti Bohemiæ, ac Methodij Morauiæ Præſulum opera, plures po-

pulos,

pulos,ac deinceps Hungaros,per alios à Pō tifice Maximo missos, se ad Christianam Catholicam Ecclesiam aggregâsse. Quod succedentibus temporibus, cum multis Saracenorum millibus, Sancto Vincentio prædicante; & in vniuerso iam nouo terrarum orbe, ad Occasum, ad Meridiem, ad Orientem, nostro hoc seculo factum fuisse, atque continēter effici, à sola (vt diximus) Ecclesia Catholica, nunquam verò ab hæreticis, clarissimum est. Quamobrem rectissimè Beatus Augustinus comparat hęreticos, non solùm cum sarmentis pręcisis, quæ vbi cadunt, cùm præciduntur, ibi manent: verùm etiam cum perdicibus, quæ congregant pullos, quos non pepererunt: cùm contrà Ecclesia sit fœcundissima columba, quæ nouos pullos quotidie parit.

D.Anto.3.p.hist.tit.23.ca.8.§.4.

Lib. 13. cō. Faust. c.12.

Præsentis ergo seculi hæreses, non solùm quia nullos vnquam populos ad Ecclesiam Catholicam adiūxerunt: verumetiam, quia neque omni seculo, neque vbique, nec inter omnes gentes cognitę, receptæúe fuerunt, Ecclesiam nullam habent. Quod si Septentrionalis terræ angulum occupârunt, illicò item in varias Sectas erupere, nullum ferè oppidum vt sit, ne dicam domus, quod idem omninò sentiat. Sin verò alię quondam hæreses, variis in locis eodem tempore exortę sunt, & hæ quoque suis dissidijs, vinculum Ecclesię Catholicę indissolubile, vniuersalemque & communem Christianorum verorum fidem, apertiùs declarârunt.

Ecclesia enim (ait S. Augustinus) vna & eadem vbique, hæreses autem non eędē, sed diuersissimę, quæ se inuicē nō nouerūt, ac proinde nulla earum Catholica dici potest Ecclesia.

Aug. li. de Pasto. ca.8.

Quare vt hoc Catholicum nomen, in eadem Ecclesia, eundem Patrem Augustinum cōstanter retinebat: ita Hæretici (prę terquam quòd ipso testante, illud Catholicæ nomen, sibi nunquam vendicare potuerunt) etiam nostro tempore sic exhorruerunt, vt è cōmuni Christianorum Symbolo, vocem ipsam Catholicæ sustulerint.

Con. ep. fund.c.4.

Verumenimuerò, vt plebi facerent fucum, Lutherus ipse initio sui Euangelij, biennij spatio, Papatum abolitum iri, cæterique hæreses suas, vniuersum orbem, non ità multum pòst occupaturas dictitarunt. Sed hi omnes tanquam plumbum demersi sunt in aquis vehemētibus. Papatus autem stetit, ac Christo non mentiente vsq; ad cōsummationem seculi stabit. Cùm illud prę terea sit absurdissimum, Ecclesiam Catholicā, post sexdecim secula, à VVittembergensibus aut Geneuensibus, in vniuersum terrarū orbem, in quem olim Apostolorū sonus exiuit, esse diffundendam: qua de re ante annos tantùm à Christo nato quadringentos, Donatistarum idem de se gloriantium stoliditatē, S. Augustinus irrisit atq; redarguit.

In ipsa igitur Ecclesia Catholica (sapienter docet Vincētius Lirinensis) ad quā non vna natio, nō vnus angulus, sed maris multitudo cōuertitur, id teneamus; quod vbiq; quod semper, qđ ab omnibus creditū est. Hoc est enim verè proprieq; Catholicū, q̄ ipsa vis nominis, ratioq; declarat: quę omnia hæc verè vniuersaliter comprehendit.

Quæ cū ita sint, ille est verus germanusq;, Catholicus, qui quicquid vniuersaliter antiquitus Ecclesiā Catholicam tenuisse cognouerit, id solū tenendum, credendumq; decernit: quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter oēs, vel contra omnes, nouum & inauditū subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere. Et hæc Lirinensis.

ORIGO AB APOSTOLIS ET SVCcessio, quarta Ecclesiæ proprietas.

NON solùm ob successiones Episcoporum ab Apostolis, verùm & propter doctrinæ consanguinitatem (vt verbis Tertulliani vtar) vera Ecclesia, vocatur Apostolica. Itaque in Symbolo Patres, diuinitùs addidere Apostolicam; vt fidei nostrę origine cognita, iam nunc eam primū haud nasci, neque esse recentem, nec verò per aliud ministrorum genus, quàm per Apostolicū à Spiritu S. regi intelligeremus: qui cùm ei præsideat, fuit quidem initio tributus Apostolis, sed deinde summa Dei benignitate semper in Ecclesia permansit.

Tertul. lib. de præscr.

Catechis. Rom.

Sicut autem in populo Dei, qui per carnalem generationem tempore veteris Testamenti propagabatur, nulli censebantur, nisi qui originem ducebant à duodecim filijs iacob; nec vlli habebantur Sacerdotes, nisi qui descendebant à Leui per Aarō, quā obrem diligentissimè successiones tunc seruabantur:) Ita in populo Noui testamēti, qui spirituali generatione multiplicatur, nulli sunt Christiani, nisi per Apostolos, vel eorum successores, aut ab alijs missos conuersi; nullique Episcopi, nisi qui eisdem legitimè succedunt. Quare Patres ita diligenter Episcoporum successiones adnotârunt, quoniam per eas Catholicæ fidei claritas (inquit Epiphanius) ostenditur, & hæresum obscuritas producitur. Edant (inquit Sanctus Tertullianus) origines Ecclesiarum suarum, euoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionē ab initio decurrentē, vt prim⁹ ille Episcopus aliquē ex Apostolis, vel Apostolicis viris habuerit auctorē, & antecessorē.

Epipha. 27. hære. Cō. Carpo. lib. de præscr.

Hoc

Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum refert. Cōfingant tale aliquid Hæretici. Hæc ille. Verùm Irenęus ante mille circiter quadringentos plus minùs annos, successionem Episcoporum Romanorum à Petro vsq; ad Eleutherium: Eusebius, Hieronymus, & Prosper, qui Chronicon Eusebij continuârunt: Epiphanius aduersus Carpocratitas: Optatus Mileuitanus contra Parmenianū, à Petro vsque ad Syricium: S. Augustinus ab eodem vsque ad Anastasium, qui tunc sedebat, & alij diligenter enumerârunt. Quamobrem aduersus Manichęos (inquit) In Ecclesia Catholica tenet me ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oues suas Dominus commendauit, vsque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum. Quæ successio si tanti ponderis ad fidem adstruendam apud eos erat, quòd in Cathedra Apostolica duodecim aut viginti, vel quadraginta tantùm Pontifices Maximi, vsque ad ea tempora sedissent: quanti nam momenti fuissent, plusquàm ducenti Pontifices sibi succedentes, quos Ecclesiam scimus administrâsse? præsertim cùm Sedes alię defecerint plures; Imperij autē Romani forma in ipsa vrbe Roma, toties immutata sit, tum Cæsaribus aut interdum Regibus Gothorum; tum Græcorum Exarchis, aliquando verò Cōsulibus, siue iustè, siue iniustè dominantibus? Accedit ad hęc omnia, quòd cùm ipsa Vrbs non semel euersa, totque Pontifices ense fuerint percussi, innumerasque Hæreses (vt diximus) tanquam hostiles acies, Schismaticosque acerrimos aduersarios passa sit; nunquam tamen eius successio defecerit: quæ omnia non nisi diuino consilio facta fuisse, quod nunquam dissolui potest, exploratissimū est.

Iren li.2. cap.3.

In Chron.

Hær. 27.

Lib.2.

Aug. epist. 165. ad Gene. & in Psalm. cū Dona. & cō. epist. fund. c.4.

Iam verò quòd aliqui vel hæretici, vel Hæreticorum libros tantùm tractantes, aliquādo Schismate, vel muliere, nescio qua Anglica virilem sexum mentiente, fuisse interruptam istam successionem dicunt, id prorsus mendacij, calumnięque cum imperitia mixtę plenum est. Etsi enim aliquādo Schismatici, nomen Pontificis sibi vsurpârunt, quare & Antipapæ vocabantur; nō defuerunt tamen ijsdem temporibus, qui legitimè creati Pontificatu fungerentur. Itaque & Antipapę coacti sunt falsa Pontificatus insignia deponere; & si quis legitimus Pontifex se Pontificatu ob quietem, aut pacem abdicauit, is ipse alterum in sui locum legitima potestate suffecit. Quòd autem hæretici blaterant, de Eugenio deiecto à Concilio Constantiensi, vel etiam Basileensi, noluerunt cœci lumen videre. Nam & ipsamet Concilia, quæ Pontificis Legato plurimisque Episcopis absentibus, priuata aliquorum Sacerdotum (quod nūquam contigerat) authoritate aliquandiu manserunt; tandem legitimè iterum conuocata, quod temerè decreuerant, resciderunt, seseque errore agnito, Pontificis Maximi potestati iudicioque subdidere; sicut Lausanensis Synodus, quæ continuatio quędam fuit Basileensis Concilij, Nicolao Quinto, qui tunc sedebat, se subiecit. At quod de Ioanne quodam inquiunt, qui cùm esset fœmina, sexum mentita in Pontificatum irrepsit, id etiam blasphemum est. Quod autem Platina hoc mutuatus à quodam Martino Polono, vel Sigeberto scripserit; id cùm ijdem ipsi pro certo non asserant, sed dicant (vt fertur, vel vt aiunt) ostendit iam tunc ab ijs quoque tanquam commentitium id habitum fuisse. Cæterùm Anastasius Bibliothecarius, qui vitas Romanorum Pontificum vsque ad Nicolaum, Benedicti III. successorem scripsit, florebat eo tempore, & electionibus Pontificum, Sergij II. Leonis IV. Adriani II. & Ioannis IIX. interfuit, nec vllam tamen Ioannis illius fœminæ mentionem fecit. Sed quibus alijs solidis auctoritatibus & rationibus affictū istud mendacium prodatur, cerni potest in Dialogis Alani Copi, atque Pontificum historia ab Onuphrio conscripta; Luitprandum Ticinensem illorum temporum Scriptorem citant. Ac denique fusiùs in Frācisci Turriani 3. lib. de dogmaticis characteribus: Postea verò in secundo libro, quem de Ecclesia & ordinationibus ministrorum Ecclesiæ edidit, aduersus Andreā Freyhubium, Doctorem Academię Lipsien. Nunc autem (vt redeam ad id, vnde digressus sum) sciendum est, veteres Patres non aliorum Episcoporum æquè ac Cathedrę Romanę successores enumerâsse, quoniam ex illa, tanquam vniuersalis Ecclesię Pastoris, argumentum aduersus hęreticos inuectum afferebant. Itaque & propriam Episcopalium sedium nomina omittebant; quemadmodum S. Augustinus, Optatus, & ante eos beati, Cyprianus & Irenęus, fecerunt: quòd Cathedrę Petri dignitas, vt in eminentiore specula constituta; ita perpetuò successionis promisso à Christo fuerat munita.

Vide Galesinium in vitis Platinæ.

In Romana Ecclesia (inquit S. Augustinus) semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus: quamobrem neque nouorum Episcopatuum institutio, ad neminem vnquam particularem Episcopum spectauit (par enim non agit in parem) sed ad eū, qui toti præest Ecclesiæ; quales fuerunt oēs Apostoli. Petrus quidē ex officio, cæteri verò ex delegatione: quare qui per

oſtium hoc, ad regendam Eccleſiam non intrauerit, is eſt fur & latro.

Cùm verò ab Apoſtolis aliquem Epiſcopum originem duxiſſe dicimus, vnà cũ ſucceſsione, legitima ordinatio intelligenda eſt, quę ſine duorum vel trium legitimè ordinatorum conſecratione nunquam eſt facta. Quod in Paulo Actorũ 13. (licet nec ab hominibus, neque per homines vocato) in Timotheo, 1. Tim. 4. cum impoſitione manuum Presbyterij, (Presbyteriũ enim ibi intelligitur Epiſcoporum aliquis numerus;) in Apoſtolicis Canonibus, in Iacobo ordinato Hieroſolymæ, à Petro, Iacobo, & Ioanne; In Concilio Nicęno, & Carthaginenſi, plus quàm perſpicuum eſt. Inde autem factum eſt, vt veteres hæretici, quò faciliùs populis imponerent, ſimiarũ more eandem ordinationis formam vſurparent. Sed vtrumque in hæreticis noſtri temporis deeſt, primus enim VVittembergę cùm Lutherus Epiſcopus dictus eſt; Baſileæ Oecolampadius, vt adhuc in eius ſepulchro extat; Tiguri Zuinglius; Geneuę Caluinus; hoc ipſo credere ſeſe Apoſtolicã Eccleſiam nunquam ante ſe fuiſſe oſtenderunt; quippè quòd nullos antea ijs in ciuitatibus fuiſſe Epiſcopos, ſuo illo (ſi Deo placet) primatu teſtati ſunt. Neque verò ab Epiſcopis vllis ordinati ſunt, aut vllam habuère manuum impoſitionem, per quã ipſi Timotheo gratiam fuiſſe collatam in conſecratione diſertè docet Apoſtolus. Quamobrem iam tandem Septentrionales, oculos aperiant, & videant, num (quod & initio ſuperius diximus, in reſponſione quarta, ac nunc iterum vrgemus) in iſtos illud B. Cypriani quadret: Hi ſunt (inquit) qui ſe vltrò apud temerarios conuenas ſine diuina diſpoſitione præficiunt, qui ſe prępoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante Epiſcopi nomen aſſumunt.

Chryſ. ibi.

Cyp. 1. de ſimpl. prælator.

At neque apud hæreticos doctrina eadem, quæ fuit antiquis (quam, doctrinę vt dixi, conſanguinitatem vocabat Tertullianus) ſi enim (quod etiam antea obiter attigimus) Catholicam cum hæretica doctrina conferas; Patres omnes à nobis ſtare eò magis conſtat, quòd ipſi Lutherani, & Sacramentarij, licet inter ſeſe diſsidentes, toti antiquitati ſe dicant, aduerſari, eique idololatriam impiam obijciant, iacientes blaſphemias aduerſus Chriſtum, quaſi promiſsis non ſteterit, aut per mille quingentos annos falſum in ſua Eccleſia cultum tolerauerit. Centuriatores autem Magdeburgenſes omni propè ſeculo naſcentis Eccleſię, eadem apud Patres fuiſſe dogmata, quę Catholici retinent (velint nolint) veritatem coacti confitentur; quę illi næuos Patrum, nouelli & impij cenſores vocant. Quare quod Brentius Apoſtata dixit, apud Catholicos fidem defeciſſe, vel quod alij hæretici, poſt S. Gregorium Magnum, irrepſiſſe errores in Catholicam Eccleſiã commenti ſunt: hi vel nihil legerunt in Patribus; vel ſordes, quas ex farragine iſtorũ hauſerunt, euomunt, neſcientes quæ loquãtur, aut de quibus affirment. Sed illud abſurdiſsimum eſt, quod idem Brentius ſomniat, quoniã nempè Apoſtoli à Caipha ordinati non ſunt, & tamen Epiſcopi fuerũt; ita quoque Lutheranis hoc licere. Neſciunt enim, aut prę cordis cœcitate reminiſci ille non potuit, Sacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech inſtitutum, à Chriſto incepiſſe, cuius Sacerdotij non autem Aaronici primitiæ fuerunt Apoſtoli.

INTERROGATIO XII.

Quid igitur eſt, quòd Lutherani, atque alij verbum Dei, & Sacramentorum adminiſtrationem, proprietates ac notas Eccleſiæ eſſe dicunt?

RESPONSIO.

SI eæ tam certæ eſſent proprietates Eccleſiæ, vt qui verbum Dei & Sacramenta tractaret, Eccleſiam habere dicendus eſſet; certè nec Spiritus S. in Symbolo, quod eſt verè credentium teſſera, iſtas proprietates reticuiſſet, nec verò vbi verbum Dei, & Sacramenta qualeſcunque profiterentur, vllum diſsidium eſſe poſſet. Sed cùm Anabaptiſtæ à Lutheranis, & Caluinianis, in baptiſmo, ac pleriſque alijs Chriſtianæ doctrinę capitibus; Lutherani à Sacramentarijs in Euchariſtiæ negotio, vt miſſa alia faciam: atque ideò ipſi inter ſeſe Lutherani de numero Sacramentorum, deque verbo Dei mirificè diſsideant: quanam ratione fidelis, per verbum Dei, & Sacramentorum adminiſtrationem, veritatem dignoſcet? ſcilicet eò tandem veniendum eſt, vt credamus Chriſtum Dominum, Eccleſiã tanquam tribunal certiſsimis illis proprietatibus ſapientiſsimè conſtituiſſe, in qua Spiritus S. per legitimos Doctores veritatẽ omnem doceret, atque oſtẽderet, Lutheranos autem & Sacramentarios, cæteroſque Hæreticos atq; Schiſmaticos, quantumlibet Verbum Dei (vt & Satanam feciſſe ſcimus) ac Sacramenta iactent, Eccleſiam tamen nullam habere, quamdiu in vna, Sancta, Catholica, & Apoſtolica non ſunt.

INTERROGATIO XIII.

An vt in Deum, ita in Eccleſiam credendum eſt?

RESPONSIO.

IPSA Romana Eccleſia, ſuo nos Catechiſmo docet, ſic inquiens: Tres Trinitatis

perſonas, Patrem & Filium & Spiritum S. ita credimus; vt in eis fidem noſtram collocemus. Nunc autem mutata dicendi forma, Sanctam non in Sanctam profitemur, vt hac etiam diuerſa loquendi ratione, Deus omnium effector à creatis rebus diſtinguatur, præclaraque illa omnia, quæ in Eccleſiam collata ſunt, beneficia diuinę bonitati accepta, referantur.

Catechiſ. Romanus.

INTERROGATIO XIIII.

Cùm iam tot certiſſimis argumentis hic de Eccleſia fidei articulus conſtet, quænam ſunt cauſæ, quæ retinent homines in hæreſi, nec verò citiſſimè tanto ſe laqueo exuant, antequàm mors, quæ ſingulis horis imminet, ad nos properet?

RESPONSIO.

CAVSAE ſunt non omnium eædẽ, quę tamen ſunt, vel timor offenſionis ſuorum, vel obdurata conſuetudo, vel torpor quærendæ Catholicæ veritatis, aut maledicorũ linguę: vel falſa perſuaſio, quod nihil interſit, in qua quiſque parte ſit Chriſtianus: ac deniq; metus fluxę dignitatis, & vſurpatorũ bonorũ amittendorum, vitęq; licentia, aut ſuppliciorum timor, At beatus, qui in conſilio impiorum nõ abijt, nec in cathedra peſtilentiæ, atque irriſorum ſtetit: aut ſi ſteterit, quàm primùm iſtis nocentiſsimis laqueis exutis, reſipiſcat, & tanquam de ſomno letargico emergens, in ſalutem vnitatis, vel ſanguine pro veritate profuſo euigilet.

Audi verò B. Auguſtinum nonnullas earundem cauſſarum de ſui temporis hæreticis afferentem. Alię (inquit) ſententiæ multę mihi nominatim commemorabantur, vt ipſis rebus agnoſcerem, etiam in hac cauſſa rectè intelligi poſſe, quod ſcriptum eſt. Quàm multi enim (quod certò ſcimus) iam volebant eſſe Catholici, manifeſtiſsima veritate commoti, & offenſionem ſuorum reuerendo, quotidie differebant? Quã multos non veritas (in qua nunquam præſumpſerunt) ſed obduratę conſuetudinis graue vinculum colligabat, vt in ijs compleretur diuina illa ſententia: Verbis non emendabitur ſeruus durus: Si enim & intellexerit, nõ obediet? Quàm multi propterea putabant veram Eccleſiam, eſſe partem Donati, quia eos ad cognoſcendã Catholicam veritatem ſecuritas torpidos, faſtidioſos, pigroſq; faciebat? Quàm multis aditum intrandi obſerabant rumores maledicorum, qui neſcio quid aliud nos in Altari Dei ponere iactitabãt? quàm multi nihil intereſſe credentes, in qua quiſq; parte Chriſtianus ſit, ideò permanebant in parte Donati, quia ibi nati erãt, & eos inde diſcedere, atque ad Catholicam nemo tranſire cogebat? His omnibus harum legum terror, quibus promulgatis Reges ſeruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nũc alij dicant, Iam hoc volebamus; ſed Deo gratias, qui nobis occaſionem præbuit, iamq; faciendi, & dilationum moras amputauit. Alij dicũt, hoc eſſe verum iam ſciebamus, ſed neſcio qua conſuetudine tenebamur: gratias Domino qui vincula noſtra diſrupit, & nos ad pacis vinculum tranſtulit. Alij dicunt, neſciebamus hîc eſſe veritatem, nec eam diſcere volebamus, ſed nos ad eã cognoſcendam metus fecit attentos; quo timuimus, ne fortè ſine vllis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium feriremur: gratias Domino, qui negligentiã noſtram ſtimulo terroris excuſsit, vt ſaltẽ ſoliciti quęreremus, quod ſęcuri nũquam noſſe curauimus. Alij dicunt, nos falſis rumoribus terrebamur intrare, quos falſos eſſe neſciremus, ſi non intraremus; nec intraremus, niſi cogeremur: gratias Domino, qui trepidationem noſtram flagello abſtulit, expertos docuit, quã vana & inania de Eccleſia ſua mendax fama iactauerit: hîc iam credimus, & illa falſa eſſe, quæ auctores huius hęreſis criminati ſunt, quãdo poſteri eorum tam falſa, & peiora finxerunt. Alij dicunt, putabamus quidem nihil intereſſe, vbi fidem Chriſti teneremus: Sed gratias Domino, qui nos à diuiſione collegit; & hoc vni Deo, congruere, vt in vnitate colatur, oſtendit. Et paulò pòſt: Seruiãt Reges terrę Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto.

To. 2. epiſt. 48. ad Vincen. propè medium.

INTERROGATIO XV.

Quinam libri, & quomodo legendi ſunt ab eo, qui veritatem veræ religionis aſſequi velit?

RESPONSIO.

Biblia, id eſt, vetus & nouum Teſtamentũ. In hac verò Scriptura diuina legenda ſequens ratio adhibenda eſt.

PRIMÒ, vt eam ab hæreticis deprauatam nunquam legamus, neque enim tunc verbum Dei, ſed errores hæreticorum legerentur. Nam & Satanas verbo Dei vſus eſt, vt Chriſtum Dominum tentaret, Verbum Dei, ad ſuas fraudes detorquens, & ex gemmis pulcherrimæ ſtatuę, imaginẽ ſerpentis effingens, vt monet S. Irenęus.

Secundò, Biblia à Luthero verſa plena deprauationũ ſunt, quemadmodum adnotauit Hieronymus Emſerus, & reliqui alij permulti. Idem dico de Biblijs Caluinianis, Zuinglianis, & aliarum Sectarum. Itaque ea legenda nõ ſunt: alioquin, qui amat periculum, cadet in illud.

Tertiò, Antiqua vulgata editio Bibliorum, quæ per multa ſecula ab Eccleſia Catholica vſitata eſt, legatur.

Quartò, Si qua Germanica verſio legẽda ſit, legantur Biblia à Dietenbergio traducta, & Euangeliũ à Hieronymo Emſero in Germanicam linguam conuerſum.

Quintò, Scripturæ ſanctæ non ſecundũ proprium ſenſum, ſed ſecundum antiquæ & Catholicæ Eccleſiæ conſenſum, & generalium Conciliorum approbatorum (de quibus poſt) interpretationem intelligendæ ſunt. Alioquin id eueniet, quod inquit B. Auguſtinus. Neque enim (ait) natæ ſunt hæreſes, vt quædam dogmata peruerſitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, niſi dum ſcripturæ bonæ intelliguntur non bene, & quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter aſſeritur. Et alibi. Nec ob aliud (inquit) ſunt hæretici, niſi quod eas (ſcripturas Catholicas) non rectè intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem peruicaciter aſſerunt. Dum enim (ſignificat idem Sanctus Pater alibi) Chriſtus apud hæreticos quæritur, amittitur.

Tom. 9. in Euang. Io. tract. 28.
Tom. 3. de Geneſi ad litt. lib 7. cap. 9.
To. 8. Pſalm. 10.

Sextò, In legendis ſcripturis ſanctis, & præcipuè nouo teſtamento, ea ſunt in primis obſeruanda, quæ ad remedia & præcepta pertinent, quibus & virtutes altiſsimè in nobis plantentur, & vitia extirpentur: Deinde perpendendus eſt Eccleſiæ ordo, & firmitas ex promiſsis, merito, & inſtituto Chriſti Domini noſtri.

Præterea, quid ad introducendam fidẽ, ac verum Euangelium cœperint prædicare Sanctus Ioannes Baptiſta, mox Chriſtus Dominus, deinde Apoſtoli; nempè Pœnitentiam in remiſsionem peccatorum, fidem, & obſeruationem mandatorum Dei, obedientiam erga Eccleſiam, opera pietatis, orationis frequentiam, Sacramentorũ vſum. Ad hæc auctoritatem à Chriſto Petro collatam: denique vitam ipſorum Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti, nimirum num poſt ſuſceptum munus concionandi Euangelium, & adminiſtrationis Sacramentorum Apoſtoli & diſcipuli eorũ dederunt operam generandis carnalibus filijs, aut ijs rebus faciendis, quæ Lutherani faciunt.

Poſt hæc omnia, conſiderentur ſeptem Sacramenta, quæ illi tanquam vaſa gratiæ pro diuerſo ſtatu Eccleſiæ adminiſtrabãt: Signa item ac miracula, quæ conſequebantur, vt etiam, quemadmodum ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum, vmbra Petri & ſemicinctia Pauli, Deo cooperante, redderent ægrotis ſanitatem.

Septimò, cùm vnuſquiſque in diuerſos ſenſus poſsit trahere verbũ Dei, expediet, vt antea legatur ex antiquis Patribus Vincentius Lirinenſis in ſuo commonitorio. Ex recentioribus autem Cardinalis Hoſius Varmienſis, in libello de verbo Dei, quod extat inter eius opera: Et Petrus Caniſius in præfatione vitę, & actorum S. Ioannis Baptiſtæ, aduerſus Magdeburgenſes. Quòd ſi quis eſſet doctior, prælegere item vtiliſsimè poſſet libros de doctrina Chriſtiana ſcriptos à S. Auguſtino.

Illud verò in primis ad Dei verbum, & voluntatem intelligendam, pernéceſſariũ eſt, vt prius credamus, quàm curioſè ſcrutemur res Dei. Niſi enim credideritis, inquit Eſaias, non intelligetis, & ſcrutator Maieſtatis opprimetur à gloria, inquit Salomon. Itaque captiuemus intellectum in obſequium fidei, vt ait Apoſtolus, ac bene viuamus, & ſi quid alijs debemus, honorem, bona, vel alia, ea reddamus: Scriptum eſt enim à Dauide, à mandatis tuis intellexi; Et à Sapiente: In maleuolam animam non introibit ſapientia. Deniq; illud ſemper nobis infixum ſit cordi, quod per Prophetam Deus locutus eſt. Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilẽ, & trementẽ verba mea? Rurſus per Apoſtolum. Noli altum ſapere, ſed time, ſi enim naturalibus ramis non pepercit, vide ne & tibi parcat. Et iterum per æternam Sapientiam Filij ſui. Pauperes euangelizantur. Quippè humilitas credendi tutiſsimos nos facit, & hæc illa virtus eſt, quam eſſe primam, ſecundam, tertiam, quartam, ob ſui neceſsitatem, atque præſtantiam, ſcripſit ad Dioſcorum B. Auguſtinus.

Eſa. 7.

CVR ET QVINAM SANCTI PAtres antiqui legendi ſunt.

PRIMÒ Sancti Patres lectitandi ſunt, quoniam (vt refert Apoſtolus) Chriſtus Dominus Apoſtolos, Prophetas, Paſtores, & Doctores in Eccleſia dedit ad cõſummationem Sanctorum, ne ſimus ſicut paruuli fluctuantes, ac ne omni vento doctrinæ circumferamur. Quod ſi dubitandum non eſt, quin antiqua in Eccleſia veritas fuerit, certè hæc ab ijs teſtibus petenda eſt, qui cùm eandem ſanctitatẽ vitæ, ſcriptis, ſanguine, miraculis illuſtrauerint, incorrupti ſunt teſtes, quos præſentis ſeculi affectus mouere non potuit, vt plus vni, quàm alteri parti faueant.

Secundò, quòd (ſicut S. Petrus ſcriptum reliquit) in ſcripturis ſunt quædam difficilia, & obſcura intellectu, quæ homines inſtabiles deprauant in ſuam ipſorum perditionem, & volentes eſſe ſapientes (vt B. Paulus inquit) ſtulti facti ſunt, neſcientes quæ loquuntur, aut de quibus affirmant. Itaq; ſi vnaquæque diſciplina (ait Sanctus Auguſtinus) quanquã vilis & facilis vt percipi poſsit, Doctorẽ, aut Magiſtrũ requirit, quid temerariæ ſuperbiæ pleniùs, quã diuinorum Sacramentorũ libros ab interpretibus ſuis nolle cognoſcere? cùm aũt poſt diuinas ſcripturas aliqui interpretes legendi ſunt, hi præcipuè ſunt verſandi, quib⁹ (vt S. Auguſt. dicit) poſt Apoſtolos ſancta Eccleſia plãtatoribus, rigatoribus, ædificatorib⁹; Paſtoribus, nutritoribus creuit. Itaq; & aduerſus Iulianũ Pelagianũ, idem S. Auguſt. ſubdit. His eloquijs, & tanta auctoritate Sanctorũ profectò aut ſanaberis Dei miſericordia donãte, quod quantũ tibi optem, videt qui faciat: aut, ſi, quod abominor, in eadem, quę tibi videtur ſapiẽtia, & eſt magna ſtultitia, perduraueris, nõ tu iudices quæſiturus es, vbi cauſam tuã purges, ſed vbi tot ſanctos Doctores egregios, atq; memorabiles Catholicæ veritatis accuſes, Irenæum, Cyprianũ, Reticiũ, Olympium, Hilarium, Gregoriũ, Ambroſ. Baſilium, Ioannem, Innocentiũ, Hieronymum, cæteroſq; ſocios, ac participes eorũ, inſuper & vniuerſã Chriſti Eccleſiã, cui diuinæ familiæ dominica cibaria fideliter miniſtrãtes ingenti in Domino gloria claruerũt. Aduerſus hanc aũt miſerabilẽ quam Deus auertat inſaniã, ſic reſpondendũ video libris tuis, vt fides quoque aduerſus te defendatur iſtorum, ſicut contra impios Chriſti profeſſos inimicos etiam ipſum defenditur Euangelium.

Auguſt. ad Honoratũ c. 7. de vtilitate credendi.
To. 7. con. Iulianũ Pelagianum li. 2. verſus finem.

Quartò, quoniã Patres quod inuenerunt in Eccleſia, tenuerunt, quod didicerunt, docuerunt: quod à Patribus acceperunt, hoc filijs tradiderunt, vt idem Pater teſtatur.

Ibid. Aug.

Quintò, quòd ita perſæpè Eccleſia errores hæreticorũ reuicit, atq; damnauit: In Epheſino Cõcilio Neſtoriũ; Hier. Eluidiũ; Baſil. Eunomium, Spiritus S. Diuinitatem negantem; Aug. Donatiſtas & Pelagianos; Leo Papa Eutychem, & huius Sectatores. Sic item Agatho Pontifex Maximus, comprobauit dogma de duplici Chriſti voluntate & operatione: Theodoritus actiones Cõcilij Alexandrini; ſic alij pleriq; omnes alia orthodoxa dogmata confirmârunt.

Etſi verò hæretici aliquando Patres laudant, vt hac fraude populis perſuadeant, ſe ipſos cũ antiqua Eccleſia ſentire, tamen nõ ſine cauſa eoſdẽ Patres nunquã ex profeſſo docuerũt in Scholis, nec libenter, aut incorruptè vnquã eos ediderunt in lucem, neque vnquam in linguas populis cognitas cõuerterunt; intelligebant enim hæreſes, & errores ſuos ita retectũ iri, & ipſos populos facilè cognituros laudes, quibus Lutherus, atque alij Apoſtatæ extolluntur à ſuis, eſſe tanquam coronas ebrioſorũ, ſicut de ſui temporis hæreticis rectiſsimè contra Iulianum Pelagianum dixit Auguſt.

Nota.

QVINAM EX PATRIBVS LEgendi ſunt.

QVICVNQVE à tẽpore Apoſtolorũ, per conſequentia ſecula in Catholica, id eſt, in vniuerſali Eccleſia floruerunt. Horum autem B. Hieronymus in libro de viris illuſtribus (etſi non omnium) vſq; ad ſua tempora Catalogum ſcripſit, quem doctiores verſare poſſunt, diſcernentes quemnam eorum auctorũ aut relinquere, aut circumſpectè legere debeant, quos ille hæreſi, aut erroribus aliquibus infectos fuiſſe ſcripſit. Reliquorum autẽ, ſicut & eorum Catholicorum Scriptorum, quorum S. Hieronymus mentionem facit, nomina Xiſtus Senenſis in ſacra Bibliotheca ſua (ſic enim librum inſcripſit) diligenter collegit. Porrò quinam illuſtriores Doctores vnoquoque ſeculo fuerunt, id tum ex Chronologia Ingolſtadij edita, tum ex folijs prioribus operi magno Catechetico Petri Caniſij adiunctis perſpici poteſt.

ORDO, ET MODVS IN LEgendis Patribus.

QVAMVIS autem certus ordo præſcribi nequeat in Patribus legendis (quoniam & illi varia ſcripsẽre, & qui ad eos accedunt, non omnes id ipſum cupiunt legere) is tamen ordo, & ratio adhiberi poterit, vt primùm eorundem Patrum, quos velimus euoluere, legamus vitam attentè. Hinc enim Eccleſiæ eius ſeculi ſtatus agnoſcetur: Sanctitas ſcriptoris legentem ad pietatem excitabit; ac quænam hæreſes extitére, cognoſcetur. Ex quibus omnibus cauſarum, & aliarum circumſtantiarum non exigua lux haurietur.

Præterea quæ illi ſpectantia ad mores Chriſtianos cõponendos ſcripſerũt, magni momenti erũt, ſi perpendantur. Ex eorum enim lectione, quantam eorum ſcripta pietatem ſpirent, & quàm facilè hæreticorum rapſodiæ atque blaſphemiæ ſordeſcere incipient, experiri vnuſquiſque poterit.

Quod ſi inueſtigare placeat, num cum Eccleſia Catholica, vel cum Lutheranis, aut alijs eiuſmodi hominibus Patres cõſenſerint, primùm legi poterunt ea ſcripta, quę de hæreſibus ſui temporis generatim, & breuius ediderunt, vt:

Tertullianus de præſcriptione aduerſus hæreticos.

S. Auguſtinus ad Quod vult Deum de hæreſibus.

Epiphanius de octoginta hæreſibus.

Theodoritus Cyri Epiſcopus, de fabuloſarum hæreſum narratione, atque ita alij. In ijs enim libris apertiſsimè cernitur, eaſdem prorſus hæreſes à Lutheranis, Caluinianis & alijs Sectarijs fuiſſe ab inferis

hoc

hoc feculo excitatas, propter quas antiqui hęretici ab Ecclefia vniuerfa ex verbo Dei, vnanimique Patrum confenfu fuere damnati.

Si quis verò noffe cupiuerit, quibus rationibus ipfa hæreticorum dogmata fufiùs ab ijfdem Patribus confutata fint, petat à perito aliquo Catholico, vel ex auctorum ipfis indicibus, quofnam de quaque re libros ediderunt.

Exempli gratia, S. Hieronymi, qui contra Vigilantium, negantem Sanctorum intercefsionem; Et contra Iouinianum negantem cœlibatus & ieiuniorũ meritum, aduerfus item alias hærefes proprios tractatus fcripfit. Hos igitur libros legere poterit.

At S. Auguft. cùm aduerfus plures, Africæ hærefes, quę fuo tempore, ebullierũt, multa opera ediderit, quæ quidem non ita facilè quiuis poteft propter Scriptoris ingenium eminens, variafq́; ac perdifficiles tractationes intelligere, magnum auxilium fentiet, ex eius Patris materijs penè omnibus per loca propria fidelifsimè à Hieronymo Torrenfi, Societatis noftræ Theologo difpofitis in libro, qui Confefsio Auguftiniana dicitur, qui certè labor fuit vtilifsimus.

In omnibus autẽ Patribus legendis hoc ftatuere primùm oportet, eos maximè confenfiffe in ijs, quę ab Ecclefia Catholica in generalibus & legitimis Concilijs decreta funt. Quòd fi quis aliqua in re aliquando vel errauerit, vel dubitauerit, id fanè ante Ecclefię determinationem contigit, quemadmodum accidit S. Cypriano de rebaptizandis hæreticis: fi quis verò vnus, vel alter Patrum nutauerit, eum item ab Ecclefia fuiffe notatum fciat.

Præterea (vt inquit Vincentius Lirinenfis) antiqua fanctorum Patrum confenfio, non in omnibus diuinę legis quæftiunculis, fed folùm in fidei regula nobis certò eft fequẽda, atq; in ijs præcipuè quęftionibus, quibus Catholici dogmatis fundamenta nituntur.

Itaque fi quis aliquid obijciat, quo auctoritas Patrum (vel ipfis Patribus, teftantibus) eleuetur, id eiufmodi effe intelligendum eft, quod vel non ad fidem pertinebat, vel ad ea, quæ iam ab Ecclefia decreta non erant, fed priuato cuiufque iudicio libera linquebantur. Alia enim funt (ait B. Auguftinus) in quibus inter fe aliquando etiam doctifsimi, atq; optimi regulę Catholicę defenfores falua fidei compage non cõfonant. Alia verò quę ad ipfa fidei fundamenta pertinent.

Lib. adu. Iulia. I. c. 2.

Pręterea, fi quis hęreticus ipfos Patres aduerfus Ecclefiæ Catholicę dogmata citauerit, ea citatio fic omninò fufpecta effe debet, nulla vt ratione credatur. Quamobrẽ vrgendus eft hęreticus, vt ipfum auctorem in fonte oftendat, quem fortè nunquam legit, fed ex Philippi Melanchtonis, vel alicuius eiufmodi fallacifsimis communibus locis mutuauit. Pręterea iterum vrgendus eft, num putet eundem auctorem pro Catholicis alibi facere. Quod fi affirmet, cur quæ apertè alibi dicit, ea potiùs, & candidè ab hęretico non afferuntur? Sed de tota hac Patrum auctoritate, ac de modo eos legendi, ij qui erũt doctiores, petere multa poterunt ex feptimo libro locorum communium Melchioris Cani, qui Caluinum, reliquofq́ue Fidei & Patrum aduerfarios folidis rationibus, eorum fraudes aperiens, euincit.

INDEX OMNIVM CONCILIORVM NVMERO 212.

CONCILIA GENERALIA Catholica & confirmata à Romanis Pontificibus.

Anno Dñi.

325. 1. Synodus Nicena I. Epifcoporum 318. contra Arium, confirmata à Sylueftro. tom. I. fol. 339.

381. 2. Conftantinopolitana I. Epifcoporum 150. contra Macedonium, confirmata à Damafo. to. I. fol. 481.

430. 3. Ephefina I. Epifcoporũ 200. contra Neftorium, confirmata à Celeftino. tom. I. fol. 598.

451. 4. Calcedonenfis Epifcoporũ 630. contra Eutychem, confirmata à Leone I. tom. 2. fol. I.

553. 5. Conftantinopolitana 2. Epifcoporum 165. contra Petrũ Gnaphæum, confirmata à Vigilio. tom. 2. fol. 409.

681. 6. Conftantinopolitana 3. Epifcoporum 170. contra Manothelitas, cõfirmata à Leone II. tom. 2. fol. 899.

789. 7. Nicena 2. Epifcoporum 350. contra Vonomacos, confirmata ab Adriano I. tom. 3. fol. 598.

868. 8. Conftantinopolitana 4. Epifcoporum 383. cõtra Photium, cõfirmata ab Hadriano II. tom. 3. fol. 531.

1120. 9. Lateranenfis I. Patrum 900. pro terra fancta, Præfide Calixto II. 0000.

1230. 10. Lateranenfis 2. Patrũ 1000. pro iure Cleri, præfide Innocentio II. 0000.

1160. 11. Lateranenfis 3. Epifcoporũ 300. pro reformatione, pręfide Alexandro III. tom. 3. fol. 626.

1215. 12. Lateranenfis 4. Patrum 1215. hoc eft Patriarcharum 2. Archiepifcoporum 70. Epifcoporum 412. Abbatum 12. Priorum cõuentuum 800. nec nõ oratorũ vtriufq; Imperij, & quinque Regnorum pro varijs rebus, Præfide Innocentio III. to. 3. pag. 734.

Anno Dñi.

1244. 13. Lugdunenfis I. tum pro terra fancta, tum contra Fridericum II. Præfide Innocentio IIII. 0000.

1273. 14. Lugdunenfis II. Patrũ 1560. quorum Epifcopi erãt 500. De proceffione fpiritus Sancti à Patre & Filio, contra errorem Græcorum, Præfide Gregorio X.

1311. 15. Viennenfis Epifcoporũ 300. ꝓ terra fancta & alijs rebus, Præfide Clemente V.

1438. 16. Florentina pro vnione Græcorũ cum Latinis, Præfide Eugenio IIII. to. 4. fol. 366.

1513. 17. Lateranenf. 3. pro varijs negotijs Præfide Leone IX. dicto X. to. 4. fol. 320.

1545. 18. Tridentina Epifcoporum 410. hoc eft Cardinalium 6. Patriarcharum 3. Archiepifcoporum 25. Epifcoporum 168. Abbatum 7. Generaliũ Ordinũ 7. Procuratorũ abfentium 39. Oratorum Principum 19. Doctorum 136. Contra Proteftantes anno 1545. inchoatur, 1563. abfoluitur, 1564. à Pio IIII. confirmatur, to. 4. fol. 891.

Ex his 18. Generalibus Concilijs quinque non extant, nempe Lateranenfia primum, fecundum, Lugdunenf. primum, fecundum, & Viennenf. fed eorum meminit Platina.

Generalia partim confirmata partim reprobata.

Anno Dñi.

340. 1. Sardicenſ.ſynodus Epiſcoporum 376. de hæreſi Arij: diuiſa eſt ſynodus in duas partes. Et Occidentales Epiſcopi qui erant 300. Fidem Orthodoxam confirmarunt, atque hæc pars cõfirmata eſt à Leone IIII. vt habetur diſt. 20. c. de libellis: ac verò Orientales 76. ſeorſim conciliabulum celebrantes in hæreſim Arianam ſubſcripſerũt, quocirca hæc pars alia reprobata eſt, & ratione huius partis Conciliũ Sardicen. hæreticũ eſſe dicitur ab Augu. lib.3. in Creſco.c.34. quod tamẽ ratione alterius partis dicitur Catholicũ ab Hylario lib. de Synodo. vide Hiſtoriam Tripartitam, lib. 4.c. 27. & Apologiam 2. Athanaſij.

687. 2. Synodus Trullana ſeu Quini ſexta, Epiſcoporum 284. quæ authore Iuſtiniano Imperatore conuenit in Trullo, atq; edidit Canones 102. nomine 6. Synodi, quibus Sergius Papa, qui tunc ſedebat, nunquã ſubſcribere voluit, imò apertè repugnauit, auctores ſunt Beda lib. de 6. ſtatibus in Iuſtiniano, Paulus Diaconus, lib.8. de geſtis Roma. c. 9. Et Platina in Sergio. Can. tamen 82. probatus eſſe videtur in 7. Synodo ac.34.5. & 6. to.2. fol. 1038.

1415. 5. Cõſtantien. Cardinalium 29. Patriarcharum 4. Archiepiſcoporum 47. Epiſcoporum 270. contra Schiſma, Præſide Martino III. dicto 5. Confirmata eſt hæc Synodus à Martino, quantum ad ea quæ pertinent ad fidem contra hæreticos VVicleffum & Ioan. Hus, ac quantũ ad alia, & præſertim quod Concilium ſit ſupra Papam nõ eſt probata, ſed potius reprobata, vt patet ex Concilio Lareranenſ. ſub ſub Leone X. Seſſ. XI. tom. 3. fol. 769.

1431. 4. Baſilienſ. quæ celebrata eſt contra Eugeniũ IIII. reprobata eſt in Concilio Lateranen. ſub Leone X. Seſſ. xj. exceptis illis decretis, in quibus agitur de Cẽſuris & cauſis beneficiorum, quæ probata ſunt à Nicolao V. tom. 4. fol. 1.

Generalia Hæretica & penitus reprobata.

Anno Dñi.

361. 1. Synodus Mediolanenſ. Epiſcoporum 300. pro hæreſi Ariana ſtabilienda.

361. 2. Ariminenſis Epiſcoporũ 600. pro eadem hæreſi confirmanda.

363. 3. Seleuciẽſis propter idem negocium.

363. 4. Syrmienſis propter idem negocium.

Vide de iſtis quatuor Concilijs. Ruff. lib. 10. hiſt. c. 20. & hiſt. Tripart. lib. 2. c. 36. & lib. 5. c. 20. & Hylarium lib. de Synodis.

Nota duas eſſe Synodos Syrmienſes, vnã hæreticã, cui interfuit Hoſius Cordubenſ. & hæc non extat niſi in lib. de Synodis Hylarij: Alteram Catholicam contra Photinum celebratam, cuius etiam meminit Hylarius, & hæc extat in ſumma Conciliorum, ſed malè confunditur cum priore, diciturq; illam eſſe cui interfuit Hoſius, quod eſt falſum. non patet ex Hilario.

449. 5. Epheſina 2. pro Deſiderio & Euthicle, cui adfuerunt Legati Papæ Leonis, ſed illis reclamantibus ſtatuerunt hæreſim, & fuit poſtea reprobata in Concilio Calcedonen. nõ extat. Vide Leonẽ ep. 15.

687. Quini 6. vide ſupra.

737. 6. Conſtantinopolitan. Epiſcoporum 300. cõtra ſacras imagines: coacta fuit à Leone Imperatore, & reprobata in 7. Synodo. act. 6.

1536. 7. VVitembergen. 300. fere miniſtrorum Præſide hæreſiarcha Luthero, quam Lutherani generalem vocant. Vide hiſt. Surij, pag. 370.

Concilia particularia tam probata, quàm non probata.

266. Concilium Antiochenũ 1. à Dionyſio Papa. to. 1. pag. 264.
308. Anxiranum probatum tom. 1. p. 293
325. Arelatenſe 1. à Syluestro tom. 1. p. 368
326. Arelaten. 2. to. 1. p. 375
340. Antiochenum 2. to. 1. p. 400
322. Aquileienſe to. 1. p. 472
426. Aphricanum to. 1. p. 570
438. Agathenſe to. 1. p. 709
444. Arauſicanum 1. to. 1. p. 717
445. Arelaten. 3. to. 1. p. 726
443. Arauſicanum 2. to. 1. p. 722
516. Aurelianen. 1. to. 2. p. 371
535. Aurelianen. 2. to. 2. p. 603
536. Aurelianen. 3. to. 2. p. 604
536. Auernenſe to. 2. p. 633
552. Aurelianen. 4. to. 2. p. 638
553. Aurelianen. 5. to. 2. p. 650
613. Antiſiodoren. to. 2. p. 715
670. Anglicanum 1. to. 2. p. 891
670. Anglicanum 1. to. 2. p. 891
670. Anglicanum 2 to. 2. p. 892
780. Arelatenſe 4. to. 3. p. 268.
816. Aquiſgranenſe 1. to. 3. p. 293
833. Aquiſgranenſe 2. to. 3. p. 409
848. Aquenſe to. 3. p. 428
1225. Alemanienſe to. 3. p. 757
1548. Auguſtenſe to. 4. p. 797
335. Concilium Carthaginen. 1. confirmatum à Leone IIII. d. 20. cap. de libellis. to. 1. p. 378
338. Colonien. ſub Iulio I. to. 1. p. 397
396. Carthaginen. 2. probatum ab eodem Leone ibidem, to. 1. p. 500
397. Carthaginen. 3. probatur ibidem, to. 1. p. 503
398. Carthaginen. 4. probatur ibidem tom. 1. p. 522
402. Carthaginen. 5. probatur ibidem, tom. 1. p. 519
418. *Carthaginen. Epiſcoporum 217. contra Pelagium, probatum à Zozimo. Aug. epiſt. 47. Proſper in Cronicis. Vide Auguſt. epi. 47. 90. 91. 92. 93. 94. & alibi.*
425. Carthaginen. 6. probatum à Leone IIII. to. 1. p. 564
426. Carthaginen. 7. probatum ibidẽ, to. 1. p. 369
444. Carpentoratenſe to. 1. p. 725
514. Cæſarauguſtan. to. 2. p. 375
650. Cabilonenſe 1. to. 2. p. 874
887. Colonienſe 2. to. 3. p. 544
1536. Colonienſe 3. to. 4. p. 747
1549. Colonien. 4. to. 4. p. 833
798. Cabilonen. 2. to. 3. p. 278
1479. Compluten. diœceſanum ſumma Conciliorum, confirmatum à Sixto IIII.
325. Elibertinum to. 1. p. 362
494. Epacinenſe to. 2. p. 321
622. Bracaren. 1. to. 2. p. 746
624. Bracaren. 2. to. 2. p. 749
653. Bracaren. 3. to. 2. p. 888
242. Francicum to. 3. p. 39
790. Francofordien. to. 3 p. 227
791. Foroliuien. to. 3. p. 257
Florentinum Præſide Victore II. 0000.
324. Gangrenſe probatum à Leone 4. d. 20. 1. p. 369
526. Gerundenſe to. 2. p. 74
51. Hieroſolymitanum, Præſide D. Petro Act. 15.
580. Hiſpalenſe 1. to. 2. p. 667
622. Hiſpalenſe 2. to. 2. p. 718
Hieroſolymitanum pro reſtitutione Athanaſij. 0000
499. Illerdenſe to. 2. p. 355
390. Laodicænum to. 1. p. 451
600. Lateranen. Præſide Gregorio I. to. 2. p. 714
643. Lateranen. Præſide Martino I. to. 2. p. 763
580. Lugdunen. 1. to. 2. p. 677
596. Lugdunen. 2. to. 2. p. 680
Lateranen. ſub Hadr. I. Epiſcoporum 153. 0000.
410. Mileuitanum to. 1. p. 554
580. Matiſconen. 1. to. 2. p. 678
598. Matiſconen. 2. to. 2. p. 682
813. Moguntinum 1. to. 3. p. 285
883. Moguntinum 2. to. 3. p. 421
845. Meldenſe to. 3. p. 453
853. Medardenſe to. 3. p. 469
888. Moguntiacenſe to. 3. p. 546
888. Metenſe to. 4. p. 551
1549. Moguntinum to. 4. p. 856
1566. Mediolanen. conf. à Pio V.
1570. Meclinienſe 0000
312. Neocæſarienſe probatum to. 1. p. 315. à Leone IIII. d. 20
Nannetenſe to. 3. p. 569.

829. Pariſienſe to. 3. p.358
836. Piſtenſe to.3.p.486
552. Pariſienſe 1.to.2.p.648.
554. Pariſienſe 2.to.2.p.654.
1050. Papiēſe ſub Leone IX.Herman. Contract.
200. Romanum ſub Victore I. de quæſtione Paſchatis. Euſeb.lib.3. cap.23. hiſt.Eccleſ.
260. Romanum ſub Cornelio.oooo. Euſeb.lib.6.c.33.
328. Romanum ſub Syluestro, to.1. p.354.
329. Romanum ſub eodem to.1. p.355
340. Romanum ſub Iulio I.to.1.p.396
380. Romanum ſub Damaſo oooo.
390. Romanum ſub Sericio oooo.
436. Romanum ſub Sixto 3. tom.1. p.701.
450. Romanum ſub Leone I. oooo.
465. Romanum ſub Hilario tom. 2. p.200
444. Romanum ſub Gelaſio tom.2.p. 318.
500. Romanum Epiſcopi Zimachi, to.2.p 328.
500. Romanum Epiſcopi eiuſdem, to.2.p.329
501. Romanum Epiſcopi eiuſdem, to.2.p.331.
502. Romanum Epiſcopi eiuſdem, to.2.p.334
503. Romanum ſub eodem, Epiſcoporum 218.to.2. p.347.
504. Romanum ſub eodem, tom.2. p. 350
390. Romanum ſub Gregorio I. tom. 2.p.688.
517. Romanum ſub.... oooo.
607. Romanū ſub Bonifacio 3. oooo.
Romanū ſub Vetalionio oooo
708. Romanum ſub Greg. 2.to.3.p.18.
Romanum pro ſacris Imaginib⁹ Præſide Conſtantio Papa. Abbas Vſpergenſis.oooo.
Romanum pro ſacris Imaginibus ſub Gregorio 3. Patrum ferè 1000. Palmerius.oooo.
813. Remenſe to.3.p.291
438. Rhegienſe to.1.p.698
Romanum ſub Paſchali. oooo.
Romanum ſub Nicolao I. Epiſcoporum 113. Platina.oooo.
Romanū ſub Ioanne 12. Sigebertus.oooo.
Romanū ſub Gregorio V. in quo ſancitum vt pro 7. Electores Imperator creetur. ooo.
1049. Romanū ſub Leone 9.
Romanum ſub eodem
Romanum ſub eodem
Remenſe ſub eodem
} Hermanus Cōtractus.
1057. Romanum ſub Nicalo II. tom.3. p.599.
1070. Romanum ſub Gregorio 7. contra Berengarium qui tum 3. cecinit palenodiam: nam 1. eam cecinerat in Concilio Turonen. II. In cōcilio Romano, 3. in hoc. Tho. VVald. to.2. de Sacramentis, c.43.
1700. Remenſe ſub Eugenio 3. oooo. D. Bern. ſerm.8. in Cantica.
245. Simeſſanum to.1.p.286.
742. Sueſsionenſe to.3.p.40.
Saleguſtadien.to.3.p.572.
1528. Senonenſe to. 4. p.716.
369. Sirmienſe contra Photinum: extat in ſumma Conciliorum, & falsò ibi dicitur in eo Concilio adfuiſſe Hoſium Cordubenſem.
390. Tolenſe à Siricio to.1.p.499
390. Tarninatenſe to.1.p.526
395. Toletanum 1. à Leone. to.1.p.521
480. Turonenſe 1.to.2.p.278
486. Tarraconenſe to.2.p.290
534. Toletanum 2.to. 2.p.386
552. Turonenſe 2.tom.2.p.641
580. Toletanum 3.to.2.p.668
622. Toletanum 4.to.2. p.725
624. Toletanum 5.to.2.p.739
625. Toletanum 6.to.2.p.741
636. Toletanum 7.to.2.p.759
643. Toletanum 8.to.2.p.854
645. Toletanum 9.to.2.p.867
646. Toletanum 10. to.2. p.870
653. Toletanum 11.to.2.p.879
681. Toletanum 12.to.3.p.1.
684. Toletanum 13.to.3.p.9.
798. Theodonen.to.3.p.269
799. Turonenſe 3.to.3.p.274
856. Ticinenſe to 3.p.480
895. Triburienſe to.3.p.553
1057. Turonen. 4. contra Berēgarium, oooo
1548. Treuerenſe 1.to.4.p.821
1549. Treuerenſe 2.to.4.p.881
Trecaſſniū ſub Paſchali 2. oooo
371. Valentinū in Gallia to.1.p.491
451. Vaſenſe to.1.p.720
451. Veneticum to.2.p.276.
502. Valentinum in Hiſp.tom.2.p 358

Ver.

755. Vernenſe to.3.p.475.
835. Valentinum 3. in Gallia tom. 3. p. 475.
868. Vormatienſe to.3.p.529.
1050. Vercellenſe contra Berengarium, oooo.
1160. Verelliacum oooo.
Veronenſe contra Turcas ſub Lucio 3.

Particularia Reprobata.

255. Reprobatum Carthaginenſe ſub Cypriano, reprobatum à Papa Stephano. Aug. lib.5. de Bapt.c.23.
308. R. Carthaginen. tempore Euſebij Papæ, quod Auguſt. in breuiculo collationis dicit fuiſſe iniquum. Hoc Concilium hęretici noſtri tēporis dicunt eſſe Carthaginen.1. in quo pueriliter labuntur, nam Carthaginen.I. fuit ſub Sylueſtro.
325. R. Elibertinum, in eo quod dānat Imagines nunquam ab Eccleſia receptum fuit, to.7.p.367.
340. Tyrenſe contra Athanaſiū oooo. Ruſti.lib.20. hiſt.c.16.
340. R. Antiochenum contra Athanaſium, hiſt.trip.oooo.
860. R. Conſtantinop. ſub Photio, reprobatum in 8. Synodo.
939. Romanum coactum ab Othone Imperatore contra Ioānem 12. Papam, nón multò pòſt ab eodem Ioanne reprobatum.
1506. R. Piſanum contra Iulium 2. reprobatur in Concilio Lateranen. Seſſ.2.
1534. R. Conſtantienſe auctore Bucero pro pace componenda inter Lutheranos & Zuuinglianos. Surius in hiſtoria, p.310.
1535. R. Smalcaldicum proteſtantium, in quo eſt decretum non eſſe eundum ad Concilium generale indictum à Rom. Pont. Surius in hiſt. p.360.
1536. R. Tigurinum, vbi decretum eſt à Zuuinglianis edendam eſſe Apologiam contra Lutherum. Surius in hiſt.p.362.
1536. R. Arouienſe pro pace Zuuinglianorum cum Luthero. Surius p. 362.
1536. R. Baſileenſe 1.2.3.&4. Zuuinglianorum. Surius p. 370.
1536. Tigurinum 2. Zuuinglianorum. Surius p.370.
1536. R. Arouienſe 2. eorundem. Surius p. 370.

In his omnibus Conciliabulis Zuuinglianorū illud maximè ſingulare fuit, quod nullum habuerunt Epiſcopum, cùm tamē Cōcilium nil ſit aliud quàm Epiſcoporum legitima congregatio. Concilia antiqua vt 4. Arelatēſia, Duo Arauſicana, Vnum Laodicenum, 13. Toletanum, Quinque Aurelianenſia, 4. Turonenſia, Tria Bracharenſia, Duo Hiſpalenſia, & vnum Agatenſe magnæ ſunt auctoritatis: tametſi enim eorum aperta cōfirmatiō non inuenitur, ſunt tamen tacita quadam Eccleſiæ conſenſione, & Pontificum, ac Doctorum, his ea citantibus comprobata.

INDEX QVÆSTIONVM IN HOC LIBELLO EXPLICATARVM.

ANTO-

ANTONII POSSEVINI, SOCIETATIS IESV, IVDICIVM, DE CONFESSIONE (VT VOCANT) AVGVgustana, ac num admittendi sint hæretici ad colloquium publicum de fide: De Desiderio Erasmo, ad quem noui Ariani prouocant: De Picardica secta, mixta Caluinismo & Anabaptismo.

Sequenti Epistola lector habes Caussas scriptionis huius Iudicij, & præstantem Principis indolem, ac perfectam formam ad quam se efformet.

SIGISMVNDO BATOREO TRANSYLVANIAE PRINCIPI ILLVSTRISSIMO, ANTONIVS POSSEVINVS SOCIETATIS IESV.

CVM Transyluaniam obirem, ac venissem Cibinium: Lutherani ministri, qui in ea primaria tua ciuitate docent, me adierunt atque enixè rogarunt, vt quod studium quibusdam controuersijs eo tempore pacandis impendebatur, id inprimis, catholicis cum protestantibus coniungendis adhiberem. Perplacuit quæ videbatur ex beneuolo pectore profecta petitio. Itaque ratione qua id effici posset, paucis exposita, & ea de re vnicuiq; libellis traditis: cùm primum Albam Iuliam ad te redij, is qui videbatur inter eos esse primarius, aliquid eiusmodi per litteras à me iterum petijt, quod scribebat se inter sua κειμήλια (vt eius verbo vtar) repositurum. Respondi tum, quantum ad alia properanti mihi per temporis angustias licebat. Idem autem cùm Cassouiæ de me à principe viro paucissimos post menses, quæreretur, pluribus autem cum eo egissem, facilè intellexi, quæ solent esse Germanorũ ingenia ad pacem, & simplicitatem nata, non difficillimè etiam eos, qui in hæreses altius decidissent, ad auitam religionem redituros, si opportunè ac breui atq; ad omnium captum origo & variatio Lutheranorum, aliorumq; dogmatum illis posset ostendi. Quam ad rem cùm maximè facere videretur eorum, qui confessionem nescio quam Augustanam sequuntur, ac reliquarum sectarum cum œcumenicis synodis, & symbolo fidei collatio, ac præcipuè artificum eiusdem confessionis interior cognitio: illud tanquam operosius reieci in alterum librum, quem de notis verbi diuini, & de fide ac facie

 Apo-

Apostolicæ Ecclesiæ in lucem edidi: hoc in id tempus distuli, quo acceptis quibusdam Germanicis scriptis, liquidius ea cognoscerem, quæ huc pertinere posse putabam. Id quod cùm deinceps essem consecutus, iudicium de Confessione Augustana, addita perutili tractatione de colloquio cum hæreticis publico à Regibus declinando, portentaq; Picardicæ sectæ breuiter, ac verè conscripsi, quibus nonnulla inserui de Desiderio Erasmo, quoniam & ad illam, & ad hunc reliqui sectarij & noui Ariani, tum alibi, tum imprimis qui sunt in Transyluania, plures libenter prouocabant. Hæc autem mitto ad te Sigismunde Princeps illustrissime D. bonitate fretus, te qui ætate ac virtute quotidie proficis, vbi altius illa perceperis, nō permissurum, quin Saxonicis istis Transyluaniæ ciuitatibus tuis idem de tuo lumine lumen amanter offeras, oblatum persuadeas vt admittant, admissum vt retineant. Experiere enim & ad restinguenda hæresum venena remedium hoc esse præsens, & ad ipsos quoque Turcas ad fidem Christianam alliciendos non incommodum; quippe qui (vel naturæ ipsius ductu) hæreses istas vehementer oderint, quòd norunt ab alijs faces aduersus legitimos principes sæpè hoc sæculo fuisse subministratas: Ad Transyluaniam verò tuam tutandam, quæ Christiani istius tractus, est (vt ita dicam) arx arcium, non minimo præsidio futurum, cùm ex eadem collationis ratione statui possit vera religio, qua nullum munitius propugnaculum, aut nexus cum DEO arctior vnquam reperietur.

Quæ omnia, si de alio vnquam Principe fuerunt expectanda, vt ad effectum perducerentur, equidem eo quoque nomine de te speramus, quod istius Principatus habenas non ambitione, aut artibus vllis, sed ea innocenti ætate es assecutus; quæ vix ea cogitare, ne dicam prensare potuerat: Quodque Stephani patrui regis, ac Christophori parentis, & Stephani aui tui, qui Transyluaniam summis temporum difficultatibus administrarunt, istam tibi Prouinciam sic tradidit Deus, vt habens quos imitarere, non desponderes animū, si qua incideret eiusmodi, quibus vel ob fidē Christianam, vel ob Turcicæ ditionis viciniam quatere te, aut ab suscepto proposito auertere nonnulli conarentur. Diuina quidem prouidentia, quæ nihil est aliud quàm suijpsius perpetua rebus omnibus præsentia, longius ista prospexit, cùm auum tuum, quo tempore alij in Transyluania, & Vngaria templa demoliri satagebant, excitantem sacras ædes, & Catholicam religionem sartam tectam sustinentem, tibi tanquam è specula ducem ac stratorem itineris præparabat. Quem secuti filij Stephanus Rex & Christophorus princeps, atque Andreas eorum frater viam tibi ad omnia summa complanarunt. Quę sine dubio consequeris, si eandem (vt facis) semitam perrexeris insistere quā isti tibi triuerūt. Et verò recordaris Christophori parentis tui, quàm Heroico, hoc est Christiano pectore, dum quasi compedibus vel podagræ doloribus, vel Transyluaniæ dissidijs ob varias sectarum factiones distineretur, difficillimas tamen res aggressus explicuit, ac peste illa Francisci Dauidis (publica sentētia ordinum) extincta, & exstructis vel assignatis cultui Catholico templis, frenoque satanæ iniecto per Catholicos sacerdotes, quibus sui tuique curam demandauit, ostium isthic fidei aperuit, per quod plurimi nondum baptismate initiati, licet prouecta essent ætate, ceruicem CHRISTI iugo auidè subdentes principatus tui, quæ iam imminebant initia, quasi consecrarunt. Hæc vir ille non aui tui tantum, quantum Stephani Regis imitatione, ac monitis impulsus cùm paulò post omnibus sacramentis catholicissimè munitus ex hac vita decederet, hæredem te dignitatis, virtutis, Catholicæ Religionis reliquit, atque euolauit ad cœlum. Illhinc igitur cogita eundem (quandoquidem charitas nunquam excidit) tua nunc apud CHRISTVM sedulò curantem, quòd perennes tibi victorias cupiat, quas cœlesti ciuitati inscriptas eorum cernit, qui pro custodita fidei, ac vitæ integritate, & pro administrata iustitia, & imprimis pro Catholica religione latius promota occubuerunt. Quos cùm ille intueatur æterna fælicitate fruentes anne ambiges, Adolescens illustrissime, easdem tibi filio suo ipsum cupere, ac serio flagitare? Et capit ergo, ac flagitat: Et familiæ isti tuæ antiquissimæ, quæ non in Vngaria solùm, verùm etiam in ipsis Hierosolymis recuperandis atque in perfidis non vno prælio domandis, fortitudinem suam summo cum decore testatam posteritati reliquit, procurat tibi cœlestes illas coronas, quæ semper virescunt, nunquam exarescunt: Qua spe circundatus, quid est tandem quod & tu aut non perrupturus sis arduum, in Christi fide propaganda? vel in quo te ipsum non sis victurus, vt deinceps victorias de alijs iustè reportes?

Sanè si præsentem Transyluaniæ statum contuleris cum eo, qui non ita multos ante annos fuit, habebis vnde erigat sese altius spes tua, teq; interim studijs ac virtutibus ornes, quæ diuinæ gratiæ aditum quodammodo patefaciunt; Quamuis & ipsa verarum virtutum dona donentur ab eo, qui cùm ob iniustitias, & dolos auferat regna & principatus, sic propter iustitiam, atque pietatem eosdem corroborat, & munit.

At cùm præter parentem tuum, quem habes regnantē in cœlis, habeas etiam regnantem in terris Stephanum regem patruum tuum, qui indies non ipsas modò rationes ostendit, sed etiam suppeditat tibi regendę rectè iuuentutis, & Transyluaniæ tuæ: hincq; magnarum rerum amplitudine, istinc verò iactis pietatis fundamentis egregiè te incitēt ad ea quæ principe Christiano sunt digna, nihil est tam

tam ſublime ad quod aſpirare non debeas,propoſita tibi Dei gloria, & familiæ tuæ dignitate. Itaq; cùm tu ſentis qua animi conſtantia is idem Stephanus Rex vnâ cũ fratribus ſuis, inter ſæuiſſimas Religionis Catholicæ procellas, in ditione familiæ veſtræ religionẽ veram conſeruauit impauidus,tu ne vnquam timeas,à facie alicuius, ſed in Chriſti nomine quanto obſtabunt magis,qui neſciunt quid faciãt; tu contra tanto audentior ito. Neq, enim vnquam deeſt cauſæ ſuæ Deus. Cùm aũt ad memoriam reuocas ab eodem Rege ita deuictos fuiſſe rebelles,vt ſimul ſeipſum vicerit, illos expugnans ſimul & ijs parcens,ac filios eorum in patrocinium ſuſcipiens, & hos Catholica fide inſtitui curans:& tu quoq; ad eaſdem regias dotes adipiſcendas,animum tuum compara. In quo obſecro vt tibi perſuadeas nihil tam difficile futurum quin ſuperare poſſis,ſi vitæ innocentiam ſeruaueris,teq; in conſpectu Domini ſemper demiſeris: Tum enim re ipſa intelliges viua nobis iſta maiorum exempla à Deo concedi, vt quãto magis ad eorum normam vitam noſtram efformabimus, tanto diligentius ad noſtram, reliqui, qui nos ſubſequentur, ſuam exprimere nitantur, ſicq; vera & apta inter ſe quædam Diuinorum in nos beneficiorum ſeries ſemper eluceat. Prætereà cogita quibus gradibus Rex Patruus tuus ad iſtum principatum: deinde à victorijs ad regnum hoc maximum, mox ex hoc Regno ad prouincias alias iſti regno adijciendas, ſpiritu ſancto tarda molimina neſciente, peruenit. Sanè ij fuêre, Dei timor,pudor, honeſtas, inuicta animi fortitudo,atq; alto ſub pectore diu retentum diuinæ gloriæ augendæ deſiderium. Itaq; neq; eum torpor vnquam à rebus gerendis,nec iuuentutis illecebræ abduxerunt à tramite virtutis, nec ſumma pericula pauidum reddiderunt,neq; torrẽs tot hæreſum, quantus ſe in iſtum Orientis tractum infuderat,ab ipſa Catholicæ fidei firma petra dimouit. Ex quo factum eſt,vt cùm iam torrens earundem hæreſum Tranſyluaniam vniuerſam Lutheraniſmo primùm, deinde Caluiniſmo,denique Arianiſmo inundaſſet,Sacerdoteſque Catholici omnes tum fugati, tum cædibus expoſiti paſſim eſſent, ille tamen in patrimonij veſtri ditione cultum Catholicũ aduerſus omnes ſummo conatu tueretur,ac ſpecie venationis perſæpe ſeſe in ſyluas abderet,vt ſacrum à Catholico Sacerdote poſſet audire: Mirandum vt non ſit, ſi paulò poſt quàm ad Principatum Deus illum euexit, incepit Viennam,& Romam literas de operarijs Catholicis in Trãſyluaniam euocandis diligenter mittere,ac ſeminaria pietatis vrgere, quæ intelligebat fore præcipua reſtituendæ fidei firmamenta. Cum verò ſubſecuti eſſent,qui adducto in viſcera Tranſyluaniæ exercitu eam ad ſeſe auertere cogitaſſent, magnanima fortitudine ab eo fugati,& eorum copiæ fuſæ, ac pars illarum ad internecionem cæſa, eò illuſtriorem ipſius virtutem reddiderunt,quanto eam ij obſcurare magis,atque ad nihilum redigere curauerunt. Quamobrem latius micans tanti Herois virtus ad regnum hoc inuitata fuit ardentius,

tius,ac poſcentibus eum aliquot ordinibus in Regem, is eo nomine in primis annuit, quod ab ijſdem ſcribebatur, ſe propterea expeti, vt intermiſſum bellandi ſtudium reſtitueretur, nobiliſque illa huius regni gloria, armis, & arcendis fidei hoſtibus tanto olim ſtudio comparata, non ſolùm reuiuiſceret, ſed & maiora quædam quàm antea patraret. Quare neſcius ocij adfuit, creatuſque Rex nulli ſe dedidit voluptati, nulli faſtui,luxui nulli. Sed hinc calamus ad explicanda negotia atque ad Catholicam fidem per libros & ſolidas rationes continenter adhibitus, illhinc enſis, & exercitus ad Gedanenſes ad officium reducendos, ad Polociæ Ducatum, ad Liuoniam de Moſco repetendam præſto fuerunt. Quæ omnia cùm deinceps confeciſſet, quaſi rediuiuæ meliorum Regum effigies, & animi in vno Stephano Rege apparuerunt. Nam ſexennio iſta omnia effeciſſe, & annum anno eructaſſe victorias, maioraque interim animo fuiſſe molitum, atque moliri, humanam profectò ſpem, ne dixerim captum, exceſſit. Sed hoc integro decennio, quo regnauit & regnat, eundem vitæ tenorem oculis omnium obieciſſe, quem quondam in Vngaria inter alios primarios proceres, vel in Tranſyluania Princeps ſecutus fuerat, ac verò peruigilem, & ſummum caſtitatis vindicem fuiſſe, Diuinum certè eſt donum, ac proinde tibi (vt alterum Sanctum Emericum, Sancti Stephani Regis pudiciſſimum filium referre poſſis) precibus ac omni conatu à Deo procurandum. Id enim te non lateat, patruum tuum Regem inter alia curaſſe, vt quàm minimum labis, ab impudicitia, vel copijs quotieſcunque eas eduxit in expeditionem, vel aulæ ſuæ aſpergeretur. Itaque & illud conſtantiſſimi erga pietatem pectoris indicium fuit, quod cùm inhoneſtæ mulieres exercitus ſequi, & inter aulicos ſeſe intrudere plerunque tentaſſent, ac licet præmonitæ atque additis minis deinceps deterritæ, non tamen audacibus flagitijs parcerent, has denique Rex proijci iuſſit in profluentem: quæ demerſæ aliarum omnium improbitatem repreſſerunt. Et quidem nota ſunt tibi, Sigiſmunde Illuſtriſſime, Stephanum primum Vngariæ Regem ſic bello operam dediſſe, vt ſimul in vniuerſo Vngariæ Regno Catholicam religionem ſtatueret, erroreſque ſuorum radicitus euelleret: qui noſſet hominibus à Deo præfectos tam diu meritò præeſſe, quandiu toto pectore incumbunt in id, vt ſubditi in omnibus D. Maieſtati & ſeruiant & ſubſint. Sic igitur & Stephanus Rex patruus tuus in hoc Poloniæ regno longè lateq; fecit quod & in Tranſyluania non omiſerat. In medijs enim tormentorum fragoribus,ac diſploſionibus: in maxima negociorum mole: cùm conuentus, & comitia, aut exercitus ingentes ſub ſignis habuit (& quidem in media Moſcouia, cœloque ob

fri-

frigus inclementissimo) in tentorijs (non in hypocaustis) in ipsis etiam syluis dum venandi exercitatione ocium excutit, ac valetudini operam dat, aut sæpè, quæ non omnes cogitant, maiora ad rem Christianam amplificandam in solitudinibus illis concoquit, putásne eum vnquam aut sacra quotidie, aut Catholicos concionatores prætermisisse, quominus illos statis diebus etiam ocreatus currum ad iter ascensurus audiret: vel dum arces in hoc regno instaurat, aut tuas communit, non habuisse primam curam Diuini cultus, ita vt templa, collegia, seminaria passim institueret? Videlicet ex istis sine sanguine populos ad Christianam fidem reuocari: in Asiam verò sensim religionem Catholicam inuehi posse nouo ac tacito Christianæ militiæ genere sapiens Rex vnà cum Ecclesiæ CHRISTI spiritu sapienter intelligit.

Ac propterea habes iam Albæ Iuliæ, & Claudiopoli, ac Varadini quas non multo antea sacerdotum stationes, at Academias excitauit: cumque Gregorius decimus tertius Pontifex Maximus seminarium ad orientem iuuandum in media Transyluania cordatissimè constituisset, non te fugit patruum tuum Regem noluisse tantam de CHRISTO benè merendi sibi occasionem elabi. quamobrem Regia magnanimitate tantos ei rei perpetuos reditus quantos Pontifex Maximus fecerat addixit, testatus facto sese Apostolicæ sedis & filium & optimum æmulum, ac in prouehenda religione socium esse.

Sed & Polonia, Lituania, Polocia, Liuonia vident in dies assurgere muros, & augeri hominum cœtus, quos ille ad huiusmodi præsidia euocat: quæ (satana iam Regios conatus horrescente, ac hæresibus his machinis per sese concidentibus) sic firmat, vt dubium non sit progressuram longissimè pietatem: &, qui postea successerint reges, eos vberrimam messem ex tot seminibus percepturos, speculum quidem lucidissimum habituros, in quo regnandi ex DEO formam aptissimam semper inspiciant. Quibus vestigijs cùm te puerum his oculis viderimus incedentem, iam verò grandescentem & ijsdem consilijs atque exemplis innixum sistere firmiores gressus audiamus, summo omnes perfundimur gaudio. Nam vitia & hæreses detestaris, ac ijs qui in eas prolapsi sunt, ita compateris, vt tamen non conniueas, ne licentia deteriores fiant: foues autem eadem collegia piorum, ac seminaria patrocinio tuo, quæ tibi vnà cum Principatu Rex tradi curauit: studijs verò literarum operam nauas, librosque, quos pene nunquam Rex ponit de manibus, assiduè tu quoque versas. Es verò in ista

orbis parte non tam vt istam modereris, quàm vt pro reliquo orbe Christiano propugnando videaris impositus. Accedunt ornamenta illa præclara tum Andreæ Patruelis tui in Cardinalium numerum honorificentissimè delecti, tum Grego. XIII. & Sixti V. Pontif. Maximorum erga te studia, qui paternæ charitatis vlnis curam istarum prouinciarum amplexi amantissimis literis cum vniuerso orbe de ista indole gratulati tibi magnū calcar benè currēdi addiderunt, satis disertè declarātes, sese maximā de te spē concepisse. Macte igitur donis cœlestibꝰ Princeps, decurre fidēter in nomine Domini vsq; ad vitæ metā intrepidus hoc iter, quod cepisti: hæcq; tibi eædem sint artes & studia, q̄ nosti in Stephano Rege patruo, & Christophoro Principe parente tuo viguisse: Ea verò notitia, quam vel ex hac tractatione, vel ex alijs huiusmodi libris hauries, perge tuum pectus imbuere, vt cùm doctrinam ad pietatem, & ad auctoritatem adiunxeris, populos istos Deo lucreris, quos propterea is ipse, Deus tuæ fidei, atq; administrationi concredidit.

ANTONII POSSEVINI, SOCIETATIS IESV,

IVDICIVM DE AVGVSTANA CONFESSIONE, CVIVS VARIATIO, ET PENE ANTEQVAM PRODIIT *in apertum, interitus examinantur.*

Num vlla fidei Confeſſio Auguſtana vnquam reipſa fuerit, ac ſi fuit, quænam illa cenſenda ſit.

CAP. I.

ETSI nomine Confeſſionis Auguſtanæ aures ſeptẽtrionalium ita perſonant, vt nemini ferè venire poſſit in dubium, ea ne fuerit aliquid, rectiſſimè tamen ambigi, ac quæri poteſt, an quidquam re vera fuerit. Primùm enim, ſi qua fidei Auguſtana Confeſſio vnquam fuiſſe dicenda ſit, eam fuiſſe, ac dicendam eſſe, quæ Catholica fuerit, neceſſe eſt: quam quidem, ij, qui chriſtianum in Germania promulgarunt Euangelium, initio inuexere: quãuè adhuc & Auguſtanus Epiſcopatus, & Eccleſiæ Catholicæ prædicationis certiſſima veſtigia teſtantur. Sin verò eam accipimus, quam hæretici anno huius ſeculi trigeſimo, Auguſtæ, Carolo Quinto, & ordinibus obtulerunt, ea non vna, ſed plures fuerunt, & quidem diſſidentes inter ſeſe, nec ab ijſdem auctoribus profectæ, vt planè quid iſta ſit ignoretur. Et Principum quidem quorundam confeſſioni ſubſcripſere Norimbergenſes, ac Reutligenſes: verùm quæ ab alijs quatuor Imperij ciuitatibus oblata eſt, alia erat, nec illæ inter ſeſe conuenire potuerunt. Zuingliani enim nomine earum ipſarum quatuor, ſuam & ipſi Auguſtæ confeſſionem eodem tempore per Gaſparem Hædionem propoſuerunt, quæ à reliquis erat alieniſſima: ſed & cùm triplex non verbis ſolùm, verùm etiam ſententijs, variatio exemplarium vnius & eiuſdem confeſſionis Proteſtantium prodijſſet, incertum eſt ex quibus linteamentis certa ipſius facies agnoſci poſſit. Eadem quidem omnibus erat inſcriptio, qualis procurantibus Luthero, & Melanchthone Carolo Quinto tradita fuerat. At exemplaria nec eadem erant, & inter ſeſe pugnabant, vt diximus. Ac cùm prior decem & ſeptem, ſecunda viginti octo articulos comprehenderit, Lutherus autem plures alios ſub eiuſdem pallij nomine texerit, & quaſi aliud agens multa in ſinuauerit, quibus religionis & Imperij publicæ pacis iugulum petebat, mirificè nutarunt, qui in re tam lubrica, pedem figere voluerunt. Accedit quod ſtatim enata, plures annos delituit, vt vbinam gentium eſſet, ac quibus in archiuijs iaceret, ne ſciri quidem poſſet: Quò verò tota res altius occuleretur, varia ſuppoſita ſunt, vt Apologia Melanchthonis, & alia. Quamobrem non confeſſio, ſed inficiatio, atque negatio Euangelicæ, auitæ, chriſtianæ, ac veræ Auguſtanæ fidei iure optimo vocanda eſt.

Argentina. Koſtnitz. Meningẽ. Lindau. Vide Cochleum de vijs præparatorijs ad concordiã. Luth. cõt. Ambr. Catharinum, de Pontificatu, & de imperio, de poteſtate ſeculari. De Capt. Baby. De Confeſſ. ad Franciſcũ cõtra duo Cæſarea mandata.

In lib. cõt. epi. Regis Angliæ. De iud. Chriſtianæ congre. Contra falsò nominatum ſtatũ Eccleſiaſt. De humanis traditionibus. De abrogan. miſſa priuata ſermo. de S. Cruce.

VARIATIONEM EIVSdem Confeſsionis Auguſtanæ ab ipſiſmet hæreticis agnitam, atque ab eorum pleriſque eandem confeſsionem fuiſſe reiectam.

CAP. II.

ET plures quidem proteſtantium Diuino iudicio cogente non vno loco faſſi ſunt eandem confeſſionem ſæpe fuiſſe mutatam, renouatam, ac redditam incertam. Et Melanchthon anno trigeſimo huius ſeculi die 22. Maij, Luthero in hæc verba ſcripſit. Quotidie multa mutamus: Articuli enim fidei ſubinde mutandi ſunt, atq; ad occaſionem accommodandi. Itane verò? certè, quoniam calcei veſtri ad pedes veſtrorum, non veſtri pedes ad calceos Eccleſiæ aptandi erant. Sed ea mutatio cùm euidentior fieret, quàm vt poſſet abſcondi, eminentiores quidam, Auguſtanis alijs comitijs, ne quaſi per naſum abducti ab vno, vel altero Apoſtata fuiſſent, prorſus erubeſcerent, dixerunt, ſeſe Auguſtanam Anno trigeſimo editam confeſſionem (quam videlicet ſapientiſſimi nec viderant, nec quo aſtu conſcripta fuiſſet cognouerant) nunquam ſeſe deſerturos. Ac Geneuenſes, Magdeburgenſes, Mansfeldenſes, Ratisbonenſes, vnà cum Flaccianis odio acti aduerſus Melanchthonem, & Vittembergenſes idem teſtati ſunt. Quamobrem articulos Schmacaldicos, Catechiſmum Lutheri, & Saxonicarũ Eccleſiarum confeſſionem in vnum colligentes, corpus (quod rectius dixiſſent cadauer) doctrinæ nominarunt, & Philippum

Chytræus fol. 30. 115. 222. 227. in hiſt. de conf. Aug. Nota Proteſtantium originem Euangelij.

pum Melanchthonem accuſarunt, tanquã impium, & proditorem, qui confeſsionem Auguſtanam mutilauerit, auxerit, mutauerit. Inter eos verò Ioannes Sturmius eſt, de quo Schmidelinus ſic loquitur. Sturmius librum edidit, ne concordiæ conſentiretur. Quare? quod Philippus ea damnetur. Fateor, & perſpectum eſt omnibus noſtram de Sacramentis doctrinam farciminis loco duxiſſe, & quod grauiùs eſt, cõdemnaſſe. Fatendum quidem non eſſet, at negare non poſſum. Doleo certè, ſed dicere cogor. Philippum noſtram doctrinam artolatricam iudicaſſe. Hæc Schmidelinus. Qui cùm intereſſet colloquio Confeſſioniſtarum non multos ante annos maniſeſtiſsimo teſtimonio Melanchthonẽ fuiſſe ſacramentarium comprobauit: eo inter alia nimirum argumento, quòd Philippus ad Fridericum Rheni Principem literas dediſſet, quibus Lutheri doctrinam reſpuebat, affirmans nec in pane Chriſti corpus, neque ſub panis ſpeciebus contineri, ſed nuda eſſe corporis ſigna. Quę vt vera eſſe conſtaret ipſas literas Schmidelinus deprompſit, & ijs, qui aderant oſtendit.

Nota Schmidelini de Melanchthone teſtimonium.

Doctrina Lutherana rorum de ſacramentis loco farciminis habenda.

Sturmius autem, Philippus (inquit) ad Caluinum frequentes literas miſit, quarũ initijs Reuerendiſs. ſemper Dominum & fratrem compellat: quibus verbis monſtrauit, quàm ſibi confeſsionis Auguſtanæ præcipuus artifex conſtitit.

Peucerus item, cui poſteà ob nouam hæreſim vita eſt à Lutheranis adẽpta, ab nullo ſe vnquàm homine ita in Caluiniſmo, quemadmodum à ſocero ſuo Philippo cõfirmatum fuiſſe teſtatus eſt.

Heſſuſius quoq, & Vigandus, ac Kirchamer Lutheranæ hæreſeos buccinatores librum ediderunt, quo Philippum propria epiſtola verbis eius Altẽburgi exaratis Caluinianæ prauitatis condemnant. Sed vt id; quod veriſsimum eſt, dicam, non tantùm Caluinianus fuit Melanchthon, quàm regula quædam Lesbia, ſiue potiùs obliquitas impia, quæ dum ſeſe ad omnes hæreſes ſtudebat aptare, ſæpè item Catholicam fidem iterum amplecti velle indicabat, & dum omnes ſuſpenſos tenebat, ab omnibus interim haberi ſingularis mediator, ſiue potiùs arbiter, artificioſa & latente ſuperbia ſedulò curabat; ſpargens interim proprium virus, & libros, ac ſcholas quaquauerſum in ſeptentrione excitans, vt in ijs nil penè aliud, quàm eius libri pręlegerentur. Vt verò ad confeſsionem Auguſtanã reuertamur; Flacciani (vt ſemper in deterius labuntur hæreſes) eam reijcere cœperunt, quippè quã ab vno Luthero, & Philippo conſarcinatam, ac pręterea mutatam atq; corruptam, indignam eſſe dixerunt, quæ nominaretur Forma veræ religionis: quare & diſertè proteſtati ſunt, ſeſe illam non recipere, & ſua illa proteſtatione viginti rationes, cur id non facerent, attulerunt.

Neque enim Illyricus tacuerat, cùm aduerſus Melanchthonem ſcriberet, articulos confeſsionis Auguſtanæ, ab eo, non tam oppugnatos, quàm omnes pæne fuiſſe deletos.

Bohemi quoque, qui vocantur Fratres, inter alias cauſſas, cur Auguſtanam confeſsionem, quæ anno quadrageſimo primo edita eſt, haud recipiunt, eam adſcribunt, 1541. quod eius articuli tãta arte conſcripti ſunt, vt quilibet ad ſuum ſenſum illos facile detorqueat, ſi velit.

Sed Heidelbergenſes contra Schmidelinianæ concordiæ librum, Lutherum nec fuiſſe Prophetam, nec Apoſtolum, nec vlla miracula edidiſſe, dicentes, oſtendunt etiã pluribus in rebus eiuſdem cõfeſsionis Auguſtanæ eundem ipſum Lutherum ſibi cõtradixiſſe. Id quod paucisſimos ante menſes fecit, vt edicto omnes miniſtri Lutherani, ex Palatinatu Rhenano ſolùm verti re coacti ſint. Quod eò dicere velim, ne Daniel Tuſanus hæreticus neſcio quis effrons Caluinianus multũ glorietur, quòd in eo ſolùm ſubſtantiam confeſsionis Auguſtanæ ſitam potiſsimum eſſe dixerit, vt Pontificia (quemadmodum ille blaſphemat) abominatio tollatur. Eodem ſcilicet argumento dixiſſet, & Turcas, & perfidos quoſque, quoniam Catholicam religionẽ non admittant, pallio confeſsionis Auguſtanæ contegi poſſe.

Lib. ſuæ cõſolationis. Item de Auguſtana.

Iam de corpore doctrinæ Lutheranæ idem paulò pòſt accidit, quod de confeſsione Auguſtana contigerat. Nam cùm alterum corpus primò Vittembergæ editum fuiſſet, mox alterũ prorſus diuerſum prodijt. Vnde inter Lutheranos crudæ illæ controuerſiæ, atq; ad rauim vſq; clamores excitari fecerunt, vt Mansfeldenſis quidã concionator tentauerit, num duobus iſtis cadaueribus informans aliquis ſpiritus inſpirari poſſet, quo fierent in aliquam animam viuentem: ſed ocioſè & fruſtrà omnia. Qui enim ſimul cohæreant duo ſibi cõtradicentia? Aut ecquid monſtroſum non erit, cui cùm duo aduerſę ſpeciei capita, & corpora fuerint, id ab vna tantum anima regatur? Sed hæc ſtructores illi egregij deſtruentes ſe, & hæ illius tam reformatę religionis fuere priores formæ, ac ſymbola incertiſsima. Quæ tamen pro ſua videlicet ſapientia vel hæretici, vel politici quidam exiſtimarunt in ſummam Chriſti iniuriam, pacandis animis eſſe poſſe remedia.

Otho buccinator Mansfeldenſis.

AVGVSTANAM, QVAM *vocant confeſsionem, cùm vniuerſæ antiquitati repugnauerit, nec Euangelicum aliquod ſapere, nec verò aliquid re vera fuiſſe, vt ad eam Chriſtianus aliquis prouocare debeat.*

CAPVT III.

ILLVD verò euidentiſsimum eſt aduerſus Auguſtanam confeſsionem argumentum, atque iudicium, quod cũ vniuerſæ antiquitati repugnauerit, nihil eam veritatis, aut Euangelicum ſapere certiſsimum ſit. Vt enim mittam, nuſquam terrarum eiuſcemodi dogmata habita fuiſſe, aut prædicata pro veris, atque Catholicis. Nullam nationem, nullam ciuitatem, nullum doctorem, ſcriptorem nullum, nullum Principem, aut Imperatorem, vel Regem, nullum omninò hominem fuiſſe, qui anteà vnquam omnia illa crediderit, vel docuerit, quæ iſta malè conciliata chymęra prodidit, nullũ deniq; vſpiam templũ, nullum ſacellum extare, vbi antequam Lutherus aduerſus Chriſti Eccleſiam irrumpere conaretur, eius doctrina propoſita fuerit: certè & illius, & Melanchthonis, & proteſtantium omnium teſtimonium nimis apertè contra eam clamat, quæ omniũ ſeculorum Patribus non minus impiè, quàm impudenter detraxit. Et poterat verò quicquam arrogantiùs, aut magis blaſphemum quiſquam proloqui, quàm quod fecit Lutherus, cùm D. Hieronymum *a* inquit, fidei, & verę religionis, ne ſemel quidem in ſuis ſcriptis meminiſſe: Origenem iam olim abs ſe fuiſſe excommunicatum: Chryſoſtomum nullo ſe loco habere: Nihil eſſe, niſi loquaculum: Baſilium nihil planè valere, totum eſſe monachum, ſe ne pili illum facere: Apologiam Philippi ſuperare omnes Doctores Eccleſię, & ipſum Auguſtinum? Quin te Hieronyme *b* (alibi ait) conculcamus cum tua Bethleem, cucullo, & deſerto. Ac pręter alia peſtilentiſsima dicere *c* audet, Patres tot ſeculorum planè cęcutijſſe, imperitiſsimos fuiſſe ſacrarum literarum, tota vita erraſſe, & niſi ante mortem reducti fuerint, neque ſanctos fuiſſe, neque ad Eccleſiam pertinere. Quæ quidem conuitia, & à *d* Melanchthone, & ab *e* alijs, atque *f* vt tanquam aſpides è viperis illis venenum exuxiſſe viderentur, aduerſus Antiquitatem, & (vt ſic loquar) venerandam Eccleſię caniciem iacta ſunt. Quamobrem aut nũquam vllam Eccleſiam fuiſſe dicendum eſt, aut quod eſt veriſsimum, nec Catholicam, neq; Apoſtolicam, nec Chriſtianam fuiſſe confeſsionem iſtam Auguſtanam planiſsimũ eſt. Sed & oſtenſum eſt alibi Synodos ſanctiſſimas pari impudentia ab iſtis carpi ſolitas fuiſſe. Quamobrem efficitur cõfeſsionem iſtam meritò eſſe dicendam nouam, (vti nec diffitetur ipſe Lutherus) ac proinde quę à fugitiuo monacho temerè eſt excogitata, hanc ſapienter à cordatis Catholicis eſſe reijciendam: tantum abeſt, vt ad eam ſie prouocandum.

a Lib. de colloq. mẽſalibus apud aurifab.

Nota modeſtiã Lutheri.

b Luther. in Geneſ. c. 22. p. 319.

c Lib. de ſeruo arbitrio.

d In reſpõſ. ad artic. Bauar. & in 1. ad Cor. 3.

e Cal. l. 4. inſtit. cap. 12. ſect. 9. Magdeburgen. c. 4. circa fin.

f Chytræ. li. de Theol. ſtudio inchoãdo.

Vide Auctoris Librũ vlt. cõtra Chytræum.

Lutherus in Cõpendiaria confeſsione ſacramenti.

DAMNATIONEM EIVSDEM *Confeſsionis Auguſtanæ ab omnibus Synodis, & ſeculis: ab omnibus legitimis Imperatoribus, & Regibus: ab omnibus Academijs: ac deniq; à ſeipſa, quæ de ſeipſa incerta prouocauit ad futurum Concilium: quamuis poſteà ne ad ipſum quidem hæretici iuerint, aut promiſsis ſteterint, validiſsimũ eſſe argumentum, eandem confeſsionem nihil eſſe præter impiam fraudum & mendaciorum farraginem, ac ideò eſſe abijciendam.*

CAPVT IIII.

ET ipſa orbis Chriſtiani penè omni ſeculo lata ſententia aduerſus eoſdem errores Auguſtanæ confeſsionis validiſsimũ argumentũ eſt, eam eſſe omnium veterum hæreſum, atque impietatum farraginem. De Synodis, & aliorum ſeculorum iudicibus iam conſtat. De hoc ſeculo age oſtendant hæretici, an Synodus œcumenica Tridentina, ad quam viſi prouocare, poſtea pedem receperũt, an inquam reliquæ Prouinciales Synodi, quæ à Chriſtianis Epiſcopis celebratę ſunt, an Academię vllę Catholicę illã admiſerint. Imo verò an ijdem ipſi hæretici ipſam admiſerint: Certè in pręfatione eiuſdem confeſsionis, cùm, quo primũ tempore, in Auguſtanis comitijs ea de re actum eſt, omne deſiderium pacis, & beneuolentię Catholicis, anteſignani proteſtantium polliciti eſſent, ac verò niſi cõcordia de omnibus fuiſſet conſecuta ad Conciliũ generale liberè prouocaſſent, apud quę ſeſe ipſos doctrinę ſuæ rationem reddituros promittebant, id conſilij Carolo V. & ordinibus vehementer probatum eſt, & delecti ſunt vtrinq;, qui eam rem agerent, qui & cum noſtris penè de omnibus cõſenſerunt. Extat verò de vijs pręparatorijs ad concordiam, Ioannis Cochlęi (qui ex Catholicis Carolo V. mandante diſputationi interfuit) ad Norimbergenſes liber, in quo hæc inter alia continentur.

Chytræus hiſt. de cõfeſ. Auguſt.

Etenim (ait Cochlæus) ſciunt Reuerendæ & Magnificæ D. V. ante annos decem in celeberrimo conuentu imperiali Auguſtę habito, factum fuiſſe delectum ſeptenarum ex vtraq; parte perſonarum, quæ amico tractatu, & colloquio quærerent piam & Chriſtianam ſuper exhibita proteſtantium Principum & Ciuitatum confeſsione redintegrandæ vnitatis, paciſque & concordiæ viam. Id quod ab illis ſatis diligenter eſt factum, adeò vt ſedula partium diſquiſitione, & amica interpretatione dictorum ad multorum confeſsionis articulorum vnanimem ſenſum, & cõcordiam partium peruentum fuerit: Petimus igitur, vt nunc quoque placeat parti aduerſæ, quod tunc ei placuiſſe conſtat. Eſt enim antiqua, & trita honeſtatis regula, vt quod ſemel placuit, amplius diſplicere non debeat, & quod tunc pro vero habuerunt, nunc quoque pro vero habeant. Non enim à caſu, aut fortuna, neque ab auctoritate, aut voluntate hominum, neque à longitudine, aut mutatione temporum, ſed ab eo, quòd res eſt, vel non eſt, oratio vera aut falſa dicitur. Si ergo hanc, à parte aduerſa petitionem (quæ non niſi æqua & honeſta, atque etiam pro temporis breuitate neceſſaria videri poteſt) nunc obtinebimus (licet eam Sereniſs. Rex Romanorum, &c. Hagenoiæ à Legatis & Oratoribus aduerſæ partis nuper obtinere non potuerit) optatum habebimus ex vtraque parte compendium, breuioremque methodum ad inueniendam diu iam ab omnibus viris deſideratam concordiam. Nam cùm ſint tantum 28. articuli confeſsionis in eo tractatu ſuper 16. articulis plenè, in multis verò alijs ſemiplenè (vt ſic loquamur) cõcordatum fuiſſe conſtat. Hæc Cochlæus, qui poſtea pergit.

Via V. præparatoria ad cõcordiã.

Vt cõcordata Auguſtæ habeãtur.

ARTICVLI CONCORDIÆ *Auguſtenſis colloquij.*

ETENIM in primo articulo, qui eſt de Trinitate perſonarum, & vnitate eſſentiæ Diuinæ, per omnia concordatum eſt, ſimiliter & in tertio, qui eſt de duabus naturis, & vna perſona in Chriſto, & quidem abſq; omni diſputatione, aut contradictione. In ſecundo autem, qui eſt de peccato Originali, poſt nonnullam diſceptationem in hæc verba cõcordatum eſt, quod peccatum Originale ſit carentia originalis iuſtitiæ, quæ exigit fidem fiduciamque, & timorem Dei, quodque concupiſcentia ex peccato originali ortą, remaneat in homine: Culpa verò originalis peccati per baptiſmum tollatur. Id eſt, quod peccatum originale tollatur, quoad formale, ſed maneat quoad materiale. In quarto deindè quintoque & ſexto articulis ita concordatum eſt, vt omitti debeat hæc vox ſola, quando de fidei iuſtificatione loquimur, ne de cætero dicatur, nos ſola fide iuſtificari. In ſeptimo poſtea, & octauo articulis iterum concordatum eſt, per declarationem huius verbi ſanctorum, quod vtraque pars fateri debeat: In Eccleſia in hac vita eſſe etiam malos & peccatores. In nono, qui de Baptiſmo eſt, & in decimo, qui eſt de Euchariſtia, plenè concordatum eſt. Adiecto vno verbo, Realiter, quando dicitur in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti verè adeſſe. Additum eſt, contra Sacramentariorum fraudulentias, Realiter, Teutonicè Weſendtlich. Sic & in 13. 14. 16. 17. 18. & 19. piè ac benignè concordatum fuit, ita vt nullus in eiuſmodi articulis remaneret inter nos diſſenſionis ſcrupulus. In cæteris verò, etſi non per omnia concordare potuerimus, operę tamen precium videtur nobis, Reuerendis & Magnificis D. V. commemorare, quibuſnam in punctis ipſi ſuis proprijs ſcriptis, & atteſtationibus conſenſerint nobis.

Cõcordata de peccato originali.

De fide iuſtificante.

Etenim circa xij. articuli examen, hanc nobis dederunt ſuam in hæc verba ſcripturam, & ſententiam. Non recuſamus tres partes Pœnitentiæ ponere, ſcilicet contritionem, quę ſignificat terrores incuſſos cõſcientiæ, agnito peccato. Confeſsionẽ, ſed in hoc oportet reſpicere ad abſolutionẽ, & illi credere. Non enim remittitur peccatum, niſi credatur, quod propter meritum paſsionis Chriſti remittatur. Tertia pars eſt ſatisfactio, videlicet digni fructus pœnitentię. Sed propter ſatisfactiones concorditer ſentimus, non remitti peccatum, quò ad culpam. Verùm de hoc nondum conuenit, vtrum neceſſariæ ſint ſatisfactiones ad remiſsionem peccati, quò ad pœnam.

De tribus partibus pœnitẽtię.

Et circa articulum 21. admiſerunt nobis, quòd omnes Angeli, & Sancti Dei, in cœlo orãt, & intercedunt pro nobis, quodque vſus Eccleſiæ, quo ſanctorum commemorationes, & feſta celebrat, Deumque orat, vt ſanctorum nos interceſsio adiuuet, piè, Chriſtianè, & rectè ſeruatur. Et circa ſequentes articulos in ſcripto quodam ſuo Teuthonico confeſsi ſunt, & admiſerunt, vt ſequitur.

De cultu ſanctorũ.

Nempè circa articulum xxij. qui eſt de vtraque ſpecie Sacramenti Euchariſtiæ, conſentientes nobiſcum, dixerunt, Sacramentum illud non debere ſumi abſq; confeſsione præuia. Et rurſus in ſcripto quodam ſuo amplius mentem ſuam nobis declarantes, ita dixerunt: Indicauimus vobis, non eſſe partis noſtræ opinionem aut ſententiam, quòd prædeceſſores noſtri defuncti, aut alij Chriſtiani in alijs terris, & nationibus degentes, qui ſub vna tantum ſpecie vniuerſale Sacramentum corporis, & ſan-

De vtraq; ſpecie.

& ſanguinis Chriſti ſumpſerunt, aut ſumunt, ſint damnandi. Hanc enim vobis (inquiunt) informationem in ſcheda quadam fecimus, quod inſtitutio quidẽ Chriſti & ad ſacerdotes, & ad laicos pertineat, verùm tamen ſit ceremoniale præceptum, diſpenſabile in quibuſdam caſibus neceſsitatis. Idcircò exiſtimatur, ac minimè dubitatur, quòd multi defuncti, & viuentes in Chriſtianitate, qui ſic ſub vna tantum ſpecie ſumpſerunt, & adhuc ſumunt, non ſint propterea damnandi, ſicut & nos ob id eos nequaquam damnamus. Hæc ibi. Sed & in hoc concordarunt, quod nobiſcum credant, verum Chriſtum, verũ Deum & hominem cum corpore & ſanguine eſſe ſub vtraque ſpecie, & ſub qualibet. Imò & hoc in amica illa diſputatione admiſerunt nobis, quod non exiſtiment eos, qui ſub vna tantum ſpecie communicant, peccare. Hactenus Cochlæus.

Sed videamus, an fidem datam vel in conſenſu retinendo, vel in alijs promiſsis præſtiterint. Lutherus enim iſta inaudiens, Nec placet (inquit) nec placere poteſt pacis conditio, ira ferueo, ira penè diſrumpor. Philippum deinde monuit, vt domum rediret, rediret inquam celerrimè, ſiue clàm, ſiue palàm effugeret. Vide furentis & omnem compoſitionem auerſantis cacodæmonis rabiem. Sic itaque illi abierunt retrorſum, & Norimbergenſes cõqueſti Melanchthonem nimium deſcendiſſe, ad eum ſcripſerunt, Monaſteria & cerimonias admittere, quid aliud eſt, quàm miſſam tolerare? Pœnitentiam trium partium toleraſti, & confirmaſti: interceſsionem Angelorum, & Sanctorum, quod non oportebat, admiſiſti. ſi iſta Epiſcopis concedis, Lutheri dogma deſtruis. Prętereà commonefecere Lutherũ, caueret diligentiſsimè ne ſua doctrina euerteretur. Ex quo vides quem vitulum Samaritæ ſibi conflarunt, conflatum excitarunt, excitatum adorauerunt, & Chriſti loco adorent adhuc. Atqui aſtum quoque Satanæ, ac Lutheri eius in eo perſpice, quòd hic ad Generale Concilium prouocans, nihil minùs quàm hoc cogitabat: Epiſtolam enim Tomus Germanicus Ienenſis continet, quæ eſt quinta ad Philippum Melanchthonem ſcripta, anno 30. die S. Margaritæ ſacra ſcripta. Verumtamen poſteaquam (ait) iſthæc mendaciſsima diabolorum capita ludunt in permittendo Concilium liberum, ſic volo & ego cum eis ludere, voloq; ab eorũ ſomnijs appellare ad illud ipſum Concilium, quod tamen nũquam futurum eſt, vt ego intereà in pace agam. Hæc ille. In quibus vides, quorſum ſpectauerit. Nempè vt latiores progreſſus hæreſes ſuę impunè facerẽt, Congregata eſt enim œcumenica Synodus Tridenti, in libera ciuitate.

Notate ô viri, quib' eſt cor.

Lugahenhaftige Teuffels köpffe.

Auff das ich die weil friede hette.

Interfuère Principum penè omnium Chriſtianorum Legati: fides publica data; Iudices ijdem, & aſſeſſores fuère, qui ab Apoſtolorum ſeculo & ſemper fuerunt, & quos ipſi hæretici Auguſtæ legitimos eſſe cõfeſsi fuerant. Si quis Tridentum aduenit ex Proteſtantibus, impunè abijt, licet perſtiterit in ſua pertinacia. Ex omnibus interim partibus concurrerunt intrepidi Epiſcopi per media maria, & Regna, quæ non minus bellis, quàm illa fluctibus, & pyratis excurrentibus feruebant. Soli Apoſtatæ demorãtes cum ſuis monialibus non venère: ſed interim mouerunt bella, ciuitates ademerunt imperio: cœnobia eraſère: fœtus hæreſum multiplices pepererunt, viam ad atheiſmos ſpacioſam, & latam complanarunt: & ecce confeſſionis Auguſtanæ, atque Euangelicæ iſtius doctrinæ præclariſsima trophea.

An verò Academiæ vllæ Gallicę, Hiſpanicę, Italicæ, Germanicæ, Belgicę, eandem confeſsionem approbauerint, nemo non neſcit. Confutatam enim, & damnatam vnanimes, & oculatiſsimi omnes Theologi reiecerunt, & anathemate confoderunt.

Carolus autem Quintus, ad quem tanquam ad iudicem viſi ſunt confeſsionis artifices primò prouocaſſe, ſi quo modo ad ſuas partes Chriſtianiſsimum Principem illicere potuiſſent, ne illam quidem, cùm ſibi fuiſſet oblata, attingere voluit. Teſtati ſunt id Saxonici ipſi miniſtri in colloquio Altenburgenſi 22. Decembris, fol. *143.* cũ ſcripta reliquerunt hæc verba. Ita inuictiſſimo Imperatori Carolo Auguſtana confeſsio diſplicuit, vt neque nomen illius audire æquo animo poſſet. Germanicè illi ſic. **Nach dem dem groß mechtigen Keyſer Carolo V. die Außpurgſche Cõfuſion ſo verleidet vnd zu wider geweſen das er auch dieſelbe nicht hatt nennen hören mögen.**

Et Melanchthon ad Ioannem Obernburgerum, qui erat à ſecretis Caroli V. In Comitijs Auguſtanis (inquit) triſti, ac atroci ſententia damnati ſumus.

Lib. 1. epiſ. à Peucero editarum Vittẽber. 1570. pag. 408.

Sed & in receſſu Imperiali Auguſtæ, Carolus Quintus hæc ipſa verba ſcribi iuſſit. Et licet doctiſsimorum diuerſarum nationum virorum ea (confeſsio Auguſtana) fortiſsimis ſacri Euangelij, & ſanctæ ſcripturæ argumentis refutata ſit, & reiecta, non tamen hoc ab illis obtinere potuimus, vt cum noſtris Principibus, alijſque ciuitatum multarum ordinibus de omnibus articulis fidei conſentirent. Germanicè ille ſic.

Vnd wie wol wir nach gehalten vnd beſtendigen rath fürteflicher gelerter Theologen aus vielen Nationen/ſolch jr Augſpurgiſche Confeſsion mit dem H. Euangelion/vnnd der H. ſchrifft gutten grundt wider legen vnd ableinen laſſen/ſo hatt doch ſolchs bey jnen ſo viel nicht vermöcht/ das ſie ſich mit vns Fürſten / vnd andern gemeinen ſtenden in allen artickeln vergleichen hetten.

Quæ cùm ita ſint, anne adhuc intelligunt, rem vndique damnatam haud eſſe legitimum tribunal, ac ne aliquid quidem ex quo ſententiam vllam meritò pro ſe ferant, aut hæreſes ſuas fulcire poſsint? Certè putidiſsimum eſt, & magni defectus fidei indicium euidens, cùm eam coniungendam eſſe cum religione Catholica aliqui putent.

EX LVTHERI MISSIONE, qui confeſsionem Auguſtanam primus texuit, effici hanc à Diabolo fuiſſe, ac proindè ad illam non eſſe confugiendum.

CAPVT V.

SED & ipſa Lutheri aduerſus Eccleſiam irruptio (non miſsio) cùm de cœlo non fuerit, etſi iſti, qui ſunt extra omnem ordinem, extraordinariam illam eſſe olim cõminiſcebãtur, certiſsimum eſt ſignum, cur confeſsio iſta vndique vnà cum alijs hæreſibus explodẽda ſit. Licet (vt ipſimet Deo vrgente, ſeſe in dies magis produnt) & hãc & Caluinianam deinceps, mox pleraſque alias explodunt, dum apud eos tragicæ iſtius fabulę ſcæna non ſolùm quinto (vt iubet ille) verùm & centeſimo fit productior actu. At quod non à Deo, ſed à cacodæmone Lutherus in iſtam palæſtram deſcenderit, cetera quidem, quę hactenus ſcripſi, teſtantur, verùmtamen & quæ ſequuntur liquidiùs adhuc rem ipſam ob oculos ponũt. Primum igitur eſto diabolicæ miſsionis ſignum blaſphemiæ ſpiritus, qui aliquot annos hominem peſsimè habuit, dum ſatanas illius ſic volentis ingenium formabat ad Chriſti ſcindendam Eccleſiam. Ego autem (inquit) qui me, vtcunq; monachus irreprehenſibilis viuebam, ſentirem corã Deo eſſe peccatorem inquietiſsimæ conſcientiæ, nec mea ſatisfactione placatum confidere poſſem, non amabam, imo odiebam iuſtũ, & punientem peccatores Deum: tacitaque ſi non blaſphema, certè ingenti murmuratione indignabar, Deo dicens: Quaſi verò non ſatis ſit miſeros peccatores & æternaliter perditos peccato originali, omni genere calamitatis oppreſſos eſſe per legem Decalogi, niſi Deus per Euangeliũ dolorem dolori adderet, & etiam per Euangelium nobis iuſtitiam, & iram ſuam intentaret: furebam itaque ſæua, & perturbata conſcientia. Ac non ita multò pòſt. Igitur quanto odio vocabulum, (Iuſtitia Dei) oderam ante, tanto amore dulciſsimum mihi vocabulum extollebam: ita mihi iſte locus Pauli fuit verè porta paradiſi: poſtea legebam Auguſtinum de ſpiritu & litera, vbi præter ſpem offendi quod & ipſe Iuſtitiam Dei ſimiliter interpretatur, qua nos Deus induit, dum nos iuſtificat. Et quanquam imperfectè hoc adhuc dictum ſit, ac de imputatione non clarè omnia explicet, placuit tamen iuſtitiam Dei docere, qua nos iuſtificemur. Hæc Lutherus.

Hora. in Poe.

In præfat. Tom. 1.

Ex quibus dum nutantem hominis animum, & ſæuam ac perturbatam (vt ille ſuam vocat) conſcientiam intelligimus, non difficili negocio quiſque ſpiritualis vir cernit, Satanæ vias, Apoſtatæ illius prę cipitem mentem, omnium hęreticorum lapſus. Dum enim Lutherus in Catholica Eccleſia nimia trepidatione Diuinæ iuſtitiæ, ac ſcrupulis ageretur (nempè quòd latebat aliquis ſerpens in herba) à ſeniore quodam monacho (qui putabat hominem ad ſpem meliorem erigere poſſe) perſuaſus, vt non ſolùm, remiſsionem peccatorum in genere datam iuxta ſymboli tenorem, verùm etiam firmiſsimè crederet ſibi eſſe remiſſa peccata, atque hunc eſſe illius articuli ſenſum: excepit lutulentum vas quæ ſibi à Dęmone infundebantur, atque illicò ad alterum extremum præcipitatus monſtroſa illa dogmata euomuit de ſola & ſpeciali fide iuſtificante, de imputata iuſtitia, de Chriſtiana quadam inaudita libertate, ac de pluribus alijs quondam damnatis hæreſibus, ſeque in cœnum omnium voluptatum prouoluit. Qui ſanè ſi perpendiſſet, dum timore diuinæ iuſtitię (licet nimis ſeruili) tenebatur, vixiſſe ſe tamẽ & monachũ, & (vt ipſemet ait) irreprehenſibilem, profectò agnouiſſet aſtutias ſatanę amãtis extrema, ſcrupuloſque & culices hominibus proponentis, vt eos primò colantes, tędio denique virtutis afficiantur, ſicque in omnem licentiam effuſi camelos deglutiant. De iuſtitia verò Diuina ſic in bonitate ſenſiſſet, vt & illam vnà cum Diuina miſericordia poſſe ſtare credidiſſet, nec detorſiſſet Apoſtolum ad inſanos mentis ſuę fluctus, in quibus fidei naufragium fecit, neq; Dei verbo ſenſum ademiſſet, vt impia cuiuſdã ſolius fidei voce ſuppoſita cõſtantem Eccleſiæ, ac quidem etiam ipſius Auguſtini doctrinam euerteret. Qui vnus inter alios pluribus locis euidentiſsimè, quæ-

Melanchthõ in prę fat. in to. 2. operũ Lutheri.

Auguſt. de natura & gratia c. 1.

quænam iuſtitia fidei ſit, expoſuit. Et hanc (inquit ille) iuſtitiam (nempè nō qua Deus iuſtus eſt, ſed qua iuſtos nos facit) non in præcepto legis, quo timor incutitur, ſed in adiutorio gratiæ Chriſti, ad quam ſolam vtiliter legis veluti pædagogi timor ducit, conſtitutam eſſe qui intelligit, ipſe intelligit, quare ſit Chriſtianus.

Lib. de miſſa priuata.

Sed alterum fuit ſatanicæ Lutheri miſsionis indicium: Priuatæ nempè miſſę diabolico (vt ipſemet ait) inſtinctu abs ſe procurata abrogatio. Neque enim ſi Miſſa res mala fuiſſet, eam ſatanas omnium malorum cupidiſsimus Lutherum abrogare docuiſſet.

Hierony. Empſerus, & Cochlæus in actis Lutheri.

Tertium eſt: finis, quò totam iſtam tragædiam excitans præcipuè ſpectauit. Non enim ob Deum id agere teſtatus eſt idem Lutherus, & in diſputatione Lipſica monitus ab optimi Georgij Ducis Cōſiliarijs, nihil vt per iram, ſed omnia modeſtè ageret: Non propter Deum (inquit) hæc res cœpta eſt, nec propter Deum finietur.

Luth. To. 7. epiſt. ad Argenti. c. Et in confeſs. parua teſtibus ad monit. ad lib. cōcor. In præfat. to. 1. circa finem.

Quartum: Perturbatio animi, tum ex odio, erga Pontificem Maximum, quamobrem vel Carolſtadio in veritate Euchariſtiæ pernegāda aſſentire extenſis (inquit) omnibus neruis cupiebat. Perſpiciebam enim (ait) hac de re Papatui cumprimis me valdè incommodare poſſe. Tum ex inuidia, qua contra Indulgētias diſputauit, iniquè ferens earum promulgationem à ſuis Auguſtinianis ad Tetzelium Dominicanum fuiſſe delatam. Orta tamen controuerſia fatetur ſe non fuiſſe progreſſurum longiùs, ſi aduerſarium ſuum Tetzelium compreſsiſſent.

In præfat. Tom. 1.

Ad odium verò, & inuidiam acceſsit falſæ gloriæ cupiditas, qua ſe incenſum fuiſſe in controuerſia de indulgentijs perſequenda teſtatur. Et fouebat me vtcunque (inquit) aura iſta popularis, quod inuiſæ iam eſſent omnibus artes, & Romanationes illæ. Quod ſanè ſuperbię ſignum vel ipſi hæretici Tigurini in eo notârunt, cùm pro Zuinglio ſcribentes dixerunt: Prophetę & Apoſtoli Dei glorię nō priuato honori, non ſuæ pertinaciæ & ſuperbię ſtudebant. Lutherus autem ſua quærit, pertinax eſt, inſolentia nimia effertur, & in omnibus correptionibus ſuis plurimum habet maligni ſpiritus, quàm vt eum amici, & paterni animi habere deprehendatur. Hæc illi.

Tigurini in reſpon. ad Lutherum pro Zuinglio.

In præfat. Tom. 1.

Quintum: animi impotentia, æſtuſque philautiæ, qua vniuerſam Eccleſię vnitatem ſcindere maluit, quàm vel minimum de ſententia ſua decedere, licet de ſua doctrina dubitaret. Ego verò, ait, tam confidens, & certus non fui: multa enim ignorabam, quę nunc ſcio. Deniq; de indulgentijs quid eſſent, prorſus nihil ſciebam.

Præfat. to. 1. & præfati. ad propoſitiones ſuas de viribus hominis.

Sextum: Irruptio temeraria & caſu, nō voluntate, nec ſtudio (quantò minus afflatu Diuino) facta, ad grauiſsimas de rebus fidei controuerſias pertractandas. Solus (inquit) primo eram, & certè ad tantas res tractandas ineptiſsimus, & indoctiſsimus: caſu enim non voluntate, nec ſtudio in has turbas incidi, Deum ipſum teſtor. hæc ille. Quod ſi ſolus initio fuerat Lutherus, ergo tunc in nulla erat Eccleſia. Ethnicus igitur & publicanus Chriſto ipſo iudice, ac ſuo ipſius iudicio condemnatus fuit.

Notate Proteſtantes & erubeſcite.

Septimum: Apoſtaſiæ ipſius initium eodem ſigno conſignatum, quo hæreticos conſignatum iri Apoſtolus docuit, inquiens. Et captiuas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs deſiderijs. Nam & ipſe ſacra virgine inceſto ſibi connubio copulata, ac bello virginitati, ac omnis continentiæ votis indicto, Euangelici pudoris ſepta reſerauit, & infernalis impudicitiæ gurgitem ſceleratiſſimus oppleuit. Nam & inde pronunciauit illud infœlix verbum. Ideò es conditus à Deo, vt ſis maritus aut vxor. & alibi. Si non vult vxor, veniat ancilla.

In cap. 30. Geneſ. pa. 55.

Octauum: Perpetua in articulis fidei dubitatio. Id quod cū de illius Atheiſmis liquidò alibi monſtrauimus, tum paſsim ipſe ſuis ſcriptis oſtendit. De Noe enim differens. Ac profectò inſignis (inquit) fuit Noach fides, qui huic Dei voci potuit credere. Ego profectò (ait) non credidiſſem. Et alibi. Ego (inquit) circiter triginta annos legi Biblia ſummo ſtudio, & diligentia, tamen nondum ita ſanatus ſum, vt plena fiducia acquieſcere queam remedijs diuinitus oſtenſis.

In cōment. in Geneſ.

Luth. ca. 7. in Geneſ. to. 6. pag. 105. & in c. 45. pa. 664.

Nonum: Quod reclamante conſcientia decennium (vt ipſe de ſe fatetur) aduerſus Eccleſiam pugnauerit, ac proinde in hæreſi perſtiterit. Vltra decennium (inquit) auctoritate, conſcientia, multitudine martyrum, Epiſcoporum, Pontificum, Conciliorum & Academiarum ſic motus ſum, vt incredibile eſſet hanc Troiam tanto tempore tot bellis inuictam poſſe aliquando capi. Et alio loco: Cū omnia argumenta ſuperaſſem per ſcripturas, hoc vnū cū ſumma difficultate, & anguſtia tandem (Chriſto fauente.) (imò diabolo inſtigāte) vix ſuperaui: Eccleſiā eſſe audiendam.

To. 2. li. de ſeruo arbitrio, & in præfat. ad propoſitiones ſuas de viribus hominis Tomo 1.

Reliqua ſunt. In primis: Maledicentiſsima illa inſolentia, qua & ſeipſum Euāgeliſtam paſsim vocat, & omnes alios præ ſe deſpicit, cū & ſcripſerit, Certus ſum me habere mea dogmata de cœlo. Neque ego, ait, quæro quid Ambroſius, Auguſtinus, Concilia, & vſus ſeculorum dicunt.

Lib. cōtra Henricū Angliæ Regem, epiſt. ad Argentinen.

Deinde ſordidiſsima verba, quæ vbiq;

vel dixit, vel ſuis ſcriptis inſperſit, de quibus cùm libellus cuiuſdam Flaſcij nomine paucos ante annos euulgatus fuiſſet, Lutherani quidam ex operibus Lutheri eaſdem ſordes magno labore elidere conati ſunt, quæ etſi ita detonſa in lucem ediderunt, tantò tamen impudentiùs mendacium apparuit, quantò pleniora ſunt omnia Germaniæ loca librorum Lutheri ſæpius emiſſorum, quibus illa continentur.

Lib. ad mōnitor. ad li. 1. cōcor. Bergen.

Præterea ceſſatio penè ſubita ipſius doctrinæ Lutheranæ. Quæ enim cœpit anno huius ſeculi decimo ſeptimo, ea vigeſimo quinto à Zuinglianis ita labefactata eſt, atque diuulſa, vt omnes ipſius ſectarij vel ad Zuinglij ſordes, vel ad Carolſtadij feces, vel ad Caluinianas fraudes ſeſe aggregauerint, vel alijs hæreſūm variarum aut denique (quod nunc inter iſtos paſsim fit) Atheiſmorum magiſtris ſeſe totos addixerint. Quare hæreticos D. Petrus vocat Magiſtros mendaces, inducentes ſibi celerem perditionem, & Apoſtolus vltra non profecturos dicit. Et S. Cyprianus eos ait ſemper inter initia feruere, incrementa verò habere non poſſe, ſed ſtatim cum praua ſua æmulatione deficere. Ac B. Auguſtinus monet, ne nos terreant fluuij, qui dicuntur torrentes: decurrit (inquit) aqua ad tempus, perſtrepit, mox ceſſabit, diu ſtare non poſſunt.

In Poſtilla minore ſuper Dominicā 1. Aduentus pa. 1. & c. b. epi. ad Galatas. & ca. 23. in Gen. p. 327. & Schmidelinus cōcione quadam ſua. 2. Petri 2. 2. Tim. 3. Cypria. li. 4. epiſt. 2. Auguſt. in Pſalm. 57. Athanaſ. ſermone contra omnes hæreſes.

Mitto verò deprauationem ſacrarum literarum, quodque hæreſes omnes Lutheri tum omnium Conciliorum, & Patrum conſenſione damnatę, tum per illum ab inferis excitatę fuerint. Deniq; quod ille non ad Ethnicos vel Indos ad Chriſti Eccleſiā adiungendos, ſed ad Chriſtianos ſolùm peruertendos omnem conatum adhibuit. Nimirum Deo ſapientiſsimè prouidente, vt & illud Euangelicum agnoſceretur. A fructibus eorum cognoſcetis eos (homines enim ex Lutheri prædicatione (vel ipſo teſtante) peſsimi effecti ſunt) & vt veriſsimum id eſſe conſtaret, quod tot ante ſecula Tertullianus de hæreticis adnotauit. Quibus (ait) negocium eſt non Ethnicos conuertendi, ſed noſtra euertendi, noſtra (inquit) effodiunt, vt ſua edificent. Cernitis, qui confeſsionem Auguſtanam pro Chriſtiana eſtis amplexi, quodnā par idolorū vel vitulorum, Lutherum nempè & Melanchthonē, quos coleretis vobis excitaſtis. Qui ſi quid ſapitis, & iuſtum Dei iudicium, quod eſt præ foribus, exhorreſcitis, ſanè ad Catholicam Eccleſiam properè feſtinabitis.

Tertull. de præſcr. hæret.

HISTORICI ET THEOLOgi huius ſeculi, qui confeßionis Auguſtanæ variationes & impoſturas vel retexerunt, vel euidentißimis rationibus ex Dei verbo petitis refutarunt.

CAPVT VI.

CETERVM ne hic longum faciam, quod huius loci non eſt proprium: & verò vt bonis mentibus Septentrionalium pateat, vnde confeſsionis Auguſtanæ articuli omnes cognoſci, & refutari poſsint, addamus hæc pauca. Legant igitur primò librū non adeò magnum, cuius hæc eſt in fronte inſcriptio.

De quadruplici concordiæ ratione, & conſideratione, ſuper confeſsione Auguſtana Proteſtantium quorundam Romani Imperij Principum, ac Statuum Cæſareæ Maieſtati Auguſtæ exhibita, quo libro Ingolſtadij quadrageſimo tertio huius ſeculi anno edito authore Ioanne Cochlæo, & ex parte Arnoldo Veſalienſi hæc continentur.

Breuis ad ſingula puncta confeſsionis I.
reſponſio Auguſtæ priuatim ſcripta Anno trigeſimo.

Compendioſa explicatio actorum Au- II.
guſtæ in ſeptenorum tractatu Hagenoiæ, Sereniſsimo Regi Romanorum, &c. tradita, Anno Quadrageſimo.

Septem vię præparatorię ad ineundam III.
per colloquium cōcordiam Vormaciæ ad Pręſidentes colloquij ſcriptæ Anno 40.

Diſcuſsio omnium confeſsionis, & Apo IIII.
logię Auguſtanę articulorum, quidnam in eis poſsit, & quid non poſsit à Catholicis approbari, ac recipi, Ratisbonę elucubrata, Anno 41.

Deinde legant Fridericum Staphylum de Trimembri Theologia, & ſucceſsione diſcipulorum Lutheri. Qui vnus Staphylus pro ſexcentis ſufficit.

Georgium Craderum Olomucenſem.

Harmoniam confeſsionis Auguſtanæ ab Andrea Fabricio Leodio editam, in quā & iudicium, & condemnatio à Carolo V. Cęſare, & omnium in ea articulorum confutatio collecta eſt; tum ex ipſo Fabricio, tū ex Ioanne Cochlęo, Alphonſo Virueſio Epiſcopo Canarienſi, Ioanne à Dauentria, Ioanne Hoffmeiſtero Theologis doctrina, & morum honeſtate pręſtantibus.

Ruardum Tapperum, & Iacobum Latomum, Theologos Louanienſes, Ioannem Fabrum, qui & libellum conſcripſit de Antilogijs Lutheri.

Ioannem Cochlęum, Fontanum, Surium, Genebrardum, Lutheranorum actorum hiſtorias ſcribentes.

Guilielmum Damaſi Lindanum Ruremundénſem Epiſcopum, tam in Apologetico ad Germanos pro religionis Catholicæ pace, atque ſolida Eccleſiarum in vero Chriſti Ieſu Euangelio concordia, quàm de concordia diſcordi Saxonica.

Fœlicianum Ninguardam.

Georgium Ederum Cęſaris Conſiliariũ.

Thomæ Stapletoni ſecundam editionem librorum de principijs demonſtrabilibus & de iuſtificatione.

Laurentium Faunteum Arturũ, qui aduerſus quendã hæreticũ Antonium Sadeelem ſcripſit præter alia pereruditũ, ac vtiliſsimum librum de Chriſti in terris Eccleſia, varijs in locis, ſed potiſsimum cap. 30.

Et ipſam inprimis ſacroſanctam Tridentinam Synodum.

Etſi autem quicunque de fidei dogmatibus ſcripſerunt, huc referendi ſunt, ex his tamen præcipua fundamenta peti poſſunt, quæ aduerſus confeſsionem Auguſtanam faciunt.

Interea Roberti Bellarmini Theologi noſtri volumina doctiſsima aduerſus omnes hæreſes expectamus, quæ ſunt ſub prælo Lutheranis, Caluinianis, & qualiũcunq; aliorum fraudibus aperiendis, & euertendis futura tanquam fideliſsimæ eruditionis, & doctrinæ vberrimum penu.

Caroli Quinti Imperatoris Edicta duo aduerſus doctrinam omnem Lutheri.

ANTONII POSSEVINI, SOCIETATIS IESV,

TRACTATIO, NVM EXPEDIAT PACANDAE REIPVB.

ADMITTERE HAERETICOS AD COLLOQVIVM PVBLIcum de Religione, coram ſeculari Principe, aut ex omnibus ſectis ſolam confeſsionem (vt vocant) Auguſtanam tolerare vnà cum Catholica religione.

AD STEPHA-NVM POLONIÆ REgem Sereniſsimum.

SI IS QVEM V. R. Mtas. nouit, aliquo veri deſiderio permotus vrgeat amplius, vt colloquio de religione inſtituendo interſit, hæc reſponderem.

Primò, velitne Maieſt. veſtræ iudicio ſtare, vbi quæ hæretici propoſuerint, audiuerit. Quod ſi conſentiat, tum dici poſſet ſcire quidem veſt. M. quæ illorum ſectariorum dogmata ſunt, ac quibus fundamentis nituntur, ac proinde fruſtra terendum non eſſe tempus, aut reſpondẽdum, cùm omnia illa & antiquitus, & noſtro ſeculo diligèntiſsimè excuſſa, exploſaque ſint, atque adeò anathema in eos latum, qui eadẽ ſentirent, aut crederent. Sin autem neget, ac ad verbum Dei ſcriptum, tanquam ad iudicem totum illud colloquium referat: ſcio reſponſurum ſapientiſsimum Regem, quod D. Conſtantinus Magnus in Concilio Nicęno reſpondit, ſibi Imperij, non religionis habenas eſſe commiſſas, neque ſe iudicem Eccleſiæ eſſe conſtitutum, qui eius filius ſit, ac (quod ad religionem attinet) eidem debeat eſſe ſubiectus.

Si verò idem adhuc vrgeat, pertinere ad Regẽ, vt tot populorũ ſaluti, atq; adeò ſuę cõſulat, fieriq́ue poſſe, vt hęreticorũ rationibus auditis melius ſapiat, eos certè non putet amplius hęreticos, aut de ijs ſecùs quã hactenus fecit, ſentiat: dici ad hęc poterit, pertinere ad Regẽ, qui Chriſtianus ſit, nec omni vẽto doctrinæ circũfertur, quiq́; antiquas hiſtorias perlegerit, & velit iuſiurãdum ſeruare, quo Regni cura ſuſcepta ſeſe Catholicę Eccleſię tutãdæ obſtrinxit, vt ꝙ Dei eſt, ſibi nõ vſurpet, neq; Eccleſię claues ſibi vẽdicet, ne iuſto Dei iudicio fieret, vt ijs vẽdicatis & claues Eccleſiæ, & clauũ huius Reip. ſimul perderet. Porrò ſcire Maieſt. Regiã, quęnã depromant ſectarij pro ſuis erroribꝰ tutandis, quæq́; ꝓ illis damnãdis, & cõuincendis Eccleſia Catholica reſponderit, cui niſi fidẽ habeant, quid Regiæ Maieſt. crederẽt? Vidiſſe deniq; in ipſa huiꝰ Regni adminiſtratione, quã ſuę ſaluti, & Reipub. bono aduerſarẽtur ij, pro quibus omni dignitate ornãdis, & Regni propagatione muniẽdis, pecuniã, Hungaros ſuos, & quęcũq; poterat, ac tantũ non vitã ipſam ꝓdegerit, vt vix in animũ inducere queat, hominẽ illũ, N. quiq́; eius vel aſſeclę ſunt, vel cliẽtes haberi volũt, velle in re fidei nũc aures patiẽtes adhibere eis, q̃ à Theologis Catholicis mandãte Regia M. proponerẽtur.

Pręterea Chriſtianos Imperatores, & Reges, quorum nomen ob rerum geſtarũ amplitudinem, & propter pietatis pręſtantiam eſt adhuc poſt tot ſecula celeberrimum, quotieſcunque à ſectarijs eade re, id eſt, de colloquio inter catholicos, & hereticos inſtituendo, actum eſt, omnia ad id tri-

tribunal, quod in Eccleſia Catholica à Chriſto Domino inſtitutum eſt, retuliſſe. Itaque Synodos legitimè coactas fuiſſe, deq́ue ijſdem hæreſibus ſententiam prorſus eandem, quæ à Sta. Synodo Tridentina lata eſt, fuiſſe promulgatam. Quæ ſi quis quãtuſcunq; Rex videatur in dubium vellet reuocare, intelligere ſe primùm quidem ſalutis ſuæ iacturam, quæ vix vnquam ſarciri poſsit eſſe paſſuram; ſed & eodem momento orbi Chriſtiano teſtaturum, ſe Imperatorum illorum, & Regum Chriſtianorum celeberrimorum fidem, conſilia, pietatem improbare: probare autem eorum, qui illis diſsimillimi fuère, ac propterea Imperia, & Regna peſſundedere, impietatem, temeritatem, perfidiam: quales habiti ſunt Conſtantinus, Iulianus Apoſtata, Valens, Copronymus, & reliqui, quorum memoria in maledictione eſt, & animæ æternis cruciatibus afficiuntur.

Eoſdem porrò Chriſtianos Imperatores & Reges pſeudoepiſcopis eadem arte vtentibus, qua hæretici noſtrates vtuntur, reſpondiſſe, an in verbi Dei explanatione iudicio tantum ſuo, vel vnanimi Patrum, & eorum qui Apoſtolorum diſcipuli fuère, credere voluiſſent? Qua reſponſione ſic fuiſſe perculſos aliquando pſeudoepiſcopos, vt amplius hiſcere non auderent. Cur enim (aiebant veri illi Imperatores, & qui regnabant ex Deo Reges) non creditis Synodis legitimè habitis? cur, ſi Patres à vobis ſtant, & antiqua ipſa Eccleſia, ad hanc non prouocatis? cur illorum ſcripta non editis, ac profertis?

Præterea euidentiſsimum eſt, non ità multos ante annos, vel cùm (Sigiſmundo imperante) Boëmi defecerunt à fide Catholica: vel cùm Vormatiæ, & Auguſtæ eiuſmodi colloquia inſtitui Lutherani petijſſent, vel Carolo nono Galliæ Rege cũ in conuentu Poſsiaco idem actum fuiſſet, nihil deniq; aliud conſecutũ fuiſſe, quàm vbique funeſtiſsimas clades: Atqui hæreticos initio tanquam cuneum ſeſe inſerere, in cauſam religionis conatos fuiſſe, ꝙ vbi aliquorũ oſcitantia, & fide nimis imbecilla, (ſed neſcio quo politico prætextu) permiſſum eſt, tum miras ſciſſuras extitiſſe, ac poſtea ab vno, & ab altero apoſtata pependiſſe Principes illos, qui ſalua religiõe Catholica, Deũ ipſum propitium: Pontificem Maximum Patrem amantiſsimum: Reges, ac alios Principes fratres: ſubditos deniq; obſequentiſsimos habituri fuiſſent.

Sed & cùm eadem colloquia haberi cœpta ſunt, erupiſſe quæ hæretici antea conceperant, non vinculũ pacis, non erga Reges obedientiã, ſed teterrimas coniurationes, quibus non tantũ diademata de eorundem Regum capitibus decuterẽt, verùm etiam ipſa capita ſi potuiſſent, ac Deus permiſiſſet, à corporibus Regum detruncaſſent.

Quod ſi tam ſtupidos exiſtiment eſſe Catholicos, vt neq; præſenti Belgica defectione, nec diſſentientibus inter ſeſe alijs hæreticis, neq; cõfęderatione iſta Polonica ex Arianiſmo, Iudaiſmo, Mahometiſmo, Caluiniſmo, Anabaptiſmo, Lutheraniſmo, Picardiſmo, ſchiſmateq́; conflata excitentur ad ipſum, ꝙ iſti, qui V. Maieſt. aures obtundunt, elatis ſupercilijs moliũtur, ſaltem hunc Regio nomini, & capiti honorẽ habeant, ne in iſtud quatuor vel ſex Miniſtrorum Apoſtatarum (ſi Deo placet) conſiſtorium, tanquam ad tribunal, Regiam Maieſt. audeant iſto fallaciſsimo aſtu accerſere. Neq; enim tam citò aliquid controuerſum in diſputationem veniret, quin ſtatim audiretur prouocari non ad Dei, ſed ad Caluini, ad Lutheri, & eiuſmodi reliquæ fecis verbum, atq; iudicium.

Neque porrò ij ſunt omnes, qui eiuſmodi conuentui, quem petunt intereſſent, quibus datũ à Deo ſit, vt dogmata ipſa percipiãt, cũ ceteroquin populus ſenſu magis quàm fide ducatur, ſi in fide nutare inceperit. Quamobrem hæc publicè coràm ijs agi, qui Theologica non tractârunt accuratè, ijſque adiudicare aliquid in Eccleſia iuris, quæ putrida membra ſunt: ab ijs autem ferri iudicium, quos nemo vnquã iudices conſtituit, iudicet cui vel mica ſalis ſit in pectore, quid deniq; hinc cõmodi vel dignitatis cõſequi poſſet. Cæterùm vt iſti erubeſcant, amplius Regiæ Maieſt. negocium faceſſere, vel certè vt aperiant oculos, aut acutiùs inſpecta veritate eam amplexentur, hæc ipſe adijcerem.

Num ad verbum Dei rectè exponendum Synodos aliquas velint ſaltem antiquas, quibus ſanctiſsimi, doctiſsimi, ijdemq́ue fortiſsimi martyres interfuère. Num item admittere velint Patres eos, qui aut in Oriente primas tenuere: aut in occidente, cùm vocati ſint, & eſſent reuera Doctores, eaſdem, quæ nunc vigent, hæreſes confutârunt. Si hoc probent, cur loco tot hæreticarum fabularum edi, doceri, & ex eis verbum Dei exponi non curant? Si eos erraſſe, & homines fuiſſe dixerint, cur idem de ſuis miniſtris potiùs non ſentiant?

Deinde, ſi ſibi concedi cupiant publicũ de religione colloquium, cur primi non ſinunt à Catholicis idem ijs in locis inſtitui, vbi auita fides floruit, & Euangelij ſparſa per Catholicos ſemina ſunt, ac miraculis, & populorum, ac Regum conſenſione religio conſeruata, & aucta fuit?

Præterea prodant ſuæ confeſsionis ſymbolum tot diuerſarum ſectarum ſectarii, vt

vt intelligatùr, num id Caluinianorũ, an Lutheranorum, am aliorum nomine vrgeãt. Ac forsan V. M.tas. Regia illicò videbit, id accidere, quod Vormatiæ contigisse cùm omnibus notissimum est, tum mihi, qui ei colloquio interfuit Emanuel Sabaudiæ Dux Serenifs. dixit, nempè ipsos inter sese Lutheranos, vbi eorum fidei professio à Catholicis petita est, alterum post alterum recessisse fœdissimo illo suo Euãgelij, & nouorum de cœlo videlicet descẽdentium commento, dum inter sese ea de professione mirificè dissentirent.

Cùm verò colloquium istud petunt: aut de sua, quam vocant, religione sunt certi, aut ambigunt adhuc. Si certi sunt, quorsum id, nisi ad audientium subuersionem, ad suam superbiam fouendam, ad Regiam, & rectam (si vnquam possent) mentem dimouendam, vtque eam Ecclesiæ caput constituant, spectant? At ab hæreticis caput constitui, ecquid aliud est, quàm si quis à prædonibus, & plagiarijs Dux constituatur? Sin autem incerti sunt, cur templa Catholicorum identidem prophanant? Deo dicata in alienos vsus auertunt? de ipsa re quasi iudices, qui tamen iudices nunquam fuere, sentẽtiam ferunt? Regijs ciuitatibus ius ipsum Catholicæ religionis adimunt, quod in suis prædijs & pagis ne attingi quidem volunt? Scilicet, hoc esset subdola fraude sceptrum Christi, Regię manui imponere, & spinea non Regia corona caput Regium afficere, ac statim quasi sedenti pro tribunali illudendo dicere: Prophetiza quis te percussit, quis tibi tributa aliò detorquet: quis omnem religionem auferre, quis deniq; perpetuam Regno tuo ac Regi tibi perniciem parere sedulò conatur.

At & illa maximi ponderis sunt, de quibus interrogari possunt: Num aliquo vnquam seculo putant hæretici apud Christianos integram Ecclesiæ fuisse formam. Quod si confessi fuerint, iam igitur illam promant, per eos, quos habent testes antiquitatis: nám ijs testibus non detrectabitur à Catholicis fides. Sin nullam post Apostolos fuisse asserant, putidissimum mẽdacium, ac Christi Domini sapientissima prouidentia indignissimum, Regio iudicio explodendum est. Et aut denique necesse fuerit, vt putent à Regia Maiest. nouam instituendam esse Ecclesiam, aut à seipsis ex proprio capite post sexdecim denique secula aliquam effingendam, cui an alij hæretici dexteras daturi sint, Regię Maiest. Vestræ iudicium esto.

Interea si quid ex illegitimis Synodis citauerint, vnde fucum simplicioribus facere studeant, viderint ij, quæ in calce responsionum ad septentrionalem nobilissimũ virũ ea de re scripsi. Ipsorum autẽ hęreticorum falsis citationibus si quis cordatus Theologus ita vtatur, vt eorum fraudes ex ipsis fontibus aperiat, facilè conuincentur sese semper mentiri, nisi sanari voluerint.

Ad extremum, interrogentur, num vllam vnquam hæresim fuisse perspectum habeant ex annalibus antiquissimis, aut ex ipsismet Patribus, quos interdum magnopere extollunt, vt simplices decipiant. Nũ in quam abusam fuisse ipsa Diuina scriptura aliquam sectam possint (non callidè, sed syncerè allatis eorum Patrum libris, non suis detorsionibus) ostendere. Quòd si ita sit, quemadmodum ex D. Augustino, D. Hieronymo, Theodoreto, Epiphanio, Damasceno, & alijs, præter ipsas legitimas & vetustissimas Synodos constat, hæreses eædem inde illis obijciantur, vbi tanquam in speculo suas fœditates aspicient. Et aut erubescent, vt sanentur, aut si pergant, esse insanabiles, sanè laruas istas hypocritarum Catholici facilius agnoscent.

Quoniam verò R. Maiest. V. nouit, non semel à quibusdam fuisse dictitatum, nullum aliud pręsentius adhiberi posse remedium grassantibus tot hæresibus, quã si intra quasdam metas furor iste coerceretur. Quod tũ effici posse existimabant, si tantũ Catholica religio, & cõfessio Augustana in Regno fouerẽtur. Ideò hìc mihi liceret adscribere, quę perniciosissimũ istud consiliũ labefactarent, nisi satius ducerẽ, probatissimi Senatoris istius Reipub. responsum ea de re, licet alio tempore, & alia occasione conscriptum afferre. Is aũt fuit Cardinalis Hosius, qui Remp. Christianam diu, summa cũ sanctitatis, diligentię, atq; constantię laude, & in hoc Regno, ac in varijs legationibus administrauit, cuius (vt aliorum meliorum qui iam è viuis excessère) consilia & sententias repetere, prudentibusque quibusdam obijcere, vtilissimum esset.

Quærenti igitur Paulo IIII. Pontifici Maximo ipsius sententiam, sic respondit. Quare coniungere cum Christiana cõfessionem Augustanam, eodem vtramque loco habere, ex æquo propugnationẽ vtriusq; suscipere, quid est aliud, quàm eodem loco mendacium habere quo veritatem, & simul colere velle Christum, & Antichristum? quo quid absurdius? quid non iam dicam pietati Christianæ, verũ vel ipsi minus consentaneum est rationi humanę? Rectè dictum est à Propheta: Si Dominus est Deus, sequimini illum, si autem Baal, sequimini illum. Nemo potest duobus dominis seruire, dicit veritas. Et erit aliquis,

qui

qui contrà veritatem hanc se posse Christo putet, & satanæ stipendia facere? Quæ societas luci ad tenebras? quæ participatio iustitiæ ad iniquitatem? quæ conuentio Christi ad Belial? Præclarè dixit ille, coangustatum est stratũ, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest. Aut Augustana confessio decidat necesse est, aut Christiana; stratum humani cordis angustius est, quàm vt vtrumque capere possit; pallium breuius est, quàm vt vtrumque possit operire. Quàm autẽ terribilis est illa vox Dei: Scio opera tua, qđ neque frigidus es, neque calidus: vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, neque frigidus, neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo. Non alio loco tepidum habet Deus, quàm quò frigidum, totum sibi vendicat hominem, neque ferre potest, vt ex dimidia parte Satanę, ex altera dimidia sit addictus. Qui cum Christo non est, Christi aduersarius est, sicut ipse dixit Christus, qui non colligit mecũ, dispergit. Nulla societas fidei & perfidiæ esse potest. Fides non est, nisi vna, nec dici fides potest, si non sit vna: cùm per quàm scitè scriptum sit ab Hilario: Quidquid præter vnam fidem est, perfidiam esse, non fidem. Non possunt duæ fides ab vno defendi, nisi perfidiam simul defendendam suscipiat, quòd à Rege Catholico Christiano, & orthodoxo cũ primis alienum esse debet, qui sicut fidem pro virili sua tueri, sic perfidiam omni ratione persequi tenetur. Iam quod in ea constitutione scribitur, liberum esse cuique debere integra fama fideque sua, se ab Ecclesia Dei separare, quid hoc est aliud, quàm sacrilegium schismatis approbare? Atqui, si congerantur in vnum hominem omnia quotquot excogitari possunt crimina, quamlibet ea sint enormia, cum hoc tamen schismatis crimine collata, festuca sunt cum trabe comparata, vt esse integra fama fideque post factã ab Ecclesia Dei sacrilegam separationem, nihil aliud sit, quàm vacare crimine, post omnia quotquot sunt in orbe flagitia designata. An huc non rectè quadrat illa Prophetę comminatio? Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum, ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, ponentes dulce in amarum, & amarum in dulce. Non ignorat Stas. Va. quod N. agnouerit, quàm absurda, quamque impia multa decretum hoc in se contineret, quodque multum restitans, multis prius profusis lachrymis inuitus subscripserit, cùm à nulla re magis, quàm à tali subscriptione mens illius abhorreret. Est hoc adhuc pię mentis indiciũ, quam non potest Stas. Va. non laudare. Sed quæ necessitas adegit N. vt subscriberet? nunquid illi facere non licuit, quod à Catholicis Regibus in caussa non dissimili factitatum esse meminerat? vt saltem de certis capitibus ad sanctam sedem Apostolicam referret? Nihil est necesse longius abire, priscorumque seculorum exempla proferre. Quæ Vormatiæ ante triginta & octo, quæ Augustę ante viginti octo annos à Serenissimo Carolo V. Imperatore fuerint postulata, tenet procul dubio memoria. Num autem statim assensus is est ad ea, quæ petebantur? minimè gentiũ, verùm ad sanctam sedem retulit, cuius proprium esse de rebus eiusmodi cognoscere testificatus est. An aliquid simile in ista re factum est? fuit in eo vel verbo saltem vno factã mentio sanctæ sedis Apostolicę? scilicet, vbi de confirmatione Regis agitur, vbi Romanus Pontifex agnoscitur, vbi de religione agitur, ibi vel verbo illius meminisse fas non esse ducitur. Quale est hoc per Deum immortalem? an alienus à religione Christiana Pontifex esse censetur? Videat autem N. num se tam dura seruitute premi deceat? Priusquam coronam acceperit, iureiurando se N. obstringet, quod sanctam sedem Apostolicam, & sanctitatem suum rectorem illius exaltare velit secundum suum posse. Quæ poterit autem esse spes facturum id N. si vel ipsum Papæ nomen inter hæreticos edere non audet? Quod ardentissimis votis expetunt omnes, vt vna sit Electorum fides, etiam si colloquia millies fuerint instituta. Nihil est autem quod speret aliquis euenturum id vnquam, nisi prius ad vnum hunc vnde discesserunt, cui clauum, & claues Ecclesiæ suæ Christus tradidit, redierint ij, qui discesserunt: clamat hoc res ipsa. Quid enim esse caussæ putamus, quod qui discesserunt ab hoc vno, nullum à se quoque discedendi finem faciunt, & suę voluntatis inclinatione nunc in hanc, nunc in illam sectam propendent, nisi quod retineri fidei non potest vnitas, vbi non præest vnus Ecclesię. Documento nobis esse possunt vel ipsi nostri temporis sectarij. Inter quos cùm nemo sit, qui cęteris excellere non cupiat, nec vt vnum aliquem superiorem agnoscant, animum inducere queant, quanta sit inter eos opinionum varietas, quanta & animorum disiunctio, quantò flagrent ipsi inter se odio mutuo, non ignorat N. Nec Philippo Schneppius, aut Illyricus, nec Schneppio Philippus, nec vtrique cedunt ij, qui de iustificatione dogma sequuntur Osiandri: ne quid interim dicatur de Caluino, de Schuenkfeldio, deq; hęreticorum reliquis portentis, quę nõ modò nulli mortalium, sed ne Deo quidẽ cesserint immortali, cuius honorẽ ad se translatũ cupiunt,

dum

dum, quamlibet ipſi diſsideāt inter ſe, ſuū tamen verbum eorum quiſque Dei verbū vocari vult. Vel ex hoc itaque perſpicuum cunctis eſſe poteſt, quàm ſit ad vnitatem fidei retinendam neceſſarium, vt vnus aliquis Eccleſię Dei præſit vniuerſæ, ex quo ſalutem etiam illius pendere ſcribit D. Hieronymus, vt ſi non exors quædam & eminens ab omnibus ei detur poteſtas, tot in Eccleſijs effici ſchiſmata neceſſe ſit, quot ſacerdotes, vt quantùm quiſque ſalutem amet Eccleſiæ, tantùm illius auctoritatem ſaluam eſſe cupere debeat. Sed excuſabit N. ſe fortaſſe, quòd cùm ingens telū ſit neceſsitas huc adacta fuerit, vt nonnihil ab officij ſui religione declinaret, ac à quibus animus illius plurimum abhorrebat, ad eā ſuum aſſenſum præſtaret. Etenim præſens à NN. periculum imminebat, aduerſus quos vt auxilia per ordines decernerentur, aliter illis perſuaderi non potuit, quàm ſi quorundam importunæ petitioni nonnulla prius per eum conceſſa fuiſſent. Quid aūt? An in eos, qui talia ſuggeſſerunt ei conſilia, non rectè dici poterit illud à Propheta quōdam dictum: Nunquid nō eſt Deus in Iſrael, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Itane fuerunt à Belzebub auxilia petenda, potius quàm à Deo Iſrael? Scilicet, niſi contrà NN. nobis Deus Accarō ſuccurreret, nihil erat, quod in Chriſto, qui verus Deus eſt Iſrael, præſidium vllum haberemus. An Chriſtus, prius negandus, & ita demum victoria de Chriſti perduellibus eſt expectanda? Certè concedere qualia fuerunt in comitijs illis poſtulata, nihil aliud fuit, quàm Chriſtum negare. Quam autem fœliciter hactenus illi ceſſerunt expeditiones iſtę, irato Deo ſuſceptæ. Longè præſtabat quaslibet etiam duris conditionibus inducias cum illis facere, quàm ad has cum ijs, qui ſe præciderunt à Chriſti corpore, tam iniquas, & indignas pactiones deſcendere. Porrò corrigendi quæ ſunt errata ratio hęc eſſe poteſt, vt quod peccatum eſt hactenus conniuentia, penſetur deinceps tantò maiore diligentia, ſuas in eo vires N. contendat omnes, quò ſibi ſubiectos Principes, & populos ad vnitatem Eccleſiæ, vnde aberrārunt, reuocare poſsit, quod ita demùm effectum iri ſpes eſt, ſi quibus rationibus adduci queant, vt more maiorum ſuorum Sanctę ſedi Apoſtolicæ ſubiecti eſſe velint, & ei ſe filios præſtent obedientes. Quod eo rerum ſtatu, qui nunc eſt, fortaſſe minùs difficilè foret illis perſuadere, quandoquidem & oculis ipſi ſuis vident, & modò nō manibus contrectant, quàm varia, quamq́; multa, & horrenda ſchiſmata nullo non & impietatis, & blaſphemiarum genere ſcatentia ex eo tempore nata ſunt, ex quo ſeparationis ab hac ſancta ſede conſilia ſacrilega ſunt ſuſcepta. Vnus igitur Paſtor, vnum vt ſit ouile neceſſe eſt, ſi volumus, vt id ipſum ſentiant, id ipſum dicant, idem ſapiant, vnam & eandem fidem vnanimes retineant omnes: Abſque hoc, ſi millies habeant colloquia, nunquam inter eos, & ab Eccleſia Dei, & à ſeipſis diſſentientes vnitas conſtabit. Sed ſi maius id quoddam ac difficilius eſſe videtur, quàm vt ab N. præſtari poſsit, non exigit Sanctitas V. quæ ſupra vires ſunt.

Eſt aliquà prodire tenus, ſi non datur vltrà.

Saltem conatum hac in re ſuum oſtendat, quod ſi facultate deſtitutam illam eſſe cognouerit, facilè vel in eo ſolùm Va. Stas. acquieſcet. Non poteſt ijs, qui minus illi coniuncti ſunt, quoſque ſibi minus arctis vinculis obſtrictos habet: perſuadeat illis, in quos plus aliquid ſibi iuris & poteſtatis à Deo conceſſum eſt: ſaltem in illis terris quæ ſibi hæreditario iure deuenerunt, hæreticis receptum dari non permittat, ac procul ab illis arceat Satanę miniſtros qui ſe transfigurant in Apoſtolos Chriſti, ſuumque verbum imperitæ multitudini pro Dei verbo venditant. In primis autem ſi quid habet apud ſe ex NN. eos ſenſim ablegct. Iſta certè, qua N. hactenus vſus eſt conniuentia nihil aliud, quàm illecebra quædam hæreſeon fuiſſe videtur: & eſt illud longè veriſsimum quod error, cui non reſiſtitur approbatur. Fieri nō poteſt quin pertrahantur in errorem plurimi, cùm in oculis illius, eadem illa, quæ vel Vittembergę, vel in media Saxonia nemine prohibente prædicari audiunt. Quod ſi non putat N. ita ſubitò ſe cunctos exterminare poſſe, qui ſunt prauis hęreticorum opinionibus imbuti, ſaltem operarios illos ſubdolos, qui prædicatores Euangelici videri volunt, è terris ſuis primo quoque tempore faceſſere iubeat. Neque committat vnquā vt aliquem ſubiecti ſibi populi metū præſe ferat, à quibus eum Deus metui voluit, ibi præſertim vbi Chriſti cauſſa agitur, vbi ſacroſancti corporis eius myſtici laceratio prohibetur. Nunquam deerit Diuinę Maieſtatis auxilium Principi cauſſam illius fideliter agenti. Quod ſi maximè tanta vis, tantus etiam eſſet furor multitudinis, vt ſine diſcrimine Chriſtiani Regis officio ipſe fungi non poſsit, ſi cuique alteri, ſibi pręcipuè dictum eſſe Principes exiſtimare debent. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & corpus & animam perdere in gehennā. Hunc qui timet, mortalium timet neminem, nam & defenſum iri ſe illius prote-

ctione non dubitat, ſi ſic illi viſum fuerit expedire. Hac ſi fortè minus defendatur, vt effugiat ſupplicia maiora, nō grauatim perferet minora, cùm præſertim certò perſuaſum habeat, illa tantis æternæ gloriæ præmijs iri compenſatum, vt eorum contemplatione ſuus cuiq; ſpiritus vilis eſſe debeat. Hoc igitur in primis eſſe curę debebit illi, etiāſi fractus illabatur orbis, vt nullius tamen neq; hominis, neq; dæmonis metu terreatur, quò minus impuros illos nō Dei, ſed ſui verbi miniſtros ſi nō poteſt ex alijs, ſaltē è ſuis hæreditarijs terris protinus exigat. Deinde quæ ſunt in comitijs malè vel promiſſa, vel conſtituta, mutare ſtudeat. Quod interdixit N. iudicibus, vt ne vel in ius vocēt eos, qui per ſummā iniuriām ſuis bonis Eccleſiaſticis, pios ſacerdotes auerterent, vel ea repetētibus ius dicāt, quandoquidem id cōtra ius & fas omne fecit, rectè mutare poteſt, cū præſertim in coronatione ſua iureiurādo ſe prius obſtrinxerit, ꝙ quæ ſunt Eccleſijs collata & reddita, inuiolabiliter velit obſeruare. Contra ꝙ iuſiurandum ſuū venire poſtea nunquā potuit. Iam verò quod parum cōſideratè promiſit æquè ſe defenſurum eos, qui ſunt hæreticæ, atque eos, qui ſunt Chriſtianæ & Catholicę cōfeſsionis, & eodē vtroſq; loco habiturum, eſt in eo grauius erratum, quā vt vno ſermone ſatis explicari queat. Sed eſt ingens Dei miſericordia, qui præclarā nūc dedit occaſionē, per quam inuitare ipſum videtur, quę tam turpiter & pernicioſa ꝓmiſſa ſunt, vt ea ſumma cum honeſtate reſcindat. Confudit enim Dominus linguas eorum, qui ſunt Auguſtanæ confeſsionis, vt non audiat vnuſquiſq; vocem proximi ſui, vt ſe mutuò nō intelligant, vt capitalibus odijs inter ſe certent, ſibiq́; ſint inuicē cōtrarij (id ꝙ re vera ſunt omnes hæretici) vt penes quos cōfeſsio ſit Auguſtana, ſatis liquere non poſsit. Quare ſi nulla iam eſt Auguſtana confeſsio, aut qui pertineant ad illam, ſciri non poteſt, etiamſi rem licitam ipſe promiſiſſet, non tamen iam promiſſo tenetur, cùm & hoc facilè quiuis non prorſus hebes intelligat, nihil eſſe nunc aliud confeſsionem Auguſtanam, quàm credere, quod quiſque vult, vt poſteaquam ab vna fide ad aliam atque aliam proſilierit aliquis, nihilominus Auguſtanæ confeſsionis eſſe iactet, vel ob hanc ſolam cauſſam, ne ab hoc fœdere ſit excluſus. Hic itaque nodus quò ad propugnationem Auguſtanæ confeſsionis attinet, ſolutus iam eſt, vt nullo modo ipſe ad eam obſtrictus eſſe videatur. Cæterùm eſt quiddā in illa deliberatione, & iuri, & æquitati maximè conſentaneum, cùm ne quis audeat famoſis libellis famam cuiuſq; proſcindere prohibetur. Atqui ſi cuius alterius exiſtimatio maledicis hoc genus libellis lædenda non eſt, tum eius præcipuè de quo ſcriptum eſt, Principi populi tui non maledices. Interea verò quid eſt, quod maiore cū impunitate fiat, quā quod fama Romani Pontificis laceratur, & omni maledictorum genere proſcinditur; in quo conuitijs inceſſendo quantò quiſque fuerit petulantior, tantò maiori cum plauſu oratio eius excipitur. Quid autem in cauſſa eſt, quod huius tam iuſti decreti nulla ſit executio, quòd nec in eos, qui ſcribunt vlla ſit animaduerſio, nec eorum libri prohibentur, quin publicè proſtant etiam in ijs terris, quæ iure quodam hęreditario ſunt illi ſubiectæ? Sed inſciēte ſe factum eſſe dicet. Credat Stas. Va. ſi iam admonita, deinceps hęc non tulerit, & peſti huic ſi minus ex omnibus terris, ſaltem ex hęreditarijs ſuis proſcriptæ aqua & igni interdixerit. Ad hunc modum ſi errores ſuos non agnouerit modo, verùm & correxerit, ſi ſui magis quàm verbi Dei miniſtros improbos, & ſeditioſos à ſuis ditionibus omnibus exterminandos curauerit, ſi de ijs, qui Pontifices maledictis inceſſunt, quæ iuxta leges debentur pœnas expetiuerit, ſi denique fecerit omnia, vt omnes intelligant, ex animo ſibi dolere, quod ſuo, hoc eſt Chriſtiani Regis officio parum nauiter hactenus aduerſus hæreticos functa fuerit, nec vllam pro peccato ſuo ſatisfactionem recuſauerit, ad hunc modum ſi ſe geſſerit, nihil eſt, quod obſequens filius de patre plena viſcera charitatis habente ſibi non rectè poſsit polliceri. Quantum citra Diuinam offenſionem facere. S.tas. V. poterit, libenter in omnibus illi gratificabitur, nec vllum in ſe beneuolentiſsimi Patris officium requiui patitur.

ANTONII POSSEVINI SOCIETATIS IESV, *Alterum iudicium de Deſiderio Eraſmo, ad quem noui Ariani prouocant.*

PRIMVM dicam, quisnam fuerit Eraſmus, deinde cur in varios errores deciderit, poſtremò, quā meritò damnatus ſit. Ho enim & oculis nouorū Arianorū aperiendis, q ad

eum prouocant, fortaſsis proderit:& alijs, ne plus nimio fides ijs adhibeatur, retegendis conducet, qui quoniam neque ſolidis Theologiæ fundamentis innixi ſunt, nec vlla auctoritate publica muniti, cenſores eſſe voluerunt Eccleſiæ, meritò ab ea ipſa exploſi ſunt, ac tanquã vapor euanuerunt.

Vide in catalogo Illuſtrium Germaniæ ſcriptorũ.

Eraſmus igitur Batauus ex ciuitatis Gondanæ Roterodamo vicinæ Parocho genitus eſt, qui eũ ex famula ſuſcepit, quã prægnantem, quò crimen celaretur, in proximam ciuitatem ablegauit, natus autem anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo nono, obijt huius trigeſimo ſexto Baſileæ. Adoleſcens Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſe dedens profeſſus eſt monaſticen Canonicorũ D. Auguſtini regulariũ in Monaſterio Stein propè eandem Gondam Batauiæ oppidũ. Nouennio pòſt ſacris initiatus, & votorum ſuſceptorum pertæſus monachatum deſeruit, vaguſq́ue per Europæ Academias obambulans, cùm æſtu humanæ gloriæ ferueret, ingenioq́ue & memoria abundaret, plurima concepit, quæ quoniam vnus ipſe concoquere non poterat, neque verò iudicium aliorum adhibebat ad limam ſuorũ ſcriptorum, quantò plures edidit libros, tãtò crebriores cumulauit errores, maior futurus (vt Scaliger dixit appoſitè) ſi minor eſſe voluiſſet. Siniſtro igitur (vt ita dicam) omne inter prima illa, vnde ſibi nominis famam conciliauit, Moriam edidit, Lucianum & Satyricos imitatus, ſacerdotij dignitatem, & decorum oblitus. Inde, vt ſollemne eſt equis freno ſolutis, atq; furentibus, vt quò licẽtiùs currunt, eò grauiùs huc illuc paſsim impingant ex cenſura Patrum antiquorũ, quam nulla fultus auctoritate legitima, (nec certè vera Theologia) ſibi temerè vſurpauerat, eodẽ ſuperbię typho lutulentos pedes in diuinos codices inſeruit, ac feneſtrã patefecit nouis Arianis ingentẽ, quemadmodũ Tranſſyluani miniſtri, vti alibi oſtendimus, teſtati ſunt. Cumq́; hinc ſalibus & iocis amarulentis, illinc mordaci væſania bibliothecas ſuis partubus referſiſſet, inuecta eſt in animos multorum noua quędam eius ſceptica doctrina, qua plures de Chriſto Deo, deq́; alijs omnibus articulis fidei, (ſicut illi primò cõtigerat) dubitarent. Has feces cũ pleriq; lamberent, Lutherus quoq; hauſit, vt non immeritò poſtea illud prodijt in vulgus: Eraſmus innuit, Lutherus irruit: Eraſmus parit oua, Lutherus excludit pullos: Eraſmus dubitat, Lutherus aſſeuerat? idq́ue aliud: Ἠ Ἔρασμος λουθερίζει, ἢ Λούθερος Ἐρασμίζει. hoc eſt, vel Eraſmus Lutherizat, vel Lutherus Eraſmizat. Sic & Lutherus Sanctiſsimam Trinitatem, & cum hoc Caluinus Chriſtũ verbum & Deum, & alij diuinas omnes perſonas impetere, reliqui audacter & blaſphemè pernegare ſunt auſi. Ac quum Eraſmus addubitaſſet de Euangelij D. Marci auctore, atq; inſcriptione, erupit clanculũ Muſculus, qui poſtremũ D. Marci caput arrodens abſcidit. Ac cũ Lutherus Apocalypſim D. Ioannis impiè dãnaſſet, Eraſmus eãdem à nouo Teſtamẽto trũcauit, & vterq; celeberrimum de ſanctiſsima Trinitatis vnitate teſtimoniũ ex priore D. Ioan. Epiſt. eraſit, non inanẽ apud Arianos gratiam ſibi conciliantes, ac ſi aſcitiũ, & aliundè, (vt Ariani quondã dicebant) ab homouſianis fuiſſet intruſum. Paraphraſes itẽ Eraſmus in Euangelia edidit, quæ magnis ſcatent erroribus: quos qui noſſe velit, Natalem Bedam Theologum Pariſienſem præter alios conſulat, qui de ijs, vti & de Iacobi Stapulenſis erroribus librum ante aliquot annos conſcripſit. Vt verò Satanas per præceps Eraſmi ingenium viã ſibi patefaceret ad infirmandã Apoſtolici ſymboli fidem, initio Præfationis eiuſdẽ Paraphraſis in D. Matthæum Eraſmus cõſtanter fatetur, neſcire ſe, num Symbolum illud ab Apoſtolis manauerit. Id ꝙ tamen affirmant veteres Ruffinus, D. Auguſt. & alij. De Patribus autẽ, cùm ſibi eandẽ cenſoriam notã ſumpſiſſet, & extra fines humaniorum literarum exiliret, mirum eſt, quàm multus fuit in lapſibus, dum præter Diuos Cyprianum, Hilarium, & reliquos Beatos quoque Hieronymum, & Auguſtinum, quaſi ab ijſmet ipſos auellit. Extant Mariani Victorini Reatini ſcholia in D. Hieronimum, quibus ſexcẽtos, & adeò plures Eraſmi in eius patris epiſtolis cõmiſſos lapſus redarguit: quæ poſtea reſtitutæ à Paulo Manutio prodierunt in lucem. Percenſet Hieronymus Torrenſis Societatis noſtrę Theologus plures locos ex Diui Auguſtini operibus, in quibus Eraſmus non tam videtur hallucinatus fuiſſe, quàm malignè iudicaſſe. Nam & quod duos de communi vita, & moribus clericorum tractatus vtiles originem, & inſtituta vitæ monaſticæ continentes ſuſtulerit, quos inter illius Patris opera Poſidonius, qui quadraginta annos cum B. Auguſtino (vſque ad eius nempè mortem) vixit, ſuo adſcripſit indiculo, non adeò mirandum eſt, cùm vix vllus vnquam Apoſtata, & qui cucullam excuſsit, potuerit eiuſmodi ſcripta æquo animo ferre. Videat Catholicus Lector, quæ ſcripſit Ricardus Cenomanus Theologus Pariſienſis, contra cenſuram Eraſmi aduerſus regulam Monachorum à Diuo Auguſtino conſcriptam. Nec verò Eraſmus intra iſtos limites ſeſe continuit, ſed modò aiens, modò negans, infernum cœlo miſcuit, ac Socratem, Tul-

Iul. Cæſ. Scaliger in fine lib. Poëtices.

Vide librũ Authoris de Atheiſmis hæreticorum huius ſeculi.

Vide librũ de Atheiſmis.

Andrea Muſculus.

Ruffinus expoſitione in ſymbolum Apoſtolorũ. Auguſt. ſermo. 2. do. mi. Palmarum.

Hieronymus Torrenſis in præfat. in confeſsionẽ Auguſtinianã.

To. 1. operũ D. Auguſt. in fine impreſ. Pariſijs.

Eraſmus in Purgat. aduerſ. Luther.

Tullium, àtq; alios tũ Græcos, tum Latinos tantũ non ab inferis excluſit: per dilucida tamen interualla (cùm antea de Beata virgine indigniſsima garriuiſſet) in ſe rediens, votũ nuncupatum ei Laureti perſoluit, & hymnos Latinè ac Germanicè à ſe cõſcriptos in eius laudẽ, & inuocationẽ edidit, & Ioãni Iung Canonico, atq; in ſpiritualibus (vt aiũt) vicario Friſingenſi dicauit. Hęreticis aũt modò blandiẽs, modò ſtylũ aduerſus Lutherũ acuens, de eo ſcripſit hęc verba: Hic homo nihil crepat niſi Satanas, diabolos, laruas, lamias, megeras, aliaſq́; voces plus quã Tragicas. Quæ cũ Eraſmus ſcriberet, data interim Catholicis (licet callidè) ſpe reſipiſcentię, iudiciũ Eccleſię aduerſus ſe nõ ſemel declinauit. Sed interim dũ bona de ſe polliceretur ſiue Bedę Natali, ſiue Thomę Moro Anglo martyri, à quibus admonitus fuerat, vt exemplũ D. Auguſt. ſecutus, quę minus orthodoxè ſcripſerat, ea retractaret, nec tamẽ vnquã promiſſum præſtitiſſet, tandẽ acerbũ diem obijt, relicto quidẽ nomine, ſed pleno crimine: quare & pleraq; ipſius ſcripta, vt erat commeritus, proſcripta ſunt, & vtinam eius anima requiem inuenerit.

In Collegio naufragij nomine Adolphi.

Vide Petri Caniſij op⁹ Marianũ, vbi de Eraſmo plura.

Hæc cũ ita ſint, intelligunt iſti, qui putãt maximum neſcio quẽ, & tanquã oraculum fuiſſe habitum, vel habẽdum Eraſmum, num meritò ſiue alij, ſiue ipſe meis ſcriptis Rhetorẽ illum pluſquã Theologum vocauerimus: quãue cauendum ſit iſtorũ iudicium ſequi, quorum audacia, & à nominis claritate ꝑfecta confidẽtia pręcipites illos egit cũ plurimarum animarũ diſpẽdio, atq; pernicie. Quod ſi quis (poſtquã huc deuenimus) velit aliorum noſtri temporis Theologorum ſobriè ſapientium iudicia, & labores in Patribus ſuſceptos pacatè perpendere, iſtoſq́; ſemicatholicos (vel itẽ aliquos prorſus hæreticos) Paraphraſtes cum ijs cõferre, optima quęq; de eo ſperare auderem. Ecquis enim ſi Iacobi Pamelij edita ſcholia in Tertullianum, cum ijs, quæ B. Rhenanus ſcripſerat, aut eiuſdem Pamelij de operibus D. Cypriani, vel Victorij Reatini, quẽ paulò ſuperius nominaui, iudiciũ de Epiſtolis D. Hieron. cum eo, quod tulit Eraſmus, contulerit, clariſsimam lucẽ in ijs, præ iſtorũ denſiſsima caligine, non videat? Extant duorum Torrenſium Theologorum noſtrę Societatis, alterius cui nomen Hieron. in libros D. Auguſtini, alterius aũt cui nomen Franciſcus in veterum Pontificum Epiſtolas vtiliſsimi labores. Prodierunt item confeſsiones collectæ ex Sanctis Ambroſio, atq; Hieron. B. verò Irenæum emendatum, & cum declarationibus eruditis Franciſcus Feuardentius: D. Gregorium Nazianzenũ, Bilius: alij alios edidere purgatos à mendis, ſi quæ in eos ex antiquorũ amanuẽſium errore, vel ex recentium Typographorum lapſu, irrepſerãt, & alij quoque alia præſtitere. Qui labores vt acre ingenium & Chriſtianum pectus redolent, ſic contra facilè monſtrant, quã deteſtanda rabie, vti & craſsiſsima rerum antiquarum ignoratione hæretici gloſſemata, cenſuras, argumenta, coronides, falſatos indices, appẽdices, corrollaria, caſtigationes, Antidota, ſexcentaq́; alia ad auertendas à veritate hominum mentes contexuerunt.

ANTONII POSSEVINI, SOCIETATIS IESV,

EXAMEN PICARDICAE SECTAE, QVAE MIXTA *EST EX LVTHERANIS, CALVINIANIS, & Anabaptiſticis hæreſibus.*

ETsi Picardica Secta radices in Boëmiæ Regno, atq; in Morauia ſatis altas egit, nõ erat tamen ita omnibus (ne ipſis quidem Boëmis) cognita: ideo Venceslaus Sturmius Societatis noſtræ Theologus, cùm ante quadrienniũ Litomislij, quę Boemię ciuitas eſt, patria lingua librũ de illa ſatis grandẽ, atq; eruditum, edi curaſſet, inconſtantiã, & impietatẽ eius ſectæ patefecit, ac mirificè perſtrinxit. Ex eo igitur potiſsimũ, deinde & ex ipſis Regũ Boemię edictis, quorũ authographa vidimus, ea quæ huc ſpectant paucis attingam.

Anno 1582.

Picardici Valdenſes, quos in Boëmia Boleslauienſes fratres appellãt, de ſuis dogmatibus perſæpè ſecum ipſi pugnârunt: quę vna res ſatis oſtendit, à Deo, qui vnus, & cuius vna Eccleſia, & vna fides eſt, Picardicam ſectam haud eſſe profectam.

Etenim cũ ſcriptis, & cõfeſsionibus quaſi ſupplices cõtinenter rogẽt, vt ſibi certior, & magis ſalutaris doctrina oſtẽdatur, quã libẽter (vt inquiũt) ſint amplexuri, cõuincũtur & ad ſanã doctrinam nunquã perueniſſe: & iſta hypocriſi Catholicam fidem tanquã iugum excutere, atq; hæreſes alias omnes (id ꝙ faciunt) præ ſua deſpicere.

Porrò inter Picardos ij doctiores habētur, qui Lubanczium (ſic vocant) oppidū Morauiæ incolunt, quos conſtat ne Latinè quidem nouiſſe, atque originem ſuam, vt ab hominibus à fide Catholica, ſic ab omni pietate alienis duxiſſe. Neq; enim ipſimet diffitentur ſe initio à Rokizana Boëmo Parocho, atq; ab eius aſſeclis ſacerdotibus grauiſsimis erroribus, de quibus ſollicitam (vt aiunt, ſi Deo placet) cōſcientiam gerebant, fuiſſe liberatos: nempè cùm ex ipſius Rokizanæ conſilio libros, & ſcripta Petri Kelſicenſis attentè legiſſent.

Vide pag. 70. & 71. Sturmij.

Sturmius pag. 44.

Atqui poſtea Rokizanam hoc ornant elogio, quòd homo ſuperbus ſibi in doctrina non conſtiterit, nè propter veritatem Dei perſecutionem pateretur, eiuſq; opera factum eſſe aiunt, vt fraudulenter Taboritæ homines ſancti & pij (ſic eos vocant) funditùs extirpati fuerint.

Fol. 81.

Præterea & ipſe Petrus Kelſicenſis quē Ducem in religione conſtituerunt, ſequentes errores immanes docuit.

Notate Principes.

I. Nullos Chriſtianis Magiſtratus eſſe gerendos in Republica.

II. Non eſſe ad prophanos Magiſtratus ob ſui defenſionem confugiendum.

III. Nec fures, neque latrones in vincula conijciendos, aut plectendos eſſe.

IIII. A Chriſtianis nec pendenda tributa, neque operas Dominis eſſe præſtandas.

Præterea damnauit omnes leges humanas, Imperatorū, Regū, Prouinciarū, & Ciuitatum. Deniq; ſpreuit oēs ordines Patricios, & Equeſtres, ac quoſcūq; nobiles, quorū etiam imagines contemptim varijs additis ludibrijs, qui eum ſecuti ſunt, pingunt.

V. Pernicioſiſsimè verò ijdem cum illo docent infantes ad futuram fidem, & ad futuram remiſsionem peccatorum eſſe baptizandos, quaſi dum baptiſmus cōfertur nō conferatur eodem tempore & peccatorum remiſsio, & fidei donum.

Præterea blaſphemant, Baptiſmum infantibus illis, quibus fides propria & aliena ferre non poteſt auxilium, nequaquā prodeſſe. Ex quo per iſtos efficitur, infantes licèt baptizatos, reuera tamen per baptiſmū nec eſſe participes Chriſti, neque ex ſancto Spiritu renaſci, nec peccati originalis culpæ, ſiue reatus remiſsionē aſſequi. Quare ecqua iſtis ſine baptiſmo erit via ſalutis? ſed & ipſimet Picardi non negant Baptiſmo verum Chriſtianum non effici: quamobrem eos, qui ante vſum rationis, atq; (vt ipſi loquuntur) ante annum duodecimum moriuntur, dānari putant. Item infantem credunt in hæreſi natū, eſſe rebaptizandū. Et ad eas redacti inſanias, vt neq; baptiſmum, nec alia ſacramenta quidquam in hōmine exiſtiment operari, opus eſſe aiunt, vt ante baptiſmū, atq; ante alia ſacramēta, per propriam fidem quis iuſtificetur. Hinc igitur Chriſti & ſapiētię, & inſtituto, & merito paſsionis, maxima infertur iniuria.

Quod ſi quis de ijs quærat, cur igitur ipſi baptizent infantes? Reſpondent. Vt obligentur parentes, & adſciſcantur ſuſceptores, qui baptizatos in fide, & bonis moribus ad annos vſque diſcretionis inſtituant, donec propriam fidem, per quam iuſtificentur, ꝓfiteri queant. Sic iſti nouā ſuſceptorū & baptiſmi adhibitionē pepererunt, non ad regenerationē, ſicut Chriſtus inſtituit.

Fol. Ec. 7. & 4. & 5. & clarius fol. K & 7. & ad 2. K 4. K 6. Sturmius pa. 201. & 203. 211.

Illud autem aduertendum eſt (vt ſibi nunquā falſitas conſtat) plures iam fateri ſeſe ab illorum ſuorum Apoſtolorū orbita, ſeu potius cœcitate deflexiſſe. Recenti enim confeſsione edita errorem de Baptiſmo retractârunt. Fatentur enim ſe ex ſcripturis deniq; intellexiſſe iterationem Baptiſmi in Eccleſia non eſſe neceſſariā. At ſanè potuiſſent ante 1500. annos ab Eccleſia Catholica hanc veritatē doceri. Et vt poterant edoceri, ita corrigere apertè deberent, iſtū de Baptiſmo infantum errorem, niſi cū iam illum non doceant, (& tamen callidè occultent) ſubdolè alios in ſuorum maiorum pedicas incautos trahunt.

Sturm. pa. 19. 206. 310. 313.

Anno 1574 art. 12.

Quod verò adhuc in eodem errore verſentur, teſtatur præfatio eiuſdem nouæ illorum confeſsionis, cùm ſuæ ſectę originē ſcribūt. Hi enim ſunt (inquiūt) noſtri Principes, Auctores, & maiores, quorū doctrinā, & pia ſtudia hactenus imitamur. Hæc illi.

Confeſsio Anno 1574 edita, pa. 6.

Et liquidiùs in confeſsione Regi Ladiſlao oblata affirmant, Baptiſmum maiore cum certitudine eſſe in hominibus ratione vtentibus. Verū enimuerò Eccleſia & credit & credendum præcipit omnes infantes in nomine Patris, Filij, & Spiritus S. aqua ſalutari ablutos, ſi in illa innocentia, antequam mortaliter peccare poſsint, ex hac vita deceſſerint, certiſsimè vitam conſequi æternam.

Anno 1507 Pag.

Præterea eâdem confeſsione Picardi omnes homines in peccato concipi, & naſci, & natura filios iræ fieri dicunt, & eius peccati fructum eſſe æternam damnationem.

Anno 1574. art. 4. pag. 12. & 13.

Quòd autem Sacramenta nihil (vt blaſphemant) in hominibus operentur, ac propterea opus ſit ante baptiſma iuſtificari, extat eorū ſcriptum, quod ita habet. Fratres noſtri ita docent, ꝙ Sācramta per ſe, & ſeipſis, ſeu externo illo opere, (porrectione videlicet, & acceptione, vel vſu) nulli, qui non ſit prius per Spiritum S. viuificatus, & qui (vt dicunt) bonos motus in ſe non habeat, præbeant gratiam, neq; iuſtificantem neq; viuificantem fidē, atq; ita non iuſtificetur in ſpiritu, neq; regeneretur. Itaq; & hunc ſi diſceſſerit ante annos diſcretionis eſſe damnandum opinantur.

De hoc videart. 11. de ſacram. in communi pag. 55.

Addunt

Addunt impium, & peſtilentiſſimum errorem aduerſus Sanctiſsimam Trinitatem. Dei enim opera ita ad extrà ſecundū diſtinctas perſonas diuidunt, & opus creationis autumant adeo peculiare eſſe Dei Patris, vt id neque ad Filium Dei, neque ad Spiritum S. vllatenus ſpectet: Ex quo efficitur tribus Sanctiſs. Trinitatis perſonis, non eandem eſſe Deitatem, non eandē naturā, non eandem poteſtatem, non eandem ſapientiam, non eādem coæternā Maieſtatem, ſi quidē diſtinctas formas, & naturas habeant neceſſe eſt, quorū operationes & actus diuerſi ſunt. Ecquid autem iſti aliud agunt, quàm quod filium Dei & Spiritum ſanctū ſua Diuinitate ſpoliant, atq; ita latiſsimè viā ad Arianiſmū ſternunt? Cæterū Picardi ſua confeſsione de fide Sanctiſs. Trinitatis apertè hoc, ꝙ diximus, enūciāt.

Pag. 170.

Anni 1574. art. 3. fol. 9. pag. 351.

Negant itē verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe in ſanctiſs. Sacramento altaris.

Accedit eorum dubitatio in fide, ipſaq; ignoratio neceſſariorum ad ſalutem articulorum. Etenim reſpondentes ad tertiū Lelicenſium ſcriptum, narrant inter ſeſe ortum eſſe diſsidium, in primis: Num iuramentum à fratribus exigendum ſit. Deinde: Num qui Magiſtratum gerit, locum in Eccleſia, & ſalutem conſequi poſsit? Neq; enim multò antea exiſtimabant barbaros eſſe, idololatras, ac paganos, qui Rempub. adminiſtrant. Quos errores reliquorum ſuorum fratrum agnoſcit Lucas quidam, reſpondens ſcripto alterius, quem ſua lingua vocant Kalencz, anno huius ſeculi 23. eaq; reſpōſio Boleslauiæ edita eſt, in qua ijdem errores extant, ſe verò, inquit, iſtū errorē emendaſſe, deq; eo pœnitentiā egiſſe.

Fol. 70.

Fol. 83. & 5. cap. 3, Fol. 47.

Præterea ſcriptis cōtra Lelicenſes editis apertè aſſerunt, ſe dubitaſſe, quidnā de cœna Domini eſſet credendum, cū enata fuiſſet inter Taboritas ea de re, & alios ſacerdotes acris diſſenſio. Sic enim eorū quinquaginta in ſyluas, & montes Ziambergenſes ſeſe cōtulere, homines rudes, & prophani, tanquā ad neſcio ꝙ Synodi genus de tota re deliberaturi: id quod ſcripto cōtra Lelicenſes ipſimet recenſent. At & fatentur ſe proceſsiſſe ab illa Huſsi parte, in qua ſacerdotes vtrāq; ſpeciem porrigentes Catholicæ Eccleſiæ ritus, & myſteria celebrant: Ecquis igitur (bone Deus) vno momento tantam rudibus, neq; verò vel Epiſcopis, vel ſacerdotibus, nec legitimè vocatis tradidit facultatē docendi, & adminiſtrandi Sacramenta, atq; eos recipiendi, quos ſacerdotes ementito nomine creabant, ſiue quos ad ſe ipſos ſeducebant? Si quis autem ei ſectæ ſe addixiſſet, hunc iterum eſſe baptizandum, deinde infantes baptiſmo initiari in fidem futuram, & remiſsionem peccatorum futuram, atq; alia eiuſmodi commenta impia (vt & ſuperius diximus) commenti ſunt.

Fol. 51.

Cùm autem maiores illorum docuiſſent in Eccleſia eſſe ab ipſo Dei filio ſeptē inſtituta Sacramenta (quòd ex eorum confeſsione edita, & Regi Ladislao oblata liquet) poſtea reſpondentes contra Lelicenſes, duo tantum eſſe aſſerunt ad ſalutē neceſſaria à Chriſto: cætera verò quinque ab Eccleſia ſancta ob miniſterium multorū ſingulare conſtituta, quæ cùm veritati inſeruiant, hæc ſeſe nomine conſtitutionis humanæ non reijcere: Neque verò hîc conſtiterunt. In decreto enim articulo, vbi quærunt, ecquis inſtituerit Sacramēta, ſcripſerunt tria à Chriſto fuiſſe inſtituta, reliqua verò ſuam veritatem, & dignitatē ex tribus alijs conſequi. Nempè Ordinem ſacrum, Matrimoniū, & extremam vnctionem, quæ tribus alijs contineantur, quæq; ſuo tempore ſint neceſſaria, & ad ſalutem vtilia: Verū illud omittunt, num fuerint à Chriſto, an ab hominibus inſtituta. Deinde eodem decreto vbi agunt de miniſterio ad ſacram vnctionem octo docent eſſe Sacramenta: Sic enim aiunt: Notum ſit, quemadmodum rationem de Sacramentis, ex R. Magiſtri ſcripto ſubducentes, nos octo Sacramenta credimus vſque ad extremā vnctionem. Hac verò (aiunt) vſos fuiſſe initio, ſed denique omiſiſſe: poſtea verò ob varias cauſas diſcutiendum iterum ſuſcepiſſe, an ea vti deberent.

Anno 1574. art. de numero & differentia Sacramenti, fol. Num. 2. Fol. 287.

Nota.

Quo iudicio abſoluto vnctionem ſuſtulēre, niſi quis eam neceſſariò cupiuiſſet, potiſsimū is qui egeret teſtimonio remiſsionis defectuū, qui ratione ſenſualitatis (vt vocant) corporis profluxiſſent. Sic pro ſua libidine numerum, eſſentiam, vſumq; Sacramentorum mutare ſunt auſi.

At nondum finis; Paruo enim Catechiſmo tam docent duo tantùm eſſe Sacramenta, Baptiſmum, & Cœnam ab ipſo Chriſto eſſe inſtituta. Et olim dicebant malum ſacerdotem Sacramenta polluere, reſponſione edita aduerſus Lelicenſes. Poſtea in Confeſsione tradiderunt res iſtas miniſteriales ex ſe non conferre ſanctitatem, ad quarum adminiſtrationē, ſi malus ſacerdos acceſſerit, eas pollui dicunt.

Fol. 44.

Anni 150. fol. N. 3.

Verùm aduerſus hoc rurſum hac noua Confeſsione aſſerunt Sacramenta vim ſuā nunquā amittere, ſed ſemper eam ex Chriſti inſtituto retinere, ſiue probus, ſiue improbus ſit ſacerdos, ſiue hypocrita, ſiue occultus peccator.

Artic. 21, fol. 70.

Quāobrem aliquādo docēt Sacramēta eſſe vera, nouāq; generationē ex virtute Dei, & remiſsionē peccatorum cōferre, idq; virtute ſibi in Chriſti ſanguine data operari.

 Quanta

Quanta autem ſit diſtinctio inter nouæ & antiquę legis Sacramenta docēt eo ſcripto, quod contra Lelicenſes ediderunt. Fol.44.92. 106. 259. 288.

Rurſus alibi his contradicunt, Sacramenta, aientes, nuda eſſe tantùm ſigna, inuiſibilis gratiæ, & promiſsionum Chriſti, quare & cum circumciſione, ac cum alijs veteris legis myſterijs comparant.

Anni 1574. Quodque Sacramenta nihil in homine operentur, neque nouam generationem, neque remiſsi onem peccatorum. Vide nouam eorum Confeſsionem de Sacramentis in communi. art.11. fol. 54. Fol. H.L.1. Librum item de iterando Baptiſmo. Denique in articulo decreto de ſacro miniſterio baptiſmi iterando.

Accedit ad hæc omnia, fraus, & inconſtantia in mutilandis, mutandiſque quot ſubinde aut à maioribus ſuis libros acceperunt, aut ipſi ediderunt. Verbi gratia: Extat bis de iterando baptiſmo liber, Anno 1521. primò Belæ impēſis Vlrici Velenſis, à Minchovv: Deinde iterum editus, ſed cui nec tempus, nec locum adſcripsēre. In vtroque autem magnoperè variatum eſt, tertiamque partem primi à ſecundo edito abſciderunt.

Ediderunt quoque nouiſsimè nouam fidei confeſsionem, quā tandem habeant ceu teſtem certiſsimum, & fideliſsimum doctrinæ, Anno 1574. ac fidei illius, quam à ſanctiſsimis (inquiunt) maioribus ſuis primis Eccleſiæ Chriſti repurgatoribus acceperunt. Proinde hanc volunt certiſsimam eſſe regulam, ac normam, ſecundum quam intelligantur tum maiorum ſuorum ſcripta, quæ vel huc vſque ediderunt, vel ſi qui in poſterū edituri ſint hi emendentur, & corrigantur. Attamen & hanc ipſam bis eodem anno cùm Boëmicè euulgaſſent in lucem, variè immutarunt, inuerterunt, auxerunt, id quod tum alibi, tum certè vno articulo duodecimo de baptiſmo liquet. Mira profectò regula, quæ nunc recti, nunc curui formam accipit. Sed neque recti quicquā ea habet, quippè quod inanem gloriam & lucrum quærunt, non quæ ſunt Chriſti. Itaque ad tempus, & ad rationem perſonarum ſeſe tantùm attemperant.

Quæ cùm omnia, idem Venceslaus Sturmius Theologus copioſè prodidiſſet, atq; optimè confutaſſet, ij veteribus exemplaribus omiſsis, & ſuppreſsis (quoad eius fieri potuit) alia edidere, eraſis, & immutatis quę contra ſeſe facerēt, Lutheranos, & Caluinianos in hac quoque arte imitati. Quāobrem nec habent quid reſpondeant, ſi quis de illis quærat, num Spiritum ſanctū, verāq; fidē maiores ſui habuerint: ſi enim habuerunt, cur fidem illorùm iſti non ſequuntur? cur è contrariò libros & ſcripta eorum reformant? cur diuerſum ab illis dicunt, & quidem in regula fidei, atque vbi prorſus contradictoria proferuntur? Quod ſi Spiritum illi ſanctum non habuēre, cur pro patribus agnoſcunt? cur ſeſe illorum diſcipulos iactant? cur aiunt illos ad Papiſticam idololatriam repurgandam fuiſſe miſſos à Deo?

Et verò hoc magis eſſet mirandum, niſi Diuino iudicio ſic omnes ſolerent hæretici eadem prorſus facere, quorum alios arguunt, in quos illud rectiſsimè quadrat: Inexcuſabilis es, ô homo omnis, qui alium iudicas. Nam in quo alium iudicas, te ipſum condemnas. Sanè contra Lelicenſium ſcriptum vehementer illis indignātur, quod omnes (inquiunt) communitates, quę cum illis non conſentiunt, ſic ſpernant & damnēt, vt ſeſe ſolos à Deo miſſos glorientur. O miſeri (aiunt) ſeniores de Lelicz quantum facinus auſi eſtis? adeò licenter quamlibet factionem, quæ vos non audierit, ſcripturęque ſacræ nixa veſtris mentibus haud ſatisfaciet, pro Eccleſia Antichriſti ducitis, Fol.163. & impiè condemnatis? Quid verò de Luthero dicant, Anno 1558. cui nec parcunt, extat in libro fol. 15.52. edito aduerſus VVoitechum à Pernſtain. 53.54. Quo in libro eoſdem Lelicenſes grauiſsimè obiurgant, quòd ob ſui ſingularem amorem proprium, (hoc eſt ſuperbiam) ſtatuerint, ſectam ſibi ab omnibus alijs ſegregatam, & diſsidentem. Ac verò temerè nouum ſacerdotium excitauerint, quod officijs, conſuetudine, ſenſu, (vt verbis eorum vtar) ab alijs prorſus ſit diſiunctum.

Quod quidem veluti crimen contra conſcientiam grauiſsimum vehementer exaggerant, quippè quod (aiunt) in Eccleſia pariat ſchiſmata & diſſenſiones: Hæc illi. At cùm ipſimet initio receſſerint ab Eccleſia Catholica, nouoſque miniſtros, & alia inſtituerint, ecquid ſceleris ſe patraſſe putauerint? Certè in confeſsione ſua fatē- Anni 1574. tur ſeſe ab omnibus alijs ſecreuiſſe alio impulſos ſpiritu, quàm Taboritas: Prolog. fo. 6. nouamque feciſſe ſeceſsionem, quæ quidem quàm abſurda, & impia fuerit, Sturmius ipſe in Boëmico ſuo libro accuratè & doctè perſe- Pag. 61. vſque ad 93. quitur.

Atqui in eo libri Prologo quem aduerſus VVoitechum ſcripſerunt, huic vitio vertunt, quod cùm neque ſacerdos, neque Theologiæ Doctor creatus ſit, ſcripturæ tamen interpretandæ, & Eccleſiaſticarum rerum adminiſtrādarum ſibi ius vſurpet. Quę ſi à Catholicis obijciantur Picardis, quid dicent? Cæterùm nobilis ille vir, cur ad eiuſmodi fratres à Religione Catholica ſecedere noluerit, rationem reddidit fidei ſuæ, non autem ea ſibi vſurpauit, quæ Picardi viro conſtanti, & probo obiecerūt. Quaſi verò fratres iſti cùm ſint rudiſsimi artifices, & operarij, atque à ſtiua abſtracti

potuerint ſacerdotium, & munus Epiſcopale, ac ipſam Chriſti Domini auctoritatem ſibi vſurpare, & nouos Apoſtolos, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, nouam ſocietatem, nouos ritus inſtituere, ac verò præſcribere pſeudoepiſcopis, & pſeudoſacerdotibus ſuis, quanam ratione ſcripturam exponere, Sacramenta adminiſtrare, & alia id genus facere debeant: Catholico autem viro non licuerit fidei ſuæ rationē reddere? Num autem ſacerdotes ſint ipſi Picardorum Miniſtri, iudicium eſto omnium, qui Theologica vel ſummis labijs Sturmius à pag. 108. vſq; ad 135. deguſtarunt. Sturmius autem id fuſiùs, & doctè ſuo libro contrarium oſtendit apertiſsimè.

Verumenimuerò, quando hæc non eſſent, quibus iſta ſecta à Satana profecta eſſe manifeſtò deprehenditur, vel vnum ſat eſſet, cùm dicunt, ſeſe credere, ſentire, docere, quod docent, ſentiunt, & credunt omnes Eccleſiæ, quæ poſt Lutheri tempora ab vnitate Eccleſię Catholicæ ſeſe ſubduxerunt: cùm tamen notiſsimum ſit tot ſectas inter ſeſe diſſectas planeque inuicem oppoſitas, cùm anathematibus ſeſe mutuò confodiant, à ſolo Sathana agi. Quod autem ita ſenſerint, & locuti ſint, extant eodem Pag.15. in libro aduerſus Voitechum ipſorum aduerſus ſeipſos teſtimonium. Aiunt enim ſe credere Eccleſiam Catholicam miniſterialem eſſe omnem Chriſtianitatem ſub toto cœlo, ſuam verò vnitatem eſſe tantum partem illius, velut & Romanam, Boëmicam, Lutheranam, Zuinglianam, Caluinianam, & alia id genus. Et confeſsione Anni 1574. anni 1574. articulo octauo de Eccleſia ſancta ſic habent. Interim docent fratres noſtri de ſua congregatione, vel vnitate ſen- ar.8. pa.40. tire id, quod de alijs Chriſtianis paruis, vel magnis vnitatibus ſentire decet, quod ea non ſit ſola Eccleſia, ſed tantum pars eius veluti fuit Corinthiaca.

Pag.6. Actamen cùm hæc dixiſſent rurſus ſcripto ſuo contra Lelicenſes contrarium pronunciarunt. Nempè memoratos hæreticos inter ſe nec ſenſu, nec doctrina, neque interpretatione cum ſacra ſcriptura eſſe concordes. Quælibet enim (aiunt) vnitas Chriſtiana ſcripturis ſacris, prout optimè norit, vtitur: Nec vlla ex his ſectis moueri ſe ſinit, aut doceri, vel ſacræ ſcripturæ expoſitionem recipere audet, timens ne hac tanta de religione diſcordia decipiantur ab aliquo.

Quî ergò fieri poteſt, vt inter has, quæ non ſolùm inuicem, ſed inter ſeſe (vt oſtenſum eſt) ſunt diuiſæ, ſit aliquis ordo, vnanimitas, concordia; charitas, & in primis vnus Deus, vna fides, vnus verus ſacræ ſcripturæ ſit intellectus? Quem ergo habebunt ſpiritum ſapientiæ, intellectus, conſilij?

Cùm olim Taboritę cum ſacerdotibus, & magiſtris Pragenſibus (præter alios articulos fidei) potiſsimum de corpore Chriſti in venerabiliſsimo Sacramento conuenire nequiuiſſent, grauiſque inter eos diſſenſio per multos annos extitiſſet, mutua item bella inter eos orirentur, omnes Regni Boëmiæ ordines ſub vtraque ſpecie communicantes, nullis laboribus, vigilijs, & ſumptibus pepercerunt, vt eos ad cōcordiam adducerent, nec tamen quicquam ef- Anno 1443. fecerunt. Tandem Pragæ conuenientes ſtatuerūt, vt ſabbato poſt feſtum ſancti Procopij tam Taboritarum, quàm Pragenſiū ſacerdotes conuenirent, deque articulis, qui controuertebantur, colloquerentur. In quibus autem conſentire inuicem non poſſent, eos proximis comitijs poſt trium Regum feſtum celebrandis ſcriptos propo- Anni. 1444. nerent. Ac quidquid in ijs ſecundum ſcripturas, & ſanctos Patres in ſcripturis legitimè fundatos eſſet probatum: id omnes vnanimes admitterent, crederent, docerent, neque verò alios ſacerdotes, Parochos, aut Concionatores in ſuis ditionibus ferrent. Idque ſub grauiſsima pœna: nimirum amiſsione ipſius cauſſæ, atq; adeò ipſius honoris (vt dicunt) & famæ. Quę omnia pactis, conuentis, literis, iuramentis, ac propriorum ſigillorum appreſsione, atque appenſione ſe ſeruaturos inuiolabiliter mutuò promiſerunt. Quod tamen poſtea in irritum ceſsit: Valdenſibus & reliquis, per talia conciliabula, iterum, atq, identidem pacem quærentibus, & non inuenientibus. Iam de hypocriſi, de baculo, & pera, de voce exili, de externa demiſsionis, & humilitatis larua, quibus antea vſi ſunt, donec erumperent, ſuperuacaneum eſt loqui. Hęc enim iam ita ſeſe prodiderunt, vt alię quoque hęreſes à Picardica metuant.

Itaque hinc viderint omnes, quibus Picardica ſecta ſapere incœpit, quàm temerè eam commendent, aut ad eam prouocēt, eam certè Synodis omnibus legitimis, hoc eſt Apoſtolicę doctrinæ, quam vna ipſa Catholica Eccleſia ſemper tenuit, anteponere, aut delirum, aut perfidum caput ſapit.

ANTONII POSSEVINI, DE SOCIETATE IESV EPISTOLA: DE NECESSITATE, VTILITATE, AC RATIONE DOCENDI CATHOLICI CATECHISMI. *Rationes item, quibus inter ſummas quaſque difficultates diuinum negocium debeat & poßit promoueri.*

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, ET ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO STANISLAO KRANKOVSKI, DEI GRATIA ARCHIepiſcopo Gneſnenſi, Legato nato, Primo Regni Poloniæ Principi, &c.

PLVRA erant, quæ nos in admirationem tui (Præſul ampliſsime) ſic rapiebant, vt immortales Deo gratias ageremus, te nobis tam acciſis rebus Archiepiſcopum, qui clauum huius regni ſpiritualem regeret, diuinitùs fuiſſe conceſſum. Nam præter peruigilem illam vigilantiam, qua res ſuſceptas promoues: ac præter impauidum illud pectus, quod quantælibet ruinæ feriant, non proſternunt tamen: præter denique caſtitatem & eloquentiam, quam vnam vel tuendæ Reipub. vel diuinæ voluntati exponendæ continenter adhibes, candor ille atque ſinceritas in rebus agendis faciunt, vt Deum, qui hæc tibi largitus eſt, & à quo eadem agnoſcis, inprimis in te ſuſpiciamus, & laudemus. At verò aſsidua iſta ſedulitas, qua vel quaqua verſum Catholicos & pios libros curas diſſeminari, vel vndequaque eruis, quos tuis ſumptibus in lucem edas, & meliora ingenia ad ſcribendum excitant, & ex quo fonte iſtam charitatem hauſeris, facilimè oſtendit. Quippé inexhauſtus ille diuinæ bonitatis fons, qui nihil vult, niſi, vt bonum in corda hominum dimanet, tibi iſtam mentem ſuppeditauit, quam tu facto exeris, vt ex capite in barbam Aaronis ſuauiſsimus fidei pietatiſq; liquor, vbique, id eſt, non in hoc tantùm ampliſſimo regno, verùm etiam ad omnes orbis Chriſtiani partes diffundatur. Quo in rerum genere, cùm multa perfeceris, certè quæ mihi nouiſsimè præcepiſti; vt ederentur in lucem, quo haberes in futura Synodo tua in promptu, quibus artibus facilè Sacerdotes & Concionatores, atque Gymnaſiarchas ad bene merendum de Repub. accenderes, ea vehementer animum meum affecerunt. Ac non vereor, quin Deus, qui facit, vt per ſuperiora deriuentur ad inferiora defluxus diuinæ gratiæ, effecerit, vt poſt celebrem illum Petri Caniſij Catechiſmum, quem mihi iubes vt Typographus prælo quamprimùm committat, ad tuas manus peruenerit Epiſtola hæc, quam mihi edendam miſiſti, Antonij Poſſeuini de Societate Ieſu, viri clariſſimi, de Chriſtiana & de noſtra repub. optimè meriti, & illa quidem ad rationem inſtaurandæ pietatis tam efficax: quàm ij quidem intelligent, qui eam ſemel atque iterum perlegent, verùm multò magis experientur, qui eadem, quæ ille proponit, quæque dudum in pluribus mundi prouincijs ipſemet exercuit, in rem conferent. Ad quam Epiſtolam cùm eiuſdem Antonij Poſſeuini rationes quædam verſarentur in manibus eorum, qui ſtrenuè pietati operam nauant, ac verò eædem ab illo quondam in Gothia perſcriptæ, magnoperè faciant ad Catholicam fidem, inter ſummas quaſque difficultates latiſſimè propagandam, eas ego adieci, tuoque omnia nomini Illuſtriſs. dicaui. Itaque quæ de manu Dei per te accepimus, eadem & per te illi, ac tibi, vt eius tam primario ac fideliſsimo diſpenſatori offerimus: precati, vt cùm hunc annum veræ correctionis futurũ eſſe ſperemus (quandoqui-

doquidem Kalendariũ nouum à Summo Põtifice Gregorio tertiodecimo, Patre noſtro Sanctiſsimo correctum; quaſi nos omnes admonet, vt noua fiant omnia) vetera omnia á tua iſta tanta prouincia & Diœceſi, ſi quæ irrepsêre incommoda, recedant, ac manipulos ampliſsimos in diuinum horreum reportes. Vale Præſul humaniſsime, Cracouiæ, die ſanctiſsimo Epiphaniæ Domini. 1583.

Reuer. & Illuſt. D. tuæ

Addictiſsimus ſeruitor.

Thomas de Plaza, Plebanus ad S. Stephanum Cracouiæ, Canonicus Viſlicenſis.

SEQVENTIS EPISTOLÆ PRAECIPVA CAPITA.

Neceſsitas Catechiſmi, pueros, atque adeò quoſuis non ſolùm rudes, ſed & doctos edocendi.

Exempla item ſummorum Theologorum, quibus præter eruditiſsimas alias rationes idipſum probatur: & obiectiones quædam etiam Gerſoni Cancellario Pariſienſis Academiæ olim obiectæ refutantur.

Vtilitas ſumma Rerumpublicarum; & extirpatio hæreſum, per Catholicum Catechiſmum; vbi aduerſariorum alia vaniſsima argumenta diluuntur.

Ratio docendi Catechiſmi, qua item Concionatoribus, quantumuis præſtantibus, plura perutilia proponuntur.

ANTO-

ANTONII POSSEVINI, DE SOCIETATE IESV, EPISTOLA AD IVONEM TARTERIVM MAIORIS ECCLESIAE TRECENsis in Gallia Decanum.

DE NECESSITATE, VTILITATE AC RATIONE docendi Catholici Catechismi; cùm à quibusdam ea de re idem Decanus vehementer oppugnaretur.

CAPVT I.

AGO Diuinæ bonitati immortales ex animo gratias, qui te legitimè certantem, ac benè currentem, impellat indies acriùs ad æternæ gloriæ brauium, dum tu operarius inconfusibilis veritatem fortiter tueris, & eam non modò in iniustitia non detines, verùm etiam candelabrum, lucens isti ciuitati super mensa proponis, vt videant & glorificent Deum, ac Patrem Domini nostri Iesu Christi. Ergo macte pietate promoue, quod mouisti: nec pectoris tui constantiā aduersariorum impetus, quasi irruētes fluctus deterreant. Flabit enim non ita multò pòst benignissimus Dominus, & ecce trāquillitas magna. Quòd si, veluti docta, & mihi iucundissima Epistola tua, decimo tertio Kalen. Septembris data, significasti, laboras adhuc in remigādo, scito necdum expedire, vt appellas ad portum: multiformis enim Dei sapientia vberiores ita percipit fructus, pergitque virtuti tuæ occasionem præbere, qua & omne os obstruatur loquentium falsa, & aliquando immarcessibilem, ac verò splendidiorem coronam patientiæ consequare. Scis autem veritatē oppugnatam, sed Christiano conatu defensam, altiores in multorum animis radices agere, tum victricem erupturam, cùm diuinæ dispositionis maturuerit tempus. Quòd si quis ad eandem veritatem obsurdescit, per os infantium, qui Catechismum sitiunt, modò clamantem, immensa tamē illa Dei longanimitas tantò efficacior, & iustior apparebit, quantò sæpiùs lucem recusantibus obijcit, nec desistit ingratis benefacere, suo denique tempore ab ipsismet hostibus iustificanda: quorum æternum præmium esset in cælis, si saperent & intelligerent, ac veritati patrocinarentur.

Te verò interim ista constanti perseuerantia animum multis addente, spero fore, vt saltem id, quod maximum est, consequamur: ne scilicet in nostra caussa deteriores, aut imbecilliores habeamur, & simus, quā qui in pestilenti sua fuerunt hæretici, dum per tela, per ignem, falsissimum Catechismum quoquouersum inuexère, maximo istius Regni malo, tacentibusque tum, quā do maximè loqui oportebat ijs, qui nunc, quando minimè expedit, contra verissimā & Catholicā institutionem linguas acuūt, nescientes quid dicant, aut quantum sibi & alijs exitiū parent: aduersus quos, si quid pro re pernecessaria, & cui certa Regnorū salus innititur, fusiùs attigero, tu eò æquiore animo patieris, quò me identidem ad hoc præstandum pro tua modestia inuitas.

Quod igitur aiunt, saluti Reipub. Christianæ non meliùs consultum iri, quàm si quisque in qua enutritus est simplicitate permaneat, hoc vtique objiciendum erat hæreticis, quo tempore in arcem fidei Catholicæ adulterinis Catechismis primò inuaserunt; at disseminato veneno, & latiùs vndequaq; serpente antidotum prohibere: quid hoc est, si non est animarum saluti inuidere, diuinique nominis propagationem efficacissimè (quòd in eis est) impedire? Nam præterquam quòd aduersus generales Synodos, quarum semper (vt S. inquit Augustinus) saluberrima fuit auctoritas, aduersus (inquam) Christi Domini Vicarium, sanctissimosque & doctiss. Patres ac Martyres, consuetudinem denique meliorum Ecclesiarum pugnant, sanè haud ignorant, nec cœcum, neque claudum animal sistendum esse coram Deo. Ac licet de Simplicium fide sanctissimè, pieque Ecclesia credat, arcet tamen à se, ac iustissimè damnat crassam ignorantiam ea negligentium discere, quæ ad salutem pertinent: scitque diuinam illam stare sententiam, ignorans ignorabitur. Inde autem & publica symbolorum recitatio, & continens pastorum doctrina in corona populi, & sacrarum cerimoniarum vsus, inde tot scriptiones, tot exempla martyrum proponuntur, vt (quē admodum inquit Clemens) quæ malè colligauit ignoratio, ea pulchrè resoluat agnitio: sicut autem (ait) imperitia peritia soluitur,

uitur, & inuenta certa via dubitatio; ita illuminatione tenebras deleri necesse est. Tenebræ verò sunt ignoratio, per quā in peccata incidimus, circa veritatem hallucinantes.

Verùm & illæ magni ponderis rationes sunt, quas de necessitate sciendi, quæ à nobis credenda sunt, Beatus affert Augustinus: nempè, quòd iustus ex fide viuit: & cū corde credatur ad iustitiam, confessio fiat ad salutem: eaq; fides, inquit, exigit à nobis officium & cordis, & linguæ: quemadmodū in sempiterna iustitia regnaturi, à præsenti sæculo maligno salui fieri non possumus, nisi & nos ad salutem proximorum nitentes, etiam opere profiteamur fidem, quā ore gestamus. Quæ fides, ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis aliqua ex parte violari, pia, cautaque vigilantia prouidendum est.

August. 3. To. de fide & symbo lo.
Abac. ca. 2.

Quòd si Baptismo initiatus, idem est, qui illuminatus, si illuminatus, qui ex tenebris erutus: quonam modo illuminatus sit, qui adhuc ignorantiæ tenebris obuoluitur? eramus enim tenebræ, qui nunc debemus esse lux in Domino, ait cum Apostolo Clemens Alexandrinus.

Sed neque perpendunt, quid illud sit, In duimini Iesum Christum, hoc est, vt omnibus modis eum referamus opere, exemplo, doctrina: qui quidem Samaritanam, Martham, cæterosque propè innumeros interrogans, idque per dialogismum, an crederent, quæue & quanta eorum esset fides: quanam fiducia, & quonam modo orare, quid facere, timere, sperare deberent, ipsemet optimus Catechista edocuit. Neq; inquam, memoria tenent, quid illud D. Pauli sit, vbi se, ait, dedisse lac, tanquam infantibus: & loquutum de sermone inchoationis Christi. Catechumenos autem esse debitores suis Catechistis in omnibus: adeò enim diuinum beneficium est spiritualia hæc tradere documenta, vt iure suo fideles in hac re pastores, præter cœleste illud & admirabile præmium, temporalia quoque hic in terris metere possint.

Rom. 3.
Matth. 19.
Mar. 10.
Luc. 18.
Matth. 25.
Matth. 5.
1. Cor. 13.
Hebr. 5.
Galat. 6.

Venio nunc ad reliqua, quæ tibi obijciuntur: siquidem etsi validis rationibus tuis coacti iam isti non diffitentur, primis nascentis Ecclesiæ seculis locum fuisse Catechismo erga baptizandos, eosque iam adultos & pro captu humano tantorum mysteriorum capaces, haud tamen ferendum esse inquiūt, vt infantes & pueri edisc ant, quæ Catholico Catechismo continentur. Quæ quidem argumenta per se ipsa ruunt, si non dicam temporum necessitatem, quę noua nouis morbis remedia semper adhibuit, non sanctæ Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem, nō testium sacrorum nubem, sed id tantùm, quòd res est, modò intueamur. Scilicet, initio nascentis Ecclesiæ non adultos solùm, verùm etiam pueros, vt nūc fit, Baptismo in corpus Christi mysticum cooptatos. Quo concesso, cùm illius antiquissimæ Ecclesię consensum vnanimē videamus, vt quisque Catechismo in Catholica Religione roboraretur, nemini dubium est, quin etiam erga pueros, quando Baptismi tempore nondum intelligerent, quę ab eis exigebat Ecclesia, neque adeò vllam penè vocem efformarent, pernecessariū hoc pietatis opus per dialogismum exerceretur, cui & susceptores, quasi sponsores, vti erant responsores, adhiberentur.

Baptizatos igitur fuisse infantes antiquitùs, ac proindè cùm primùm fari potuerūt, educatos in disciplina & præceptis Domini, testes grauissimi sunt, S. Ignatius martyr, Dionysius Areopagita, Iustinus martyr, aut quisquis auctor fuit responsionum earum, quibus respondit ad gentilium quæstiones, aduersus Christianos. Tertullianus, item & Origines, ac Concilium Gerundense. Iam Clemens Romanus, tempo ribus Apostolorum, & Diui ipsius Petri Successor, disertè monet eos, ad quos spectat puerorum cura, vt illos enutriant in disciplina, & in ea, quam tu optimè in cōcione tua attulisti παιδείᾳ τοῦ κυρίου: id est, monitis Dominis, atq; hoc in ipsa quidem infantia. Ait enim: docete eos à pueritia literas sacras, & vestras, & diuinas, omnemq; diuinam Scripturam eis tradite. At quæ & illud deniq; adijcit: Si parentum incuria filij in vitia inciderint, rei animarum ipsorum fient: ac non animarum tantummodo rei, verùm & in caussa sæpè sunt, cur infantes moriantur, quod castigationis pater næ defectui S. Iustinus Martyr ascribit. Quamobrem obseruatione dignissimum illud est, quod (aliam licet ob caussam) ad rem tamen nostram facit: quodque B. Dionysius Areopagita scriptum reliquit, infantibus, qui in disciplina Domini non aluntur, accidere, vt casum illum non genitum, vitaque ac luce carentē habituri sint, quemadmodum qui nunquam perficiuntur, nec manibus obstetricum tractantur abortiui, & emortui cadunt. Quod si ex ipsis Ethnicorum libris rationes petamus, mirum est, quod nostri fidei lumine illustrati, ijque non indocti, clarissimam lucem non cernant, quam Ethnici, solo naturæ ductu, vique veritatis impulsi intuentes, salutem Rerumpublicarum in hac vna re sitam, constantissimè asseruerint. Quod quidem cum duorum canum exemplo docuit Lycurgus, tum fecit, vt tritæ illæ sententiæ proferrentur: assuescere à teneris multum esse: dedocerique difficiliùs, qui errorem

S. Ignatius ad Philadelph. Epistola 6.
S. Dion. Areop. in Eccle. hierar. c. de Baptis.
S. Iusti. martyr. in respon. 56. quæstion. quas gentes propo. Christianis.
Tertull. in lib. de Bap.
Orig. lib. 5. com. in ca. 6. Epist ad Rom.
Cōc. Gerun. c. 5.
Clem. ex const. Apostol. lib. 4. c. 10.
Iustinus martyr q. 80. ad orthodox.
Dio. 3. cap. Ecclesi. Hier.
Plut. in li. de discipl. puerorū.

errorem hauſit, quàm omninò rudem doceri Sed & an non [Virgil. Quintil. Ariſtotel. in Polit.] Ariſtoteles non parum, ſed totum eſſe, inquit in Politicis, qua quiſque à pueris doctrina imbuatur? An non, qui vbiq; vixerunt, ei, quem diuinum putabant cultum, operam tenera adhuc ætate dederunt Aegyptij, Perſæ, reliqui? Iam qui Philoſophi minùs obliti ſunt inſitę cuique legis, hoc ipſum docuère Pytagoras, & eius generis alij. Quantò magis Prophetæ, atque idem ipſe ante illos Deus, [Exod. 12.] qui neminem Præceptorum ſuorum ignarum eſſe, verùm etiam religionem Paſchatis doceri filios voluit? vt ſi cognoſci oportuit typum & vmbram, gratia veritaſque nouæ legis ignoranda à Chriſtianorum filijs nequaquam ſint. [1.Cor. 10.] Hæc enim omnia contingebant illis in figura, ſcripta ſunt autem, ac proinde maturè item docenda ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.

Sed agè (optime vir) cauſſam adhuc orphanorum & puerorum, alijs etiam rationibus & exemplis tueamur, vt vna cũ Domino conſtantiſsimè clamemus: Sinite paruulos venire ad Chriſtum: ſinite eos Catechiſmum doceri, ſinite qui ſcientiæ clauẽ habetis, eos introire in atrium Domini, dũ paternæ reuerentiæ, obedientiæque vis in pectoribus illis hæret adhuc, dum ex tenera argilla vas faciliùs ducitur, quod ex dura non poſſet: dum denique (vel ipſo Ariſtotele teſtante) [Ariſtotel. Ethic. 2.] iuuenes faciliùs erudiuntur à lege. Tute enim experiris, quàm difficile ſit in cordibus, quæ diuturna peccatorum conſuetudine, totiuſque pietatis ignoratione obduruerunt, inſculpere hæc elementa doctrinæ.

Quid verò in tam collapſa morum diſciplina agat deſideriorum vir? quam rationem tam attritis rebus, tam ruentibus ineat faciliorem, minuſque periculoſam iuuandæ Reipublicæ? Scilicet hoc vnum reſtat, vt à pueris inchoemus, & teneræ illæ Chriſti Domini plantę excolantur. Populi verò inprimis operum bonorum exemplo excitentur ad omne opus bonum. Hoc alloquatur pietas, charitas, diligentia, quando otium, inuidia, impietas, tanquam cunei ſeſe inſeruerunt in eorum animos ad findendam Religionem, ad dexteras patrũ in filios, horum contra parentes armandas. Quæ ſanè conſecuta non eſſent, ſi, quæ peſtilentem hęretici Catechiſmi doctrinam ſolent præire damna, velut malorum denique omnium pręcurſores, & emiſſarij, ea non ſolùm, quaſi clauus clauo extruſa, verùm etiam orthodoxo Catechiſmo (quòd quidem facilimùm erat) cæteriſq; pijs operibus fuiſſent anteuerſa.

Et certè nullis cuniculis faciliùs Chriſtiana res labefactata eſt, quàm cùm ſiue peccatis alijs, ſiue potiſsimum veneno illo errorum iuuentus infecta, quantò maiores in ætate progreſſus fecit, tantò validiores concepit vires ad omne impietatis ac defectionis genus. Nã hęc ipſa ſunt (inquit vir ſanctiſs. Auguſt.) [Lib. 1. confeſs. c. 20.] quę pædagogis & magiſtris, à nucibus, & pilulis, & paſſeribus, ad prefectos & Reges, aurum, prędia, mancipia, hęc ipſa omninò, quę ſuccedẽtibus maioribus ætatibus tranſeunt, ſicut ferulis maiora ſupplicia ſuccedunt. Ita, inquam, nullis machinis concuſſa eſt vehementiùs Eccleſia, [S. Auguſt. lib. 18. de ciuit. Dei ca. 25.] quàm cùm Iulianus apoſtata clauſit Chriſtianorũ ſcholas, impiorum aperuit. Et captiuitatem, clademque antiqui populi diuinarum rerum ignorationi aſcribit Propheta, ſiue potiùs per Prophetã Deus. [Ierem.] Et alibi, impoſsibile (ait) eſſe benefacere, cùm didiceritis male. Faterurque idem acerrimi iudicij vir D. Auguſtinus, [Confeſs. li. 1. 3. 6. Vide & 7. c. confeſ. lib. 1.] ſe adhuc puerum audiuiſſe verba de vita æterna promiſſa, altè autem retinuiſſe Chriſti nomen, quo tenerum ſuum cor mater in ipſo adhuc lacte cibauerat. Et D. Gregorius [Lib. 4. dialog.] illud parentibus horribile affert exemplum pueri annum circiter quintum nati, qui in ſui patris gremio, cuius blaſphemijs cùm tenellę aures aſſueuiſſent, eas item ore ſuo pronuntiabat, à Satana palàm interemptus, & ad inferna deportatus eſt: vt cũ in tam teneram ætatem poſsit blaſphemię virus inſtillari, dubitandum nõ ſit, quin à multis adhuc pueris cœleſtium rerum elementa percipi poſsint, ac niſi percipiãtur, Satanę manibus obijciantur & tantùm nõ tradantur. [Cap. 68. li. 1. leg. Franc.] Quæ quidem rationes Carolũ Magnum impulerunt, vt ſeminaria in Eccleſijs, ſcholaſq; propè templa inſtituerit, [Concil. Aquiſgran. cap. 135. ſub Lud. Pio Imperat.] vbi ſerui, ingenuiq; religionem Chriſtianam cum diſciplinis docerentur. Epiſcopos autem ac Concionatores monuit, vt [Concil. Lateran. ſub Alexand. 3. c. 18. Concil. Latera. ſub Innoc. 3. cap. 11.] quę propriè (vtar eius verbis) ad ſalutem ducunt, exponerent. Summum ſcilicet dedecus eſt (ne dicã impietas) cernere à Turcarum pueris ediſci Coranum peſtilentiſſimam Maometis legem, à Iudæis autem, quorum adhuc cordibus hæret velamen cœcitatis, Biblia ſacroſancta perlegi ferè ab incunabulis: [Concil. Trident. vbi de Semin. Orig. cant. init. ſup.] Origenis quoque tempore ſolita: hæreticos denique infantibus venenata dogmata ſub ſpecie pietatis propinare, quæ aut nunquam aut ſanè quàm difficillimè (vt experti ſumus) deponant. Fidei verò Catholicę rudimenta, quę facilimo ordine in Catholicis Catechiſmis traduntur à Chriſtianis ignorari.

Iam verò quàm ſanum conſilium ſit, vt pueri vitiorum & hęreſeon calicem guſtẽt vſque ad fecem, priuſquam lac diuinę ſapientiæ bibant, iudicent: qui Chriſti ſpiritũ habent.

[D. Hieron. ad Lętum.] habent. Quæ quidem rudimenta, ſi, cùm primùm infantes Eccleſiæ ſiſtuntur, credenda, aliorumq; ore quando ipſi fari nequeunt confitenda ad ſalutem ſunt: ſanè [S. Gre. Nyſſen. in lib. de profeſ. Chriſtiana.] qui Chriſti diſcipulus dici vult, horreat ſi profeſsionem ſuam ignoret. Quod ſi Catechiſmus vnicuique neceſſarius eſt ante Baptiſma, certè turpiſsimum eſt, neque ferendum, eo accepto profeſsionem ſuam non intelligere, ſicut militi ſi teſſeræ ſuæ vim poſt datum militiæ nomen neſciat. Quæ verò omninò docenda ſunt, ne pro lacte pueris ſolidior cibus detur, ſuo mox loco dicetur. Interea certiſsimum illud ſit, nihil [Si Ant. 14. tit. 2. c. 4. & 5. Iauell. œconom. Chriſtianę in li. de triplici Theolog. tract. 3. de regimine filiorum ca. 3.] rebus publicis melius poſſe contingere, quàm ſi cùm primùm ſolutis linguæ nodis puerile ſe ingenium vix explicat, tum in primis pro ſuo captu ad ſalutarem Domini doctrinam capeſcẽdam & loquendã aſſueſcat. Ita domus fundata ſupra firmam petram vix vnquàm concidet, & cùm credita ſibi talenta maturiùs ad vſuram dare poterit adoleſcens, tum ab ipſo patria non repercutiatur, quaſi contrarijs flatibus prauorum morum. Quod accidiſſe ijs, qui poſteriora & inferiora potiùs ſectati ſunt, quàm meliora, & pręſtantiora teſtis grauiſſimus eſt Auguſtinus. [Tom. 3. lib. 1. de doctrin. Chriſtiana Tertull.] Quòd ſi animantia rationis expertia ſolo naturæ ductu ad contrarias herbas accurrunt, vt ſagittas abijciant: certè venenatus error tollendus eſt præſenti antidoto, & exundanti perfidiæ à nobis, quibus ratio fideique lumen affulſit, doctrina orthodoxa tanquam ſolidiſſimus agger obijciendus eſt. Nulla verò ad hoc aptior ætas quàm puerorum, qui Chriſtianæ Reipublicæ ſemina ſunt, & portio Domini certiſsima. Quæ quantò recentiora vaſa ſunt, tantò diutiùs vbi ſunt imbuta cœleſtibus donis, odorem ſuauiſsimum ſeruabunt, Angelis, B. Virgine matre, Domino, qui ex eorum ore laudes cupit, innocentiſsimæ ætati fauentibus.

Docet autem hoc natura, quę & agricolas afficit erga teneriores plantas, & omniũ acuit ingenium ad bruta quàm primùm vel cicuranda, vel ad laborem inſtruenda, [Ariſt. 2. Ethic.] non expectata maturiore ætatè. Artes item quę ferè omnes faciliùs à pueritia diſcuntur, vt cùm in omnibus diſciplinis ſua ſint initia, ordo, cura: ij qui artium (vt D. inquit Gregorius) artem tractant, id eſt, curam animarum, hanc in formandis Chriſtianorum animis omninò debeant adhibere.

Cęterùm cùm firmiſsimè credenda ſint fidei noſtrę initia: fideique ſua ſint incrementa, neutrum faciliùs aſſequimur, quã cùm pueri vix vllo peccato, aut dolo grauiore occurrente ea ſugimus, & repetitis ſępè cogitationibus fouemus: cumque conſuetudo ſenſim ſit altera natura, [Ariſtot. Rhetor. 2.] vt ſi pro Catholica religione moriendum ſit, nec imparati, nec titubantes in fide inueniamur. Neque enim filiolus matris olim ad martyrium feſtinantis veſtigia tam properè fuiſſet inſecutus, niſi cœleſtia, & reliqua eiuſmodi perſępè ordineque percepiſſet, nec id parentibus auunculoque D. Dominici laudi datum eſſet, [In vitæ Lipom. Io. Garzo n. q D. Dominici vitam ſcripſit.] niſi paruulum erudijſſent, omni genere ſanctitatis, qui paulò pòſt vita, faceque diuini verbi tenebras Albingenſium depellens, ſplendidiſsimum orbi Chriſtiano intulit lumen. Verùm neq; Sereniſsimi Reges [Arcad. Honor.] (vt mittã nunc Ioſiam, Salomonẽ & cęteros antiquiores) tam pręclara pro fide, iuſtitiaque potuiſſent patrare facinora, niſi parentes diligenti Sanctorum hominum doctrina teneras adhuc animas imbui curaſſent. Diuum Ludouicum, [Ludouic. Paul. Aemil.] quia puer ſapientiſsimam audiebat matrem hęc verba ſępè pronuntiantẽ: vtinam fili mi potiùs morerere, quã capitale peccatum committeres: tanta inceſsit religio, vt nec ſanctiorem Gallia, nec rectiorem orbis terrarum habuerit Regem. De Athalarico omnia ſumma expectabantur, quandiu mater, & Iuſtinianus illum conſilio diſciplinaq; inſtruebant, ſed ab ijs, qui mundum ſapiebãt, cùm aſtu auulſus eſſet, voluptate, cœnoque vitiorum immerſus perijt. Adeò verum eſt, quod Heſychius inquit. [Heſych. cent. primæ 43. art.] Quemadmodum puer paruulus, nulliuſq; capax malitiæ, vbi pręſtigiatorẽ quempiã videt lętatur, & ſua ſimplicitate ductus illum imaginum effictorem ſectatur: ſic animum noſtrum, cùm ſimplex ſit & bonus, huncque in modum à bono ſuo Domino creatus, delectari illuſorijs ſuggeſtionibus Diaboli, & deceptum properãtemque id quod deterius eſt, pro bono amplecti. Vtinam igitur ipſorum ferè lactentium oculi, dum virtutes quaſi ſigilla mollibus ceris facilè imprimuntur, honeſtiſsimis imaginibus (qđ & Ethnici docuerũt) aſſueſcant, aureſq; perſonent, eorum recitatione, quæ ſanctiſsimi viri geſſerunt, potiùs quàm laſciuorum Poetarum (quę certiſsima adoleſcentum peſtis eſt) vel impiorum quorundam, [Plà. 2. dialog. de leg. Ariſt. 7. polit cap. 17.] vnde prius omni genere ſordium obſoleſcunt, quàm ſolidam vllam veram pietatis effigiem teneant. Nam & Plato (vt inquit Plutarchus) [Plutar. lib. de educatione puerorum.] ſcitè ſubijcit nutricibus, ne cõmemorent pueris, quaſuis fabulas: quod ijs ſine dubio tenerę mentes facilè corrumpi poſſunt. Sed quæ conſecuta ſunt, [Ceſſationem Catechiſmi docendi ſumma incommoda eſſe conſecuta.] quia ab hoc opere ceſſatum eſt, incommoda & damna, faciliùs quidem ſentiuntur, quàm amouentur. Nam & pueri, puellęue hæreticę nobiliſsimis Theologis inſultantes ſacra omnia execrantur: & per vicos publicè, & in ſtabulis, atque adeò

in ipſis templis adoleſcentuli, & plerique alij, licet Catholicum nomen gerant, audaciſsimè tamen Domini nomen blaſphemant, nullo interea, neque interiore, neq; exteriore cultu auguſtiſsima altaris myſteria proſequentes. Et quæ hactenus Græci φοβερά καὶ φρικωδέϛατα, hoc eſt, tremenda & terribiliſsima appellarunt, noſtri ne ſancta quidem nominant: ſacerdotes exſibilantur: Magiſtratus deſpicitur: vt ſi quis ex Thracibus, aut Scythis venerit, ex operibus eos conſiderans, neſcio quales cogitet parentes, ſuſceptores, Gymnaſiarchas, Paſtores, (bonos ſemper excipio) qua pietate, qua religione?

Hinc alia Reipublicę calamitas, quam ſi quis intelligat, nemo eſt tã excors, quin hanc omni ſtudio docendi Catechiſmi prouinciam ſuſcipiat. Turcarum, inquam, cõtinuæ excurſiones ad venandas animas Chriſti. Hi enim cùm Chriſtianorum greges abducant in Africam & Aſiam, quid miramur, ſi fidem abnegent, dexteras paulò pòſt aduerſus Chriſtum Dominum armaturi, qui fidem pietatemq́ue non edocti, quid credant, vnde fortitudinem in tormentis petant, quomodo precẽtur Deũ, haud didicerunt?

Nec tamen quia multi abſunt à maritimis oris, ſpectare ad eos hæc cogitant, quaſi qui mercaturam exercent, non ineunt Societatem, commerciaúe cum illis; non perſæpè ad eos cõmeent, non ſæpiſsimè, continentis incolæ intercepti ad Turcas & Mauros, aut ad hæreticas Inſulas tranſportentur; vt ſi quo in loco doceri oporteat Catechiſmum, id in primarijs ciuitatibus pernéceſſarium ſit.

Par etiam alterum calamitatis iſtius Regni genus eſt: Hæretici tot oppida, ciuitateſq́ue ceperunt: Catholici multi tum metu, tum imperitia tyrannidem, vafriciemq́ue illorum aut non ſentiunt iam, aut etiam laudant, quod præſentiſsimum reprobationis eſt ſignum. Ita quia non antea firma fidei fundamenta in teneris animis iacta ſunt, procul à Chriſto nũc, procul ſunt ab Eccleſia. Mitto quàm multi ruerunt in Atheiſmum, vix vnquam reuerſuri, niſi benigniſsimus Deus extraordinaria illos miſericordia reſpiciat.

Atque hinc quoque fit, quòd baptiſmi vis, quę in ijs, qui iam adulti baptizabantur, haud obſcurè viſebatur, in paruulis noſtris non ita eluceat, quodq́ue cùm adoleuerint, non ita ſe exerat: parentum enim indulgentia prius implicantur vitijs, quibus contriſtatur in Baptiſmo acceptus ſpiritus, quàm religiosè ad pietatem reſtituantur. *Epheſ. 4.* Quòd vt rectiùs fieret, & in Cœnobijs filij nobiliorum tradebantur inſtituendi, antiquis illis Sanctorũ Baſilij, Gregorij Magni, Benedicti temporibus.

Accedit ad hæc omnia, ꝙ plurimi ſunt, qui cũ peruenerint ad ſummã ſenectutem, nec quid, nec quantũ ſit Cõfirmationis Sacramentũ didiciſſe, nec verò putare, ſe, vllius criminis reos dicant, ſi prudentes id, ac ſcientes omiſerint. Vt mirandũ non ſit, qui leuiſsimã alicuius hæretici impreſsionẽ ſenſerint, eos tam facilè de fidei ſtatu dimoueri, vt inde ſtatim prolapſi in omnes hæreſes, atque in eam, in quam Nouatus incidit perniciem incurrerint.

Quotus autẽ quiſq; Clericus eſt, qui niſi ab ineunte ætate quæ ad Chriſtianam doctrinam attinent, eo quo decebat ordine didicerit, minorẽ ſanctis altaribus, quã tabernarũ, aut domeſticis menſis honorem non deferat? aut è quorũ cultu, ac mũditia, qui circũſtant animari ad pietatẽ cupiant, inde ſcandalum ſumat hæreditas Chriſti?

Auctoritate nobiliũ Theologorum, rationibus, exẽplis, eadẽ docendi Catechiſmi neceſſitas cõprobatur. Ad Gerſonem venio. Hic quo tempore ſchiſmatis turbo peruertebat Eccleſiã, videns animarũ pacationem nunquam futurã, niſi quaſi ſeminaria iuuentutis inſtaurarentur, curam puerorũ ad fidem pietatẽq́ue inſtituendorum ipſemet ſuſcepit. Adeò (vt S. Bern..rdus ait) vbi amor eſt, ibi nõ eſt labor, ſed ſapor. Id igitur vbi diligenter aggreſſus fuit, ecce procellã obtrectantium, non ferentium tantum Theologum & Concionatorẽ, atq; adeò Pariſienſis Academiæ Cancellarium ad hęc quæ videbantur aut inania, aut vilia, aut laborioſiora, vel certè captui puerorum incommoda debere ſe demittere. Ille autem, vt ſicut fidelis ſeruus paruulos tueretur, quorum patrocinium Dominus IESVS ſuſceperat, tractatum edidit de paruulis ad Chriſtũ trahendis. Ac cũ in hac re ageretur ſpiritu Dei, ſciretq; inflare ſcientiam, niſi intra humilitatis, & charitatis terminos contineretur, ab illo Domini verbo: Sinite paruulos venire ad me, &c. libellum ſuum aureum inchoauit, in quo plurimas affert rationes, quibus eſſe Theologis in ſanctum hoc negotium incumbendum pleniſsimè oſtendit. Verba Gerſonis hæc ſunt, quæ ſequuntur.

Gerſon. 2. parte ſuorum operum eodẽ tractatu cõſideratione prima. Vt res (inquit) recentes ſunt pro liquoribus optimi, nouellæ præterea plantationes quę ſequuntur leuiter, quò docentis manus deflexerit, omnia hęc ſecùs in ſenibus plenis dierũ malorum, quos citius frangas, quã flectas. Si poteſt (inquit Hierem.) mutare Aethiops pellem ſuam, & Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum. Quòd ſi iuxta deductionẽ hanc, reparatio Eccleſiæ & eius cultura initianda eſſet à paruulis (ſicut eſſet) vbi precor efficatiùs ſanctiſsimum

opus

opus exercebitur, quàm in celeberrima ciuitate Pariſienſi? iſti enim ſunt paruuli, qui per vniuerſalem diſpergentur Chriſtianitatem. Eſſe quoque poterunt aliorum doctores, inſtructores quàm commodiſsimi, maximè domeſticorum. Ex hac præterea conſideratione conſequens eſt, nullum magis inimicari Eccleſiæ, & præparare omnia Antichriſto in demolitionem eius, quàm facto aut verbis, clàm, vel palàm obuiantem voci Chriſti dicentis: ſinite paruulos venire ad me. Deinde inter alia ſubdit. Paruuli nominatim tot quotidie peſsimis alloquijs vrgentur ad malum, & nullus vltrò contradicit, nec virtutum partes agit, pro incitamentis ad bonum. Denique paruuli dira fame ſpiritus excruciati petunt panem, & nemo erit qui frangat eis, quin etiam obſtabitur frangentibus. Non ita docuit Chriſtus, non hæc egit. Nã in congregandis animabus cõparauit ſe gallinæ, qua nullum aliud animal erga fœtus ſuos (vt Auguſt. ait) magis infirmatur pietate, demittuntur alæ, plumæq́ue hirtæ fiunt, raucеſcit vox querula, obliuiſcitur ipſa cibi, & incredibili ſupra vires animoſitate pullos tuetur. Et nos qui Chriſti ſectatores dici volumus, in hoc opere torpeſcemus? obſeruabimus tempora? menſibus totis quieſcemus? abſit. Inueniuntur autem plures modi reponendi paruulos in via ducente ad Chriſtum. Vnus eſt prædicatio publica, alius admonitio ſecreta, alius magiſtralis diſciplinatio: reliquus & hic Chriſtianæ religioni proprius, Cõfeſsio. Sẽtiat alius ꝙ voluerit, ego in ſimplicitate mea iudico Confeſsionẽ (ſi modo rectè facta fuerit) eſſe directricẽ efficaciſsimã ad Chriſtum. Hæc ille, qui cùm nonnulla reſpondiſſet, ijs qui frequẽtem peccatorum confitendorum vſum reprehenderet, eodem in capite ſubiungit.

Dicet aliquis mihi, vel alteri, operas ſuas circa paruulorum monitiones, vel confeſsiones impendenti. Stulto labore conſumeris. Cur ita? quia nimirum vel fingunt, vel mentiuntur, vel recidiuant ad vomitum. Sed reſpondemus, primò, ad vltimum, quia grandæuis etiam Presbyteris, quotidianus eſt reditus ad peccatum, nec propter hoc deſinunt confiteri, nunquid ſentinam nauis exhauriens idcircò deſerit opus, quia redit tantundem aquæ, quantum expulerit?

Et ne quis cogitet, hæc à Theologo illo ſuaderi tantùm rectoribus puerorum, audi ſequentia. Ideò (ait) ſi ruina multiplex immineat, quis admirabitur? Adeò iam indignum videtur apud multos, ſi quis ex Theologis, aut famatus in literis, vel Eccleſiaſtica dignitate præditus ad hoc ſe opus inclinauerit, præſertim circa paruulos: quod mihi (quia in talibus putor momenti alicuius) in fabulam & improperium ceſſerit. Et ſanè mihi videntur diſcipuli Domini adhuc tunc cœleſtium parum capaces, hac inſipientia laboraſſe, prohibentes paruulos offerri Chriſto, reputantes videlicet indignum eſſe, ſi tantus Magiſter & Doctor eorum Chriſtus huic humilitati ſubiaceret.

Cùm etiam ad hæc reſpondiſſet Gerſon, alia quæ ſibi à beneuolis obijciebantur, enumerat. Comminantur (inquit) vel mihi, vel paruulis, ne accedant ad me: & hoc alij multiplici ratione, ſignanter quadruplici id arbitrantur rectè facere. Allegant quippè diſparitatem morum mihi cum paruulis: allegant officij dignitatem occupandam ad maiora, dehinc cauſſantur loci, & temporis importunitatem. Poſtremò metuunt inſuetudinem ab æmulis calumniabilem.

Hæc cùm diluiſſet vir bonus, tandẽ ait.

Calumniabuntur (inquit) aduerſarij nouitatem iſtam, vel de curioſitate, vel de fictione, vel de infructuoſitate, vel de nimia leuitate, aut aliquod huiuſmodi. Hæc non mihi noua ſunt, ô amici chariſsimi, omnia dudum præcogitaui, & mecum ipſe peregi. Nam qualis vnquam fuit actio hominis cogniti, quæ vel repræhenſione, vel ſiniſtra, aut ſtulta interpretatione caru erit? Obſecro tamen per illam quam expectamus ſalutẽ, & obteſtor coram pauendo tribunali iuſti iudicis Dei, quoniam nemo nouit quę ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt, quatenus iuxta regulam Chriſti, in hac re à fructibus meis me cognoſcant. Et ſi quid in doctrina, vel operatione falſum, impudicum, nefariumúe deprehenderint, non refugio. Iudicer tunc lupus rapax in veſtitu ouium. Si autem fructus operis boni cernuntur extrinſecus, non damnetur poſtulo arbor intentionis de malitia intrinſecus, alioquin peccatum incurritur temerariæ dijudicationis fraternæ, & ſcandalum ponitur paruulis, quorum aduentus per hoc ad Chriſtum nonnunquam impeditur. Portabit quiſquis talis erit, onus ſuum: ego liberatus extitero.

Hactenus Pariſienſis Cãcellarius. Quid de Catechiſmo Catholico dicturus, ſi puellas, tres, quatuorúe annos natas (ꝙ non ſine lachrymis experti ſumus) audiſſet (quoniã fallaciſsimũ Caluini Catechiſmum edidiciſſent) fidem Catholicã publicè oppugnãtes, veritatiq; vix delibatas hæreſes ipſis Theologis opponentes. Quid Diuus Thomas? *S.Thom.* (Aquinatem dico) qui libellum ſcripſit aduerſus retrahentes homines à reli-

 gione?

gione? Pati ſcilicet nõ poterat ſydus illud Eccleſiæ, paucos, qui à Chriſto vocarentur ad cœleſtia, à mundo retrahi ad terrena: quantò minùs tuliſſet pueros, & populos integros rudes, eſurientes, auocari à Catholica diſciplina, ſine qua concidat neceſſe eſt, vniuerſum ædificium Chriſti?

Ac præuiſum quidem iam nutantis Eccleſiæ caſum vterque Theologus, auertere ſimili ratione curarunt. Hic euulgato libello de articulis fidei, & Sacramentis, quem poſtea Bohemico ſchiſmate ſæuiente, vt Germani docerentur, Pontifex Maximus decreuit. Ille autem compendio Theologiæ, alteroque ſcripto edito, quod inſcripſit opuſculum tripartitum. Hunc librum, quod iam tum neque iuuentus, neque reliqui rectè ad charitatem inſtituerentur, obnixè rogat Epiſcopum, vt Sacerdotes, & Ludimagiſtri exponant, laicique omnes, Monachi quoque diſcant, doctrina verò illa tabellis conſcripta, vbique, id eſt, omnium conſpectui in publicis locis, in Parœcijs, Gymnaſijs, Cœnobijs, Valetudinarijs affigatur.

Vide Hugonis etiã libellum inſcriptũ Didaſcalicon.

Sancta etiam Synodus Tridentina in Catechiſmo ad Parochos edito, vbi hortata eſt, hanc vt docendi viã Theologi ingrediantur, tandem ait. Neq; verò cuiuſquam ſtudium in docendo retardari debet, propterea quòd interdum neceſſe eſt auditorem earum rerum præceptis inſtitui, quæ leuiores, & humiliores videntur, nec ſine moleſtia ab ijs potiſsimum tractari ſolent, quorum animus in ſublimium rerum contemplatione verſatur, ac conquieſcit. Nam ſi ipſa æterni Patris ſapientia in terras deſcendit, vt in carnis noſtrę humilitate cœleſtis vitæ præcepta nobis traderet, quem nõ cõpellat charitas Chriſti, vt paruulus fiat in medio fratrum ſuorum, & tanquam nutrix fouens filios ſuos ita cupidè proximorum ſalutem deſideret, vt quod de ſeipſo Apoſtolus teſtatur, eis velit nõ ſolùm Euangelium Dei, ſed & animam tradere.

Synodus Trident.

Theſſ. 2.

Denique non pigeat addere (quando à quocunque veritas pronuntiatur, à Spiritu ſancto eſt) quæ vir quidam perdoctus locum illum Euangelij exponens, Diſcipuli autem increpabant eos, ſcriptum reliquit. Quis (inquit) non ſtupeat, videns Diſcipulos Chriſti impedire pueros, ne veniãt ad Chriſtum? ſi Diabolus, caro & mundus vetuiſſent, non mirarer: ſed quod diſcipuli Chriſti partes agant Diaboli, auertentes pueros à Chriſto, quis non doleat? Spiritus Chriſti congregat pullos ſub alas Chriſti, clamat: Si quis eſt paruulus, veniat ad me. Et Dominus, venite ad me: at diſcipuli vetant, & vetant paruulos qui magis Chriſti egent ope? Re vera ita eſt, maiores quidã noſtri, qui totis viribus erant anniſuri paruulos ad Chriſtum adferre, hi eos auertunt à Chriſto. Si enim ipſi ad opes, honores & delicias inhiant, ad eas etiam paruulos inhiare docent: igitur planè eos auertunt à Chriſto. Non audeo dicere multos eorum ferre non poſſe, quod paruuli frequenter ad orationem, & confeſsionem, ad communionem accedant. An non vides diſcipulos, qui paruulos à Chriſti auocent acceſſu? Hi audiant Chriſtum dicentem, ſinite paruulos, nolite prohibere eos accedere ad me. Pro his mori volo, pro his me ipſum ſanctifico: his ius Regni cœleſtis tribuo, ſinite eos venire ad me. Vt enim ipſi nullo, niſi me delectantur, ita & ego vehementer delector amplexu, in eorum oſcula ruo, &c. Quàm verò ſecurus eſt, qui inter amplexus Chriſti eſt? quàm timebit Leo, & Vrſus, & Lupus ab eo, qui Chriſti amplexibus gaudet? Hactenus ille.

Palatius in Matth.

CAPVT II.

DE CATECHISMI CATHOlici vtilitate, vbi Aduerſariorum aliæ obiectiones diluuntur.

ERGO niſi nos piorum Patrum reuocata iam conſuetudo, & Sacroſanctæ Synodi Tridentinæ auctoritas: niſi me mouerent exempla Pantæni Martyris, Cyrilli Hieroſolymitani, Gregorij Nyſſæni, & eorum, per quos ſtetit Orientis Eccleſia, res ipſa denique, & commoda, quæ inde quotidie experimur, ad hoc ſuſcipiendum prorſus impellerent. Nam & Catechiſtæ faciliùs in magnos & non fucatos Concionatores euadunt, qui ordine, ac perſpicuè populis, & pueris exponere diuina myſteria conſueuere. Et Parochi, qui fortaſſe imperitia, vel timore maius illud concionandi munus aggredi non audebant, promptiores fiunt ad frangendũ ſuis panem: ac certiſsimo hoc quaſi indicio cognoſcitur, an Pædagogi, & Gymnaſiarchæ diſcipulos ad pietatem fidemque orthodoxam inſtituãt: præſertim ſi quæ ſcripta ſunt in catholico Catechiſmo, ea curent, vt memoriæ à diſcipulis mandentur: parentes autem amore filiorum allecti, non ſolùm libentius ad templa veniunt, atque erga Paſtores fiunt propenſiores, verùm etiam promptiores ad interrogandos, docendoſq; filios de ijſdem rebus. Pueri item, quoniam ita diuinarũ rerum maieſtatẽ ſuſpicientes magis afficiuntur ad cœleſtia, ad precandum quoq; Deũ, ad Sanctorum opẽ implorandam, facilius, & ardentius animantur: ne dicam quot animæ Deo conſeruentur, cùm priuſquam ſeductores hæretici vacuas mentes occupent, in earũ, quaſi poſſeſsionem hac inſtru-

Gregorius Nyſſ. in oratione Catechetica, & de profeſsione fidei ad Harmonium.

inſtructione Catholica venitur. Hinc Clerici erga Sacramenta & diuinum reliquum cultum ſanctius afficiuntur; & Reges nullis arctioribus amoris vinculis ſibi deuincire ſubditorum animos vnquam potuerunt: cùm contra qui prauis dogmatibus fuere à pueris imbuti, infenſiſsimi Regib⁹, Reipublicis, parentibus, & paſtoribus probis eſſe ſoleant. Intellexerunt igitur hæc (licet aliquanto ſerius) Ferdinandus Imperator, Caroli Quinti Imperatoris frater, Catholicique alij Germaniæ Principes: qui idipſum vt cadens Imperium ſtaret, edicto ſanxerunt vt vbiq; doceretur. Etiam Viennæ, Pragæ, Dilingæ, Herbipoli, Ingolſtadij, Monachij, Oeniponti, Colonię Agrippinæ, ac pleriſque alijs in ciuitatibus collegia inſtituta ſunt, ad quæ & frequentes Lutheranorum, Huſsitarum, Anabaptiſtarum, & aliorum hæreticorum filij concurrunt, vt Catechiſmum Catholicum diſcant, qui à parentibus ad ea liberè mittuntur, fatentes, quia Catholici hoc ſtudium erga ſuos omninò intermiſerant, ſe ſuoſque liberos iuiſſe ad hæreticos miniſtros, quamlibet hi ſectam ſequerentur, vt ſaltem aliquam (alioquin falſam) potiùs quã nullam haberent ſpeciem religionis. Præclariſsimum ac recens eſt teſtimonium Indicarum rerum: pueri conuerſi ad fidẽ cùm per compita & vias die, nocteq; ſicut in Italia, & in Hiſpanijs fit, doctrinę Chriſtianæ capita cantare conſueuiſſent, etiam pro illa iam confeſsioni veritatis aſſueti maximos cruciatus, mortem denique pro Chriſto fortiſsimè pertulerunt. Legat vir pius (quæ tibi ignotæ non ſunt) Surij Carthuſiani nouiſsimas hiſtorias. Legat Didaci Payuæ nobilis Luſitani priorem librum aduerſus Germanię quoſdam hęreticos, ne quid de Indicis literis dicamus, quęque de religione in Gallijs, in Germania, in Hiſpanijs, in Italia, non vno idiomate conſcripta prodierunt in lucem.

Hæ fuerunt cauſſę, cur poſt antiquiſsimos illos Clementem Alexandrinum, qui Græcè integrum librum de inſtitutione puerorum ſcripſit: poſt Cyrillum Hieroſolymitanum, qui ſuas nobis Catecheſes iã à mille & trecentis circiter annis reliquit: poſt D. Auguſt. qui & de catechizandis rudibus, & primùm ſuarum Confeſsionum, ac doctrinę Chriſtianę libros edidit: inſigniores ætatis noſtrę Theologi, alio licet ordine (vt ferebant tẽpora) Catechiſmos cõſcripsere, Sõnius in Belgio, Petrus à Soto in Germania: Victoria & Dominicus à Soto in Hiſpanijs: plerique alij in Italia: vt interim omittam Petri Caniſij Catechiſmum, quem vniuerſus penè orbis Chriſtianus libentiſsimè excepit: præſentemque Emundi Augerij, quem tota Gallia reiecto Caluiniano perlegit: Rhemenſemque, qui primus lingua vulgari euulgatus eſt iuſſu magni illius Cardinalis Lotharingij, prioribus autem belli tumultibus, cùm eum primò docere Lugduni cœpiſſem, præſentiſsimum ei ciuitati antidotum ad venena, flammamque Catechiſmorum Geneuenſium reprimendam fuit. Horum autem pietati, qui Catechiſmos conſcripsere, nec Spiritus ſanctus per ſacram Tridentinam Synodum derogauit, & in maiore Catechiſmo, quem Parochis ſcribendum decreuit, ſatis graue tulit teſtimonium, eiuſmodi Catechiſmos prodeſſe Reipublicæ Chriſtianæ.

Clemens in Pedag.

Quamobrem videat quiſquis hæc haud cogitauerat, tantam animorum & prouinciarum Catholicarum conſenſionem, nõ poſſe ſine Spiritu Dei eſſe, vt aliquãdo magis Chriſtianum ſit, reddere in obſequium pietatis Chriſti captiuum ingenium: quàm pueris, quorum innocentia Deo acceptiſsima eſt, quorumque ſimplicitatis & caſtitatis amantiſsimi Angeli labores huiuſmodi numini diuino offerunt, panem hunc eſurientibus negare. Ac verò antea doctiſſimi Academię Sorbonicæ, ſiue alij aliarũ Prouinciarum Theologi Catechiſmos Typographis edendos dedere, adhibita honorifica teſtificatione: qui enim mẽbra Eccleſiæ ſunt, non poſſunt non conſentire cum capite, quæ eſt Petri Cathedra, ex qua ſola Spiritus veritatis hauritur.

Venio ad exempla domeſtica. Nulla propè ciuitas in iſto Regno eſt, quæ Catechiſmi fructu percepto, hæreſibus auertendis vires admirabiles haud conceperit. Et vix vlla vnquam in manus perduellium venit, quæ hoc præſidio munita fuiſſet. Ac cùm plurima alia Emundi vnius Catechiſmi exempla paſsim eſſent euulgata, de Typographo Pariſienſi ipſe audiui, ad quadraginta millia exiguo tempore Pariſijs fuiſſe diſtracta: cui tot populorum Catholicorũ conſenſui, vt vnus, aut alter audeat obſtrepere, mirandum ſit, nec vllo modo ferendum. Secardus autem Academiæ Sorbonicæ Decanus, ac Borbonij Cardinalis Illuſtriſsimi, Vicarius Generalis, quos ad hanc Catechiſmi rationem hortari poterat, id ſtrenuè faciebat. Nec mentiar, ſi dixero eum mihi auctorem fuiſſe, vt non ſolùm in eius Parœcia, verùm in duabus alijs dum Rothomagi concionarer, hoc officium ne intermitterẽ. Viderat enim per Catechiſmum vir ille cordatus, qui excellentem doctrinam ſemper cum ſumma ingenuitate coniunxerat, populum maiores in fide & pietate progreſſus facturũ, quàm ipſis celebrioribus concionibus plu-

res ante annos facere potuiſſet, id quod res ipſa docuit. Nam vnico menſe Typographi Rothomagenſes ſexies eiuſdem Catechiſmi editionem procurare coacti ſunt: ac cùm Dieppam iuiſſem, eadem ratione ciuitas illa, cuius magna pars antiquis hæreſibus erat inuoluta, ſic eo lumine excitata eſt, vt plus mille quadringentis hominibus & mulieribus hæreſibus publicè abiuratis ad Eccleſię Catholicę gremium redierint: idem verò Catechiſmi vſus deinceps latiſſimè ad vniuerſam Normandiam manauerit. Et ipſe igitur Secardus, cùm hoc proſpexiſſet, teſtatus eſt mihi, ſe quoque Catechiſmum illius quem docebam, ſimilimū olim ſcripſiſſe, cùm neceſſarium diceret nouis morbis eſſe remedium nouum: ſi nouum aut recens dicendum ſit, quod iam Eccleſia naſcente in vſu fuit, ſed incuria (vt veriſsimè ac Chriſtianè loquamur) nō nunquam intermiſſum. Itaque prudenter ille non expectandum exiſtimabat, dum hæreſeon face totum Regnum conflagraret, vt deinde nulla eſſet ſpes illius reſtinguendæ. Hoc cùm Rothomagi primùm cogitaſſet, ciuitas illa ante aliquot annos capta eſt: Catechiſmus item ipſius Theologi ſurreptus. Ita ſancto conatui non minus tum inuidit Satanas, quàm ſub pietatis ſpecie torpeſcentes, nunc inuident, qui vix contra hæreticorum Catechiſmos hiſcere audent, aduerſus autem Catholicos infelicisſimi oblatrant. Quid igitur ſi tunc admota fuiſſet manus operi ſanctiſsimo? Quid ſi tunc adoleſcentes, qui iam in plurimas familias creuêre, ita per capita doctrinam ſanam didiciſſent, vt deletis impiorum Catechiſmis, Deo, Eccleſiæ, Magiſtratui ſuam fidem integram ſeruaſſent? Certè nec ciuitas fuiſſet capta, nec nobiliſsima Galliæ prouincia cladem accepiſſet à ſuis: neque aditus externis fidei hoſtibus patuiſſet, nec ſummi Duces Rege tum puero ſummo Reipublicæ malo interijſſent: & innumerabiles animæ, quæ nunc ad Regnum Satanæ pertinent, aut ſtetiſſent in fide, aut faciliùs reuocatæ fuiſſent ad Chriſtum. Sed quantum ea in re peccatum ſit iam iam intelligent, qui malint reſipiſcendo veritatem amplecti, quàm pertinaciter de errore ſibi blandiri. Præuidit etiam non ita multos ante annos nobiliſsimus Senatus Rothomagenſis huiuſmodi procellam: ac (quod ad illum attinebat) edicto cauit, omnes vt pueri Catholicam fidem docerentur, qui ex Parentibus hæreticis orti, ſi hæreſim & ipſi imbibiſſent, numerum impiorum breuiſsimo temporis ſpatio eſſent aucturi; lex, edictumque per ſanctum. Amiſſa tamen tanta occaſio eſt. Quòd ſi cùm proſperum curſum tenere ſecundo vento poſſumus, nec vela tamen pandimus, ac ſi qui ſunt, qui ad remigandum toto animo, viribuſque incumbunt, ex ijſdem ordinibus alij inhibent curſum, ominari horreo, quid futurum ſit breui: vtinā liceat cùm velimus. Quot autem nunc habemus fidei hoſtes, tot familiæ paulò pòſt ne ſint. Qui verò videntur ſtare, ſi minus tanquam agri animati excolantur, & quaſi pharmacis futurus morbus non remoueatur, ne in viam carnis, & hæreſeos ingreſsi inſanabiles denique ſint, atque ex ijſdem ſeminibus eadem procreentur incommoda. Neque enim tam ferax vllus eſt campus, quin niſi colatur, edat tribulos, ac ſpinas: neque tam nihil ferens, quin ſi colatur, aliquē tandem fructū præbeat.

Refutātur contrariæ argumentationes.

Quid ergo? ſi ita poſthac fiat, exiſtimabit populus aut hoc manaſſe ab alijs, aut hactenus nos dormitaſſe: Atqui vt verum vtrumque eſt, ita Chriſtiani hominis eſt potius culpam ſuam agnoſcere, quàm Reipublicæ periculo tegere priuatum vitium. Ecquid verò hoc eſt, ſi non eſt iniuſtitiæ Deum arguere? quaſi ipſe, nō deſidia multorum inuexerit peſtem, quam cernimus malorum in Eccleſiam: Cùm iam nemo ſit, qui non ſentiat in ſe reclamantem conſcientiam, & in otio atque pace iſta, quam quiſque ſibi cupit, amaritudinem iam omnium rerum amariſsimam non guſtet. Quòd ſi Catholicus Catechiſmus ſancta res eſt & vtilis, quid peccantes aduerſus Spiritum ſanctum, agnitamque veritatem moras in caput noſtrum nectimus? Quid operi ſanctiſsimo non accingimur, vt ſcrutatori cordium Deo elapſi temporis detrimentum diligentia reſarciamus? Sin verò vtilem eſſe inficiamur, quorſum tot meliorum populorum, quaſi viua Dei vox, tot Theologi, Pontifex Summus, Eccleſia, tam auidè hanc docendi rationem reſtituerunt in vſum, aut reſtituendam cenſuerunt? At Academiæ id non faciunt. Atqui inquam Academijs præſtanda Parochorum culpa non eſt, quarum tamen auctoritate Catechiſmi vtilitas iam indicata eſt, & comprobata. Cæterùm, ſatis ſuo muneri faciunt erudiendis auditoribus: ſublimioraq; Theologię myſteria aperientes. Quòd ſi iam percepta reliqui gregibus ſuis non tradent, hi Domino ſuo (qui certè non irridetur) cadēt. Sed (aiunt) docetur in Catechiſmo: Quid Trinitas, Sacramētaq; ſunt, quę cū in primo, quartoq; Magiſtri ſententiarū contineātur, pertinent ad Scholas, nō ad Eccleſias. Et pręcepta itē, virtuteſq;, ac Domini incarnatio tractātur à Magiſtro, quę tamē cū in Scholis altius, in Eccleſijs tamen commodius pro captu auditorū neceſſariò explicantur, vt interim taceam Sancti Athanaſij

nasij

naſij Symbolo, & Conſtantinopolitano, quod quidem in ſanctiſsimo Miſſæ ſacrificio publicè, tum cùm Roma adhuc Latinā linguam intelligeret, decretum eſt, vt populo audiente cantaretur, & ſancti Cyrilli catecheſibus, qui fuſiùs de Sacramentis populum docebat. Ac denique Catechiſmo Pontificio, in quo Parochi monentur, vt eadem vnicuique è ſuis oſtendant, nugaciſsima iſta commenta explodi.

Alij verò alia aggreſsi via (quia non facilè deflectunt à ſententia ij, quorum cordibus interior pietas non hæſit) ipſi quoq; (inquiunt) hæretici, hac docendi ratione vſi ſunt: hęreticos ne tu imitari æquū ducis? minimè certè omnium. Repetimus enim noſtra, non vſurpamus aliena. Furatur autem (ait S. Baſilius) noſtra Diabolus, & ſuis ea largiri conatur. Ita D. Ioānis Euangelica ſcripta Numenius transferebat in ſua volumina. Ita Proclus, Iamblichus, Plotinus, reliqui Platonici, multis è ſanctis Dionyſij Areopagitæ libris vſi ſunt, tanquā ſuis: diuiniſq; contra diuina (vt ipſemet Areopagita inquit) vſi ſunt: transfigurante ſcilicet ſe Satana in Angelum lucis. Et imitari igitur hæreticos cenſent, qui Catholicè Euangeliū interpretantur? aut qui ſermone, ſcripto, libris orthodoxis, qui quaquauerſum diſſeminentur aduerſus impuram, impiamq; illorum luem veriſsima dogmata quotidie profitentur? Certè, (inquiunt) quia ipſi fuiſſe auctores videntur Catechiſmi. An ergo auctores Euangelij ſint, qui ſuas hæreſes ſub nomine Euangelij vēditant? At ſanè (dicent) non negabis, Catechiſmi vocem hanc vſurpandam non eſſe, quippè quę hæreticum dicendi morē nimis redoleat. Has verò ineptias, quis ferat? Quid (inquam) (etſi de re diſputatur, non de nomine) ſi olim Cyrillus Hieroſolymitanus, S. Auguſtinus, (vt prætereā omnes recentiores Theologos) Eccleſia vniuerſa ab Apoſtolorum tempore, Synodus ipſa Tridentina, cui qui Spiritum Sanctum doctorem præfuiſſe, & aſtuiſſe negauerit, is certè impius atque hæreticus ſit, condemnēt illam Catechiſmi vocem aut retinuerint, aut vſurparint? Sed non negabis (aiūt) ſpectare hoc ad ſuſceptores, quos & Iuſtinus offerentes, & Tertullianus ſponſores vocant, vt pro quibus fidem ſuam ad fontem ſacrum interpoſuerint, eos vt doceant. Sanè (inquam) Quid verò, ſi ne ipſi quidem ſuſceptores ſciunt? Quid ſi qui ſciunt, nil tamen curant, vt fiat? tu ne paſtor cùm ſis, ſi gregem videris (gregem dico tuarum ouium ratione carentium) à mercenario deſeri, huic tu oues diu relinquas? non relinques, opinor. An verò niſi debitor ſoluat, vadem non vrgeas? vrgebis ſcio. At animas Chriſti Domini, pro quibus quod fide iuſsimus iam ſignatum eſt in conſpectu Dei, non ignoramus pretioſiores animantibus ijs, quorum cum corpore ſpiritus interit. Pertinere autem inprimis ad Parochos, quod Apoſtolus ait. Si quis ſuorum maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. At Parochi nimio ſubijcientur oneri, ſi pueros, adultoſque iam ætate rudiores edoceant: Vtinam verò ne grauiſsimum horrendi iudicij diuini periculum ſubeant, qui cùm eſſe ſpirituales parentes profiteantur, cumque filijs æternitatem theſaurizare debeant, id minimè curant.

Dionyſi. Areop. ad Polycarpum.

S. Dion. ca. de Bap. Iuſtin. quę ſtion. 50. Tertul. lib. de Bapt.

1. Tim. 5.

Quid verò (inquam) ſi horam quiſque Parochus ſingulis diebus Dominicis impendat, proprio gregi paſcendo, aut ſaltem Romani Catechiſmi paginæ recitandę, puerisq; ſalutari doctrina imbuendis, tantumne hoc fuerit negocij? Iam enim (vt diximus, & vtinam eadem iterantes aliquid proficiamus) vel inopia, vel luxu magna populi puerorumque pars quid agat, quodnam vitæ genus inſtituat, quorſum Chriſtianus ſit, quanti vitam illam ſempiternam, quam expectamus æſtimet, vix vnquam vllo conſtanti ordine didicit. Et verò amari quod neſcitur; aut ſcitur incertiſsimè, quo pacto poteſt? Præclarè autem nobiliſsimę virtutis Epiſcopus. Huic impiæ (inquit) in Deum cōtumeliæ, id eſt, ꝙ ſumma irreuerētia (vt illius verbis vtar) accedant imperitiſsimi doctrinę Catholicę: ad Sacramēta vt aliquando poſsit occurri, & anteuerti, & æquū ſanè, & neceſſarium foret, quādiu Sacramentorum vſus in vnaquaq; vigebit Chriſtiana concione, ſiue Eccleſia (qui tamē perpetuò durare debebit) vt Catechiſmus nunquam interſileſceret, & vnà cum ipſo Sacramentorum vſu in ſingulis Eccleſijs etiam aſsiduè erudiretur populus, ſcire vt poſſent tam iuniores, quā prouectiores, quomodo Sacramenta ad gloriam Dei, ſuamque ipſorum ſalutem percipere deberent, & qua ratione vitam omnem, moreſque ſuos ita inſtituerent, vt iuxta votum, quod ſemel Deo in Baptiſmo nuncuparunt, probos, integros, ac inculpatos illi ſe Chriſtianos exhibere, atque ita tandem promiſſam à DEO Regni cœleſtis hæreditatem adire poſſent. Hæc ille. Eadem igitur ratio reliquos mouit Epiſcopos, qui Tridenti de religione conuenerant, vt is, quem dixi Parochis Catechiſmus ſcriberetur, in quò pręcipuè illud his mandatum eſt, quæ myſteria viſibilibus Cerimonijs deſignantur, ea vt accuratè aperirēt populo, quò animi ad cœleſtia excitati maiorem poſthac reuerentiam adhibe-

Michael Merſpurg.

hiberent erga diuina, quæ alioquin Synodus profanæ multitudini (vt S. inquit Dionyſius) ſciebat non eſſe tangenda. Ita pro tempor ū ratione Theſauros bonitatis ſuę, admirabilis Dei ſapientia, profert ac explicat.

Capvt III.

De Ratione docendi Catechiſmi, ac primùm de pietate.

Verum cùm hæc ita ſint, petis etiam, qua ratione commodius, vberioreúe cum fructu Catechiſmus tradendus ſit. Quod quamuis ex te libentiùs cognouiſſem, dicam tamen (vt tibi morem geram) quas mihi hac de re nonnunquam leges cū ex ipſo noſtræ Societatis vſu, tum etiam ex obſeruatione aliorum collegi. Primum autem illud fuit. *Vide Cle. Alexand.* Duabus quaſi alis, pietate & perſpicua docendi ratione magnos progreſſus facturum Catechiſtam: & quaſi ex bene ſatis ſeminibus copioſam meſſem breuiſsimè collecturum. Hæc autem facilè comparabit, ſi meminerit, ſicut nutricem eſſe ſe, quæ niſi bono cibo alatur, & lac malum, & morbi grauiſsimi alicuius cauſſam infanti præbeat. Itaque antea ſic Catholica dogmata ipſe Catechiſta percipiat, vt nihil non cōcoctum, purumq́; ſit, priuſquam alteri tradat. Charitas illa eſt, quæ conficiendi cibi & verbi diuini ignis eſt. Ac cùm non diſsimilis diſcentium, atque veſcentium ſit ratio, videat quantum obſoniū conuiuiumúe inſtruat ijs, quibus vnica beneque præmanſa eſca neceſſaria eſt. Cumque pueri diutiſsimè retineant, quæ ineunte ætate inſpexerint, non ſolùm verba, verùm etiam geſtus, cæteraq́; omnia ita componat, vt perpetuum ijs, cùm adoleuerint ſpeculum virtutis, ac modeſtiæ relinquere poſsit. Nullum irati, nullum leuis, aut intemperantis animi ſignum præ ſe ferat, ne quod verbo docturus eſt, imprudens & infidelis diſpenſator opere deſtruat.

Inprimis cæteros Catechiſtas, & concionatores oratione iuuet: ſignificetque lætitia affici ſe, cùm alios præclarè hoc munere fungi audiat. Nihil inuidia magis *Charitas.* mortiferum eſt, atque nocentius: nihil charitate viuacius, atque ad conciliandam diuinam beneuolentiam fortius. Abdiam legimus, quod Prophetis aqua, paneque ſubuenit, id ipſum à Domino Prophetiæ donū accepiſſe. Adeò fidelis retributor eſt Deus, vt cui aliquid boni cupiamus, id tum illis augeat, tum etiam nobis maiora rependat.

1. Epiſt. ad Dioſcor. Et antequam opus aggrediatur, primum ſemper fundamentum in ſe ipſo iaciat, humilitatem, aureumque illud S. Auguſtini dictum perſæpè mæditetur. Non aliam tibi ad capeſcendam, & obtinendam veritatis viam munias, quàm quæ munita eſt ab illo, qui greſſuū noſtrorum, tanquā *Humilitas.* Deus videt infirmitatem, ea autem prima eſt humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas. Ita potiùs à Spiritu ſancto agi ſe, quàm à ſuis opinionibus ſinet, non ignorans æquam interim partem futuram eius, qui manſerit ad ſarcinas, & deſcendentis ad prælium. Fietque ſæpè, quòd ſanctiſſimus & Seraphicus vir Franciſcus dicebat, vt illud Annę impleatur. Quæ ſterilis erat, peperit plurimos, & quę multos habebat filios, infirmata eſt: id eſt, vt priuata oratione plures Chriſto lucrifaciat, quàm ij, qui ſummi concionatores, patreſque multorum habiti rumores poſuerunt ante ſalutem. Poſtremò ſibi diffidens ſpem collo *Fides in Deum.* cet maximam in Deo, frequentique oratione fortitudinem ad difficultates ſuperandas à Domino petat. Is vocem, ſenſaque ſuppeditabit, qui humilium linguas diſertas facit: puriſsimum verò ab omni peccato animum ad rem, quam dicturus eſt, afferat. Vt quaſi ſe in ipſam transferat, ac mutet. Magnum ſcilicet pondus ad perſuadēdum habet oratio, cùm ex interiore animo res ipſa promitur. Atq; è corde, nō è labijs profecta, ad corda item, non ad aures tantùm audientium peruadit.

Ratio docēdi Catechiſmi. Et hæc quidem, quę diximus, ad Catechiſtę pietatem attinent, quæ (vt inquit Apoſtolus) ad omnia valet. Cæterùm cogitandum eſt, è quibus libris doctrinā hauriat, quaúe elocutione, modo, perſonis, loco, tempore optimè ad Catechiſmum docendum vtatur.

Perlegat igitur Catechiſta bis, terue Catechiſmum, priuſquam opus aggrediatur, ita vt ſeriem illius doctrinæ omnem quaſi manu teneat, ſuoque deinceps loco propria membra tractet. Quòd ſi per aliquod dierum ſpatium ad precationes adhibeat earundem rerum meditationem, quę in Catechiſmo continentur, vix dici poteſt, quātum ex eo docenti, diſcentique vtilitatis accidet. Nam vt Catechizanti ſe Deo Catechiſta prius communicabit, ita Catechiſtæ docenti ſe communicabit attentiùs puer: cui non tam homo, quàm ipſe Spiritus Sanctus præceptor futurus ſit.

Cùm autem plures à pluribus Catechiſmi in lucem editi ſint, hi quidem ſunt, qui iam ferè ab omnibus, vt diximus teruntur: Emundi Augerij maior & minor in Gallijs. Petri item Caniſij maior & minor in vniuerſa Europa & Indijs, qui cum pręter ea, quę ad fidei dogmata pertinent, optimo contineat ordine, ea, quæ de vitijs ac virtutibus tractanda ſunt, tum efficax eſt ad inſinuandam in animos

cum fidei doctrina pietatem, quæ (vt ait Apoſtolus) ad omnia valet: minorum autem maiores illorum Catechiſmi tanquā paraphraſes, ac quaſi interpretes ſunt. Vtriuſque tamen Pontificius Catechiſmus Romanus ſummam affert lucem, qui Eccleſię conſenſu editus, non ſolùm docendi, verùm etiam plura inueniendi rationem aperit. Frequenti autem horum lectione Catechiſta nil niſi ſolidum, atq; ad rem loquetur. Sibi interim (niſi iam ad altiora aſcenderit) viam ſtraturus ad ſubliniorem Theologiam, atq; ad publicas cōciones habendas.

Catechiſtæ autem ſi Patrum deſit Bibliotheca, extant volumina auctoritatū, quas cùm Caniſius in ſuo Catechiſmo proponat, pius alius vir ex diuinæ Scripturæ, ac Patrum fontibus collegit. Hic pro multis vnus ad copioſè tractanda capita Chriſtianæ doctrinæ ſat erit.

Si frequentiores adeant ad audiendum, & rudior Catechiſta ſiue Parochus ſenſim maiora cupiat attingere, Theologiam Chriſtianam Iauelli non ita pridem euulgatam, Viguerium, Sancti Thomæ opuſcula faciliora perleget. Nam de eiſdem rebus dilucidè, pieque & appoſitè ad indoctiorum etiam captum optimi illi viri ſcripſerunt.

Sæpè verò pueri intelligant, Catechiſmos, doctrinamq́; hęreticorum, non ſolū ſecum ipſis pugnare, verùm etiam eſſe fugiendos, ac tanquam peſtilentiſsimū morbum vitandū. In quibus autē & inter ſeſe, & à nobis diſſentiant, ea doctiſsimè breuiſſimeq́; Federicus Staphylus indicauit eo libro, quem de trimembri Theologia Lutheri vtiliſsimum conſcripſit.

Si Iudæos, qui conuertuntur ad fidem edoceat, Iesvm ex Prophetis & ſancta Scriptura annuntiet, quam ad rem præter D. Auguſtinum, & alios veteres Patres magnopere proderit, ſi legerit, quę Franciſcus Turrianus de Societate noſtra ex lege & Prophetis annuntiando perdoctè ante aliquot annos tractauit.

Si res poſtulet, vbi de Sacramentis aget, vitæ Chriſtianæ officia, ſeu conſcientiæ aliquem caſum (vt vocant) explanet, idque breuiſsimè, ſed perſpicuè ac dilucidè fiat. Quę verò facilè perſpici nō poſſe ſenſerit, ea in aliud tempus differenda ſunt, ne interim ex finibus Catechiſtis egrediatur.

Loca diuinarum Scripturarum, & Patrum dilucidiſsimè interpretetur, eaq́; nō multa ſint. Nam vt multiplex illa rerum ſylua, ſicut ventriculum lautiſsima conuiuia, ſubruunt hominum ingenia; ac ſicut nimius ſplendor aciem mentis obtundit, ita plerūq; allatę plures auctoritates ad memorię doctrinæq́; oſtentationem proferri exiſtimantur: Et qui labor ad gloriā Domini ſalutemque audientium prodeſſe poterat, is hac opinione fruſtrà conſumitur, facilimeq́; ex animis audientium euaneſcit.

Vulgata editione Bibliorum vtatur: hęc attēta lectione & animo verſet, vt nō mētem modò, verùm etiam voluntatem afficiat, nec verò vt curioſiùs Ethnicos, & ſcripta inutilia legat, facilè ſanctiſsimos libros deponat è manibus.

Elocutiò Catechiſtę Et Dominus quidem Ieſus ita ſimplicitatem, puritatemq́; diligit, vt omnis inaniū verborum ſpuma quaſi ſordes abijciendæ ſint. Cū verò pueros alloquimur, pueri & humiles ſimus, vt eos Chriſto lucrifaciamus. Exempla ſimilitudinesque, non illæ quidem crebriores mentem, memoriamque iuuabunt audiētium. Quamuis autem aliquis donum eloquentię habeat, caueat tamen, ne quaſi arbor luxurians corticem, foliaq́; potiùs quàm medullam & fructus edat. Quamobrem hic per viſcera miſericordię Chriſti obſecrandus eſt, perq́; illud primum ac ſanctiſsimum caſtitatis votum, quod multi voueru[n]t, vt caſta oratione, eaque propria & congrua ſit contentus. Optimus modus (ait Sanctus Auguſtinus) docendi eſt, quo fit, vt qui audit verum audiat, & quod audit intelligat. Et quid (inquit) prodeſt clauis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quærimus niſi patere, quod clauſum eſt? *11. c. li. 4. de doctrina Chriſtian. Vide S. Ambro. Epiſt. 63. lib. epi. octaui ad Iuſtū.*

Cùm autem eloquentiæ ſtudioſos alloquimur, hoc etiam optandum eſt, quàm quod maximè, toto vt animo abhorreant ab impuris ſcriptoribus, quorum multi, qui minus id fortaſſe exiſtimabant, ad impuram labem, atheiſmumque feneſtram aperuerunt: quales Pantagrueles, Amadiſius, ac neſcio qui Poëtæ; qui cùm Deum ſuperoſque collaudare potuiſſent, ad facinora tamen & Veneres, Cupidineſque celebrandos, tanquam noui idololatræ omnem dicendi ornatum, & copiam conuerterunt. Quaſi verò non ſatis haberet Satanas miniſtrorum ad alliciendas animas, niſi ipſi faces illas impudiciſsimas animis adoleſcentum iam efferueſcentibus ſubieciſſent.

Ergo cùm impudicarum rerum lectio & ab Ethnicis, atque in primis ab Eccleſia quę eſt domus Dei viui prohibeatur, quod nam ſpirituale ædificium cogitabit extruere Catechiſta, qui ſuper Eccleſiæ obedientia ſuam dicendi vim in primis non collocauerit? *Plato li. 2. de Repub. Dionyſ. li. 54. de Cęſ. Sueto. in Auguſt. Plutarch. in vita Numæ Pompilij.*

Quòd ſi Apoſtolus docet, non facienda eſſe mala, vt veniant bona: purgandusque nobis eſt animus, quò diuinam illam *Act. Apoſtolo.*

lucem

19. Syno. Conſtanti. art. primo L. damna to. Carolus Magnus L. Franc. can. 73.

lucem intueri poſsimus: nec quicquam mẽti officit magis, quàm cùm honeſtas, & puritas quaſi in exilium aguntur à turpiſsimis cogitationibus. Quid miſerrimi verſant eorum ſcripta, è quibus omnium ſcelerum formæ conceptæ, portentoſa tandẽ iniquitatum monſtra in legentium animis pepererunt?

Index libr. prohibito. rum Trident. Syn. reg. 5. 7. 8. 9. Clẽ. Alexand. oratione ad hor. ad gẽtes. Auguſt. li. 1. confeſs. cap. 16. Seneca ad liberalem de arte lib.

Cæterùm non deſunt optimi libri, è quibus pietas cum eloquentia, doctrinaq́; hauriri queat; ſiue qui à probis hominibus noſtra ætate, communiq́ue lingua prodierunt: ſiue qui è Græco, Latinoue fonte in noſtros vſus deriuati ſunt.

Multiplex itaque illa ſynonimorum ſylua pene omnis amputanda eſt, quæ ad Grammaticorum ſcholas potius, quàm ad ſuggeſtus Eccleſiarum pertinent.

Et vt paucisſimis abſoluam, quiſquis pectus ſuum ſanctis meditationibus armabit, remq́ue ipſam, de qua dicturus eſt, optimè nouerit, tantamq́ue, quantam tempus feret, materiam ſuſcipiet declarandam, hic Domino miſerante, loquenteq́ue per os eius, verè eloquens, ac diſertus euadet.

Et antequam rem incipiat Catechiſta, facultate à Catholico Archiepiſcopo, Epiſcopoue impetrata, ſignet cruce frontem: pueros vt idem, recteq́ue faciant hortetur; quo exemplo prouectiores, qui aderunt, vt idem facere conſueſcant, docebuntur: Adoleſcentulos moneat, vt initio Dominicam precationem, ſalutationemq́ue Angelicam recitent, petantq́ue à Domino gratiam proficiendi, vt & reliquus populus id ipſum agat, cùm ad maiores diuini verbi prædicationes audiendas adierit. Sciant verò pueri, cur ad Virginem ſanctiſsimam ante prælectionem orationes fundant: Sanctiſsima nimirum illa virgo, quæ Chriſti ſecreta nouit, verbũq́ue ac lucem in mundum attulit, potentiſsima eſt ad verbi ipſius fructum nobis impetrandum.

Pueris ſuo loco poſitis, vt à puellis diſtincti certis ordinibus ſint, non intermixtis adoleſcentibus, vtrumque ſexum alloquatur, familiari voce, & charitatis plena.

Quam prælectionem expoſiturus eſt, eius in primis voces, quæ maioris momenti ſunt, ac difficiliores, interpretetur; ne ijs ignoratis reliqua minus innoteſcant; neue cũ faſtidio, & ſine fructu tempus teratur. Eiuſmodi ſunt Iesvs, Chriſtus, Redemptor, Sanctificator, Sanctificatio, Eccleſia, Religio, Symbolum, Myſteria, atq; alia; quibus etiam mentes puerorum excitatæ magis afficientur ad Dominum precandum. Et cũ earum vocum etymon docendum ſit, q & materiam dicendi vberẽ ſępè præbet, atq; illarũ vim in audientium cordibus firmiùs inſculpit; tum interponẽda interrogatio eſt, ad renouandos, cogendoſq́ue animos pueriles, qui facilè diſtrahuntur; deinde capita rerum paucisſima dilucidè ſunt exponenda.

Vide quæ D. Aug. de Catechiz. rudim.

Hic verò caueat, ne tenellos animos ſeueriore obiurgatione deterreat, ſi qui fortè nõ ſint attẽtiores; blandiſsimè aũt ipſę per ſe res ſuo tẽpore timorem, attentioneq́; afferent, tum cùm enumerandis peccatorũ pœnis, iudicio Dei, flagelliſq́; imminentibus, ac præcipuè Regni cœleſtis pulchritudine, & beatitudine (qua maximè puerorum animi excitantur) mens cuiuſq; commouetur.

Si quis puer Catechiſmũ memoriæ non mandauerit, aut metu aliquo (vt fit) publicè nõ audeat integram lectionem recitare, hunc corã audientibus excuſare ſatiùs fuerit, eũq́; leniſsimè hortari, vt animũ recipiat: alijs quoq; ſubdat Catechiſta hoc eueniſſe. Hoc eò ſpectat, vt puer ne Eccleſiam, catechiſmũq́; deſerat, q fortaſſe aliquãdo, vbi minus hoc cauebatur, euenit: Honeſtũ verò aliquẽ virum moneat, vt curet ſedari ſtrepitus, qui à pueris fiunt, vt ſi etiã ſeueriꝰ corrigẽdi ſint, id ab alijs fiat, nõ à Catechiſta. Parẽtes verò ſæpiùs hortãdi, vt modeſtiã, cultumq́;, ac reuerentiã pueros doceãt, qua ex re cũ adoleuerint, iam Eccleſiæ, ſacriſq́; maiorem honorem habebunt.

Vbi interrogatis pueris Catechiſmi lectioni finis imponetur, roget parẽtes, & pædagogos, vt veſpere ad puerorũ memoriã reuocent, q ipſi maturiùs percepere. Pueros autem incitet, vt ſeruos, ſeruaſq́;, ſi nomen Dei execrẽtur, ſi quid turpe proloquãtur, vt reprehendant, quo aſſueti magis veritati tuendæ ſanctiſsimam apud Deum laudem, Angelorumq́; patrocinium ipſi quoque promereantur.

Poſtremò cũ pueris precetur Dominũ, & gratias agat, vt precari Dominum, & agere gratias etiam ipſi diſcant. Si quid verò periculi Reipub. impendeat, id ſiue Litanijs, ſiue alijs orationibus breuiſsimè à Deo Catechiſta deprecari petat, vt domi quiſq; quid petendum ſit, ſciat. Ita pueri cognoſcent bonitatis illius fontem, ſine quo nihil non exareſcit omnium cogitationum, operumq́; noſtrorum.

Orandum aũt eſſe ſciãt inprimis, p Pontifice Max. Sanctaq́; Eccleſia Catholica, p animis Principũ ad diuinã gloriam propagandã conciliandis, pro operariorũ miſsione in vineã Domini, pro peccatorũ, infidelium & Hæreticorũ conuerſione: ac pro animabus defunctorũ: deinde pro conſequẽdis ijs omnibus, quæ ad diuinam gloriam, noſtramq́ue ſalutem pertinent.

Et

Locus vbi Catechiſ. exponi debeat.

Et optimus quidem ſacris tractandis locus templa ſunt, propè quæ item ſcholæ antiquitus ea de re extruebantur, vt doctrina cũ religione diſceretur. Si quæ ædes publicis ſcholis, Parœcijſq́; maioribus viciniores fuerint, tãtò manabit ad plures ſanctę huius doctrinæ vtilitas.

Cùm verò nihil adeò bonum ſit, quin oppugnetur initio, cogitet prudens Catechiſta, in minore ne ac remotiore loco docendi ſint initio pueri, vbi & pauperes faciliùs euangelizantur, & altiorem radicem agere poſsit ſanctiſsimum hoc ſemen: niſi tamen inſigniori præſtantiq́ue charitate Concionator aliquis cui non tam facilè reſiſtitur, vellet ipſe in maiore Eccleſia hoc munus ſuſcipere. Quo in loco quò communius, eò diuinius bonum conſequetur.

Ratio euocandi pueros ad Catechiſmũ.

Vt autem ad templum conueniant pueri, eadem quæ Romæ ſit ratio poterit adhiberi. Cùm enim in vnaquaque Parœcia ſint eorum nomina deſcripta, qui Cathechiſmo imbuendi ſunt, eorum aliquis ſuo ordine ſtatim ã prandio per vicos Parœciæ vadit, atque campanula & alta voce pueros, puellaſq́ue omnes ad doctrinam Chriſtianam, Catechiſmumq́ue diſcendum inuitat, quã vna re præter ſexcenta alia pietatis officia, quæ in hac vrbe exercentur, nihil ad pueros excitandos, nihil ad eorum parentes erga Parochos, Paſtoreſq́ue animandos, nihil ad auertendam iram Dei, ciuitateſq́ue firmiore diſciplina, vel ſuauiore ratione adminiſtrandas efficacius eſſe poteſt.

Alter locus, Collegia, Scholæq́ue ſunt, in quibus diligenter huic ſtudio operam det Præceptor. Quòd ſi Angelus præſtantiſsimum Dei organum vnius hominis indiuiduus eſt comes, & cuſtos: tum quòd humanę animæ pretium agnoſcit, tum in primis, vt diuinæ pareat Maieſtati, ecquid à nobis miſellis faciendum eſt, quos Deus plurimis ſæpè adoleſcentibus cuſtodes, & ſuæ voluntatis internuntios addicit? vt qui negligens in hac re ſit, neque hoc ad maiora vſurus ſit Dominus: & verò negligenter opus ſuum facientibus, maledictionem etiam ſit illaturus. Sed cuius cor Chriſtiano iam igne arſerit, ad hoc etiam incitatior erit, ſi cogitauerit, quantò latius patebit hoc bonum, quod ad plures familias breuiſsimè per pueros, quaſi per ſiphones dimanabit, tantò ſibi ſplendidiorem coronam parari, qui præceptum etiam Domini impleuerit, quo monemur, vnicuiq; mandatum eſſe de proximo ſuo, pręſertim verò ei, qui non vt mercenarius, ſed vt filius ſeruitutem ſuam ſaluti proximorum propria vocatione deuouit.

Tempus.

Et cùm vbique diebus ſaltem Dominicis docendus ſit Catechiſmus, tum quo tẽpore animi paratiores videntur ad verbũ Domini percipiendum, capienda videtur occaſio. Cùm autem Synodorum tempora ſæpè, præſertim in Galliç aliquibus diœceſibus, in Pentecoſtes, omniumq́ue Sanctorum ſolennitates cadant, tum ei rei antea per aliquot dies opera dari poterit, vt qui frequentiſsimi vndique Parochi conuenerint, ad hoc ipſum peragendum cum ſuis gregibus doceantur, & animentur: eò verò præmitti poterunt Bibliopolæ, qui plurimos Catechiſmos compactos ferant, maiores, minores, Pontificium ſeu Romanum, Tridentinum Synodum, ſummas caſuum conſcientiæ Cyrilli Hieroſolymitani, Catecheſes, confeſsionem Auguſtinianam à Hieronymo Torrenſi de Societate noſtra collectam, cæteraque alia, quæ Catechiſta, vel Concionator Parochos hortari poterit, vt emant, nihil à Deo benedicto non promeriturus, qui ita momento horæ ingentem portam ad bonum patefaciet.

Ac verò à docendo Catechiſmo abſtineat Catechiſta, quo tempore cæteri Concionatores concionantur: aut maius ſacrum fit, aut horæ Canonicæ ſumma cum pietate, & vberrimo populi fructu recitantur: eandem item quam ipſi materiam vix tractet ad vitandam inuidiam, niſi ſe neceſſariò offerat: nec in longiùs hora ſpatium lectionem producat: cuius finis ſit breuiſsimus epilogus, vt pueri ſe profeciſſe intelligentes, libentiùs ad ſequentem reuertantur.

Sacerdotes autem niſi facinus plus quã publicum ac Reipublicæ damnoſiſsimum eſſet, Catechiſta ne increpet. Si qua de re omninò monendi ſint, id faciat opportunè, & ſecretò. Vbi non eſt auditus, ſermonem haud fundat, meminerit verò charitatem non inflari: omnia ſufferre, vt oẽs lucrifaciat, cõpaſsionem, vt S. inquit Gregorius habere, non indignationem.

Habes vir optime, quę de Catechiſmi Catholici docẽdi neceſsitate, vtilitate, ratione voluiſti vt ſcriberẽ: nonnulla fortaſſe aliquando additurus, cũ vel per otiũ, vel per diuturniorem huius lucis vſuram, à Domino fuerit nobis conceſſum. Nam vt diutius viuamus, circundati ærumnis, graſſanteq́ue peſtilentia, vix eſt quod ſperem. Cæterùm, quando ſiue moriamur, ſiuè viuamꝰ Domini ſumus, Domino qui fecit nos fideliſsimã te operã in hoc perſancto Catechiſmi negotio poſiturũ vſque ad mortem, non ſolùm ſpero, verùm etiam ſingularis amor erga te, Galloſq́ue meus facit, vt à te obnixè petam, totiſq́ue animi

mi mei viribus contendam. Nec verò garrulam illam,& loquacem, de qua doctiſsimis ad me literis tuis ſcripſiſti,turbam obſtrepentium,& lucem tenebras facientium pertimeſcas:ſed pro ea quantò magis aduerſatur, tantò tu ardentiùs Deum ores, qui ex lapidibus poteſt ſuſcitare filios Abrahæ,& conuertere corda patrum in filios: Memineris autem, ſi ſuis temporibus metuiſſent Sanctiſsimi illi antiqui Galliæ Doctores & Martyres,quæ maleuoli aduerſus illorum labores obtrectabant, nec ad cœlum nobis viam doctrina, fortitudine animi,ipſo ſuo ſanguine libentiſsimè aperuiſſent,nec complanaſſent; neque adeò forſan Chriſtiano adhuc nomine cēſeremur; ſed (vti qui in remotiſsimis regionibus Barbari , atque Indi nunc commorantur) in obſcuriſsima errorum nocte adhuc & ipſi verſaremur.Ergo age benedicte Domini,quando te & religioſiſsimi , atque ampliſsimi Cardinalis Pelleuei , & Reuerendiſsimi Nuntij Apoſtolici, prẹſtantiſsimi autem Theologi , Epiſcopique Ebroicenſis Claudij Sanctij auctoritas,addo etiam, optimus Archiepiſcopi Viennenſis editus à ſe nouiſsimè Catechiſmus veritatis cauſæ fauent,excita,qui apud te ſunt,Gymnaſiarchas,Parochos,Theologos,qui verò longiùs abſunt, eos tuis grauiſsimis Epiſtolis cohortare: Hos rationibus,& auctoritate, per IESV Chriſti charitatem,& viſcera miſericordiæ eius ne ceſſes accendere ad Sanctiſsimum hoc opus. D. Auguſtinus zelo propagandæ pietatis incenſus,etiam in alienas diœceſes, ſeruata tamen ordinis iuſtitiæque charitate,prudenter lumen doctrinæ ſuæ intulit; vt aliquando dictum ſit, nobiſque traditum, ab illo vno viro Africam vniuerſam,tertiam tum mundi partē, quẹ iacebat in tenebris, eratque propemodum emortua, excitatam fuiſſe, Catholicamque effectam. Et nos quoque poſt tot ſecula,pietate illius vigilantiſsima, ſcriptiſque ad vniuerſi Chriſtiani orbis bonum manantibus adhuc fruimur, frueturque poſthac ſemper Eccleſia Dei. Quid non facit,non dicam improbus, ſed Chriſtianus labor,atque vigilantia,ſi ſeriò negotio Domini ſuſcepto,fidelis ſeruus dat talentum ad vſuram,vimque cœleſtis gratiæ in ſeipſo expertus,alijs quoque ſine inuidia,negligentiaúe communicat, ac quaſi de ſuo lumine candelabra aliorum innumerabilia ſine ſuẹ lucis imminutione ſtatim accēdit? Iam quod ad fidei dogmata pertinet, permultum(præcipuè in Gallijs)à doctiſſimis viris eſt ſcriptum: Vtinam tantundē iuuentuti ac rudibus, quatenus ſatis ſit,edocendis, tantundem etiam lachrymis, precationibus, quibus præter doctiſsimas diſputationes Alexander Arium extinxit, pietati,promiſſẹ paupertati , obedientiæq; fuiſſet datum. His enim firmiſsimis machinis nullum eſt cor ſic adamātinū, quin tandem aut expugnetur, aut frangatur.

Greg. Nazian. ratione 2. de ſe ipſo.

Mitto ad te nouas peccatorum indulgentias, quas Gregorius XIII. Pontifex Maximus,præter alias, quas tum ipſe,tum ſanctæ memoriẹ Pius Quintus conceſſerat, ijs impertitur,qui doctrinam Chriſtianam ſeu Catechiſmum per dialogiſmum docent,vti Romẹ, atque propemodum vbiq; fit. His tu indulgentijs ſeu condonationibus vtere,ac fruere: Et pro vita incolumitateque tanti Pontificis, proq; Italia & me ipſo,obſecro ne deſinas ad Dominum orationes tuas continenter effundere. Vale. Romæ ipſo die D. Michaelis Archangeli. M. D. LXXVI.

RATIONES, ET *EXEMPLA, QVIBVS ADduci debeamus, vt inter ſummas quaſque difficultates, atque in locis Hæreticorum, & aliorum, qui nolunt ad fidem aut probitatem redire, negotium diuinum alacriter agere poſſimus ad gloriam Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

1. INITIA bonarum omnium rerum,ſicuti & ſemina rerum naturalium ſolent eſſe minima.Ex ipſarum enim eiuſmodi rerū effectis,& magnitudine,liquidiùs denique agnoſcitur altitudo diuitiarum,& ſapientia benedicti Dei, qui nec multos nobiles,neque multos potentes, ſed infirma mūdi elegit,vt ita magis abyſſus illius magnitudinis clarificaretur.

2. Rerum quarumlibet arduarum(vti naturalium quoq;) progreſſui,temporis ſpatium neceſſarium eſt: Ita enim rebus paulatim creſcētibus ipſius D. Maieſtatis lux, atque cognitio ſuauiter mentibus noſtris illabitur.Quam quidem vnico intuitu perfectæ iam rei,complecti animo non poſſemus,ſicut ſuccedentibus ſenſim crementis noui lucis radij aciem oculorum noſtrorum commodiùs illuſtrant: Præterquam quòd ea, quæ ex illius omnipotentis charitatis officina prodeunt, ſi illicò abſoluta prodirent,non ipſi Deo,ſed alienæ fortaſſis cauſſẹ adſcriberemus, quaſi manus noſtra eſſet excelſa , & non Deus faceret hæc omnia.Nec verò quoniam triticum in terra diu latet,aut ſuper terram aliquos menſes ſine ſpica dūtaxat herbeſcit, idcircò de maturitate deſperamus:alioquin nec parētes plantarent earum arborum ſemina,quẹ non ſibi ipſis, ſed poſteris fructum ſolent afferre.

Accedit,

3. Accedit, quòd,vt agens non agit niſi in paſſum bene diſpoſitum, ita materia præparanda prius eſt, quàm introducatur forma.Neq; enim peritus Medicus eſſe cenſeretur, q ante fortiora pharmaca,ſyrupos, & leuiora medicamenta non adhiberet.

4. Rerum ad conuertendas animas,ac denique ad Eccleſiam vel fundādam, vel(vbi religio concidit)inſtaurandam, ſpectantium firmitas, non ſolùm diuturni temporis ſpatium,verū etiam labores,ſudores, miras vexationes,& ſanguinis ipſius effuſionē ferè ſemper requiſiuit.Nam ita ſe magis diuina vis exerit, dum(quaſi ex alliſis lapidibus ignis) claritas veritatis erumpit, & varij aduerſarij atque certamina,varias virtutem amantibus coronas pariunt.

5 Certiſsimum eſt, ac paſsim in diuinis ſcripturis patet,Dei voluntatem eſſe,vt homines ſalui fiant : Deumque nolle aliud, quàm noſtram ſanctificationem : Itaque quidquid nobis præter peccatum accidit, ad quod humana voluntas cogi nulla ratione poteſt,id nullam habet rationem mali: proinde labores, perſecutiones,verbera,reuera malum nō ſunt: alioquin hæc omnia filius Dei non elegiſſet. Quamobrem & nos eadem in diuino negotio procurando alacriter ſuſtinere debemus, certiſsimi Deum manum ſuppoſiturum eſſe, ne vltra id tentemur, quod ferre non poſſimus , quin cum tentatione prouentum quoque daturum.

6. Sacræ literẹ docent, vt reliquorum, ita proborum,& innocentium hominum peculiarem,à Deo curam haberi: Qui vos tangit(inquit)tangit pupillam oculi mei: & qui habitat in adiutorio altiſsimi,in protectione Dei commorabitur. Hinc fit,vt apud Deum anima vnius eum timentis magis æſtimetur,quàm mille filij impij. Itaq; qui nihil in tota vita ſua ageret aliud, quā vt hominem vnum accuratè vias Domini doceret, is ſanè tanquam Angelus Dei operam ſuam vtiliſsimè poneret. Cùm enim aliquis amicus Dei efficitur,nihil non obtinere poteſt à Deo, qui voluntatem timentium ſe facit. Qui enim apud Principem aliquem gratioſiſsimus eſt,multò plura vnico verbo & momento ab eodem, quàm reliqui plurimi ne multis quidem ſupplicibus libellis, ac diuturno ſtudio aſſequuntur. Notiſsimum autem eſt illud exemplum ancillæ Iudẹæ, cuius vnius opera vti voluit Deus, vt à lepra Naaman Syrus liberaretur , ac Deus verus inter ipſam perfidiam agnoſceretur & coleretur.

7. Firmiſsimè quilibet ſibi perſuadeat bona & ſincera Deo inſeruiendi deſideria, nunquam ſine diuino numine nobis immitti. Ea verò ſi ſedula charitate foueantur, ad exitum tādem à Deo perduci,cuius opera cùm perfecta ſint, is etiam cùm dat velle, largietur haud dubiè & perficere.

8. Exempla veteris teſtamenti hæc omnia comprobant,illudque ingens fidei,& patientiæ Noë,qui centum totos annos arcæ ædificandẹ, ac tantum octo animabus humanis adſeruandis impendit: Vnde poſtea factum eſt,vt & ex inuicta patientia pauciſſimẹ illæ animẹ, totum poſtea terrarum orbem inſtaurarent . Quare non parum ſciat ſe profeciſſe, qui pauciſsimos cū Deo coniungit, eoſque in tuto collocat. Trita verò ſunt reliqua, ſed tamen expendenda, quæ in Moyſi , qui greges paſcebat,in Abrahamo, in cuius ſemine benedictẹ ſunt omnes gentes,& in alijs inter ſummas quaſque difficultates contigere.

9. Chriſtus autem Ieſus æterna Patris ſapientia, totius boni & veritatis fons ſeipſum euidentiſsimum conſtituit exemplar, ex quo rationē expectandi,patiendi,& lucrandi,ſpinaſque, vulnera, & ipſam crucē oſtendit : qua ſcilicet ratione, cùm ipſius regnum fundatum ſit, ita quoque inſtauretur . Quod qui humana induſtria vel verbis tantùm, addito item labore(licet indefeſſo)fundare nititur,is extruit domum in arena, & venerunt imbres, ac flauerunt venti, & ſtrauerunt eam , factaque eſt ruina illius domus magna.

10. Cæterùm cùm hoc opus non currentis ſit,ſed volentis ac miſerentis Dei,expectāda ita Patris hora eſt , & temporis plenitudo, vt cùm in eius manu omnia ſint poſita, nos item ipſos in ipſius manu ponamus, diuinæ eius voluntati oratione primùm,deinde reliquis rationibus ſinceriſſimè cooperantes.

11. Apoſtoli & reliqui antiquiſsimi viri ſancti hanc ipſam Domini ſemitam in Euangelio annuntiando triuerunt. Ac cùm D. Iacobus octo ſolùm animas in Gallæcia Chriſto Domino adiunxiſſet ; vtiliſsimū tamen laborem impendit. Per illos enim denique Gallæcia, magnaque pars Hiſpaniæ conuerſa eſt, & diuinitus factum eſt, vt cùm viuentem Apoſtolum audire noluiſſent, ad eius demortui cadauer, poſtea vndique accurreretur, cuius fidem, & orationem per tot ſecula implorarunt, atque etiam nunc implorant. Ita D. Apollinaris duodecim annos in Rauennæ ſuburbijs demoratus, terque ad eam ciuitatem rediens,licet denique martyrium ſuſtinuerit,operi tamen inchoato conſtantiſsimā operam nauauit. Quare quod viuens efficere non potuerat, decedens ex hac vita conſecutus eſt . Sic Rauennates per tot ſecula inſignem venerantur Doctorem & Patronum, quem non vno ſupplicio ex-

 crucia-

Vide Catalogũ, seu vitas SS. collectas à S. Hier.

cruciarunt. Alij verò, qui varijs & pluribus cruciamẽtis plures annos fuerũt attriti, sic tamen perseuerarunt in orando, vt denique feritate deposita, ciuitates patientiam eorum admiratæ, fidem Christi receperint. Possent nostram socordiam & veternũ excutere, si ij essemus, quales esse deberemus, aut adeò haberi volumus. Cùm verò in primitiua Ecclesia fundãda, Christus Dominus voluerit, vt trecentos totos annos quicunque Pontifices Maximi fuëre, hi pro eius fide Martyrium subirent, sanè intelligitur non esse ignaui, aut commoda, vel studia quærentis propria, salutis animarum procurationem. Illud autem crebro memoria repetendum est, qui sibi colligendis, & abnegandis magis enixè vacarunt, his vsum fuisse in magnis fidei negotijs Deum. Perspicax enim diuinæ maiestatis oculus aptiora instrumenta cognoscit, & deligit, perque eos in momento temporis sæpè efficatiùs agit, quàm diuturno tempore per plerosque homines, qui vel sibi, vel mundo melius alijs sapere videntur. Quòd cùm in alijs multis, tum in D. Antonio præcipuum fuit, qui Alexandriam veniens, breuissimo temporis spatio miram Arianis intulit cladem, quantam fortasse perdocti, & literati multi (licet Catholici) longissimo vitæ spatio non intulerunt.

12. Qui sibi blandientes existimant, si sibi ipsis à labore temperauerint, fore, vt animarum conuersioni diutius operam daturi sint, ij non intelligunt, Apostolos ipsos, quibus pene solis ædificium Ecclesię nitebatur, si id cogitassent, neque sanguinem, nec vitam fuisse profusuros: quod tamen efficacissimum erat antidotum perfidiæ tollendæ, ac fidei stabiliendæ, addo item maiori operariorum numero ad gloriam Dei propagandam excitando.

13. Quin verò multò longiorem vitam vixêre Dei serui, qui tanquam violenti ceperunt ipsius Regnum, quàm ij, qui ætate non virtute vitam metiuntur. Plura enim vna ipsa die vigilantia, & sincerissima diligentia effecerunt, quàm qui otio, socordia, somno, dijudicandisque alijs, dum habent multum quod de se cogitent, in proprijs phantasmatibus marcescunt, id autem liquidiùs cognoscetur, si Beatæ Catharinæ Senensis, & eiusmodi aliorum vitæ curricula æqua lance pendantur, atque adeò cum aliorum istorum vitis conferantur. Sancta enim illa virgo, cùm die nocteque sesqui horam somno daret, resque serias ad Dei honorem & proximorum salutem ardentissima charitate incessanter procuraret, breui certè spatio consummauit tempora multa. Itaque trigesimo tertio anno vitam hanc finiens diutissimè vixit, ac viuit adhuc, cùm eius scripta & facta vniuerso Christiano orbi splendidissimum lumẽ ostendant, ne quid dicam de innumerabilibus bonis, quę in sanctorum cœtu à sponso suo Christo Ecclesiæ procurauit & curat.

Porrò si peregrinationem cogitemus nostri B. Patris Francisci Xauerij, qui fuit vnus è primis decem Societatis nostræ, quantoperè nempè diuinam gloriam alibi, ac gentis remotissimæ salutem vndecim ipsis tantùm annis Indijs orientalibus promouit, intelligemus plurimos etiam bonorũ hominum qui diutissimè vixerunt, ne minimam quidem fructus partem prę illo Ecclesiæ Dei attulisse. 14.

CVR A MVLTIS NON PERcipitur is fructus, qui percipi solet ab alijs, quamuis hi minus pro humano iudicio laborare videantur.

QVò n per sapiẽtiæ diuinæ vias nolũt incedere, q̃ omninò vult, vt in multa patientia, paupertate, nuditate, quotiescunque occasio id ferat, cœlestia feramus. Cũ enim incommodis ob Dei obsequium tolerandis, aut suorum iudiciorum abnegationi nolunt assuescere, minus amantur à Deo, minus ad eius negotia adhibẽtur, qui magis semetipsos quàm Deum, ac magis ea quæ sunt priuatæ voluntatis, & amoris proprij, quàm animarum salutem diligunt. Nam pro animabus proximorum animas nostras (ita Deo volente) ponere debemus. Hinc itaque fit, vt ad ædificium Christi extruendum debitis medijs non vtentes, vix quidquam solidi vnquam ædificent. 1.

Huius verò potissima caussa est, quòd nunquam altè gustarunt, quàm suauis sit cibus, qui de mensa crucis Christi Domini, hoc est, in multa tribulatione sumptus in corde coquitur, vbi scilicet ex charitate animæ quasi esuriuntur, & manducantur. 2.

Aut, quoniam proprij nominis honorẽ (quasi ij sint magni Concionatores, qui frequentes habent auditores, aut multa verba effundunt) tãquam scopum, ac præmiũ suorum laborum stultissimè sibi pręfixerunt. 3.

Aut in curiosis & inutilibus studijs pro eorum curiositate potius quam pro ratione tempus, quę pretiosissima res est, insumũt. Id interim quod præ manibus habẽt, & ad quod missi sunt, fallaci torpore omittentes. 4.

Aut forsan quoniã declinantes alias cõfusiones, indirectè, nec syncerè, vel quæsiuerunt, vel saltem amarunt ipsarum missionũ occasiones, in quibus dũ proprię volũtatis radix virescit, diuina virtus arescit, & Christi voluntati ponitur obex. 5.

6. Aut sese negotijs secularibus falsò boni prætextu implicãtes non intelligunt, vel quid sibi tẽporis ijs in rebus perit, vel quas difficultates, & obicem spiritualiũ negotiorum progressui admouẽt, vel deniq; quã circumspectè cauendum est, ne cœlum terra misceatur ab ijs, qui cùm se cœlestibus rebus prorsus addixerint, proni & præcipites in terrena negotiarunt.

7. Aut superiorum & meliorum consilia sic spernunt, vt de suo capite nouam insinuandæ fidei, & pietatis rationẽ inuehere, aut inuectã sequi, vel hæreticis quoq; principibus præstito aliquo iureiurando temerè, vel callido potiùs astu quã prudẽti simplicitate docere, quæ fidei sunt, audent. In operibus autem (vt S. Basilius inquit) contra præscriptum superiorum factis maius peccatum est, quã bonitas eorundẽ operũ sit, quæ tamen nulla esse potest in insinuandæ fidei alia, quã decet ratione. Sed & æquũ est (ait D. Bernardus) vt qui Deo non obedit, huic inferior pars, id est, caro non obtẽperet. Ac nullo alio vitio præcipitem diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quàm cùm eum neglectis consilijs seniorum, suo iudicio persuaserit, definitioniq; confidere: quemadmodum dixit Moyses apud Cassianum.

8. Aut quòd ea in corporis parte in quã positi sunt, manere nolunt: vel præposterè tractant, quæ essent ordinatè tradenda, vel deniq; ea docere alios volunt, quæ ipsi nõdum percepere, nec verò eos, qui ea norunt cõsulere magna cũ animi demissiõe volũt.

9. Aut verentur, quin si quos ad Christum Dominum & eius Ecclesiam adiunxerint, hi demũ Sacerdotes Catholicos nõ sint habituri, qui eos excolãt. Potẽs autẽ est Deus suscitare ex lapidibus filios Israel. Quare nec destitere Patres antiqui (vt etiam Pater Franciscus Xauerius nostro tempore fecit in Indijs) quò minus aliquibus conuertendis operam suam nauauerint, licet nulla tum spes affulgeret præsentium operariorum; qui verò conuersi sunt, ipsi per se diuina tantùm gratia nixi, à gentilium erroribus diu abstinuerunt, ac non paucos post annos à D. bonitate ad illos missi sunt alij Sacerdotes, qui illos iterum Sacramentis muniuerunt.

10. Aut quòd omissa spirituali cura salutis suorũ domesticorum alijs vacant, cùm qui eam deserit, crudeli sit deterior. certos autẽ pro incertis relinquere, nec ordinatæ charitatis, neque sinceri iudicij, ac proinde nec diuinæ voluntatis est argumentum.

11. Aut suæ quieti, & commodis priuatis eorum vitam prætexunt, qui sese contemplationi dedidere. Ita enim quoniã in eos, qui proximorum saluti vacant, turbatiõnes plerumq; cadunt, studium interioris pacis obtendunt, semetipsos potius quàm alios fallentes. Interea verò meditari nolunt, eos, qui reuera se totos vitæ contemplationi addixerunt, omnia mundana reliquisse: sub aliorum obedientia humiliter ac diu vixisse, incommoda penè incredibilia volenti animo subijsse: fratribus, à quibus fuerat sibi inseruitum diuturna probatione inseruisse: omnem quietẽ vti athletas insuperabiles abs se amouisse. Quo verò tẽpore hęresis, & aliæ persecutiones Ecclesiã Dei oppugnarunt, non defuisse eos qui vita contemplatiua relicta, cucurrerunt ad certanda pro fide Christi bona certamina, sicuti de Aphraate & Isaaco memoria proditum est. Interim autem dum orationi vacabant, maximam vitę partem nullo penè cibo traducentes, etiã in vinea Domini (oblata occasione) strenuè laborarunt. Quòd ipsi quoq; Sanctę Magdalenæ meliorẽ licet partem elegerit, scimus contigisse. 12.

Aut quod sese frustrà tempus terere existimãt, si inter mercatores versantur, quoniam hi ab illicitis commercijs abstinere nolentes, viam sibi salutis præcludunt. Nam & inter tales aliqui reperiuntur, qui pietatis studio incensi exemplo alijs relinqui possint, multa verò alia peccata queunt impediri, quibus sublatis radix vsurarum auaritia ope diuina potest euelli. Ac vt illa euelli non posset, minor certè pœna futura est ijs, qui reliqua peccata dimiserunt, præterquam quod iustificatur diuina iustitia, quando misericordiæ vijs ij noluerunt insistere.

Aut quoniã diuina gratia qua erant ornati cum aliquo mitterentur, hanc aliquo peccato commisso amiserunt, ꝙ nisi celerrima contritione & aperta confessione eluant, cœciores indies fiunt, & in alia peccata grauiora præcipites ruunt. 13.

Aut denique quoniam alijs prosperè negotium diuinum agentibus, non solùm haud congaudent, verùm etiam inuident, quæ fraternæ gratię inuidentia cùm aduersus Spiritum sanctum horribile facinus sit, sanè fontem diuinę gratiæ in illis citissimè exsiccat. 14.

RATIO, HAEC IMPEDImenta amouendi, diuina gratia aspirante.

PECCATORVM propriorum & pronitatum ad malum sedula & assidua consideratio, atque amoris proprij diligentissima extirpatio. Vtrumque autem certè assequimur, si nos nihil ex nobis esse, 1.

nos(vti aiebat S.Catharina Senensis)numquam Deum rogasse, vt nos crearet meminerimus.

2. Ac verò si ex innumeris tentationibus, quibus à Deo sapientissimè permittimur oppugnari, intelligamus, nos si quid ex nobis possemus illas libenter ac sæpè velle amoliri. Quod quando efficere nequimus, sanè quid ipsi simus, facilè cognoscere possumus.

3. Diuinæ bonitatis accuratissima perpensio, quam in bonæ voluntatis largitione agnoscimus, atque item quòd sæpissimè nobis subtrahit occasiones, ne ruamus in deteriora peccata: quod beneficium infinitâ meditandi, & ex animo gratias Deo agendi materiam præstat.

4. Contritionis assequendæ vigilantissimum studium, & non dilata confessio sincerissima peccatorum, cum obfirmato proposito ea relinquendi, & fructus pœnitentiæ dignos faciendi; quam ad rem multum facit, id quod in vitæ Beatæ Catharinę, filiæ Sanctę Brigittæ de confessione integrè facienda, scriptum est.

5. Obedientiæ amor, & obsequium erga eandem obedientiam re ipsa promptissimum impensum.

6. Sedulum proprij muneris studium, eiusque non intermissa vacatio, adhibita diligentia vt idioma eorum, inter quos versamur, addiscamus, quod nisi facimus, cùm certè facilimè pueris Catechismum docendis fieri possit, exiguæ id charitatis, & quasi curtę suppellectilis spiritualis, signum est euidens.

7. Tum verò si memorata præstiterimus, in lumine videbimus lumen, quod veri amici Dei, quasi columnam ignis sibi præeuntem conspexerunt, & secuti sunt ad lucem Christi inter infamiam, & bonam famam, & inter ipsos adeò equuleos, atque horrenda cruciamenta inferendam.

QVOD SI RES AD EXITUM non perducantur, sequentia cogitanda sunt.

1. INPRIMIS verissimè nos esse indignissimos, quos Deus purissimis suis manibus tractet ad aliorum animas conuertendas, tum quoniam sæpissimè erga nostrâ ipsorum salutem frigidissimi fuimus, tum quod diligentissimè æternum aliorum, & nostrum interitum peccando procurauimus.

2. Deinde nos nisi (tanquam Iosue) possimus triginta tres Reges debellare, posse saltem exploratores immittere, qui populo Dei referant, quanta viderint in terra promissionis, vel munus ipsorum exploratorum à nobis posse præstari, vt alios fortiores excitemus ad prælia Domini præliandum. Quemadmodum Eremita ille siue peregrinus fecit, qui ex Oriente veniens auctor fuit, vt Pontifex Maximus in Gallia sacrum bellum ad Hierosolymam recuperandam indiceret.

3. Quòd si ne exploratores quidem esse possimus, saltē ipsas sarcinas custodiamus, Deique operarijs humilem operam præstemus, cùm scriptum sit, æquam futuram esse portionem eorum, qui ad sarcinas remanent, & eorum, qui ad prelium proficiscuntur.

4. Ita quoque nisi ob scelera nostra olim patrata idonei ædificando Dei templo simus, quoniam scilicet (quod Dauidi Regi à Deo obiectum est) etiam ipsi nos sanguinum viri fuimus, saltem aut occasionem præbeamus, aut materiam paremus alijs, vt suo tempore per alios id fiat. Qua in re dignum illud est, quod perpendatur, quod Paulus Orosius libro de arbitrij libertate scriptum reliquit; Ait enim: Aedificari voluit Deus templum nomini suo, & hoc vt non nisi innocens, & bene immaculatus extrueret. Duo ad hoc Reges cunctis viribus eliguntur, vtrique ad adiutorium diuina custodia promittitur: Ad Dauid siquidem dicit Deus: Veritas mea, & misericordia mea cum eo. De Salomone verò testatur: Ipsum elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. Ex his duobus templum Domini vnus præparat, alter ædificat: præparat senex, perficit puer. Dignum est enim, vt sanctum Domini templum sanctus ædificet. Præparat (vt dixi) senex, sed quasi postquam peccare cessauit: perficit puer, sed tamen pene, cùm adhuc peccare nō cœperit. Ille antè peccauit, hic postea. Ille multo peccato ædificare non meruit: iste multum peccando, quod ædificauerat dereliquit, & inter hæc mirabiliter sibi ordinatio sancta disposuit, vt inter duas ætates, quod perpetuum in homine esse non poterat, pro captu temporis inueniret. Hęc ille.

5. Porrò sicut ordinatè, & instanter operari debemus, quæcunque diuino auxilio manus nostra potest efficere, ita applicandæ omnes potentiæ sunt ei rei, quæ tanti momenti est, quanti est salus animarum. Qua de re procurandum seriò esset, vt quę aliquando scripsimus de applicatione potentiarum, ea altissimè perciperemus. Propterea adhibenda est humilis, continua, & fidelis oratio, qua petamus à Deo, vt nostris iniquitatibus parcens, non desistat tamen pro sua ineffabili misericordia meliores in vineam suam operarios mittere, totque innocentium & puerorum necessita-

tes

tes potiùs, quàm nostra peccata respiciat. Hæc autem oratio singulis diebus habita, magnum habebit momentum ad iustissimam iram Dei flectendam.

6. Denique eorum Sanctorum auxilium apud Christum Dominum implorandum est, qui in ijs regionibus, in quibus versamur fidei fundamenta, Deo mandante iecerunt. Quorum Sanctorum vitas meditari multum referret: cum quibus initijs Respublica & cultus diuinus institutus est, ad eadem referenda sit eiusdem instauratio, & ex ijsdem eadem ratio facilimè intelligatur.

MODVS ADIVVANDI proximi, præsertim in locis, in quibus idioma gentis ignoratur.

1. PER interpretem paucissimas aliquas animas initio, quoad eius fieri possit, instituere, quæ quidē inprimis sedulò doceantur, ad quem finē creati sumus, quem item ad finem reliqua omnia creata sunt. Hæc autem tractatio, & quasi Christianæ doctrinæ fundamentum eos etiam qui solo naturali lumine ducuntur mirificè ad cognitionem boni disponit. Deinde quibus medijs æterna Dei sapientia voluerit, vt ad eum finem perueniremus: nempè primùm amouendis gratiæ diuinę impedimētis, quod consideratione fœditatis peccatorum & pœnitentię sacramento fit, postea fidei doctrina addenda est, ad quā symboli declaratio: spei, ad quā orationis modus, & vis: charitatis, ad quam Dei mandata: Gratiæ, ad quam Sacramentorum dilucida & breuis explicatio, pro vniuscuiusq; captu refertur.

2. Præterea dabitur opera, in Christi Domini, Beatiss. Virginis, & Apostolorū vitis explicandis, ac gestis Sanctorum enarrandis, qui Euāgelium primò in eas regiones, ad quas mittimur, inuexerunt, si quando inuectum fuit. Id verò multam fidem dicenti faciet, quòd vix adeò ex omnium animis religionis memoria deciderit, quin aliqua reuerentia erga Sanctorum illorum memoriam ferantur, quorum etiam nomina adhuc vel ipsi, vel ipsorum parentes gerunt. Quamobrem & horum vitas exiguo libello complecti, magnum ad Dei gloriam esset operæpretium, non illas quidem vulgari tātùm Idiomate conscriptas, sed additis propter rudes etiam ipsorum factorum imaginibus, vt & pingi in domibus, & in cordibus altiùs infigi possint. Matres verò, ac nutrices, & reliqui facile per eas antiquę & Catholicę religionis pietatē in infantiū animas instillarent. Ludi verò magistri, & pædagogi omni diligentia informandi erunt, quibus exercitia tradere spiritualia, ac deniq; doctrinę Christianæ non solū vtilitatē, verùm etiā vsum & modum illius tradēdę ostendere, summi ponderis est. Nā & in ea docenda expedit nonnunquā (vbi præsertim, publicè Catholica fides doceri nōdum potest) vt secundā partem doctrinę Christianæ Petri Canisij de Societate nostra declarent, in qua de vitijs declinādis, ac de virtutibus cōparandis agitur. Ita enim fit, vt nō solū ipsi pueri (vel naturali lumine) odio incipientes habere peccata, sese disponāt ad fidei donum accipiēdum vel augēdum, verū etiam eorundē parentes, animaduersa filiorum in melius mutatione erga Ludimagistros sensim afficiātur, & in veritatem ferātur ardentiùs. Post absolutā autem peccatorū & virtutū tractationem, agi poterit de Decalogo, ac de oratione, quā ad rem maximè conferet Dominicę orationis expositio, quę est in fine Catechismi Romani: Ac deniq; Symboli, & Sacramentorum, quantum satis erit. Ea verò, quæ potiùs priuato colloquio cū aliquibus aptioribus, quā scriptis tradenda initio sint, intelliget is, qui ea docebit, cùm in aliquibus locis scripta, si in manus aliorū peruenerint, possint aduersus infirmos persecutionem mouere, vel maleuolis malefaciendi occasionem præbere.

3. Studiosorum adolescentium emissio ad Catholica seminaria, eisq; auxilium & sustentationem non vno è loco procurare necessarium est, atque vtilissimum. Hos verò cùm pietate, tum præmonitionibus, earum præsertim rerum instruere oportebit, quæ maius ab hæreticis negotium Catholicis exhibent, verbi gratia, de vtraque specie, quid verè à veris Catholicis, & obedientibus Ecclesiæ filijs sentiendum & faciendum sit. Quid de Sacerdotum cœlibatu; quid de Missa vulgari, quid fructuum cōsecutum ex hæresibus. Horū porrò alumnorum nō vna ratione tentandi erunt (citra periculum tamē) animi, tum interrogationibus, tū alijs modis, quos diuina lux declarabit. Quoniam verò multę sunt in animis hominum latebræ, & inuolucra, quibus plerique sese Catholicos, aut probos fingunt, cùm reuera non sint, his diligentissimè accepta opportunitate (ne scilicet crederent nos illis diffidere) tractatus aliquis de sinceritate in agendo, & confitenda fide esset exponendus, mēdacijq; & duplicitatis grauitas, ac pœna subinde exponenda, cùm & qui corde crederent, ore autem ob metum, aut ob aliam caussam fidem Catholicam pernegarent, hi hæretici habiti, & damnati sint. Huc autem spectat fraudis illorum detectio, qui se

Catholicos esse, & partes sequi, atq; Ecclesiam Romanã agnoscere mẽdaciter dicũt. At cùm extra periculum sunt, aut aliorum sumptibus studia sua absoluerunt, tum astus fallendi aperitur, vel inquiunt, se pro Catholicis intellexisse Lutheranos, Ecclesiam Romanã intelligere triumphantẽ, vel quandam tertiam, quã pacificam ipsi turbulentissimi fingunt, aut simile aliquid. De quibus omnibus responsiones illæ legendæ essent, quas ad pium quendam Septentrionalem misimus, & iam non semel opera Nicolai Milonij Theologi, & optimi viri edita sunt in lucem. Nec verò solùm emittendi studiosi adolescentes, seu scholastici: verùm etiam ij, quorum ingeniũ aptum ad opificia sit, qui cùm ab aliquibus externis Catholicis & pijs instituti fuerint, si redeant in patriam, alios sui similes possint eadem pietate imbuere. Inter alios verò, si qui bibliopolarum, typographorũ, medicorum, chirurgorum & tonsorum filij, & famuli elici possent, magni esset sine dubio momenti, quod qui minus attentè perpendunt, haud facilè intelligunt.

supra fol. 316.

4. Apud nos quoq; famuli per aliquod tempus erudiendi, qui postea apud eos de quibus maior sit spes in diuersis domibus collocentur. Sanctimoniales item & virgines, si quæ in monasterijs viuunt, per eos quos decet instituendæ erunt, & ad pietatẽ accendendæ: Per has autem bonis monitis, ac libris munitas longè lateq; sine strepitu bonum inter consanguineos, affines, & pios alios homines propagari potest. Ab ijs enim quantò minus timetur, tantò maius bonum plerumq; proficiscitur. Quod sanè re ipsa comprobatum est: Cùm etiam illæmet consanguineos, aut affines suos studiosiùs & cautiùs ad seminaria possunt emittere, aut sedi Apostolicæ commẽdare, si aliqua eleemosyna adiutæ doceantur, qua ratione id efficere, ad quos literas (vel in cifra) mittere debeant.

5. Sacerdotes mutato habitu capta occasione nundinarum, pios confirmare, quorũ catalogus habeatur, & errantes reducere possent literis allatis, & eleemosynis quoque procuratis, quibus omnes alliciant. Vt enim ouem perditam quærere, & super humeris ad caulam referre opus Christianũ est, & ipsius adeò Christi Domini propriũ, ita hoc præstare mirabiles in animis roborandis, & numero piorum augendo vtilitates parit. Huc autem spectat, si quis Episcopus vel suffraganeus clã ad confirmationis Sacramentũ ministrandum, olea benedicenda, professiones sanctimonialium excipiendas, initiandos (si opus esset, magno tamen cum iudicio) futuros Sacerdotes, aliquando excurrerent.

6. Possent aũt qui ad Catholicã Ecclesiã redeunt, captiuos inuisere, solari & iuuare eos qui in nosodochio sunt, & huius generis opera cũ pauperioribus facere, qui quantò despectiores habentur, tantò minùs ab eis metuitur.

7. Cũ verò vexatio det intellectũ, cumq; eò magis beneficiũ sentiant, quò magis inopes sunt, facilè adducũtur, vt credant ijs, quæ dicuntur, & verissima sunt. Quamobrem & earum animas in salutis viam adducere gratissimum est Deo, apud quem non est acceptio personarum.

8. Si quis aũt alicui Cõcionatori aditus pateret, ad verba de publico suggestu faciendum, cogitet, num vtiliorẽ operam suã ponet, si priùs, quæ de ludimagistris diximus, ea tradat. Fieri enim potest, vt re non satis cõstituta, si antequã discipulos sibi colligerit, palàm docuerit, potiùs strepitus, & impedimentũ, quàm promotio rei inchoatæ, expectetur. Sic autẽ priùs exemplar nostrũ Christus, per vicos, & oppida beneficijs, & verbo animas alliciebat, quã se publicè Hierosolymæ proderet. Literis itẽ scribendis circumspectè, & cautè mittendis debent, ac possunt in fide roborari ij, quos Dominus Iesus cõuertit. Quod & in ipsis triremibus, & cum captiuis fieri posse, vel Africa, & inter Turcas vsu probatum est.

9. Sed & ipsæ literæ sine subscriptione loci & personæ aliquando magno cum fructu missæ sunt, vbi cum pietate aliquibus atque prudenter scriptæ fuerunt.

10. Librorũ porrò pro captu & ratione variorũ hominum magnus habeatur numerus, qui quidem cõpacti sint, atq; hi diligenter, & suo tẽpore tum distribuãtur, tum distribuendi pijs relinquantur, inter hos autem sint, qui Sacerdotibus, qui virginibus, qui ludimagistris, & alijs sunt necessarij.

11. Inter modos aũt adiuuãdi proximi, gratissimũ Deo opus esset, si serui & mãcipia, quæ sclaui dicũtur, ad eum finẽ emerentur, vt salui fieri posset, in idq; sumptus, qui in superuacua impẽdũtur, impẽderentur, vel etiã totum patrimoniũ ei rei dicaretur: si enim cõsulit Christus, dandũ esse pauperibus quicquid habemus, si volumus esse perfecti, quidni optimũ genus pauperũ illæ Dei creaturæ sunt, quibus non solũ corporum, verùm etiã animarũ necessaria desunt? Hic verò iuuandi proximi modus non nouus est: In Apostolicis enim cõstitutionib°, id Apostoli Spiritu S. ducti ad monuerunt, cũ lib. 2. ca. 62. earũ à S. Clemẽte Romano ita scriptũ sit: Christianus enim nihil debet in nũdinis impẽdere, nisi in mancipiolũ emẽdo, vt animã eius saluã efficiat, & in quædã alia mercanda ad necessitatem naturæ.

12. Orationis modus qui pios docebitur, eò

eò inprimis spectet, vt Deus non solùm aperire ostium fidei, verùm etiam media reuelare, ac de manu sua liberalissima præbere dignetur, quibus id effici ad diuinam gloriam possit.

LIBRI QVI IDENTIDEM *legendi sunt ab ijs, qui de negotio fidei versantur in missionibus.*

1. PRæter instituti, pprij cõstitutiones, regulas, & instructiones, aliquid diuinæ scripturæ quotidie legatur eum ad finem inprimis, vt nos immaculati efficiamur.

2. Ex vitis Sanctorum Patrum illæ potissimum attentè legantur, in quibus opera, & charitas ardentior continetur, qua proximorum salus procurata est. Horum autem qui diriorã, & longiora tormenta perpessi sunt, qualia S. Clemens Ancyranus pertulit, qui vicies octies martyr fuit, cùm viginti & octo annorum spatio mira cruciamenta perpessus sit.

3. Reuelationes S. Brigittæ, ac præsertim harum tertius liber admirabilis, & solidæ ac cœlestis doctrinæ plenus.

4. Omnia scripta S. Catharinæ Senensis, præcipuè verò Epistolæ diuinitus certè dictatæ, ac Dialogi etiam Latinè Ingolstadij nouissimè editi.

5. Gerson de imitatione Christi.

6. Quæ verò ad hæreses refellẽdas, vel item ad pietatẽ insinuandã ratio in sacra scriptura, & patribus perlegẽdis adhiberi debeat, ea in libello responsionũ ad septẽtrionalẽ, de quo supra locuti sumus, continentur.

LOCA QVÆDAM INSIGNIA, *quæ aliquorum dierum spatio, posset qui versatur in missionibus meditari.*

Ex Euangelio S. Ioannis cap. 15.

SIcvt palmes nõ potest ferre fructũ à semetipso, nisi mãserit in vite, sic nec vos, nisi in me mãseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructũ multũ: Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me nõ manserit, mittetur foras, sicut palmes & arescet, & colligẽt eũ, & in ignẽ mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quod cunque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli.

EX LIBRO PAVLI OROSII *de libero arbitrio*

AT si vis aperti° accipere testimoniũ, quia cũ vtiq; possit Deus, tamẽ, p ipsa sua ordinatione non faciat, dicit ad Petrũ: An putas me non posse modo rogare patrẽ meum, & exhibebit mihi plusquã duodecim legiones angelorum? Sed quomodo cõplebuntur scripturæ? Quia sic oportet fieri. Vides ergo, quia operator temporis tempe rat virtutes, & ratio dispositionis miscet potentiæ patientiam. Deinde ait Dominus: Reconde gladium in theca: Fieri enim nõ potest, vt calicem quem mihi dedit pater, non bibam illum: Et tamen Deus nihil nõ potest, nec est quicquam quod non faciat, nisi fortè quod nolit, non oporteat, non proponat.

EX REVELATIONVM *S. Brigittæ lib. 4. cap. 31.*

MAter Dei loquitur: Qui cõducit operariũ ad laborandũ, dicẽdo ei, porta arenam de littore, & inquire in quolibet onere, si fortè ibi inuenire poteris granum auri, non minor erit merces eius, si nihil in ueniret, quàm si reperiret multum. Sic est etiam cũ illo, qui verbo & opere ex diuina charitate laborat ad profectũ animarũ, non enim erit minor merces illi, si nullos conuerterit, quã si multos: sicut Magister dixit exemplũ: Ille, inquit, bellator, qui ad præceptũ Domini sui egrediens ad bellum, & habens velle fortiter dimicandi, rediret sauciatus, nullum habens captiuum, non minorem mercedem obtineret amisso bello, propter voluntatem bonã, quàm si victoriã fuisset consecutus. Sic est etiam cum amicis Dei. Nam pro quolibet verbo & opere quod faciunt propter Deum, & vt animæ emendentur, nec non & pro qualibet hora tribulationis, quam patiuntur propter Deum, coronabuntur, siue multi conuertantur, siue nullus.

B. PATRIS NOSTRI IGnatij Loiolæ Iesu societatis fundatoris dictum, obseruatu dignissimum, de ratione conficiendorum arduorum negotiorum ad Dei gloriam.

SOlebat dicere nonnunquã B. ille Pater, se in difficilibus quibusque negotijs ita rẽ totis viribus Deo cõmendare cõsueuisse, ac si nulla humana industria, nulla alicuius cooperatio ad ea cõficienda præter Deum ipsum esset necessaria, aut adhibenda. Cũ verò id faceret, tum ita cooperari se solitũ ad eadẽ ad exitum perducenda, ac si nihil Deus in illa cõferret, nempè cũ sciret Deũ inprimis esse cognoscendũ auctorem omnis boni, ac sine quo nihil effici possit: intelligebat itẽ quãdo diuina eius sapiẽtia cooperationẽ exigit suarũ creaturarũ, istam cooperationẽ toto pectore esse ad rem adhibẽdam. Sic arduarum quarumcunq; rerum ad Dei gloriam spectantium aiebat, semper exitum se esse consequutum. 1.

Videat deniq; sitiens animarum salutẽ, quæ de Origene illo doctissimo scribit Nicephorus: Ille enim Origenes, cùm plures 2.

atq;

atq; ipſum ſuum genitorem martyres præmiſiſſet in cœlum, ſummoſq; labores in cōuertendis animabus pertuliſſet, ita vt è domo in domos per foramina clàm ad fidem piorum fouendam, inter ſumma pericula penetraret, tandem, quia humilitatem ac ſeipſum non cuſtodiuit in multos errores miſerrimè cecidit. Itaq; qui ſtat, videat ne cadat. Et qui mittitur, caueat ne exeat extra ſe.

3. Si verò laboris, aut ſolicitudinis, & periculorum eum tædet, cogitet, num reuera credat purgatorium eſſe, atq; an multa centena annorum horridarum pœnarum, cum momento laborum huius vitæ libenter vellet commutare.

4. Singulis porrò diebus non ceſſet illud Apoſtolicum orare: Domine adauge nobis fidem.

DEO SIT GLORIA IN æternum, & vltra.

HYMNVS AD *CHRISTVM SALVATOREM à Sancto Clemente Alexandrino compoſitus, è Græco verbatim nulla verſus habita ratione traductus; pro pueris rectè inſtituendis.*

FRENVM pullorum indocilium,
Penna volucrum non errantium,
Verus clauus infantium,
Paſtor agnorum regalium,
Tuos ſimplices,
Pueros congrega,
Ad ſanctè laudandum,
Sincerè canendum,
Ore innoxio
Chriſtum puerorum Ducem.
Rex Sanctorum,
Verbum, qui domas omnia,
Patris altiſsimi,
Sapientiæ rector,
Laborum ſuſtentaculum,
Aeuo gaudens,
Humani generis
Saluator Ieſu,
Paſtor, arator,
Clauus, frenum,
Penna cœleſtis
Sanctiſsimi gregis.
Piſcator hominum,
Qui ſalui fiunt.
Pelagi vitij
Piſces caſtos
Vnda ex infeſta
Dulci vita ineſcans.
Sis Dux ouium
Rationalium paſtor
Sancte, ſis Dux,
Rex, puerorum intactorum.
Veſtigia Chriſti,
Vita cœleſtis,
Verbum perenne,
Aeuum infinitum,
Lux æterna,
Fons miſericordiæ,
Operatrix virtutis,
Honeſta vita,
Deum laudent, Chriſte IESV.
Lac cœleſte
Dulcibus vberibus
Nymphæ Gratiarum
Sapientiæ tuæ expreſſum
Infantuli
Ore tenero
Enutriti.
Mammæ rationalis
Roſcido ſpiritu
Impleti,
Laudes ſimplices,
Hymnos veraces,
Regi Chriſto,
Mercedes ſanctas
Vitæ doctrinæ,
Canamus ſimul.
Canamus ſimpliciter
Puerum valentem,
Chorus pacis,
Chriſto geniti,
Populus modeſtus,
Pſallamus ſimul Deum pacis.

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM HVIVS OPERIS.

A.

Lll ptu-

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H

I

N

O

P. Pader.

P.

Pur-

Q.

R.

S.

T.

V.

Z.

FINIS.

MARTINI BRONIOVII, DE BIEZDZFEDEA, BIS IN TARTARIAM

NOMINE STEPHANI PRIMI
POLONIAE REGIS LEGATI,

TARTARIÆ DESCRIPTIO,

ANTE HAC IN LVCEM NVMQVAM
edita, cum tabula geographica eiuſdem
Cherſoneſus Tauricæ.

Item,

TRANSSYLVANIAE, AC

MOLDAVIAE, ALIARVMQVE VICINARVM REGIONVM
ſuccincta deſcriptio GEORGII A REICHERSDORFF, Tranſſyluani,
cum tabulis geographicis tam Moldauiæ, quàm
Tranſſyluaniæ.

Præterea,

GEORGII VVERNERI DE ADMIRANDIS
Hungariæ aquis hypomnemation, addita tabella lacus mirabilis ad
CIRKNITZ.



COLONIAE AGRIPPINAE,
In Officina Birckmannica, ſumptibus
Arnoldi Mylij.
ANNO cIↄ. Iↄ. XCV.
Cum gratia & Priuilegio S. Cæſareæ Maieſtatis.

SERENISSIMO AC INVICTISSIMO PRINCIPI, DOMINO D. STEPHANO DEI GRATIA REGI POLONIAE, MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, Prussiæ, Massouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Principi Transsyluaniæ Domino Clementiss.

MARTINVS BRONIOVIUS DE BIEZDZFEDEA HVMILLIMA AC PERPETVA

officia sua commendat, triumphum perpetuum & incolumitatem longæuam à Deo Optimo Max. precatur.

SÆpenumerò cogitanti mihi, Serenissime Rex, quonam memorabili ac laudabili studio illud tam præclarum siquid in me eluceat virtutis testimonium, quod Maiest. V. anno pręterito ad Mahometem Chereium Chanum Tauricanorum seu Piræcopiēsium Tartarorum Principem binis legationibus me ornare dignata est: pro meo ingenio ac perpetuo fidelitatis officio M. V. cōmendare possem: omnique ingenij, prudentiæ, dexteritatis, fidei, virtutis, laudis, maximique consilij cumulatissimorum, amplissimorum, atque erga me propensissimorum Senatorum Petri Miscouij Episcopi Cracouiensis, Nicolai Mieletij Palatini Podoliæ, ac exercituum Regni Generalis Capitanei, Ioannis Zamoscij Regni supremi Cancellarij commendatione, qua me in præterito Regni conuentu Varsauiæ in Secretarium & Aulicum M. V. commendarūt. In primis verò laudabili vereque animi Regij Maiest. V. pręclaro ac optimo desiderio, quo in peruestigandis gentium externarum, pacis, bellique moribus & legibus, inq; locorum eorum

ſitu indagando M. V. tenetur, apprimè ſatisfacerem, etſi pro tenui ingenio & dexteritate, quam deſideratiſſimi parentis mei viri prudentia, ac eloquentia præſtãtis mors immatura mihi præcluſit, cùm non artium excolẽdarum ſtudio vacarem, quod D. memoriæ Sereniſs. Sigiſmundi Auguſti Regis Domini clementiſſimi aulę miniſterio tenebar. Ac propter gentiũ earum, quæ in Taurica ſeu peninſula illa extitère, omni ęuo ferè obliuionem, annaliumque difficultatem, pro quibus ſummo cum ſtudio à clariſſimo ac prudentiſſimo Senatore præclariſſimarum rerum hiſtoriarumque ſtudioſiſsimo indagatore Cancellario Regni admonitus: à Chriſtianis, quorũ obſcuræ ac prauæ admodum ibi extant reliquiæ: ac ipſis etiã Barbaris nullo operæ pretio enitebar illud propoſitum meum, vt par eſſet, deſcribere minimè potui. Enimuerò dum Regiæ Maieſt. Veſtræ nomine ac Reipub. apud Chanum legatione diuturna fungor, detineorque, omni occaſione, modo ac ratione ſumma cum difficultate, ea indagare & luſtrare ac tenui ſtylo annotare, Maieſtatiq; Veſtræ Domino clementiſs. priuatim offerre propoſui: Præſertim verò cùm pacis belliq; mores & leges, regionumque Tartaricarum ſitus M. V. ampliſs. imperio contiguus & cognitu perneceſſarius eſſe cenſeatur. Siquidẽ maiores noſtri malignitate quadã temporum, aut potius maxima tum rerum ſuarum perturbatione & mutatione ducti, neceſſitudines eas, quas vtinam à patria noſtra Deus procul auertiſſet, cum populo eo barbaro ac feroci inière. Etenim ea gẽs rapaciſſima & famelica non iuriſiurandi ſui, non fęderum

vel amicitię, verùm commodi rationem ducit, rapinis iniquo perpetuoq; bello ſemper victitat. Nec mirum eſt, in re bellica dexteritate miraq; alacritate eam vti, quam prorſus innatam habet, præſertim cùm minimè egregios vel ſtrenuos viros eos, qui bellica virtute, gloria, vel felicitate aliqua cumulati non ſint, cenſeat: Imò nobiliores quoque ac Principes ipſos à virtutibus bellicis alienos penitus contemnat. Tauricæ vel Cherſoneſi quondam celeberrimi Imperij, quod per multa ſæcula clariſſimi & ampliſſimi populi ac ipſa gens Gręcorum adminiſtrabat, dolendas & grauiſsimas ob nefanda in Deum hominesq; improba & maxima eorum ſcelera, quæ non ſinit inulta eſſe Diuinum Numen, mutationes. Ac peninſulam eam vt clariſſimarum nationum coloniam, Principumque Imperium extitiſſe, ad extremum verò in barbaricum tyrannicumq; Turcicum & Tartaricum geminum, proh dolor, Imperiũ deueniſſe, non ſine pio & acerbo animi dolore pro virili ſtudio meo annotaui. Quod quidem ſtudium meum vt S. R. M. ſuſcipere, ac me benignitate ſua Regia complecti velit, maiorem in modũ rogo. Cæterùm Maieſtatem Veſtram Regiam ad gloriam Dei quàm diutiſſimè valere, atque Reipubl. noſtræ Polonæ, patriæ nobis dulciſſimę quàm feliciſsimè noui anni huius auſpicijs præeſſe cupio, & opto. Dat. in Taſſarlagano pago Tartarico, die 1. menſis Ianuarij à Chriſto incarnato anno M. D. LXXIX.

INDEX RERVM PRÆCIPVARVM, QVAE IN HIS OPVSCVLIS CONTINENTVR.

TABVLA SEV TYPVS CAPORV CHERSONESVS TAVRICÆ SEV PENISVLÆ



MARTINI BRONIOVII DE BIEZDZFEDEA, AD TARTARVM LEGATI,

TARTARIA.

CAMPI SAVRAMENSES ET OCZAcouienſes, qui inter Bogum & Neſtrum fluuios ſiti ſunt.

BRATISLAVIA ſeu Braslauia oppidum in extremitate Podoliæ, quod etiamſi cum arce ſatis obſcurum & humile ſit, verùm incolas quingētos, & amplius Sclopetarios optimos, ac cum Scytis crebris leuioribusq; prælijs bene verſatos ac exercitatos præſidij quaſi loco perpetuò habet. Illi in Campis ductores viarum peritiſsimi ſunt, à Tartaris ac Kozacis, qui in campis perpetuò vagantur, prælia & pericula, ſi eis comitatu impares ſunt, euitare probè norunt. Ex Bratislauia non admodum denſis ſyluis, milliaribus aliquot ad Silnicam riuulum, in quo loco Bratislauienſes propter Perecopienſium, Oczacouienſium, & Bialogrodenſium Tartarorum incurſu, Valachorumque perpetuas agunt excubias, Bogo vel Hipani fluuio, penes Oczacouiam vſque itur: proinde ad Treſtenetium, Berſadum, Olſancam, Sauranam, vnde campi Sauranenſes dicuntur, riuulos, Oniſlionis cuiuſdam ignobilis Ruſci Aluearium, in quo altiſsimæ quercinæ arbores apparent. Demum in Bogo pōs lapideus & balneū, quod Vitoldi magni ducis celeberrimi ac bellicoſiſſimi Principis Lituaniæ quondam fuiſſe perhibetur, ruinæ lapideæ, teſtudines & ſepulchra, quæ Turcica vel Tartarica fuiſſe dicuntur, ac vulgo Ceſſennia, quaſi monumenta appellantur, viſuntur. Codemam Romani cuiuſpiam Ruſci idiomate Dolniam Horofoſſam Horodiſſe vel territorium ruinoſum lapideum, quod illi Pritolce ſeu propugnaculum nominant, ac ibi Sinavvoda quaſi cæruleus riuulus, vulgo ita dictus, Bogum influit. Probite vel porta potius inacceſsibilis natura loci ita facta inſula, ſaxoſa in Bogo, à ripa vtraq; montoſa, quam fluuius vndique circumluit, eaque ſatis ampla locique natura munitiſſima eſt, quæ noſtris hominibus à Tartaris & Valachis receptui tutiſſima eſt, hominesq; plurimos illa capit. Præſertim verò Bratiſlauienſibus annis ſingulis in ea menſibus aliquot piſcantibus præſidij quaſi loco eſt, ac in ea ducenti vel paulo minoris Comitatus Sclopetarij in Aprili & Maio ac Iunio menſibus, in alijſque in Bogo inſulis, quibus ille plurimum abundat, multi admodum ſemper reperiuntur. Cermencucum lapideam ruinam ad Bogum ſitam Certelnam minorem amnem Luceorum, nam Luceorum ferax eſt, appellant Pieſcanibrod, ſeu Arenoſus vadus, quem cùm in confines Podoliȩ veniunt Tartari tranſeunt, in Bogo fluuio apparet. Cerciceſſeniam Turcæ Getriceſſenia vulgo dicitur, illa cuiuſdam Tartari vel Turcæ locupletioris mercatoris ſepultura fuiſſe perhibetur, ac ex lapide cæſo & polito, ac ſumptuoſo opere in Mahometicum cultum facta erectaque, nunc etiam à viatoribus conſpicitur. Certelnam maiorem riuum Capcacleium arcem collapſam ſeu ruinoſam, ac ibi Capcacleius fluuius Bogum influit, plurimosque lacus habet. Hancocricum, ſeu vt Tartari Chamriuum

Sclopetarij Bratiſlauienſes.
Viarum ductores.
Bratiſlauienſium in Campis excubiæ.
Bogus fluuius.
Sauran fluuius.
Oniſlionis Aenca.
Pons in Bogo & balneum.
Vitoldus magnus dux Lituaniæ.
Turcica & Tart. ſepulchra.
Codema Dolniæ.
Pritolce
Sinavvoda.
Probita inſula.
Sclopetarij piſcatores.
Cermencucum ruina.
Certelnā f.
Pieſcanibrod.
Cerciceſſenia ſepultura.
Capcacleius arx & fluuius.
Hancocricus riuus.

[Lacus Berezania.] cum vocant, nam locus ille ſaxoſus eſt, & riuis limpidiſſimis abundat. Berezaniam lacum canoſum, qui ex aduerſo Oczacouiæ mari Euxinio vel Pontico, & Boriſtenis ſeu Nepri fluuij in mare ſeſe eo exonerantis meatibus proximus eſt, & alluitur. [Camporum diſtantia.] Ille campus quinquaginta vel amplius milliaribus bene emenſis, ſex vel ſeptem dierum vel dietarum, vt illi computāt, expedito viatori iter acceleranti Bratiſlauia Oczacouiam vſq; conſtat. [Feræ campeſtres.] Feras, biſontes, alces, equos, ceruos, arietes, qui vnicum tantùm cornu habent, capros, apros, vrſos campeſtres habet. [Ferarum interitus.] Etſi à decēnio, vel paulò amplius, hiemis aſperitate, niuiumq; magnitudine, fame ac ſiti plurimæ admodum enecatæ fuiſſe dicuntur, earumq; in campis ingentes oſſium acerui reperiuntur. Tum etiam ouium, boum ac equorum Turcicorum, & Tartarorum greges innumerabiles, qui ibi perpetuò paſcebantur per Ruſciæ, Volſiniæ, Kiouiæ, Podoliæ & Moldauiæ finitima, eoſq; prorſus licentioſos homines, nō ita pridem penitus deleti ſunt. [Kozaci licentioſi.] [Mogilij ſeu tumuli.] Cozles ſeu tumuli vulgò Mogilij dicti altiſſimi maximi & frequentiſſimi maximorum ac cruentiſſimorum, vt plurimi aſſerunt, ac veriſimile, rationiq; conſonum videtur, quondam bellorum certiſſima ſigna; ſeu illuſtrium virorum ſepulturæ cōſpiciuntur. [Vbertas cāporum.] Ille cāpus ſolo fertiliſsimus eſt, plurima loca ad colendum inhabitandumq; cōmoda aptiſſima, amœniſſimaque habet, gramina & herbas natura & amœnitate loci odoriferas, præſentiſsimasque ad paſcendos infinitos iumentorum vel animalium greges profert. [Camporum ſitus.] Ad confluentem Bogi plurimis in locis montuoſus, quoad verò ex parte ſylueſtris, verùm in patenti ad Neſtrum vel Tyram fluuium Moldauiæ vionium planiſsimus, omninoque campeſtris eſt, maiorique ex parte lignis caret.

MOLDAVIAE SEV VALACHIAE INFERIORIS *pars, quæ olim Beſſarabia dicta fuit.*

EX confinibus autem Podoliæ, Moldauiæ, ſeu Valachiæ vicinis, Cametiam, Chotimum, Sorocham, vel Olchioniam, verſus Palatini Moldauiæ oppida, & arces ad Neſtrum ſitas peruenitur. [Prutus fluu.] Proinde Pruto ſiue Hieraſo Moldauię fluuio traiecto Stepanouetiam, vel Iaſsi primarium Valachię oppidum, vel rectius ad Prutum Techniam oppidum, & arcem Turcicam, [Technia arx & oppidum.] non ita pridem ad Confluentem Neſtri munitam, ac ibi Techinienſes vel Moldauici in Neſtro traiectus aliquot recta in cāpos reperiuntur. [Techinienſes traiectus.] [Lacus Vidouo.] Vetinens verò per lacum Vidouo, ſeu Obidouo dicitur, quem quidam ab Ouidio nuncupatum fabuloſè fortaſsis autumant, qui latiſſimus eſt & in Pontum Euxinum in eo loco exoneratur, eumque ex aduerſo Bialogrodi, à veteribus Moncaſtrum ea arx & ciuitas dicebatur, [Bialogrodū Tartariçarx & ciuitas.] quæ non ita pridem à multis annis Valachorum ſeu Moldauorum Regulis à Turcis erepta & poſſeſſa eſt, Tyras influit. [Turris Neoptolemi.] In ipſo Tyræ ſeu Neſtri oſtio turris lapidea exiſtit, quam Neoptolemi & vicum Hermonactis, ac in vtraque Tyræ ripam Ciuitates duas conditas Niconiam in dextra, à læua verò Ophiuſam nominatas eſſe ex Aſtrabone liquet. [Ophiuſa.] [Maiaci traiectus.] Ex aduerſo itaque Maiaci traiectus, ille Bialogrodo nauibus in campum Bialogrodenſem, & Oczacouienſem ſuperatur. Militem quendam Maiacum ibi fuſſe fabulantur, ac in eo loco Neſtro traiecto in ripa lapidei parietes ruinoſi, & quaſi quædam ruinæ apparent, eam ruinam Turrim Neoptolemi fuiſſe Strabo refert.

(·.·)

CAMPI BIALOGRODENSES ET OCZACOVIEN. QVI *inter Tyram & Boriſthenem fluuios, ac ad mare Euxinum ſunt.*

DEmum verò Beribonium Turcæ; aliâs Licaſtemum Colum lupinum appellant. [Beribonīū.] locus ille foſſas altiſſimas & ampliſſimas mari vicinas, lacus & riuos amœniſſimos habet. [Cacibiei.] Cacibiei Horodiſæ, quaſi territorium collapſum, quem lacus ampliſſimus ad Confluentem Neſtri mari vicinus alluit, ac ibi portus non ignobilis quondam ſecundo Neſtro extitiſſe memoratur. [Adzigoli.] Adzigoli ille locus tres foſſas celebres, lacus amaros & ſalſos quā plurimos mari proximos habet, ibiq; magna vis Kozakorū perpetuò cōfluit, mutuiſq; bellis & cædibus frequentiſſimis concidunt. Idcirco ille locus viatoribus adeò terrori eſt, vt in eo non ſolùm per noctem quieſcere, verùm ne pabulari quidem ſatis ſecurè habeant. [Locus à Koſacis minus ſecurus.] Nam non raròaccidere ſolet, vt quod ſi non Koſacones ipſi, cadauera tamen hominum ibi ſæpè reperiantur. [Domnina Dolnia.] Domnina Dolnia ſeu foſſa, quę maxima & ampliſſima lacubus & riuulis limpidiſſimis frequens eſt Berezani lacu anguſtiſſimo, verùm profundiſſimo, ac ibi in ſinum Carcinitum & mare Ponticum ſeſe exonerantis traiectu ſuperato Oczacouiam peruenitur. [Traiectus Berezani. Sinus Carcinitus.] Berezaniam lacum, & Carcinitum ſinum Tamiraci & Carpanei ſinum ſeu lacum fortaſsè nuncupatum eſſe Straboni placet. Ab oſtio Tyræ fluminis inſulam Leucam intra pelagus eductā interuallo quingentorum ſtadiorum diſtare, ac Achilli ſacram nuncupatam eſſe Strabo aſſerit, quæ in eo Berezani lacus traiectu optimè à viatoribus cōſpicitur. Boriſthenē fluuium ad ſtadia ſexaginta inde diſtare, & amnem Hypanim ſeu Bogum ei vicinum eſſe, ac inde oſtium Boriſthenis Inſulam quandam exiſtere, in qua portus quondam fuit, idem Strabo memorat.

OCZACOVIA ARX ET OPPIDVM.

OCzacouia, quæ Olbia, Olbis & Beriſthenes Olbiopolis quaſi beata ciuitas à Ptolemęo & Plinio dicitur ad Boriſthenem Carcinitū fluuium ſeu ſinum ſita eſt, ac in eum ſinum mari Euxino vicinum Boriſthenes ibidem exoneratur, quam à Miletijs conditam eſſe, & amplum emporium habuiſſe Strabo refert. Arx lapidea, nec bene tum munita, oppidum ignobile Turcarum ditionis eſt. [Boriſthenes fluuius.] Boriſthenes ſeu Neprus altiſſimus, rapidiſſimus & latiſſimus fluuius qui à Septentrione labitur in Carcinitum ſinum ſeu fluuium ac Pontum Euxinum penes Oczacouiam influit. [Bogus Boriſthenem influit.] Supra Oczacouiam verò milliaribus quatuor Hipanis ſeu Bogus fluuius in Boriſthenem exoneratur. [Traiectus Boriſthenis] Ad Oczacouiam verò per Boriſthenem & ſinum Carcinitum ſtadijs ducentis (vt vult Strabo) traiectus latiſſimus, & nauibus maioribus ac minoribus in Iſthmum ibi ſuperatur. [Turcarum Imperatoris vectigal.] In eo traiectu & tranſitu à peregrinis, & mercatoribus vectigal perpetuum Imperatori Turcarum ſoluitur.

ISTHMVS, QVI INTER PONTVM EVXINVM *& Boriſthenem eſt.*

COntinens, ſeu Iſthmos ab antiquis ita dictus inter Pontum & Boriſthenem anguſtiſsimus vnius diei itineris ſpatio admodum arenoſus, collibus, lacubus, paludinoſis ſalis fodinis, [Salis fodinę] ac ibi per Boriſthenem ſal deportatur, arbores etiam humiles virgultis paruis inſertas habet. [Feræ campeſtres.] Ceruis, vrſis, capris, & apris campeſtribus frequens admodum eſt.

TARTARICA TVGVRIA, ET MANENDI ILLORVM in Campis modus.

ISTE Continens agris, pratis, tugurijs Tartaricis, quæ vulgo vlusi à Barbaris nominantur, ac vt pagi ex tenuissimis lignis, limo vel cœno stercoribusque pecorum seu animalium obliti, facti, & arundine tecti sunt, & Perecopiam vsque milliaribus amplius triginta extenditur, riuisque abundat.

Tartarorum domus.

Verùm æstate & in autumno Tartari in eis tugurijs non degunt, nam in Aprili cum vxoribus, liberis, familia, mancipijs ac domibus, quæ rotundæ penulis obsitæ quatuor vel quinque hominibus ad degendum vix commodæ sunt, & in carris rotis duabus sustentatis, camelis duobus, vel vno, vel bobus itidem cum familia, & supellectili vehūtur. Camelos, equos, pecora, & oues, innumerabiles greges secum dúcunt, alios verò commodioribus in pascuis relinquunt. Perecopiam verò inter Boristhenem & mare Euxinum, vel extra Perecopiam non raro in Tauricam ipsam, vel ex aduerso Perecopiæ Ossouum seu Azaphum (vt Turcæ vocant) oppidum ad Confluentem Tanais, vel Doni rapidissimum, & maximum fluuium à veteribus quondam Græcis, proinde Genuensibus Italis cum arce munitum, ac non solùm ibi præsidio firmissimo Imperatoris Turcarum, verùm etiam eius loci Præfecto imposito à Turcis habitatur, erectum contendunt. In Isthmum seu campos planissimos, & maximos eos, qui inter Boristhenem ac Meotim Paludem, ac mare Ponticum sunt, ac in Peninsulam ipsam de loco in locum ad pascua commodiora semper progrediuntur & migrant. Verùm in Octobre frigoribus, imbribus ventisque perpetuis sæuientibus ad tuguria ea rursus redeunt. In primis enim à Kozacis Nizouijs nostris hominibus, quod secundo fluuio in cymbis ibi vagantur inde nuncupatis, ac ijs Sclopetarijs, qui æstate & autumno in Boristhene in cymbis maioribus & minoribus perpetuò vagantur, subitasq; & damnosas in eos incursiones faciunt, magnopere sibi metuunt. Attamen frugibus & graminibus collectis Boristhene glacie cōcreto cum familia proprijsq; animantium gregibus commodius per hyemem statuta sua habere solent. Isthmum illum Zenonis Chersonesum Ptolomæus vocat. Et Strabo ad telluris magnæ Chersonesi eum adhærētem, Roxanos scribit & Roxolanos, quos nos Russos seu Rutenos nunc dicimus, in campis illis inter Tanaim & Boristhenem pascua herbosa semper sectatos memorat. Ac aduersus Mithridatis Lupatoris ductores Tassium, Palacum, & Selurum socios belligerasse, & cùm pugnacissimi iudicarentur, Barbara (inquit Strabo) natio omnis infirma prorsus apparuit, & quinquaginta millibus aduersus sexaginta millia militariter acie instructa ductu & auspicio Diophantis ducis Mithridatici resistere ac sufferre impetū non valentes, maxima ex parte trucidati sunt. Galeis, thoracibus, & scutis ex crudis boum corrigijs eos vsos fuisse, ad percutiendūque lanceas, arcus & gladios habuisse scribūt. Tentorijs centonum instar pilo contextis vtebantur, in plaustris vitam degebant, & circum tentoria pecora comitabantur, à quibus victum capiebant. Lacte, caseo, & carne vescebantur. Tartari illi etiam eadem ratione ferè vitam degunt, agros tamen non paucos illi nunc habent & colunt, herbas etiam non raro colligunt.

Ossouum arx & oppidum ad Tanaim fluu. — *Meotis Palus.* — *Kozaci Nizouij.* — *Tartari Kozacos metuunt.* — *Roxani seu Roxolani.*

TAVRICA CHERSONESVS, ANTIQVIS MINOR TARTARIA, Barbaris Gadzaria, Perecopia Arx & oppidum.

PErecopia à Veteribus Græcis Eupatoria Pompeopolis, sacrus lucus, Dromon vel cursus Achillis, seu Græcida, Heracleum vel Heraclea appellata in confinibus Tauricæ, seu Scythicæ Chersonesi, vel peninsulæ dictæ primū oppidum obscurum, & paruum, arx lapidea, nec satis munita est, in qua Principes Tartarorum vel Chani, vt Tartari eos vocant, quasi Reguli, seu supremi domini Palatinum, quem illi Begum, seu Perecopensem omnium vocitant, perpetuum habēt, qui Boristhenis & Tanais seu Doni fluuiorum transitus & traiectus, & confines vniuersos vigilantissimè perpetuoq; obseruat, ac vniuer-

Taurica seu Scythica. — *Chani seu Reguli.* — *Palatinus Perecopiæ.*

sis Tartaris ijs, qui in campis ad Perecopiam & vltra Perecopiam sitis degunt, præest. Illud oppidū vnà cum arce ipsa, vt ex ruinis videre, licet à priscis & antiquis Peninsulæ Tauricæ quondam vel Bosphoranis Regibus siue Imperatoribus Græcis in angustissimo continente, eo quem vna ex parte à Septentrione palus Mœotis, Putrem lacum eum Strabo nominat: altera verò mare Ponticum à Meridie alluit & cingit, vniuersamq; peninsulam ambit, excitatum est. Et quoniam ibi per vniuersum, vt Strabo Isthmum dicit, qui inter paludem & mare dimidij milliaris tantùm spatio ferè continetur; fossa profundissima & lata facta oppidum fossæ appellationem sortitum est, quam in hodiernum vsque diem à Tartaris ac ipsis pariter Turcis sermone illorum retinet. Lacum à mari separatum esse stadijs sexaginta, Putrem seu lacum ipsum stadijs quatuor millibus. Tauricę verò seu peninsulæ Isthmum trecentis & sexaginta stadijs contineri Strabo refert. Enimuerò Sachinbgiereio Chano Tartaro in peninsula imperante, qui Tartaros Noagienses pro imperio bellum illi facientes, insigni ac memorabili strage ad Perecopiam prostrauerat, deuiceratq;. Turres lapideæ 17. in ea fossa excitatæ fuère, fossaq; altius reparata. Proinde verò in signum memorabilis victoriæ, cruentissimique belli nonnullæ turres, ex capitibus cæsorum ibidē factæ fuisse à Tartaris perhibentur. Cùm itaq; in peninsulam in eo angustissimo loco vnicus tantū ille transitus pateat, Tartari perpetuas excubias Perecopiæ agunt, neminem peregrinum, qui in peninsulam venerit sine literis Chani inde redeuntem transire permittunt. Denique cùm in bellum descendere Chanus cogitauerit, vel aliquod periculum aut bellum Tartaris imminet, vniuersi Perecopiam frequentissimi semper conueniunt.

Bosphorani Reges. — *Fossa profūda & lata.* — *Sachibgiereius Chan.* — *Tartarorum Nogaiensiū clades.* — *Turres 17.* — *Perecopiæ Tartarorum & Turcaru perpetuæ excubiæ.* — *Tartari Perecopiam conueniunt.*

COSSLOVIA ARX ET OPPIDVM.

COSslouia oppidū ad dextram Perecopiæ ad mare situm milliaribus septem distat. Emporio non ignobili, præfectum Arcis & oppidi Chanus proprium & perpetuum ibi habet.

Chani præfectus.

INGERMENVM ARX ET OPPIDVM.

INgermenum milliaribus XII. vel amplius à Cosslouia distat, Arcem lapideam, templum & specus sub arce, & ex aduerso arcis miro opere ex petra excisos habet, nam in monte maximo & altissimo sita est, ac inde à specubus à Turcis cognomen retinet. Oppidum quondam non ignobile opibus refertum celeberrimū, & natura loci maximè admirandum, copiosissimumq; extitit. Ex aduerso oppidi promontorium extenditur in latitudinem stadiorum aliquot spatio, in longitudinē verò 3. vel 4. milliaribus oris angustissimis Euxino mari medius est. Portus tres habet, illos Pactorū, à quo alter efficitur portus (Ctenuntem Strabo vocat) ad quos naues multæ commodè accedere, & à tempestate fluctibusq; maris in locis ijs tutè consistere possunt. In ea angustia Taurorum nationem Scythicam latronū manus cōstituisse, ac impetum in eos, qui eò diuertissent, fecisse Strabo memorię prodidit. In mōtibus saxosis, qui ibi sunt maximi & admiranda vestigia certa apparent, quod antiquissimi populi Græci lapides grandes ibi excidebāt, nauibusq; ea angustia oris deportatos Corsonū seu Chersonā Peninsulæ vrbē ea tempestate clarissimā & antiquissimā ex illis extruxisse, nunc etiā à Græcis Christianis dicuntur. Heraclienses Ponti accolas coloniam eò deduxisse, ac vrbem Chersonesum ibi appellatā esse, ac à Tyra fluuio stadijs 4. millibus & 400. cursu maris emetiendo eam distare Strabo meminit. Ingermeni arcem satis & magnificam à Principibus Græcis extructā fuisse apparet, nam portæ & ędificia adhuc nōnulla integra Gręcis characteribus exornata, & cum insignibus eorū insculpta conspiciuntur. Ac per vniuersū illum Isthmum quondā ibi vsq; ad vrbis mœnia ædificia sumptuosa extitisse, puteos excauatos infinitos, qui adhuc ferè plurimi sunt integri. Ad extremū verò duas vias Regias grandes lapidibus stratas esse certo apparet. In eo Isthmo pomaria, horti, vineæ plurimæ & optimæ à Græcis

Promontorium. — *Portus tres.* — *Montes saxosi maximi.* — *Ingermeni arx.* — *Putei infiniti.* — *Viæ Regiæ.*

Græcis quondam cultæ,Belbecum nunc etiam appellantur, quas Chriſtiani Græci vel Itali & Iudęi,paucíq; Turcæ nunc poſſident,in loco eodẽ viſuntur.

Iſthmus ſeu parua Cherſoneſus.

Ex Ingermeno Corſunum terreſtri itinere eũdo eſt Iſthmus inter oris anguſti portum,& mare Euxinum, quem ſtadijs ſexaginta cõſtare, & paruã Cherſoneſum appellatũ eſſe, ac portionem magnæ Cherſoneſi occludere Strabo deſcribit. Eſt ille Iſthmus ad læuã & lacus maris Euxini planiſsimus, & ſolo fertiliſſimus,ad dexteram verò portus oris anguſti, habet quidẽ agrum ſatis vberem,montibus tamen & collibus,in quibus vineæ & pomaria infinita erant,ſeptus eſt. Incolis & pagis ad Vrbis ipſius męnia caret,& in vaſtitatẽ prorſus redactus eſt,tamen greges infiniti ouium, pecorum & animaliũ propter nimiam ſoli herbarum vbertatem à Turcis ibi perpetuò paſcuntur. Ex ædificijs illis ruinoſis,quæ ibi conſpiciũtur animalibus illis per ſingulas turmas domini proprij Turcæ, vel Tartari caulas maximas conficiunt & ſepiunt.

Vineę pluri mæ deſertæ.

Paſcua amœna.

CHERSONESVS SEV CORSVNVM VRBS Tauricæ antiquiſsima.

CHerſoneſum ſeu Cheroneſum, Corſunum, vel Cherſonam, Sari Germenum quaſi flauam arcem Turcæ vrbem eam vocarunt, nam ſolum quaſi flauum ille tractus habet. Quæ, quod ſuperba, diues, delicata & clara quõdam Græcæ gentis colonia fuerit, vniuerſæq; peninſulæ vrbs antiquiſſima,freques,magnifica,portuq; nobiliſſima extiterit,admirandę ruinæ illius, manifeſtè teſtantur. In extremitate Iſthmi illius, quem paruã Cheroneſum Strabo vocat,& in oſtio ipſo portus oris anguſti,ac per vniuerſum Iſthmum ſicut latitudo ripę vtriuſq; maris eſt vrbs, murum altiſſimum & magnum, turresq; plurimas & maximas ex ſecto & grãdi lapide erectas nunc etiam habet,ac tota mari expoſita exiſtit. Aquarum ductus,qui milliaribus quatuor cuniculis ex petris exciſis in vrbe ducebantur,in quibus nunc etiam aqua puriſſima eſt,ad vrbis ipſius mœnia conſpiciuntur. Eſt in eo loco vnde riuulus ille delabitur pagus quidam non ignobilis, & non procul in ripa maris in monte ſaxoſo Græcum monaſterium. Sancti Georgij ſolemne,anniuerſaria deuotio Græcis Chriſtianis, qui nunc in Taurica ſunt reliqui,in magna frequentia ibi fieri ſolet. Vrbs illa à multis nõ ſolùm annis, verùm ſæculis & hominibus & habitatoribus prorſus vacua,funditus diruta,ac in vaſtitatem redacta eſt. Muri & turres integrę adhuc & miro opere ſumptuosè factę conſpiciuntur. Principum Regia vel domus in ea Iſthmi parte, & vrbis mœnibus, turribus,& portis magnificis exiſtit. Verùm à Turcis inſignes columnę marmoreæ & ſerpentinæ,quarum intus adhuc loca apparent, & grandiores lapides ſpoliatæ & per mare ad ſedes eorum in ædificia publica & priuata deportatæ ſunt. Idcirco ad maiorem ruinam ea Vrbs peruenit: non ædium & templorũ ne veſtigia quidem in ea viſuntur. Vrbis ædificia humi proſtrata & ſolo æquata ſunt. Monaſterium Græcum maximum in vrbe eſt reliquum, parietes templi apparent quidem,ſed teſtudinem non habent,& ornamenta ædificij eius,quæ ibi erant inſignia,diruta & ſpoliata ſunt. Ex illo monaſterio duas portas æris Corinthij,quas Græcorũ preſbyteri Regias portas vocant, & imagines inſigniores Græcos aliquos Volodimirum magnum Ruſſorum ſeu Kiouięſium Principem ea tempeſtate prędę loco Kiouiam deportauiſſe, poſtmodum verò à Boleſlao ſecundo rege Poloniæ Kiouia Gneſnam prædæ itidem loco,quæ in templi maximi porta nũc etiam ibi viſuntur,delatas eſſe Ruſſorum & Polonorum Annales memoriæ prodidêre. Volodimirũ Principem Ioanni Zemiſcę Conſtantinopolitano Imperatori eam vrbem quondam eripuiſſe, verùm Baſilij & Conſtantini Imperatorum Anna ſorore in matrimonio ducta,& ſacro fonte ritus Gręci in eodem monaſterio à Patriarcha quodã initiato reſtituiſſe. Quod & in hodiernum vſq; diẽ in locis iiſdem à Chriſtia-

Aquarum ductus.

Monaſteriũ Græcum.

Anniuerſaria deuotio.

Vrbis ædificia ſpoliata.

Portæ æris Corinthij & imagines Græcæ.

Portæ Regiæ.

Volodimirus Ruſſorũ ſupremus princeps.

Ioannes Zemiſca Conſtantinopolitanus Imperator.

à Chriſtianis Græcis,quorũ obſcuræ & paruæ admodum reliquiæ ſuperſunt, prædicatur. Ante vrbem Promontorium exiſtere,& Parthenium, id eſt, virgineum appellatum eſſe, Deæq; illius ædem ac ſtatuam habere. Ac eam vrbẽ liberam fuiſſe,proprijsq; legibus vixiſſe, verùm à Barbaris direptam, eoq; neceſſitatis deductam eſſe Eupatore Mithridate præſule ſibi delecto aduerſus Barbaros bellum geſſiſſe,& tanta ſpe erectum exercitũ in Cherſoneſum miſiſſe, vt & Scythis pariter Strabone teſte intulerit,& Sciluri liberos quinquaginta(vt Poſſidonus ſcribit)captiuos habuerit, & à Periſade Præfecto loci ditione accepta Boſpho potitus ſit: Ac inde ex eo tempore in hunc vſque diem Cheroneſitarum Ciuitatem Boſphoranis Regulis ſubiectam fuiſſe olim idem Strabo aſſerit.

Promontorium Partheniũ.

Corſinum liberum.

IAMBOLI, SEV BALACHEIVM ARX & Ciuitas.

IAmboldum ſeu Iamboli Græci Balacheium quaſi piſcium arcem, & ciuitatem eam(nam in eo loco mare piſcibus ferax eſt)Turcæ dixêre. Ea in altiſſimo magno & ſaxoſo monte ab Italis Genuenſibus munita & habita fuit: ſuperbis enim & peſſimè tunc inter ſe conuenientibus ac ignauis Gręcorum, qui tunc eam partem Tauricæ tenebant,Ducibus ignominiosè ſine aliquo eorum præſidio ab eis erepta fuit. In ea Ciuitate commoditatem loci naturalis Genuenſes vſi portum celebrem,ac vtilem,munitiſsimum ſumptuoſiſsimumq; propugnaculum excitauêre. Eſt ibi etiã ſinus maris anguſti penes ciuitatem & inter promontorium non exiguo ſpatio diſtans,qui portum non ignobilẽ confecit, vt ex mari magno naues non paucæ ibi tuto deſcendere & conſiſtere poſsint. Arces,ædes,mænia & turres ſumptuoſæ cum plurimis Genuenſium inſignijs & titulis proſtratæ & omnino dirutæ iacent. Ciuitas illa à paucis Græcis,Iudæis & Turcis incolitur, à paucioribus itidem mercatoribus & peregrinis per mare frequentatur.

Itali Genuenſes.

Græcorum duces diſcordes

Portus celebris.

Sinus maris Promontorium.

Inſignia & tituli Genuenſium.

MANCOPIA SEV MANGVTVM, VT TVRCAE vocant, arx & oppidum.

MAncopia ciuitas ad montes & ſyluas magis porrecta, & mari non iam propinqua eſt, arces duas in altiſsimo ſaxoſo & peramplo conditas, templa Græca ſumptuoſa & ædes,plurimos riuos,qui ex ſaxo decurrunt,limpidiſſimos & admirandos habuit. Poſtquã verò à Turcis ea capta eſſet, poſtmodum verò anno decimo octauo, vt Chriſtiani Gręci perhibent,ſubitaneo & horribili incendio orto funditus ferè demolita eſt. Idcirco nihil quicquã inſignius præter ſuperiorem arcẽ,in qua porta inſignis cum Græcis textibus multo marmore ornata,& domus alta lapidea eſt. In eam domum Moſcorũ nuncij Canorum barbarico furore nonnunquam detruduntur,ac durius ibi aſſeruantur. Templum Græcum S.Conſtantini,& alterum S. Georgij humile admodum nunc reliquum eſt. Preſbyter Græcus vnicus,Turcæ & Iudæi aliquot ibi habitant,cætera in ruinas, vaſtitatem, & omnem ferè obliuionem verſa ſunt. Nec homines iam ſuperſunt,nec Ducum,nec gentium earũ, quæ eas vrbes & arces maximas poſſidebant & inhabitabant,annales aliqui reperiuntur. Nam in locis ſingulis eos ſummo cum ſtudio & impendio meo conquirebam. Veruntamen à Preſbytero quodam Græco homine iam annoſo, probo,& nõ rudi,quem ibi vidi,accepi,quod paulò ante ciuitatis eius à Turcis obſidionem Duces quidam duo Græci, quos Conſtantinopolitanorum vel Trapezuntij Imperatorum ſanguinis fuiſſe certè apparet, Patruus & nepos ibi manſiſſent. Gręci verò Chriſtiani non multis tamen annis eã inhabitauêre,ac paulò poſt ab infideli & immaniſſima Turcarũ gẽte ciuitas illa fide eis data & violata erepta fuit. Duces illi Conſtantinopolitani viui abducti à crude-

Porta inſignis.

Moſcorum nuntij in vinculis Mancopiæ aſſeruantur.

Annalium difficultas.

Duces Gręci.

Imperatores Trap.

Duces Conſtantinop. abducti.

crudeliſſimo & ſceleratiſſimo Turcarum Imperatore Selimo ab annis centum & decem crudeliter contrucidati ſunt. In templis illis Græcis in parietibus effigies & habitus exornati Imperatorum & Imperatricum earum, ex quorum ſanguine eas ortas & prognatas fuiſſe apparent. Arx & ciuitas quondam antiquiſsima Mancopiæ, & Cerceſsigermeno à Turcis arce noua & à Cerceſſio nominata proxima eſt, nec ea à Turcis & Tartaris, ac ipſis etiam Græcis propter nimiam vetuſtatem aliquod cognomen nunc habet. Græcorum tamen Ducũ temporibus, de quibus in eo loco plurima nefanda, quæ in Deum, hominesq; illi perpetrabant, prædicantur, ea corruit. Ac in eo monte ſaxoſo, in quo ſita eſt in ſaxo miro admodum opere domus exciſas habet, quæ etſi ille locus nunc ſyluoſus eſt, integræ tamen plurimæ reperiuntur. Phanum marmoreis & ſerpentinis columnis ornatum humi iam proſtratum & corruptum inſignem & clarum quondam eum locum extitiſſe teſtatur.

Selim' Turcarum Imperator.
Imperatorũ effigies.
Cerceſſigermenũ arx.
Græcorum Ducum improbitas.
Domus in ſaxis exciſę.
Phanũ ſeu delubrum.

CHANORVM REGIAE ET SEDES.

CHanorum Regiæ ſeu domus in Mediterraneam (vt eam Strabo vocat) Tauricam porrectæ ſunt. Oppidum non ignobile, & domum lapideam primariam, in qua ille ſemper reſidet, Baccaſaraium nuncupatam ille habet. Illud oppidum inter duos montes ſitum eſt, & fluuius paruus, à quo oppidum cognomẽ retinet medius defluit. Mahometicum templum lapideũ, & ſepulturę Chanorum ex ruinis Chriſtianorum penes oppidum exſtructæ ſunt. Non procul etiam ab illo oppido Monaſterium Mahometicum, & plurimæ ſepulturæ Tartaricæ ex ruinis Græcorum non ignobiliter excitatæ ſunt. In extremitate oppidi iſtius aliud oppidum eſt Salaticum dictum, ædificijs non ignobilioribus à Turcis incolis exornatum. Chanorum Regia vel domus à priſcis Tartarorum Principibus ſumptuosè ædificijs, templis, ſepulturis, & balneis magnificè exornata eſt. In eam domum Principes cùm otio, delitijs, oblectationibus & recreationi vacant, cum vxoribus non rarò deſcendũt. Locus ille enim ſeu tractus venationibus expoſitus eſt: Pomaria, vineas, hortos & agros infinitos & præſtantes habet, ac riuis limpidiſſimis irriguus eſt. Montes & ſyluæ plurimæ illic ſunt, in quibus ruinoſa ædificia plurima, & maximæ arces & ciuitates conſpiciuntur, à paucis tamen & nullis hominibus illæ habitantur, & deſolatæ iacent. Almaſſarai ad confluentem Almæ eſt Chanorum Regia, ſeu domus, in qua ille non rarò manere ſolet, quod non ita commodè ſicut alibi ibi degere, & cum Aula ſua diuertere poteſt, nam pagus tantùm vnicus & obſcurus ibi eſt. Arces & oppida obſcuriora ſunt aliquot vicina, in quibus vxores ſuas alere ſolẽt. Arces itidem nõnullæ ſunt, in quibus Sultani Chanorum fratres, vel filij & vxores illorum perpetuò habitant. Pars illa Cherſoneſi, quam Chanus cũ ſuis Tartaris poſſidet à Perecopia verſus paludem ad Cremum ciuitatem culta, plana, campeſtris, fertilis & herboſa eſt; Verùm verſus mare & ipſam Chani Tartarorũ Regiam, eiuſque oppida, arces & pagos, montuoſa admodum ſylueſtris, cultiſſima ac vberrima exiſtit. Mõtes ſunt maximi & celebres in ea parte. Maximus verò omnium altiſſimus eſt, & in ſummitate lacum ſanè non exiguum habet. Illum etſi ego non aſcendi, verùm ab aliquot milliaribus ille bene conſpicitur, & non vulgarem altitudinem, & magnitudinem demonſtrat. Fluuij plurimi non parui admodum ex montibus illis decurrunt. Piſciculos etiamſi non magnos (nã aqua non eſt profunda) ſapidiſſimos tamen & delicatos plurimos habent. Sed quoniam Tartaris piſcium rarus eſt vſus, Chriſtiani tantùm & peregrini noſtri cùm eo veniunt in capiendis eis operam nauant. Eſt præterea auium delicatiſſimarum ibi copia, quas aliquando Sclopetarij Chriſtiani vel Turcæ, rarius tamen noſtri peregrini petere ſolent.

Baccaſaraiũ oppidum.
Templa & ſepulturæ Tartaricæ.
Salaticum oppidum.
Locus amęnus.
Arces & ciuitates deſolatæ.
Almaſſarai.
Chanorum Regia.
Chanorum & Sultanorum arces & oppida.
Chanorum & Tartarorum in Taurica ditio.
Montes in Taurica celebres.
Fluuij in Taurica plurimi.
Apud Tartaros piſcium rarus eſt vſus.

Venatio-

Venationes ceruorum, caprarum, aprorum & leporum in ditione Tartarica & Turcica mari vicina ſunt plurimæ. Solet etiam non rarò diebus aliquot Chanus ipſe ibi venari, ſæpius verò cum canibus venaticis Turcicis vel Tartaricis in campum deſcendit. Sortaſſus pagus Tartaricus Chani Regiæ vicinus, in quem Lituanici & Moſcuitici legati non rarò diuertunt, ille ſatis amplus & amœnus eſt. Enimuerò cùm Taurica, ſeu Peninſula Chanorum ditionis eſſe cœpit, Itali non pauci Genuenſes nobiliores poſt ſubactam à Turcis Capham ſeu Tartarorum principibus Iuris & proprietatis ſuæ litteris eorum conſcriptis & conſignatis, quas ego apud eos vidi & legi, eum pagum cùm ſpecialibus immunitatibus illi obtinuerant, ſiue hoc auro, quod illi tũ ex ſedibus ſuis ſecum aſportauerant, ſibi comparauerant, ſiue etiam miniſterio, dum Chanis in ablegationibus apud Chriſtianorum principes non obſcurè operam ſuam nauabant, Templum Catholicum in pago illo extruere ipſis permiſſum fuerat, in quod, dum ego ibi manerem, aliquoties deſcendebam. Presbyter tamen vnicus Franciſcanorum Ordinis Frater, quem Chriſtiani illi ex Turcica captiuitate ære proprio tum redemerant, in templo illo fuit. Ille poſtmodum cum Tartarico legato, qui apud Sereniſſimum Regem non ita pridem fuerat, in Lituaniam Vilnam vſq; aduenerat. Reuerendiſſimum Ioannem Andream Caligarium Sedis Apoſtolicæ Legatũ ſæpius ille accedebat, ac cum ijſdem Tartaris dum aliquot ſeptimanis manſiſſet, iterũ in Tauricam ille reuerſus eſt.

Chanorum venationes.
Sortaſſus pagus Tartaricus vbertimus.

CREMVM ARX ET CIVITAS.

CRemum, ſeu vt à Tartaris Crimũ dicitur, ciuitas & arx muro antiquiſſimo, maximo ac præalto, magnitudine ac celebritate reliquis ciuitatibus Tauricæ, Cherſoneſi Mediterraneæ, nam eam Ptolomæus ita nominat, admodum diſſimilis eſt, Ptolomæo fortaſſe Taphros, Plinio verò Taphræ eam antiquis nominatam fuiſſe placet. Illa poſtremis iam temporibus ante Genuenſium in Tauricam aduentum à maximo populo Mahometico, qui ex Aſia eò tum migrauerant, culta & inhabitata fuiſſe videtur. Nam templa ſeu delubra antiqua Mahometica non ſolùm in Ciuitate ipſa, verùm & vltra ciuitatem plurima admodũ cum Characteribus Chaldaicis in grãdioribus ſaxis exciſis conſpiciuntur. Turcę ſeu Tartari nõ pauci admodũ incolę, Gręci tamen rariores hoc referũt, quod maiores ſui conſtanter meminerint, eã ciuitatem à Perſarum olim gente inhabitatam, præſtantem ac primariam ferè officinam Mechanicarum artium quondam eam extitiſſe. Liquet ſanè ex ipſis ruinis, & loci amplitudine vrbem eam quondam clariſſimam, & maximam gentiũ coloniam extitiſſe. Tartari ab eo loco Crimenſes vulgò nunc appellantur. Officinam monetariam, quam Chanus cudit in ea ciuitate perpetuam habent. In arce, quæ maxima ad ciuitatem eſt, vxores Chanorum perpetuò aſſeruantur & conſeneſcunt.

Cherſoneſus Mediterranea.
Populus Aſiaticus.
Mahometica delubra.
Literę Chaldaicæ.
Perſarum gens.
Crimenſes Tartari.
Officina monetaria.
Vxores Chanorum.

SIDAGIOS ARCES TRES ET CIVITAS.

SIdagios à Græcis, à Genuenſibus verò Sudacũ, arx & ciuitas illa dicta fuit. Tartaris prorſus incognita eſt. In monte altiſſimo, ſaxoſo & peramplo ad mare ſito in ſummitate montis arcem ſuperiorem, alteram mediam, tertiã verò inferiorem. Arces muro & turribus cinctas & munitas Græci ſeu Genuenſes Itali condidêre. Templa Græca ex grandioribus ſaxis infinita eſſe, & quaſi ſacella pauca admodum, nonnulla integra viſuntur, plurima verò in ruinã verſa, & humi iam proſtrata iacent. Superbi, diſcordes & deſides Græci à Genuenſibus Italis fracti & debilitati ciuitatem eam amiſerant. Non contemnenda Genuenſium veſtigia Græcis multo clariora ibi conſpiciuntur.

Græci à Genuenſibus Italis fracti.
Genuenſiũ veſtigia.

At in-

Græci diſcordes. Templa infinita. Templa Catholica. Genuenſiũ veſtigia. Metropolita.

At inſignem eum locum quondam, vt ex ruinis videre licet, extitiſſe, & à Chriſtianis Græcis, quorum paruæ admodum reliquiæ ibi ſunt, memoratur. Græcorum gentem eò diſcordiarum & inimicitiarum deueniſſe, quod familiæ quæ diſſidijs laborabant, vt ne deuotionem quidem publicam fieri, cique intereſſe volebant. Propterea templa illa infinita quàm plurimi ædificauêre, quæ aliquot centena ibi extitiſſe Chriſtiani perhibent. Tẽpla tria maxima Catholica, domus, muri, portæ, ac turres inſignes, cum textilibus & inſignijs Genuenſium in arce inferiori viſuntur. A Metropolita quodam viro Græco & honeſto, qui ex Inſulis Græcis ad viſitandos preſbyteros illos tum eò aduenerat, & hoſpitio me exceperat, accepi. Quod cùm immaniſſima gens Turcarum eam ciuitatem ingenti maritimo exercitu oppugnaſſet, à Genuenſibus fortiter & animosè illa defenderetur, verùm cum obſidionẽ diuturnã ac famem Genuenſes diutius ferre, nec impetum tam numeroſi exercitus Turcarum ſuſtinere amplius poſſent, in maximum templum illud, quod adhuc ibi integrum eſt, centeni aliquot, vel, vt ille aſſerebat, mille ferè viri egregij ſeſe receperant, & per dies aliquot in arce inferiori, in quam Turcæ irruperãt, fortiter & animosè ſeſe defendẽtes, inſigni & memorabili Turcarum ſtrage edita, tandem in templo illo vniuerſi concidêre, templi illius portæ & feneſtræ à Turcis muro impletæ cæſorum cadauera in eum vſq; diẽ inſepulta iacent. In id templum ne accederem, à Caphenſi Seniacò quondã Turca, quem in ea arce perpetuum ille habet, ego prohibitus ſum. Portoriũ non ignobile ciuitatis eius fuit, vineas & pomaria, quæ ad duo & amplius milliaria extenduntur, fertiliſſima à Caphenſibus, Turcis, Iudæis, & Chriſtianis nunc etiam ibi coluntur. Nam vniuerſæ Tauricæ vinum optimum ibi naſcitur, riuis amœniſſimis, qui ex altiſſimis & medijs mõtibus & ſyluis, quæ admodũ frequentes ibi ſunt, decurrunt, vniuerſus ille tractus abundat.

Arces à Turcis obſeſſæ. Genuenſiũ illuſtre facinus. Turcarum impium facinus. Ciuitatis portorium. Vineæ in Taurica optimæ.

CIVITATVM MARITIMARVM DISTANTIA & deſcriptio.

Theodoſia. Promontorium. Promontorium.

CIuitatibus illis ſuperioribus, ac demum Sudaco ipſo iam emenſo vſque ad Theodoſiam, quam Genuenſes Itali Capham dixêre vrbem, Taurica ripa per ſtadiorum mille longitudinem aſpera montanaque & aquilonibus procelloſa exiſtit. Ante illam vrbem promontorium quod ibi conſpicitur in pelagus in meridiem verſus Paphlagoniam, Amaſtrumq; vrbem valdè procumbere, ac à Græcis Orium & Opon frontem arietis appellari Strabo refert. Opponitur illi & aliud promontorium Carambis Paphlagonum, quo Pontus Euxinus in pelagus geminum diuiditur, ac id vtrumq; Euripus anguſtat. Carambis à Cheroneſitarum vrbe ſtadiorum duobus millibus & quingentis, ab arietis autem fronte multo minore numero diſtare Strabo memorat. Poſt eam montanam, vt eam Strabo regionem vocat, Theodoſiã ciuitatem iacere, campos vbertate præſtantes, portum vel centenis nauibus commodum habere, eumq; finem Boſphoranorum & Taurorum agro antea aſſcriptum fuiſſe idem aſſerit.

CAPHA SEV THEODOSIA CIVITAS.

Portus copioſus. Itali à Turcis ſubacti.

CApha ſeu Theodoſia vrbs vniuerſæ Tauricæ tum clariſſima, munitiſſima à Genuenſibus Italis condita, & ad mare ſita eſt. Portum copioſum illa ſemper habuit. Genuenſium tempore apparet, eam diuitem & habitabilem admodum extitiſſe. Poſtquam verò à Turcis ab annis plus centum Genuenſibus erepta fuerat, Chriſtiani Itali in anguſtum ita redacti ſunt, vt exiguæ & obſcuræ admodum eorum reliquiæ in ea ſuperſint. Ciuitas priſtinũ ſplendorem maxima ex parte amiſit. Templa Chriſtianorum Romana demolita, ædes dirutæ, muri & turres, in quibus Genuenſium plurima inſignia & inſcri-

Inſignia Genuenſium. Templa Catholica & Armenica. Caphenſes incolæ. Caphenſis nauigatio.

& inſcriptiones Latinæ, viſuntur collapſa iacent. Templa tantùm Catholica duo, & Armenica itidem integra ſuperſunt, in quibus Preſbyteros proprios alere, & deuotioni publicæ intereſſe à Turca antiquo iure eis conceditur. Turcis, Armenis, Iudæis, Italis & Græcis Chriſtianis pauciſſimis habitatoribus, referta negotiationibus, portuq; vniuerſæ eius Tauricæ nunc etiam nobilis eſt, vineas, pomaria, & hortos ferè infinitos illa habet. Capham non rarò nauigatur, ex vniuerſis vicinioribus & remotioribus Græciæ Inſulis, ſæpius verò ex vrbe Conſtantinopoli, nam ſecundo vento duorum tantùm dierum ſpatio, vel paulo amplius nauibus eò veniunt.

TELLVRIS TAVRICAE DISTANTIA, & deſcriptio.

Tartarica tuguria. Cercum & Thamanũ arces. Magna Cheroneſus. Parua Scythia. Magna Scythia. Tauricæ olim reditus; Tauricæ ſalſamentaria.

TEllurem aliam deinceps fertilitate conſpicuam vſque ad Panticapeiũ Boſphoranorũ Metropolim, quæ in oſtio Mæotidis ſita eſt, exiſtere, ac inter Theodoſiam & Pancapeium ſtadiorum quingentorum & triginta interuallum eſſe Strabo refert. Tellus illa frumenti ferax eſt, & vicos habuit olim multos, ſed nunc Tartarica tugura plurima ibi ſunt. Vrbem portus optimi Nimpheum dictam, & tumulum Panticapeum habitaculis frequentibus circumpoſitum ſtadiorum viginti inſignem eſſe, ac ad ortum portũ naues triginta quondam ibi extitiſſe, & arcem à Mileſijs conditam ibi fuiſſe Strabo aſſerit. Eſt quidem ad eum tumulum nunc etiam ciuitas, & arces duæ, quæ fortaſſis à Turcis & Tartaris Cercum & Thamanum appellantur. In ipſo Mẹotidis ore, quod Strabo Bosphorum Cymmerium vocat: eius verò initium ab ampliore latitudine ad ſeptuaginta ſtadia, vbi eſt Panticapeis locis ad Phanagoriam propinquiſsimam Aſiæ ciuitatem diuiſionem inchoant ad anguſtiſſimum Euripum terminari, illud verò Anguſtiæ Aſiam ab Europa ſeparari, ſimul & Tanaim fluuium ab Arcto in paludem ad ſtadia ſexaginta inter ſe diſtantibus alueis erumpi, ac totã circuitionem paludis illius ſtadijs octo millibus conſtare Strabo tradit. Magnam Cheroneſum ſeu Peninſulã ipſi Peloponeſo forma & magnitudine perquàm ſimilem eſſe, eam verò totam Boſphorani Principes aſſiduitate bellorum vaſtatam habuiſſe: Illam etiam Boſphoranorum Tyranni paruam quidem Mæotidis ori, & Panticapeo adiacentem Theodoſiam vſque tenuiſſe, plurimam verò partem vſque ad Iſthmum, ſinumque Carpenoitem Tauros gentem Scythicam habuiſſe: Atque ſanè etiam oram totam, & aliquid extra Iſthmum vſque ad Boriſthenem paruam Scythiam vocatam, propter tranſeuntem verò Tyram fluuium & Iſthmum eam terram habitantium multitudinem huius & partem magnam Scythiam paruam nuncupatam fuiſſe. Cùm Thraces partim vi, partim malignitate loci, eſt.n. plurima paluſtris, eã conceſſiſſent. Strabo memoriæ prodidit. Idem etiam ſubijcit. Cheroneſum ſanè in mare vergentem Theodoſiam vſque in campis frugiferam, non ſic autem montanam frumẽto admodum beatam eſſe. Vbicunque fortè foſſore proſciſſa fuerat, modiorum centum & octoginta millia. ducenta verò argenti talenta tributi nomine cum Aſianis locis Sindicen circumadiacentibus Mithridati ſolutos fuiſſe, Græcos frumentariorum commeatuum, & è palude ſalſamentaria Leuconem Regem decem ac ducentas modiorum myriadas (eſt autem myrias decem millia continens numerus) à Theodoſia Athenienſibus tranſmiſiſſe ex Strabone liquet.

CERCVM ARX ET OPPIDVM.

CErcum Arx & oppidum Tartaricum Chanorum ditionis obſcurum & humile admodum in Oſtio (vt Strabo vocat) Mæotidis, & ad eam an-

guſti-

Boſphorus Cimmerius

guſtiam, quam Boſphorum Cimmerium ille cognominat ac tumulum
Panticapeium, & ciuitatem ſimul ab eo dictam, ſitum eſt. Ex aduerſo oppi-
di vel arcis illius in ripa altera anguſtiæ illius, quæ amplius vnum milliare

Tamanum arx.

in latitudinem continetur, Tamanum arx munitiſſima, quam fortaſſe Phą-
nagoriam appellatam eſſe propinquiſſimam Aſiæ ciuitatem à Mileſijs quõ
dam conditam fuiſſe, & emporium in ea nobile extitiſſe Straboni placet. Il-
læ arces à Genuenſibus quondam excitatæ & munitæ fuiſſe videntur, & nõ

Genuenſiũ Colonia.

ignobile præſidium ibi illi ſemper habuêre. Cercum arx diruta eſt, nã Tur-
carum Imperator in vniuerſa Taurica nullam arcem aliam præter Pereco-

Petigorenſium prouincia.

piam ipſam præſidio firmare Tartaro ſeu Chano permittit. Tamanum ar-
cem quæ in extremitate Tauricæ ſita eſt, & Petigorenſium ampliſſimæ pro-
uinciæ, quam Colchidem Ptolomæus & Strabo vocitant, iam contigua ex-

Seniacus ſeu præfectus.

iſtit, Seniaco ſeu præfecto ei impoſito præſidio firmo perpetuo eã muniuit.

PETIGORENSIVM POPVLI ET PROVINCIA.

Mare Caſpium.

PEtigorenſium prouincia, ſeu Colchis ad mare Caſpium ſeu Hyrcanũ
vſq; extenditur, montibus & ſyluis maximis eſt obnoxia, quæ iam in ea

Petigorenſium duces liberi.

extremitate conſpiciũtur. Gens illa liberrima eſt, Duces habet plurimos
& ſtrenuos, quibus ſinguli populi & familiæ obediunt. Ac etiamſi Chriſtia-
nos ſe eſſe profiteantur, & liqueat Genuenſium tempore plurimos illorum
Chriſtianos fuiſſe, attamen presbyteris ac templis deinceps deſtituti, opini-

Petigorenſes Idololatræ.

onem ſolummodo religionis illi nunc retinent: Pleriq; illorum maioriq́;
ex parte Idololatræ inter ſuos rapaces violentiq́;, ſed in peregrinos hoſpita-

Petigorenſium tyrannis

les & liberales ſunt. Parentesquamuis ex inſignioribus, vel agreſtioribus illi
ſint, liberos proprios, filios in ſeruos, filias in vxores Turcis vel Tartaris,
nonnullisq́; etiam Chriſtianis, ac eos quos inter ſe furtim ſubtrahere illi
ſolẽt, ac extra mare plus quàm barbarico more barbaris peregrinis occultè
vendunt.

TAVRICAE SEV PENINSVLAE LOCOrum & ciuitatum diſtantia & deſcriptio.

INter Perecopiã, Cremum, & Coſtomam oppida à Septentrione Taurica
ſeu Peninſula planiſſima nec admodum montoſa, omninoque campe-
ſtris eſt. Solum fertiliſſimum, magnaq́; ex parte ſaxoſum, aquam verò bonã

Putei profundi & admirabiles.

rariſſimam habet. Attamen fontes ſeu putei altiſſimi mira profunditate &
difficultate à veteribus Græcis ſeu populis illis antiquiſſimis & maximis,
qui eam Peninſulam ante Græcorum tempora incolebant, quondam exci-

Stagnum ſale concretũ.

ſi & facti per diuerſa loca plurimi reperiũtur. A Perecopia per vnum mil-
liare ſtagnum magnum ſale admirabili natura cõcretum eſt, ex quo puriſ-

Lacus ſalſi.

ſimum & optimum ſal, quaſi glaciale perpetuò colligitur, cæteroſq́; lacus
ſalſos quàm plurimos habet. In quibuſdam etiam commodiſſimis & pluri-
mis locis in montibus ac ſyluis arcium, ciuitatum, templorũ, monaſterio-

Antiquiſſimæ Tauricæ ruinæ.

rumq́; antiquiſſimæ & maximæ Græcæ ruinæ frequentiſſimæ admodum re
periuntur, quæ cum multo ſęculo habitatoribus caruêre propter antiquita-
tem temporũ cognomina ſua amiſerũt. Vniuerſa Taurica ſeu Peninſula il-
la, ab Occiduo & Septentrione planiſſima & campeſtris eſt, oppida pauciſſi-
ma, vicoſque plurimos habet, in longitudinẽ milliaribus ad ſummũ quin-

Taurica ſyluestris & montoſa.

quaginta protenditur. Verùm à Meridie & Oriente montuoſa & ſylueſtris,
montes altiſſimos, ampliſſimos, ſaxoſos, frequentes admodum & admiran

Auri argentiq́; metalla.

dos habet, in quibus inter Cremum & Capham auri, argentiq́; metalla &
ferrum optimum quondam ab incolis repertum fuiſſe perhibetur, ſolum

Tauricæ vbertas ſoli.

fertiliſſimum, fluuios, riuos amœniſſimos, piſces, prata, paſcua, feras ſylue-
ſtres plurimas, ceruos, capras, apros, vrſos, vineas, pomaria, agros, cãpos, op-
pida, vicos, pagos, prædia plurima optimaq́; habet. Taurica ſeu Peninſula
in lati-

in latitudinem quibuſdam in locis vnius vel alterius diei itineris ſpatio,
nonnullis verò in locis vnius ferè diei ſpatio, in orbem quaſi extenditur.

TAVRICAE, QVAE TVRCARVM IMPEratoris ditionis eſt deſcriptio.

PErecopia & Coſslouia arcibus oppidisq́; maritimis ac nonnullis oppi-
dis ignobilioribus, paucisq́; Chriſtianorum Græcorum pagis exceptis,
arces & ciuitates maritimæ, reliquę vniuerſæ peninſulæ, quæ ordine ſuo de
ſcriptæ ſunt, cum vicis & pagis Chriſtianorum Græcorum plurimis Impe-
ratoris Turcarum ditionis ſunt, eiusq́; Imperio vniuerſæ parent, firmiſſi-
moq́; præſidio tenentur. Peninſula, quæ ab Oriente & Meridie à Perecopia
media eſt, hyemem placidiſſimam & aërem temperantiſſimum habet. Nã
in fine Decembris hyemis initium, in medio verò Februario hyemis aſperi
tas, quæ magis niuoſa, nec tamen integro triduo illa magis durat, quàm fri-
gida & gelu conſtans eſt. Nec diutius quàm ad initium Martij illa durat. ſub
initium itaq; veris, & in Autumno ferè calidiori aër peſtilens plerumq; ef-
ficitur.

CAMPORVM DISTANTIA ET DESCRIPTIO.

BRatiſlauia, Sauranenſes, Oczacouienſes & Bialodogrodenſes cãpi in-
ter Hipanim ſeu Bogum, Tyram ſeu Neſtrũ fluuios conſiſtunt. A Sep-
tentrione verſus Neprum ſeu Boriſthenem ac Bogum aliqua ex parte
plani & campeſtres, verùm ab Occiduo verſus Neſtrum & Prutum ſiue Hie
raſum fluuios magis ſyluoſi & montoſi ſunt. Podolia, Camenecia, & Mol-
dauia inter Neſtrũ & Prutum fluuios mediæ Tachmię & Bialogrodo, quod
ad lacum Vidouo ſeu Obidouo & mare Euxinum eſt, Confinis ab Occiduo
campis & mari Euxino, à Meridie Bialogrodo Kibię & Danubio fluuio vbi
que vicina eſt. Oczacouia à Septẽtrione Boriſthenẽ, in quem Bogus ibidem
exoneratur, Camposq́; ampliſſimos, A Meridie mare Euxinum, & Bereza-
niam lacum ſalſum & reſtagnantem, ab Occiduo Neſtrum fluuium proxi-
mum habet.

CONTINENTIS DISTANTIA ET DESCRIPTIO.

DEinceps verò Continens ille, qui eſt extra Oczacouiam & Boriſthenẽ
in formam Inſulæ, quaſi inter Boriſthenem, Mæotim paludem, & põ-
tum Euxinum, ab Occiduo Boriſthenẽ habet, à Septentrione Tanaim ſeu
Donum fluuios, ab Oriente verò Mæotidem paludẽ & Tauricam ſeu Pen-
inſulam, à Meridie mare Euxinum, ac illum Iſthmum ſeu continentem,
extra Oczacouiam verò & Boriſthenem Perecopiam vſq; quibuſdam in lo
cis continens ille eſt anguſtiſſimus: Verùm extra Perecopiam ad Oſſouum
arcem, quæ ad Tanaim eſt ampliſſimus, ſolo fertiliſſimus, ac vniuerſus cã-
peſtris & planiſſimus eſt: Etenim in Iſthmo illo vniuerſi ferè Perecopienſes
& Oſſouenſes Tartari pecora & animalia ſua paſcunt, ac in eo per æſtatem
& Autumnum degunt. Continens ille ſeu Iſthmus ab Oczacouia vſq; ad
Oſſouum, nam ibi terminatur, in longitudinem, quantum ex dietis Tarta-
rorum patet milliaribus amplius centum conſtat, in latitudinem autem
non pari modo protenditur, nam tam extra Perecopiam, quàm ad Ocza-
couiam, vel Boriſthenem latior eſt.

PERECOPENSIVM TARTARORVM DEſcriptio, & in Tauricam ingreſſus.

TAuricani vel Cherſoneſi, qui nunc Perecopenſes vel Crimenſes Tar-

Rha ſeu Volga fluuij.

tari dicuntur, Iauolgenſes à Rha ſeu Volga fluuio orti & appellati

fuiſ-

fuisse ex vetustissimis Scytharum scriptoribus certo videntur. Porrò inter celebratissimos, altissimos & maximos Tanaim seu Donum & Boristhenẽ Septentrionis fluuios in campos paulatim progressos fuisse, ab annis verò centum sexaginta, vel paulo amplius in Tauricam seu peninsulam eos peruenisse manifestè apparet.

CHANORVM ET DVCVM EORVM *genus & cognomina.*

Cyngissonũ genus.

Duces Tartarici.

CHanorum vel Principum Tartarorum illorum Cyngissonum genus antiquitus nuncupatum fuit, ex quo Lochtonus quispiam Chanus, à quo vniuersi Chani ortum trahunt. Ille primus Tauricæ vel Chersonesi in Taurica, seu Peninsula Imperator extitit. Sirinenses, Bachinienses, Mangutẽses, cæterosque Kiuazios vel Duces, ex quibus Caiacei, qui Chanorum cõsiliarij & præcipui officiales sunt, procreantur, eorumque filiæ vel sorores eis nubunt. Vlanos qui ex Chanorum sanguine antiquitus orti sunt, ac (si Chanorum legitima & vltima posteritas defecerit) in principatu succedunt, Murios vel nobiliores singulorum, eorum posteritas & nunc etiam manet, cæterosque Tartaros bellicosissimos; quos ad aliquot dena millia in comitatu eum certò habuisse, ac in Tauricam seu Peninsulam cum eo migrauisse verissimum est.

CHANI TAVRICANVM REGNVM OCCVPANT.

DVces Græcos, qui Mancopiæ & Ingermeni, ac Italos Genuẽses, qui Iamboldi & Caphæ incolebant, tum populos in Peninsula reliquos inuenerat, cum quibus amicitiam, pacem & pacta donec à Turcis deuicti belloque attriti illi fuêre, Chanorum prædecessores incorruptè & constanter coluêre, & monetam multis annis communem, quam ego ibi vidi, habuêre.

IMPERATOR TVRCARVM TAVRICANOS *Tartaros subiugat.*

Selymus Imperator

Mechmet Chereius Chanus.

Sachmates Tartarorum princeps.

Tartarorum Tauricanorum strages insignis.

Soldani obsides.

ENimuerò Selymus Turcarum Imperator populis illis debellatis, arcibus & ciuitatibus ferè vniuersis Peninsulæ maritimæ ereptis & occupatis Mechmet Gereium Chanum ad imperium suum adegit, subiugauitque: illum Sachmates Iauolgentium Tartarorum princeps insigni & memorabili strage deleto centum millium eius exercitu profligauit. Ex quo summum Turcarum imperium Chani agnoscunt. Tauricæ seu peninsulæ Tartarorũ Reguli seu principes ab eis constituuntur, vexillum accipiunt, & filios vel fratres Soldanos in obsides perpetuos Turcis dant.

SVCCESSOREM PERPETVVM REGNI *Tartari eligunt.*

Galga successor Imperij.

Delphini.

Galgæ summa potestas.

VErumtamen antiquissimo gentis more Galgam seu imperij successorẽ (Galli Delphinos itidem) præficiunt fratrem vel filium natu maximũ magisq; idoneum, penes quem in pace belloq; summa potestas est, verùm cũ consensu insigniorum Tartarorum Chani ipsi perpetuum eligunt & præficiunt. Quod si etiam inter Soldanos vel Chanum ipsum dissensio vel bellum aliquod pro imperio exoritur, Turcarum Imperator Sultanorum obsidem cum exercitu & vexillo in Tauricam seu peninsulam expedire non negligit: Chano Sultaniq; bello sedatis & pulsis in Principẽ sufficit, quapropter Ianizeros plurimos in Taurica seu Peninsula perpetuò ille alit.

ANTI-

ANTIQVA CHANORVM ELECTIO.

Electio libera.

Nogaienses Tartari.

Sachibgiereius Chanus & Deuletigereius.

Chanorum absolutum dominium.

CHanorum electio pro antiquo gentis more liberis Ducum Murzonum eximiorumque Tartarorum quondam vocibus constabat. Porrò propter frequentissimas illorum dissensiones, maximaq; bella, quæ à Nogaiensibus Tauricæ seu Peninsulæ vicinioribus Tartaris pro Imperio ab eis mota sæpius fuêre, Sachibgiereius & Deuletigereius Chani insignioribus potentioribusque Tartaris è medio dolo sublatis, & in vincula compactis ad se posteritatemque suam electionem pertrahere, absoluteque, Imperatore Turcarum eos iuuante & confirmante, Tartaris dominari cœperunt.

CHANORVM IN SOLDANOS FRATRES *naturales tyrannis.*

QVOD si verò non fratrem, sed proprium filium, vt plurimum contingit, in Galgatu Chanus constituere voluerit, propter seditiones illas, mutuasque inter se cædes, Soldanos fratres vniuersos dolo & arte circumuentos clam è medio tollit, plerique tamen illorum ad Turcam, à quo benignè accipiuntur, & consolantur, confugiunt, ac ab eo stipendium perpetuum habent.

SOLDANORVM APVD TARTAROS CVRAtio & prouisio.

Chani summum imperium.

Nogaiensiũ principes Soldani.

Soldani profugi.

SOldani Chanorum filij minorennes à Tartaris vel Murzis insignioribus educantur, & curantur, ne cùm adoleuerint propter illorum pluralitatem dissensiones aut bella aliqua moueantur: Singuli enim Chani summum agnoscunt imperium, & cùm adoleuerint idonei certis Tartarorum turmis præficiuntur, plurimosque Tartaros voluntarios ad se pertrahunt, plerosque tamen parentes eorum, quos chariores magisque idoneos putauerint, Nogaiensibus Tartaris præficiunt, pecunijs & equis remunerant. Nonnunquam etiam insidiarum inter se vel seditionum metu, curatorum tamen fauore adiuti, ad viciniores gentis suę vel Christianos principes confugiunt.

CHANORVM CONSILIARII ET AVlici perpetui.

Attalici Soldanorum curatores.

Hamiati principum promotores.

Officiales Curenses.

Consiliarij insigniores.

Cercesij Nogaien. & Petigoren.

Tartarorũ in aula Chani splendor.

COnsiliarios Attalicos, quos à curatione fęminarum, parentum vel vxorum suarum ita illi vocant, à quibus Soltani illi perpetuò ex ephebis etiam educantur & curantur: Hamiatos, qui principum peregrinorum fautores vel negotiorum promotores apud illum sunt, ac officiales etiam Curenses Chanis perpetuos habet. In primis verò Duces, Coraceios, Vlanos & Murzas insigniores in negotijs grauioribus ad consilia semper adhibet, & ad se conuocat. Aulæ ministros præcipuos & idoneos viros, quorum in legationibus, alijsq; diuersis negotijs necessarijs & seruitijs suis opera vtitur, qui in Consiliarios & officiales Curiales promouentur, ille habet. Illos etiam qui ex insigniori & nobiliori Tartarica iuuentute delecti sunt, mensibusque alternis in aula eius versantur, & cùm idonei efficiuntur, ijsdem dignitatibus honorantur, perpetuò alit. Attamen Cercesijs Nogaiensibus & Petigorensibus, qui nimium industrij, robusti, audaces, & in bellum promptissimi sunt, in primis & plurimum ille delectatur. Præcipuis dona honoraria & stipendia annua ille elargitur, ac eorum aula eius non rarò frequentior esse solet. In aula Principis insigniores Tartari & nobiliores non ad fastum vel superfluum luxum, verùm pro necessitate & honestate satis

splendidi

ſplendidi & ciuiles ſunt. Etenim ignauia & incuria, in primis verò in Deum impietate viciniorum Chriſtianorum populorum celeberrimis incurſionibus & bellis adeo ditati, opimiſque ſpolijs referti ſunt, vt eximiores & nobiliores priuatis opibus & ſplendore domeſtico, quem illi habent, non admodum Turcis impares eſſe poſſint. Fœminas Mahometica lege quot poſſunt & volunt alunt, & in vxores à Petigorenſibus plerumque emunt, quas etſi non ſuperbè, verùm ſatis pro gentis more cultè & ciuiliter, cùm quibus verò prolem habent, quàm honorificè & ſplendidè ſuſtentant, & curant. Liberos filios à prima ætate Arabicis literis inſtituendos, filias verò non domi alunt, verùm propinquioribus ſanguine curandas illi tradunt. Filios adultos Chano vel Soltanis in miniſterium, filias nubiles inſignioribus ac nobilioribus Tartaris vel Turcis in matrimonium collocant.

[Tartarorum diuitię.] [Tartarorum fœminæ.] [Petigorenſium fœminæ.] [Liberorum educatio.]

RELIGIO TARTARICA.

TArtari illi Mahometani ſunt, preſbyteros & templa Mahometica habent, literis Chaldaicis vel Arabicis à Turcis paulò corruptioribus vel rudioribus illi vtuntur, etſi antequam in Tauricam ſeu Peninſulam venerant, moribus multo agreſtioribus gens ea fera & campeſtris, quod nunc etiam ex agreſtioribus manifeſtè apparet, fuiſſe videntur: nam illis Mahometicis legibus, iuribus, litteris & moribus illa tum prorſus caruit. Enimuerò à Turcis humanitatem & falſum illum cultum Tartari edocti maiori nunc ex parte hoſpitalitem nobiliores colunt.

[Templa Mahometica.] [Mahometicæ leges.] [Tartarorum hoſpitalitas.]

LEGVM SEVERITAS.

IVS vel iuſtitia Mahometica lege apud Tartaros adminiſtratur in ciuitatibus vel oppidis Chani, & reliquorum Soltanorum. Preſbyterij Cadij vel Iudices in pagis, Begi vel præfecti, qui iniurias particulares audiunt & decidunt, perpetui habentur. Verumtamen capitis, ſanguinis, furti, quas criminales, fundi, quas ciuiles ſeu officij cauſas nos dicimus, Chanus ipſe cum Conſiliarijs ſuis decernit. In quibus exponendis Cauſidico opus non habent, ſubtilitatibus iuris, calumnijs, excuſationibus, nec dilationibus vtuntur. Extremæ enim conditionis Tartari vel peregrini homines coram Iudicibus & Chano ipſo, à quo ſemper audiuntur, & celeriter expediuntur, iniurias ſuas ipſi per ſe liberè admodum exponunt, vniuerſis enim ſemper ad illum aditus patet. Cùm in publicum exit, miſerrimæ ſortis homines non excluduntur, à Chano verò conſpecti examinantur, videlicet vt ſiquid opus habeant referant. Nam non ſolùm legibus obedientiam magnam illi præſtant. Principes ſuos Deorum loco ipſi adorant, & venerantur. Iudices pro lege ſua Mahometana perpetui ſpirituales pro Diuis, indubitatæque omnis æquitatis & integritatis fidei & opinionis viri inter illos habentur. Principes & Magiſtratus imperata & iuſſa fideliſſimè cum alacritate, promptitudine, ingentiq; metu quàm celerrimè exequuntur, & expediunt. A controuerſijs, criminationibus, iuridicis, obiurgationibus minus neceſſarijs & particularibus, inuidia, odio, tetris exceſſibus, omni luxu & ambitione, in victu & amictu prorſus alieni ſunt. Menſibus amplius nouem ibi ego manſi, nec audiui prorſus aliquem actum criminalem, nec ciuilem inter eos contigiſſe, nec inimicitiarum cauſa compoſitionem aliquam obtigiſſe.

[Cadij ſeu Iudices.] [Begi vel præfecti.] [Cauſæ criminales vel ciuiles.] [Facilis ad Chanum aditus.] [Tartarorum obedientia.] [Chanorum honor.] [Iudices ſpirituales.] [Tartari non litigioſi.]

TARTA-

TARTARORVM IN AVLA CHANI ET inter ſuos ſecuritas.

IN aula Principis nec inter ſuos gladios, arcus, nec alia aliqua arma illi geſtant, exceptis viatoribus vel peregrinis iter facientibus, in quos admodum humani & hoſpitales ſunt. Illi à prædonibus ſemper ſecuri: verùm à latronibus vel furibus noctu, qui nihil quicquam aliud præter equos illis furantur, niſi perpetuas excubias agant, minus tuti eſſe ſolent.

[Peregrinorum ſecuritas.]

TARTARORVM REI FAMILIARIS, VICTVS, & manendi ratio.

REm familiarem, etiamſi ſolum fertile illi habent, nobiliores & agreſtiores tamen, iiq; pauci curant, plurimi etiam agros non colunt, nec ſerunt, equis, camelis, bobus, vaccis, pecoribus & ouibus abundant, ac inde victitant. Nobiliores tamen panem, carnes, cibum, vinum crematum & mulſum potum habent, agreſtiores verò pane carent, verùm milio concuſſo, lacte & aqua diluto, quem caſſa vulgo nominant, pro cibo, pro potu lacte equino & caſeo vtuntur. Camelos, equos, & boues oneri inutiles, vel iã moribundos iugulant, ac ouium carnibus non raro veſcuntur. Nobiliores non in campis, verùm in Tauricæ ſeu peninſulæ pagis, qui in ſyluis proximi ſunt, habitant, etſi pagos proprios plurimi nõ poſſident: attamen agros & fundos proprios ibi habent. Quos Vngarorum, Ruſſorum, Moſchorum, Valachorum ſeu Moldauorum mancipijs, quibus abundant, colunt, ac vt iumentis ad opus omne vtuntur. Aedificia & domus ligneas ſimiles admodum Turcico more ædificant, verùm Græci Chriſtiani, qui in paucis villis ſunt, vt mancipia operantur & agros colunt: Tartari autem Chano, vel inſignioribus Tartaris vt tantùm victum habeant, & veſtiantur, nullo pretio conducti inſeruiũt, cæteri verò, iiq; plurimi ſemper otioſi ſunt. In ciuitatibus vel oppidis pauci admodum mercantur: mechanicas autem artes rariſſimi exercent, & quicunq; mercatores vel artifices ibi reperiuntur, vel Chriſtianorum mancipia, vel Turcæ, Armeni, Iudæi, Cerceſij, Petigorenſes, qui Chriſtiani ſunt, Phyliſtini vel Cyngani obſcuræ & extremæ conditionis homines ſunt. Tartari illi, qui in campis extra Perecopiam, vel in Peninſula degunt, ſyluas nullas, fontes quos vbiq; locorum mancipia illorum excauant, ligna ex pecorum ſtercoribus, quæ mancipia in campis legunt, & in ſole ſiccant, & domus eas, quarum in ſuperiori deſcriptione mentio fuit, habent. Tartari illi Chanorum Soltanorum, cæterorumque inſigniorum Tartarorum ſerui vel ſubditi ſunt mancipia & greges animalium innumerabiles dominorum ſuorum ſemper procurant & paſcunt, ac etiamſi de loco ad locum in campos & paſcua ſemper vicatim vel pagatim progrediuntur villis, vel pagis aut turmis ſingulis, quarum cognomina & dominorũ eorum præfecti habentur, procedunt, vt quos Tartaros captiuorum cauſa noſtri requiſiuerunt, facilè eos ibi inueniant.

[Tartaricus cibus.] [Tartaricus manendi modus.] [Captiuorũ conditio.] [Tartari otioſi.] [Tartari mechanicas artes non exercent.] [Tartarorũ in Campis conditio.] [Tartarorum villæ ſeu pagi.]

DONATIVVM CHANI, ET LEGAtorum Principum apud eum ratio.

DOnatiuum annuum à Rege Poloniæ, magno Ducatu Lituaniæ, Moſcorum duce, Palatino Moldauiæ, & Cerceſijs Nogaienſibus Tartaris ex pactis & fœderibus Chanus perpetuum habet. Legati, Oratores, Nuntij & Internuntij Principum eorum annis ſingulis ad eum veniunt, quos nõnunquam humanius & liberalius, aliquando verò plus quàm Barbarico

more

more excipit, violat, diutiusue detinet. Cùm itaque Perecopiam veniunt, vnicus Chani homo eis obuiam venit, æstate in pratum vel campum, in quo sub tentorio quiescunt: Hyeme verò in pagum Almæ, vel Bachasanij oppido Regiæ eius vicinum securius, quàm honestius & commodius deducuntur. Postquam verò eo diuerterint per Consiliarios, vel Aulæ ministros nomine Chani salutantur, commeatu vel victualibus bobus duobus, vel vno, ouibus aliquot, panibus, vino ac hordeo, non pro liberalitate, sed hospitalitate quadam, ac pro vna vice tamen satis moderatè procurant. Cùm autem ad Chanum vocantur Soldanis, Tuianis, Vlanis, Marzis, Cōsiliarijs primoribus, cæterisq; quàm plurimis aulæ ministris & insignioribus Tartaris præsentibus eos audit: per vnicum tantùm hominem ad Chani fores deducuntur, per Consiliarios verò duos introducūtur. Cùm itaq; introducti fuerint, antiquo gentis more Chanum illi adorant. illoq; salutato genibus flexis exponunt, in eiusq; conuiuium adhibentur. Poculis vel crateris deauratis & gemmis distensis mulso impletis de more gentis in signum clementiæ & beneuolentiæ manu Chani porrectis, quos genibus flexis ebibunt, honorãtur. Et cùm expediuntur in conuiuiū eos Chanus iterum adhibet. Conuiuio itaq; peracto parum ante fores secedunt eius palatij. Vestibus sericis auro intextis vsq; ad talos de more gentis comparatis, equo vno vel duobus, non rarò etiam captiuis gentis eorum hominibus remunerantur. Ac ita vestibus amicti ad Chanum iterum redeunt, pro hospitalitate & liberalitate gratias ei referunt, & salutato illo ex conuiuio discedunt. A Chani vnico homine commeatus exiguus in ditionibus eius cùm iter arripuerit non rarò illis procuratur, & ad Boristhenem vsque ab illo deducuntur.

Tartarica hospitia.

Comeatus Legatorū.

Comeatus Tartarorū.

Legatorum ad Chanum accessus.

Chanorum in legatos honor & humanitas.

CHANI IN TAVRICAM SVMMA POTEstas & reditus.

TVrcarum Imperatores eam potestatem perpetuam Chano in Taurica seu Peninsula fecerunt, vt cùm Caphensis Bassa vel Seniacus moritur, vniuersas in Peninsula ditiones ille administrat, donec Seniacū alterū Turca eò miserit, vel quem ille promouebit Caphæ præfecerit. Perecopiæ, Cosslouiæ, Caphæ, ac alijs, quæ Turcarum ditionis sunt, Tauricæ seu Peninsulæ ciuitatibus Chanus Teloneum commune cum Turca habet. Contributionem à Tartaris, Armenis, Iudæis, Cercesijs, Petigorensibus & Græcis Christianis, quos ditionis suę paucos admodum habet, Turcis tantū exceptis exigit in annū: diebus singulis Chano Taleri viginti quinq;, Galgæ Taleri duodecim cum medio, Soltano obsidi Taleri duo cum medio, ex Turcico ærario in stipendium perpetuum numerantur, ac eidem obsidi pagi & agri amplissimi ad Adrianopolim Ianbolu dicti à Turca conceduntur. Ducibus Caiaceis, Vlanis, Murzis, ac cæteris quàm plurimis, qui merentur & pro singulorū conditione stipendia perpetua dantur. Veruntamen captiuos bello captos vtriusque sexus, pelles nobiliores seu pretiosiores ac viliores, butyrum, sal, quo in Taurica seu Peninsula ille plurimum abundat Imperatori Turcarū annis singulis Chanus perpetuò pendit. Ac in quodcunque bellum missus vel vocatus fuerit, illud detrectare, nec cuipiam alij præter Moscorum Ducem Imperatore Turcarum inscio & inuito bellum inferre potest. Redditus annuos pecuniarios è captiuis insignioribus bllo acquisitis aureos tres, à tenuioribus talerum vnum, eorumque decimam, à fontibus verò singulis, qui in Tauricæ seu Peninsulæ campis ditionis eius plurimi admodum sunt, equum vnum à Tartaris Chanus exigit, aut vrgente etiam necessitate aliqua contributionem certā vniuersi Tartari Chano decernunt, nunquam tamen illis onerosus est. Insigniores Tartari diuersi generis alimoniā, nam ei non colitur,

Caphensis Bassa.

Chani in Taurica teloneum.

Chani à Turca stipēdium.

Soldanorum à Turca stipendium.

Tartarorum insigniorum à Turca stipendia.

Chani Turcarum Imperatori pensio.

Chani cum Imperatore Turcarum pacta.

litur, nec seritur domi & bello etiam Chano semper præbent: equorum, camelorum, boum, ac ouium infinitos greges proprios ille semper habet. Monetam propriam habet, cupream vilem, quæ in oppido ditionis eius Crimo cuditur, nummos rotundos, quorum deni Aspra argentea Turcica, quæ grossum vnum vel minus Polonicum efficit, ęstimantur. Me autem præsente cudebantur nummi cuprei deargentati maiores, qui Aspris quinque computabantur: In cudenda ea commodum seu quæstum vberrimum habet, nam tribus vel quatuor annis ex eadem moneta, quæ in officinam monetariam ab vniuersis importatur Tartaris, vel peregrinis, moneta noua inuenta perpetuò cuditur. Etenim in vniuersa Taurica seu Peninsula illa nemini licitum est Tartaro vel peregrino etiam in Turcarum ditionis ciuitatibus sub capitali pœna bonorumque confiscatione, cuiusue cōditionis ille esset, aureum nummum Turcicum, vel peregrinorum talerū, vel aspram argenteam Turcicam valore alio in nummos Tartaricos computare. Nec moneta aurea vel argentea, verùm Tartarica mercari, quam vniuersi peregrini nullis exceptis Chani edicto perpetuò accipiunt.

Chani alimonia.

Moneta Chani.

Monetæ vtilitas.

Chani monetæ prærogatiua.

CHANORVM ET TARTARORVM expeditio bellica.

CVm Chanus in bellum aliquod descensurus est, in primis Tartaris vniuersis ditionum suarum per aulæ ministros significat, ac vt tribus vel ad summum septemanis quatuor ad bellum sese expediant, & in menses tres vel quatuor comeatum sibi curent imperat. Alimonia illa in saccis è corio factis: illi sacci apud insigniores in equis portantur. Ac eius generis alimoniā secum ferunt, milium igne siccum, vel assum contusum, vel emollitum, nā & molendina illi habent, ac inde cibum vel potum aqua dilutum plerique conficiunt. Caseum & carnes diuersi generis, & equinas fumatas in sole coctas vel siccas eas frustillatim scindunt, & ossibus abiectis in saccis condunt. Equarum caseo, lacte, & acetoso lacte, quod illi arte quadam condientes eximium habent obsonium, victitant. Quā ob causam à quodam Poeta omnes eius tractus incolas Galactophagos quondam appellatos fuisse apud Stratonē reperio. Chanus vnū tantùm currum propter aliquem morbi casum secū habet. Camelos etiam paucos, in quibus pro persona sua vinum crematum, vel aliquod paruum obsonium, quo ille facile contentus est, portatur. Cæterùm Tartari sigillatim cibum ei & aulicis eius apponunt, insigniores ijque pauci admodum Tartari panis sicci, viniqué cremati modicum in camelis, vel in curribus leuioribus non rarò vehunt.

Galactophagi.

Tartari in bello Chano cibum apponunt.

CHANORVM ET TARTARORVM in bellum exeundi modus.

POstquam verò expeditionem in bellum Chanus decreuerit, exercitatos aliquot iusto numero, eosque Tartaros non rarò, crebrius tamen Cercessios Petigorenses eligit, ac eos qui regionum & cæterorum Principum Prouinciarum exploratores, & viarum ductores peritissimi censentur, singulos locorum & confinium transitus, & traiectus optimè norunt, quàm celerrimè expedit. Et cùm in confines illi veniunt, in viciniores ditiones proficiscuntur, & singuli in locis diuersis omnia explorant, & de captiuis diligenter curant. Quos cùm interceperint, celerrimè ad Chanum cum eis veniunt, ex quibus quæstionibus adhibitis Chanus statum earum prouinciarum, in quibus illi exploratores fuêre, facilè agnoscit. Idcirco profectionis diem extemplò Chanus Tartaris assignat, quo ille solus mouet, & aulæ suę ministros ali-

Horda ſeu prouincia.

quot per Hordam ſeu prouinciam vniuerſam celeriter præmittit. Illi Tartaros & Chriſtianos ditionis vniuerſos viros & adoleſcentes, qui modò equis inſidere poſſunt, præter imbelles & ſenes & tenuiores, qui etiamſi equis & armis carent, à ditioribus tamen in ſpem prædæ iuuantur: in bellum ire & Chanum ſequi cogunt, & impellunt. In octiduo autem, vel ad ſummum diebus decem ab eo Chani diſceſſu vniuerſi in locis certis iam determinatis, qui extra Perecopiam ad Boriſthenem ſunt, eum inſequuntur, collectis & conuocatis Galga, Soltanis, Ducibus, Murzis, ac vniuerſi exercitus probatiſſimis ſtrenuis, & primarijs bellatoribus & militibus, ijſque ad conſilium adhibitis in primis captiui recentiores & exploratiores ipſi examinantur, demum de commoditate temporis, locorum, occaſione rei bene gerēdæ, & quonam bellum commodius tum perſequendum ſit, celeriter conſultatur. Ac mutuo conſenſu & conſilio facto & definito, nihil tamen multitudini promiſcuè horum ſignificatur.

Tartari vniuerſi in bellum proficiſcuntur.

Chani conſilium Caſtren.

TARTARORVM IN HOSTICVM *procedendi ordo.*

Tartarorum agmina.

EX eodem itaq; loco Chani Galgæ, & Soltanorū aulæ miniſtris præeuntibus Ducum Murzonum & cæterorum inſigniorū Tartarorum agmina, quæ genere ſuo antiquitus ducunt, eique præſunt, ac ea vocabulis diuerſis ſermone ſuo vocitant, ordine iuſto ſubſequentibus de more gentis antiquo Chanus ſub ſignis exercitum mouet, poſtquam verò in hoſtico conſtiterit, iterum peritiſſimos ac exercitatiſſimos certo numero exploratores præmittit. illi exercitum vniuerſum præcedunt, obuios homines agreſtes vel quoſpiam alios comprehenſos Chano remittunt, ex quibus de ſtatu & exercitu hoſtium Chanus certior eſſe poteſt. Cùm autem Chanus exercitum hoſtiū nullum obuium ſibi fore certò compertum habuerit, Conſilium Caſtrenſe cum ſuis primatibus & proceribus quàm latè & profundè ditionibus hoſtiū nocere debeat iterum facit. Tum demum cum exercitu vniuerſo ordine iuſto paulatim procedit, viros agreſtes obuios ſub capitis graui ſupplicio necare vniuerſos imperat, ne à Tartaris comprehenſi fortè illi aufugiant, ac de exercitu hoſtes eorum certiores reddant, eorumque hominibus noceāt. Porrò fœminas & pueros non necant, nec cōprehendunt, neue prædæ cuiuſuis manus inijcere audent, ne ea exercitus illorum oneretur, & moram aliquam in progrediendo protrahat.

Chani conſilium Caſtrenſe iterum.

TARTARORVM IN HOSTICO *caſtra & bellandi modus.*

CVm autem ad arces, oppida, vicos, pagos, & loca cultiora Chanus cum exercitu peruenerit, Duces, Murzones & aulæ primarios, ac exercitus vniuerſi eximios, probatiſſimos, ac præcipuos bellatores viros decem, vel ad ſummum quindecim millium delegit, & in ſtatiuis vel obſidione caſtri alicuius penes ſe relinquit: Galgam, reliquos Soltanos, Duces, Murzas, ac vniuerſum exercitum, qui demum aliquot millium cenſetur, Chanus expedit. Ac ille exercitus per agmina diuerſa, quibus ſingulis probatiſſimi & idonei viri præſunt, in longitudinem milliaribus amplius decem: in latitudinem totidem ſparſi extenduntur. Et quemadmodum illi inter ſe conueniunt ad ſummum ſeptem vel octo, ad minus verò tribus vel quatuor diebus per loca diuerſa turmatim diſcurrentes, & palantes prædas agentes, ac obuia quæq; gladio & igne vaſtantes ad ſtatiua reuertuntur. Quod ſi autem ad conuentum diem aliqui eorum ad ſtatiua non redierint, nec ijs quidem exſpectatis mira celeritate exercitus vniuerſus ordine ſuo ex ſtatiuis mouet.

Chanus ex hoſtico exercitum mouet.

Tartari turmatim diſcurrunt.

TARTARORVM DIMICANDI, AC *acies conſtituendi ratio.*

ET cùm ne tum etiam exercitum aliquem ſe conſequi certum Chanus habuerit, equitum ſelectiſſimorum, & adhuc nō feſſorum millium aliquot exercitum in loca non tacta turmatim expedit. Totidem etiam ne in inſidias vel comitatum aliquem ille exercitus incunctanter incidat, apud arces & oppida obuia Tartaros in inſidijs in locis diuerſis collocat. Quod ſi verò ab exploratoribus de aliquo exercitu hoſtium numeroſo certo acceperit, rem vniuerſæ dimicationi ille nunquam committit, verùm cum exercitu ſuo cautè & paulatim progreditur, ſi verò hoſtium copias numeroſas & fortes Chanus eſſe certò cognouerit, pauliſper ille deflectit, cultiora & pacatiora loca petit. nimiaq; celeritate igne, gladio ea vaſtat citato curſu, & raptim præda abacta in ſua redire intendit. Quod ſi ne tunc quidem hoſtes ſe conſequi poſſe ſperauerit, eodem ferè ordine, nec nimium tamen ſecurus ad fines ipſos vſq; cum exercitu contendit.

Tartarorū turmæ iterū

Tartarorum ſtratagemata.

Chani ex hoſtico receſſus.

CAPTIVORVM IN CONFINIBVS DIVISIO.

QVam primum autem in confinibus ipſis conſtiterit, præcipuorum captiuorum decimam ex vniuerſo exercitu Chanus percipit. Agminum verò præfecti ex ſingulis turmis, ac ij qui captiuorum maiorem numerum adduxêre ex reliquis captiuos præcipuos accipiunt. Reliqui etiam promiſcuæ multitudinis Tartari per agmina ſua captiuos inter ſe partiuntur. Verun tamen antequam ad diuiſionem eam deſcendant, ſingulis ijs, qui equos, veſtes, vel quippiam aliud turmatim diſcurrentes amiſerant, in primis ſatisfaciunt. Captiuos nobiliores vel agreſtiores, quod ſi pretium nullum quo ſe eximere poſſent cum eis conſtituerint, eo quod Chanus mercatorum muneribus corruptus ingens precium decreuerit, Tartaris vendunt.

CAPTIVORVM APVD TARTAROS RATIO *& redimendorum modus.*

MIſerabilis admodum conditio apud Tartaros captiuorum eſt, nam fame, nuditate, agreſtiores verò & verberibus ab illis vehementer premuntur, vt potius mori quàm viuere illi magis cupiant: Plurimi verò præſēte calamitate & ſtoliditate ducti nobiliores ſe eſſe, parentes vel amicos claros, & diuites habere Tartaris prædicant. Precium ingens fereque inæſtimabile illis vltro pollicentur, quod gens barbara, impia, auara, famelica & crudelis, omni genere fallaciarum, & quæſtionum ferè indies augere ab illis cupit, compedibus vincit, eoq; durius ſeruat. Cùm autem Nuncium gentis eorū ad Chanum aduentare Tartari intellexerint, cum captiuis ſuis ei occurrunt, à quo pretium nonnunquam ab eis falsò nominatum, vel à captiuis etiam aliquando, promiſſum poſcunt: verùm nuncij, qui artes & falſitatem Tartarorum probè norunt, ſtoliditatem captiuorum reprehendunt, eoſque non nobiles nec diuites eſſe, ac ne noſſe quidem neue precium illud illos vnquā exſoluere poſſe Tartaris prædicant, & nulla quaſi prorſus pietate & religione moti à ſe reijciunt. In Catalogum tamen à nuncijs inſcribi curantur, ac ſi aliquos eorū ære proprio liberare cogitauerint, Iudæos vel Tartaros pecunia corruptos alioſq; mercatores ſubordinare neceſſe habēt: à quibus multo faciliori precio à nūcijs neglecti quaſi reiectique, liberātur. Nihil itaq; captiuis præſentius quicquam eſt, quàm vt preciū hoc, quo Turcis ac Iudæis mercatorib9 peregrinis, alijſq; extra mare vendūtur, vel paulo maius, vel in duplo, ſi id

præſtare poſſunt, Tartaris promittant, vel offerant, quod ſi ab agreſtioribus, vel alijs, vt plerumque Tartari inquirere ſolent de captiuis, qui illi ſint nihil cognoſcere poterunt, facilè acquieſcent. Nec tamen peregrinis, potius verò nuncio gentis ſuæ illos vendunt, quod ſi à nuncio eo non liberantur, ad parentes tamen vel cognatos eorum litteras ſcribere Tartari eis imperant. Captiui etiam plurimi Tartarorum captiuorum permutatione, in quibus curãdis & liberandis multò maiorem pietatem, officium & ſtudium Chriſtianis noſtris Tartari exhibent & impendunt, liberantur. Etenim omni pretio poſt habito in primis à captiuis noſtris Tartaris captiuos ſemper illi paſcunt, quos vt pleriq; ſolent cùm illis promiſerint, nec tamen præſtiterint, multo maius incommodum ſibi illi miſeri accerſunt. Nam precium ferè inæſtimabile, quo illi Tartaros ſuos penſant, ab eis poſcunt, quod cùm illis ſoluendo non ſunt, eo quo poſſunt ingenti, vel non raro nimio etiam pretio in ſeruos perpetuos Barbaris peregrinis extra mare illos vendunt, vel quod ſi Tartari ditiores ſunt, captiuitate perpetua illos mulctant.

Tartarorum pietas.

TAVRICANORVM TARTARORVM Principis ſeu Chani exercitus.

TArtaricum exercitum vniuerſum ex equitatu collectum Chanus habet, centenis aliquot Ianizeris peditibus Sclopetarijs exceptis, quos vel à Turca auxiliares, vel proprios Chanus alere, & bombardas aliquot minores in bellum ſecum deducere ſolet. Ex Taurica ſeu peninſula Perecopenſes & Crimenſes, Oſſouienſes, Nogarienſes, Circeſſij, tributarij & auxiliares Circeſſiorum Petigorenſium Duces ſtipendiarij vel mercenarij, & voluntarij Chano in bello præſto adeſſe ſolent. Oczacouienſes & Bialogrodenſes, etiam qui ex pactis perpetuis, quæ cum Imperatore Turcarum habent, non raro etiam & Dobrucenſes Tartari Danubij accolæ iuſſu Imperatoris Turcarum in bellum eum ſequuntur. Exercitus ille vniuerſus ex Tartaris ijs collectus numerum centum millium & viginti, nonnunquam etiam amplius triginta conficere, nõ raro verò numerum illum ſuperare ſolet. Quemadmodum ex plurimis Chriſtianis fide dignis, qui Chanũ in bellũ ſæpius ſequebantur, ac captiuis & noſtris nobilibus, qui exercitũ eius ſæpius viderũt certò ego accepi.

Dobrucenſes Tartari. Chani exercitus numeroſus.

TARTARI QVIBVS ET QVAM numeroſis equis in bello vtuntur.

EQuos Tartaricos, elegantes, optimos, robuſtos, veloces, mediocres & cõmodos admodum ad labores ſuſtinendos plurimos, ac pro neceſſitate vniuerſi habent. Chanus, Soltani pleriq;, inſigniores Tartari Turcicis, Caramanicis, Arabicis, cæteriſque Aſiaticis, Tartaricis, optimis equis peregrinis in bello vtuntur. Perniciores tamen in maximo & inæſtimabili ferè precio equi apud illos habentur. In campis Tauricæ ſeu Peninſulæ, ſæpius verò ad Boriſthenem & Tanaim vſq; fluuios æſtate & hyeme eos perpetuò illi paſcunt, nobiliores verò equos paucos admodum pro neceſſitate tantũ nõ ad faſtum vel luxum aliquem domi illi alũt. Equitatu verò inutiles & viliores curru rariſſimè iungũt, camelis enim & bobus omne opus faciunt.

ARMA ET APPARATVS BELLIcus Tartaricus.

ARmis antiquiſſimis framea, ſeu gladio Tartarico curuo, oblongo, & ſpiculo Turcico, vel Perſico breuiori & latiori ex ferro optimo, & opere bene facto; Arcu Tartarico proprio, & Aſiatico ſtrictiori vel latiori, vel Turcico opere præſtantiori, ſagitta longa, & pernici, pharetra, nonnunquam haſta breuiori Tartari ex antiquo gentis ſuæ more vtuntur. Loricati, galeati, & in armis Perſicis vel Moſcicis, quibus Chriſtianorum præda ditati abundant, incedunt. Sellas & frena de more gentis antiquiſſima, commodiſſima, non ad faſtum, vel luxum, inſigniores tamen eleganter & fortiter ad neceſſitatem compendioſè admodum parata habent. Plurimi verò in exercitu illorum Tartarico prorſus inermes & imbelles ſunt, ac ij propter numeroſiorem exercitum equos pene infinitos in bellum ſecum ducunt. Nam extremæ etiam conditionis Tartarus vnico vel duobus equis, verùm tribus, quatuor & amplius, quos modò ad manum ſecum habere poteſt, vix contentus eſt. Idcirco tam numeroſus, permagnus, & terribilis admodum Tartarorum exercitus efficitur, qui cùm à longè conſpicitur, ingens ferè & numeroſus plurimum exercitus Tartaricus à noſtris hominibus eſſe putatur.

TARTARORVM EX HOSTICO DISCEDENDI ratio & turmarum diſpoſitio.

CVm iam exercitus Tartaricus in hoſtilem Prouinciam peruenerit, turmas ſeu cohortes nullas Tartari conficiunt, nam omnes turmatim ſeſe effundunt, & paulatim progrediũtur. Excubitores plurimos in partibus omnibus per turmas diſponunt, quas ſubſidiarias maiores vel minores illi conficiunt. Poſtquam verò illorum primi hoſtem conſpexerint fugam ſimulant, vt eò facilius in turmas eas, quas inſidiarum loco illi ponunt, hoſtem impellant, ac ea ratione eum opprimunt. Verumtamen cùm exercitum hoſtilem numeroſum illi conſpexerint, ad agmina, ordines, & vexilla ſua tam facile & citò perueniunt.

TARTARORVM IN CONSTITVENDIS vel regendis cohortibus celeritas.

MAxima in conſtituendis & regendis cohortibus eſt celeritas, quandoquidem nõ ſolum Ducum & præfectorum cohortium ſuarum admonitionibus: verùm flagrorum etiam demonſtratione, vt gentis ille mos antiquus eſt, & ad nutum etiam ita parent, vt quàm facillimè cùm opus fuerit in ordines ſuos ipſi redigantur.

CHANORVM ET EXERCITVS in hoſtico præſidium & vexilla.

CHanus aliquot millium numero inſigniorum fortiſſimorumque Tartarorum cohorte, centenis aliquot Ianizeris peditibus Turcicis & bombardis minoribus nonnullis in bello ſemper munitur. In cohorte Chani maxima cauda alba equina in haſta maiori pro vexillo, ac Imperatoris Turcarum ſericeum viride, & rubrum præfertur. Tartarorũ cæterorum vexilla & ſigna plurima coloris diuerſi in turmis illorum apparent.

CHANORVM IN TARTAROS emeritos & idoneos ratio.

APud Chanum, Soldanos Kuiazos & Murzas inſigniores milites illi, qui in re bellica dexteritate & opinione ſunt clari, operam & facinus aliquod inſigne in bello nauarunt, in maximo honore habentur. Ac ea illorum eſt ratio, vt non ſolùm ingentibus quibuſdam beneficijs & liberalitate ea qua Chanus poteſt eos conſolatur, verùm etiam virtutum & meritorũ illorũ ita eſt ille memor, quod locũ honorariũ perpetuum illis, ſucceſſoribuſque eorum inter Murzas inſigniores in conſeſſu, ac vt ipſis mos eſt, apud menſam ſuam eis aſſignat. Ille honor apud Tartaros maximus & hæreditarius eſt, nam & in bellum euntes idonei & exercitati viri, qui eum locum poſsident, eo honore in ducendis cohortibus à Chano dignantur. Captiuos etiam Tartaros aliquos permutatione captiuorum Chanus liberat, in reliquis verò redimendis ærarium proprium liberaliſsimè profundit, & qua ratione poteſt, eos libenter conſolatur.

FINIS.

CHO-


TRANSILVANIA.
SEPTENT RIO.
MERIDI ES.
OCCIDENS.
ORIENS.
CI CVLI.
MOLDAVIÆ TERMINVS.
SED CHVK
SED MARCOS
NOSTER LAND
BISTRICIA Besterez H.
SED Veuerhel
SED KISDI.
SED ORBAI
SED SCEPSI.
SED Kysdy
SED Reps
ALTLANDT.
CENTVM COLLES
WEINLAND
BVRZELAND Burcia.
CORONA STEPHANOPOLIS. Cronstatt. Brasso H.
CLAVDIOPOLIS Clausenburg Kolosuar H.
NIGRA PALVS Feketetho H.
LAND VOR DEM WALDT
ALBA IVLIA Weissenburg Gulafeyruar H.
ZABEVS Millenbach
VALACHIAE PARS.
TERGOVISCIA Teruisch
Argisch templum
Vallis Hatzag vbi olim ciuitas Sarmisgethusa.
4. Bergstet.
H. Litera in hac tabula nonnullis vocabulis adiuncta significat ea esse Hungarica.
Aluta flu.
Marus flu.
Danubius fl.
46
47
48
49

CHOROGRAPHIA TRANSYLVANIÆ, GEORGIO A REYCHERSDORFF, TRANSYLVANO, AVTORE.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO, D. FERDINANDO, DEI GRATIA, ROMANORVM, HVNGARIAE ET Bohemiæ Regi &c. Domino suo clementissimo.

QVoniam video plærosque in hac esse sententia, vt nulla re magis demereri putet Principum animos, quàm auro, gemmis, & id genus muneribus, quibus Regio fastigio magnam fieri accessionem arbitrantur. Ego verò longè satius esse duxi, perpendere, qua fide, quo candore, qua denique in officijs obeundis alacritate, quisque sibi eum demereri studuerit. Nã cùm in amplissima fortuna sint constituti, quid est, quod ad fœlicitatem illorum huiusmodi fortunarum illecebris amplius accedere queat? Qui verò hoc agit, vt illis immortalẽ gloriam adportet, is meritò cæteris præferendus mihi videtur: Quod non alia re facilius fieri posse arbitror, quàm si quis nomen illorum scriptis suis prouehat, ac posteritatis memoriæ tradat. Cui enim testatum foret, tot Heroas, Cæsares, Reges, atque Imperatores ante nostram memoriam vixisse, nisi clarissimorum iuxtà ac doctissimorum virorũ literis fuissent celebrati, cuius rei vox illa Alexãdri Magni, magno Principe digna, testis est: Qui cùm ad Achillis tumulum peruenisset, eum vel hoc nomine fœlicissimum appellauit, quòd tantum præconem laudum suarum habere meruisset: Atque id Principibus largiri potest ab his solum, qui fœlicioribus ingenijs, maioriq; eruditione præditi sunt. Cæterum cùm vtraque via mihi sit præclusa, & nec opibus polleam, nec mihi quippiam eruditionis vendicare audeam, superest quod in sacrorum ritibus obseruare solent, qui tauro vel thure sacrificare nequeunt, farre tamen & mola salsa litant. Magni quoque Principes nonnunquam plebeis rebus delectantur. Id quod diuum Maximilianum Cæsarem, Auum Maiestatis tuæ, ex venatione ad casulas rusticanas diuertentem, sæpe factitasse

dicunt,nimirum rem non vtilitate,ſed animi promptitudine metitum.Proinde Rex Sereniſsime,quum nuper Moldauiæ deſcriptionum in lucem edidiſſem, commodum venit in mentem, Tranſyluaniæ quoque prouinciæ generalem conſtitutionem, ſitumq́; locorum, & amœnitatem terræ illius comprehendere, quo magis horum commentariorum lectione quiſq́; peregrinantium ad faciliorem iſtius prouinciæ cognitionem peruenire queat.Viſum itaque eſt,hoc opuſculum S. Maieſtati tuæ inprimis dedicare,cùm propterea, quòd Tranſyluanica legatio mea magnis diſcriminibus & periculis exhauſta eadē profectione Moldauienſi fuerat coniuncta, cuius quidem terræ deſcriptionem Maieſtati tuæ iampridem nuncupaui,tum propter ſingularem Celſitudinis tuæ erga me clementiam, tùm præcipuè, vt aliquo ſaltē argumento fidelia ſeruitia mea in ea legatione Maieſt.tuæ præſtita,animi denique mei promptitudinem ad eiuſdem Maieſtatis tuæ gratiam merendam cumulatius meis ſtudijs declararem,ſupplicans humillimè,ne Sacra Maieſtas tua fidelis ſeruitoris ſui officia aſpernetur. Quam Deus Opt. Max. pro fœliciſsima vniuerſorum Regnorum ſuorum gubernatione,ac Chriſtianæ Reipub.conſeruatione,fauſtiſsimè conſeruet ad multa ſæcula.

E. Sacræ Maieſtatis tuæ

fidelis & humilimus
ſeruitor,

Georgius Reycherſdorffer,
Secretarius indignus.

REVE-

REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO PRAESVLI ET DOMINO, Dn. NICOLAO OLAHO, EPISCOPO AGRIEN. SACRATISSIMAE

Romanorum,Hungariæ, Bohemiæqúe &c.Regiæ Maieſtatis Cancellario præcipuo, longeq́; digniſsimo, Domino & patrono colendiſsimo,Georgius à Reycherdorff, Tranſyluanus, eiuſdem Maieſtatis ſuæ Secretarius, felicitatem precatur omnem.

CVM non ſim neſcius,Præſul ampliſſime, D. T. R.totius regni Trāſyluaniæ ſitum & ambitum non ſemel peragraſſe, omniumq́ue locorum non mediocrem habere cognitionem,cùm potiſſimum T. R. D. in ea prouincia nata,& à teneris annis educata ſit,non indignū fore putaui,ſi hoc opus,quod Regiæ Maieſtati, Domino noſtro clementiſſimo,dedicare conſtitui,T. R. D. inprimis offeram,quò vel T.R.D.de eo iudicium facere,vel ſi qui errores noſtra negligentia incidiſſent, pro rara, qua prædita eſt,eruditione & peritia, magis politam ac illuſtriorem reddere poſſet. Quamobrem magnoperè mihi ſuſpiciendi videntur & obſeruandi, qui perluſtrata cognitaq́; tota iſtius mundi machina & compage, in breuiſſimo quaſi chartæ ſpatio tot regna,regiones,gentes,nationes varias, diuerſaq́ue populorum inſtituta,ac mores, quaſi viuis lineis coloribusq́ue deliniarunt:Maiore tamen illi videntur laude eſſe digni, qui rudem hanc materiā copioſiore deinde ſtylo illuſtrarunt.Nam licet illi vniuerſum totius mundi ambitum,ſuis quaſi cācellis circumſcripſerint, omnibus cæli regionibus,ſuas nationes,ſuaq́ue ſubiecerint domicilia, nihilominus tamen multum illis,aut præſenti cognitione,experientiaq́ue contentis,aut alia tanquam exilia aſpernantibus, ad particularium locorum ſitus, moresq́ue deſcribendos defuit:Quod etiam inde apparet,multa Eratoſtheni,Straboni, Veſputio, atque adeò ipſi Ptolomæo incognita fuerunt, quæ noſtra memoria è tenebris in lucem prodeunt.Ita ſanè etiam de Moldauia dici poteſt, quæ hactenus nō aliter,quàm ſolo nomine cognita fuit, & fortaſſe ſi eius regionis ſitum maiores noſtri literis mandaſſent,magna certè Chriſtianorum Principum vtilitate factum id fuiſſet, nec tam facilè impuriſſimis religionis noſtræ hoſtibus nuper in prædam ceſsiſſet. Quamobrem cùm ſuperioribus annis, iuſſu Potentiſſimi Sereniſſimique Romanorum &c.Regis, ſanè duriſſimam legationem ad Moldauiæ Dynaſtam, quem ipſi VVayvvodam appellant, obirem,capta occaſione ex diligenti iſtius prouinciæ,dum Principem illum aſſectabamur,perluſtratione, arbitratus ſum non incommodum noſtræ ætati,atque adeò R. D. T. futurum,ſi omnem tractum, omniumq́ue rerum vberem affluentiam,quàm breuiſſimè & veluti in tabella exhiberem. Hoc autē de me citra inuidiam ingenuè fateri poſſum, nihil æquè ac veritatem, quæ hiſtoriæ (quam ab inſpectione dictam volunt) caput ac fundamentum eſt, ſpectaſſe: genus ipſum dicendi ac eloquentiæ nitorem, quo licet res magis ſplendeſcant,quoq́; nonnulli interdum magis quàm ipſa rerum cognitione delectātur,non magnoperè curaſſe.Debet verò hoc maximè noſtrum laborem commendare,quòd omnium earum rerum, quas memoriæ prodimus, ipſimet ſpectatores,non tam interfuimus,quàm nomine Sereniſſimi Domini Principis noſtri interdum præfuerimus. Quid enim ad aperiendam rei veritatem præſentius? quid ad omnem poſteritatis memoriam illuſtrius? quā res à ſe perſpectas cognitasq́ue,ſi non admodum magnifica dicendi ratione, ſaltem mediocri ſtylo perſcribere:quo etiam nomine veteres maximè eos

hiſto-

historicos laude & cognitione dignos esse censuerunt, qui earum rerum, quas scripserunt, ipsimet inspectores, seu oculati testes fuissent. Ex quorum numero quanti fiat Thucidides, Polybiusque, Tua Reuerendiss. D. quæ tam Græcorum, quàm Latinorum monumenta plurima percurrisse, diuersasq; regiones & prouincias perlustrasse fertur, haud ignorat. Nulla igitur laudis spe, quam affectare in tam paruo opusculo ineptum & plus quàm infantile foret, adductus: sed solo vtilitatis publicæ studio, quam in minima etiam re velle promouere, viri boni est officium: hoc sanè consilio fretus, & quasi animosior factus, hanc qualemcunque descriptionem in publicum edere constitui: arbitratus in eo cuiuis peregrinanti (si modò à vera istius terræ descriptione prorsus non aberrarim) haud inutile me præstiturum officium. Itaque Reuerendiss. D. T. hunc meum laborem æquo iudicio metiri, meque (vt solet) pristino amore & fauore complecti non cesset, Quam Deus Opt. Max. ad annos Nestoreos felicissimè conseruet. Viennæ Panno-niæ, die vltima Aprilis,

ANNO

M. D. L.

ELEGIA AD LECTOREM G. REYCHERSDORFFERI.

Ithacus æternum peperit sibi nomen Vlysses,
Æneæ nullo tempore fama cadet:
Illius hoc pietas, hoc illius arma merentur,
Quodque hominum varios vidit vterque lares.
Nos quoque, si quid habent peregrina pericula laudis,
Vidimus externis plurima regna locis.
At ne multa diu narrando tempora perdam,
Officij referam munera pauca mei.
Regia, legati perfunctus munere, iussa,
Bis per Moldauiæ barbara regna tuli.
Perque Getas vexi patriæ mandata Dacosque,
Qui modò de syluæ nomine nomen habent.
Intimaque Eoi lustraui littora ponti,
Vnde vehit roseo Phœbus ab axe diem.
Denique quas terras? quæ externa pericula narrem?
Haud facilè est tantæ commeminisse viæ.
Ne tamen exhausti pereant sine fruge labores,
Aggressus tantæ scribere molis onus.
Ordine subbreuibus perstringens singula verbis,
Ne minuam multa garrulitate fidem.
Cuncta oculis præsens, præsens cuncta auribus hausi,
Est aliquid certam rebus inesse fidem.
Cætera quæ restant, calamoque intacta reliqui,
Accedent olim posteritatis ope.
Intereà nostri summam decerpe libelli,
Et carptim quicquid prosa soluta docet.

DESCRIPTIO
TRANSYLVANIAE.

EST procul Eoo contermina terra Tybisco,
Olim quam celebres incoluere Getæ.
Atque pharetrati Scythicis de finibus Hunni,
Nec non Saxonico Teutone culta fuit.
Huic vt sunt septem surgentes mœnibus vrbes,
Sic quoque septeni nomina montis habet.
Nec non à syluis nomen sortita recepit,
Fortè quòd Hercinium trans nemus acta iacet.
Versus Hyperboreum, duriq; Lycaonis axem,
Barbara Sarmatici respicit arua soli.
Atque aliquot læua sinubus procurrit ad axem,
Qua viget Hercinijs terra Bohema iugis.
Sub medium conuersa diem, stat protinus altis
Mœsia syluosis vndique cincta comis.
Perpetuo hanc olim Traianus fœdere gentem
Compulit Ausonij nomina ferre Ducis.
Paruit intereà Latio subiecta Monarchæ,
Et data constanti fœdera pace tulit.
Dum Scythica superata manu, miserabile dictu,
Concidit, & Græcum ferre coacta iugum:
Annua Thessalico subiecta tributa Tyranno
Pendit, & est armis vix bene tuta suis.
Cebinio primùm celebris, cui protinus hæret
Vndique montanis cincta Corona iugis:
Quam validæ circum turres, & mœnia cingunt,
Quæque suis nimiùm freta superbit aquis.
Hinc auri, viniq; ferax Bistritia surgit,
Hæc fuluo splendens cespite terra rubet.
Mox collis Segsburga tegens decliuia scandit,
Et madet irriguis terra propinqua vadis.
Sunt aliæ Megeis, Zabesus, fortisque Colosvvar,
Quarum quæque sua fertilitate placet.
Cætera quid memorē? Nec enim memorare recusem,
Hæc tibi ni melius prosa soluta daret.

CHO-

CHOROGRAPHIA TRANSYLVANIAE, ALIARVMQVE PROVINCIARVM ET REGIONVM SVCCINCTA
descriptio, GEORGIO *à Reychersdorff,*
Autore.

TRANSYLVANIA quondam bellipotens regio, Diuorum olim Imperatorum Romanorum prouincia inclyta, Dacia appellata, plagæ Orientali exposita, & Marte multi nominis fuit temporibus Neruæ Traiani, quam Decebalus Rex tam armis, quàm pecunia belli neruo, pertinacissimè sub imperio retinuit. Eutrop. lib. viij. in Aurelij vita: Prouinciam, inquit, Daciam, quam Traianus vltra Danubium fecerat, intermisit, appellauitque eam Daciam, quæ nunc duas diuidit Mœsias, & est in dextra, Danubio in mare fluēti, cùm anteà fuerit in læua. Decebalus itaque eiusdem regionis Rex seu Monarcha cum Vlpio Traiano Romano Cæsare conflixit, ingenti hostis edita clade. Traianus autem veste propria non pepercisse fertur, quam in partes conscissam suis partitus est militibus. Deinde iugum ex iugo captās, ad Dacorum regiam euasit, per culsus Decebalus ad Traianum deductus. His confectis Traianus in Italiam rediens, Romam ingressus, & triumphans de Dacia, Dacicus appellari cœpit. Intereà tamen denunciatur, Decebalum præter conuentiones & fœdera, quæ cum Traiano intercesserant, multa ad rebellionem parare, castellaque & arces dirutas restaurare, ob hoc hostis à Senatu iudicatus est, bellumque Traianus suscepit. Plin. de Dacorum expulsione meminit lib. iv. cap. xij. Quare Cùm Decebalus viribus suis non satis fideret, dolis & fraudibus agere enitēs, in Mœsiam delectos mittit profugos, qui dissimulata fide, Traianū per occultas insidias tollerent, aut confoderent, deprehēsi vltimo supplicio affecti sunt. Hinc milites Romani in huius rei gestæ memoriam, tale Epigramma edidere in Pannonia:

VBI ERAS RAMNVSIA, VBI ERAS, QVANTVM ABFVIT, NE ROMA LVGERET, SED VIVIT TRAIANVS.

Sub hac expeditione Traianus pontem in Istro lapideum construxit, quo liberius & expeditius hostes aggredi posset, opus sanè mirandum, & memoria dignum. Huic xx. stabant ex quadrato lapide pylæ, quarum altitudo centum & quinquaginta, præter fundamenta: latitudo verò sexaginta pedes cōtinebat: distabant autem inter se centum octuaginta passibus, fornicibus verò coniungebantur. Eius pontis inscriptio talis erat:

PROVIDENTIA AVGVSTI. VERE PONTIFICIS VIRTVS ROMANA, QVID NON DOMET? SVB IVGVM ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

Cæterùm Adrianus Imperator, Traiani successor, veritus ne pulso Romano præsidio, aut oppressis legionibus, feræ & indomitæ gentes facto aditu, ea loca inuaderent, quæ cis Danubium sunt, structuras & fornices, quæ super aquam eminebāt, demoliri iussit. At Decebalus capta (vt diximus) regia, cùm omnis regio in potestatem Romani Imperij venisset, vsque ad captiuitatem periclitatus, necem sibi cōsciuit, cuius caput tandem Romam delatum fuit, sicque Dacia iuris Romani facta est, quam mox Traianus in prouinciam redegit. Cuius rei argumento milites Romani hos versiculos perpetuo monumento celebres decantabant:

NON-

NONNE TIBI DIXI DECEBALE? FVNESTVM EST HERCVLEM LACESSERE. NON RECTE FACIS, TVA IPSE QVOD IACES MANV: SED TE VTCVNQVE CAESAR VICIT, TVLIT TIBI SEMPER AVGVR AVGVSTALIS.

Quare Traianus Dacia ſubacta, Regiam Zarmis ciuitatem, quæ nunc Alba Iulia appellatur, ingreſſus, quæſitis Decebali theſauris, ſub Sargetiæ amne reconditis, cuiuſdam Biculi Romani captiui indicio reperti ſunt: Vnde tandem Traianus in ſignum memoriæ illius hoc ſtatuerat Epigramma:

IOVI INVENTORI, DITI PATRI, TERRAE MATRI, DETECTIS DACIAE THESAVRIS, DIVVS NERVA TRAIANVS VOTVM SOLVIT.

Monumentum VVlpij Neruæ Traiani in Colonia Zarmijz, non multis antè annis ex terræ viſceribus erutum, memoria dignum:

IOVI SARTORI, HERCVLI VICTORI, M. VVLP. NERVA TRAIANVS CAESAR, VICTO DECEBALO, DOMITA DACIA, VOTVM SOLVIT.

Hinc ingens Traiani animus deprehenditur, qui multa præter hæc præclara & egregia facinora geſſit, quemadmodum Dijon ille Cretenſis in Traiani vita plurima memoratu digna, non ineleganti deſcriptione complexus eſt.

Huic regioni Tranſyluaniæ, à Septentrionali plaga Moldauica prouincia (quæ Poloniæ regno, atque Ruſſiæ inferiori, & Ciculię metis, eſt cõtigua) adhæret: Ex altero verò latere ad Orientem Valachia iacet, quæ alio nomine Tranſalpina dicitur, non multo terrarum ſpatio ab alpibus inſigni altitudine intercedentibus, ſeiuncta.

Vt autem paulíſper ad lucidiorem iſtius Tranſyluaniæ prouinciæ cognitionem per Chorographicam deſcriptionem progrediamur: Eadem prouincia in tres diuiditur nationes, ſuis inter ſe ritibus, moribus, conſuetudinibus, & legibus aliquantulum diſſidentes, ipſamq; regionem diſtinctis terrarum locis incolentes: vtpote Saxones, Ciculos, & Hungaros. Inter quos ipſi quoque Valachi eiuſdem prouinciæ incolæ, in quibuſdam deſertis poſſeſſionibus & villis reſident, genus hominum duriſſimum, nec niſi armentis & pecoribus, plerunque etiam furtiuo pecorum & equorum abigeatu ſe alẽtes. Hi more ſuo, piloſis ſeu hirſutis ex lana caprina contextis, ſuaque manu elaboratis amiciuntur veſtibus, nullis penitus legibus humanis obſequentes.

DE DIFFERENTIA ATQVE RITV ET MORIBVS trium nationum prædictarum.

IN primis Saxonicus iſte populus in eum locum è Germania (vt aiunt) deductus, agriculturæ ſtudioſus, & ruſticæ rei addictiſſimus, qui natura ſua lingua vtitur Saxonica. Sermo autem Saxonicus ad communem Germanicam Colonienſium linguam multo propius accedit, quàm ad alias linguas, & à Sueuo atque Heluetio non ita facilè intelligitur, quam plæræque Septẽtrionales in Germania. Tranſyluani igitur, ſicuti cæteræ omnes nationes Germa-

Germanicæ, habent peculiarem linguæ dialectum. Et, vt hoc addam, quod alijs nationibus, tam morum facilitate, quàm pietate & religione longè præſtat.

CICVLIA Daciæ angulus, Moldauiæ regioni contiguus, eius terræ populi dicuntur Ciculi, Scytharum (vt aiunt) genus, à quo originem traxêre, ſuis viuunt legibus & moribus, ſuaque officia ſorte diſtribuunt. Nemo apud illos ignobilis eſſe cenſetur, etiam ſi manu aratrum tractet, aut caprino gregi præſit. Durum enim & aſperum genus hominum, quaſi bello natum, qui moribus, ſermone, & veſtitu non multum ab Hungaris diſcrepare videntur. Hi ſunt Hunnorum antiquiſſimi, quos Ciculos appellare malunt quidam, quòd è Scythis originem trahant: Nec enim aliud ſenſiſſe videtur ille, qui dixit:

Atque pharetrati Scythicis de finibus Hunni.

Ciculi autem in ſeptem ſunt diuiſi regiones, quas ipſi ſedes vocant, quarum nomina ſunt: Sepſi, Orbai, Kyſdi, Czijk, Gyrgio, Marcus Zeek, Aranyas Zeek, Hungarico ſermone appellatas, cæteris Ciculorum oppidis præſtantiores. De quorum ritibus & conſuetudinibus in præcedentibus annotationibus plura ſcripſimus.

Czijk oppidum in Septentrionali latere à Kyſdi ad leuam, atque adeò in ipſis Carpathi radicibus ſitum: Huic contigua eſt Gyrgio ab occaſu in eiuſdẽ Carpathi montis radicibus, terra montoſa & aſpera, in vltimo Tranſyluaniæ latere Septentrionali. Sedi autem Gyrgio contigua eſt Marcus Zeek, ad Meridiem in viſceribus Tranſyluaniæ prouinciæ, ad decurſum Mariſi fluuij exiſtens, cuius metropolis eſt Zeckelvvaſſarhel, Saxonibus Nevvmarck, oppidum ampliſſimum, vbi frequens Ciculorum conuentus habetur.

HVNGARI & Nobiles eiuſdem regionis paſſim intermixti Saxonibus, cum Ciculis propemodum tam ſermone, quàm veſtitu & armis cõueniunt: In rebus verò bellicis cæteris nationibus non vno nomine anteponendos arbitror.

Quæ tres nationes, coniunctis viribus & copijs ad bellicam expeditionem inſtituendam, iuxta communem ſupputationem, ad nonaginta & amplius millia armatorum ſuppeditant. Etenim non obſcurum eſt, quàm ingentia à tot iam ſæculis hæc regio ex aſſiduis hoſtium incurſibus pertulerit pericula: tamen nullo non tempore hoſtes, non ſine ingenti clade victi, & inde repulſi fuêre.

VALACHI etiam hanc terram, ſed ſparſim ſine certa ſede incolunt. Teutones verò ſeu Saxones munitiſsimas paſsim & vrbes & arces habent, qui rebus omnibus cæteris nationibus facilè præſtant. Terra quidem natura ſua, auri, argenti, vini, frumenti, paſcuorum, pecorum, fontium, fluminum, breuiter rerum omnium, quæ ad vitæ vſum, cultumque pertinent, ditiſſima eſt, vt nõn temerè à maioribus Regni Hungariæ theſaurus Tranſyluania ſit appellata.

Valachia autem prouincia, quæ alio nomine Tranſalpina dicitur, inferioribus Tranſyluaniæ confinibus propius accedit, & Danubium ſecuta in Pontum vſque protenditur, indeque in Septentrionem vergens, Roxanos (quos hodie Rutthenos vocant) attingit, de qua prouincia in Moldauiæ commentario plura.

Huius nationis genus ex Italis profectum eſſe lingua arguit, nomen ex Sarmatis (quibus alicubi etiam contermini ſunt) adepti videntur, ipſamque, quam inhabitant prouinciam, Flacciam, à Flacco quodam Romano ciue, quo duce eò ſit deducta colonia, ad tuendas Mœſias contra Dacos (quos Romanis nunquam fidos fuiſſe Tacitus autor eſt) verùm vt fit longa temporũ ſerie, quæ nihil non vitiat, pro Flaccia Valachiam, proque Flaccis Valachos

 dici

dici cœptos: Et citant hi de Flacco Nasonis versiculos ex Epistolis Ponticis redactos, lib. 4.

Præfuit his Græcine locis modò Flaccus, & illo
Ripa ferax Istri sub duce tuta fuit.
Hic tenuit Mœsas gentes in pace fideli,
Hic arcu fisos, terruit ense Getas.

Porrò Mœsos olim fuisse, qui nunc Valachi sunt, receptius est hodie, quã quis negare audeat, in tanta præsertim autorum, qui sectandi erant, diuersitate: Inter quos quidem primus Ptolomæus Cosmographorum antistes & planè alpha, quod aiunt, nihil Mœsis concedit ea qua Valachi sedent parte, siquidem is à Carpatho monte incipiens, quicquid terræ ab Occasu, Thybisco amne: à meridie, Danubio: à Septentrione, Sarmatica Europæ clauditur, Daciæ nomine apprehendit: Iuxta quam descriptionem, Transyluanos, Ciculos, Valachos, quosque Moldauienses vocant, & Hungarorum bonã partem, qui Poloniam versus, planam colunt terram, Dacos appellans. Cæterũ Mœsias esse duas, quas superioris & inferioris appellatione secernit, in alteram Danubij partem transfert, quæ est versus Daciam: & superiorem quidẽ ex inferiori deducit Pannonia, à Sauo amne Danubio confluente, Inferiorem autem iusta parte vltra Danubium extendit in Scythiam. Ptolomæus quoq; in eam sententiam alibi accedit. Dijon Cretensis Græcus autor, in diui Traiani vita autor est, quòd hic quo tempore contra Dacos bellum gessit, pontem lapideum admirabili ædificio, vltra Istrum fluuium extruxerit, quo expeditius copias traducere posset, quoties Romani, qui trans Danubiũ agerent, à Barbaris infestarentur, ac demũ structuras & fornices, quæ super aquã extitêre, Adrianus Imperator demoliri iussit, veritus, ne scilicet pulso Romano præsidio feræ & indomitæ gentes Mœsiam popularentur: de quibus rebus omnibus tam præclarè gestis, in præcedentibus annotationibus plura recensuimus. Extant eius pontis nonnullæ in hunc vsq; diẽ reliquiæ apud Seriniũ, quod Danubio imminet castellum, vbi cum Heraclio Cosdroen cõgressum habuisse ferunt. At Strabo geographicæ rei diligentissimus obseruator, Mœsos scribit vtrumque latus Istri accoluisse, cum quo Plinius sentire videtur, lib. xxx. naturalis historiæ: Pannoniæ, inquit, iungitur prouincia, quæ Mœsia appellatur, ad Pontum vsque cum Danubio decurrens.

Posteaquam autem ea, quæ de hac prouincia, & de varijs huius terræ incolis ac nationibus cognitu in primis necessaria videbantur, in ipso operis ingressu absoluimus, commodùm iam generalem tam locorum, quàm ciuitatum principalium descriptionem, quantum nostra docebit experientia, declarabimus, & per omnes Transyluaniæ partes, longitudinem cum latitudine, vniuersum istius regni ambitum emetiemur, ita tamẽ, vt & fidei semper, quæ in historijs præcipua est, & methodi rationem habeamus.

Itaq; à Varadino, primo ad Transyluaniam ingressu, per flumen Crysum, qua ad occiduam plagam Pannoniæ inferiori annectitur, offertur pagus Feketetho, Latinè nigra palus appellatus, quem Valachi, montibus & rupibus vndiq; interseptum incolũt, Situs in loco horrido & aspero, vbi frumenti & annonæ, ob rarissimam illius terræ culturam, frequens victui penuria accidit, cùm præsertim nulla eiusdem loci sit planities, & non segetes, sed extensæ arbores vndequaque magno terrarum spacio intersertæ conspiciuntur, quo minus commodè in his locis desertis & agris infœcundis, vlla frumenta seminare queant. Attamen Crysus fluuius quouis tempore selectissimos pisces,

pisces, vtpote fundulos, cephalos, capitones, auratas, atque etiam trutas, & complures alios satis benignè suppeditat. Præterea hic fluuius plerunque ex inundatione adeò vehemens est, vt magnos etiam currus grauiter oneratos præcipitare soleat.

Ciuitas prædicta Varadiensis est amplissima, & nullis mœnijs circumducta, in planitie existens. Hic frater Georgius, Transyluaniæ Regni Thesaurarius, istius loci Episcopus residet, & insignem tenet arcem, magnis sumptibus extructam, & optimè munitam, vbi diuus olim Ladislaus Rex Hungariæ, felicis memoriæ, suam habet sepulturam, marmore eleganter excussam, tanto Principe dignam. Illic populus est Hungaricus partim Teutonicis commixtus, quæstum ex rebus Turcicis, ex alijs locis importatis, faciens, rebusque ad quotidianum vitæ vsum pertinentibus, non mediocriter abundat.

Hinc à Feketetho recto itinere vsque ad Thelegd oppidum duo, ad Reeff tria restant miliaria, satis magnis stadijs comprehensa, vbi Crysi fluuij ex scaturientibus vndique fontibus exordia erumpunt, tenuiq; alueo per medium dicti oppidi Reeff vsque Sebesvvar continuo meatu porrigitur, vbi demum finem accipit.

Deinde si Colosvvariam tendas, de qua ciuitate opportunè suo loco plura dicemus, quinque miliaria intercedunt: rursus vsque Thordam, quæ ciuitas versus meridiem iacet, per arduum & saxosum montem bis mille passus emetiendi sunt: Eaq; ciuitas licet nullis sit muris aut mœnijs cincta, tamen satis ampla, opulenta, & diuersis mercibus frequens, cuius incolæ & pecorũ & iumentorum ac compascuorum & agrorum vsu fructu ditissimi sunt, vt interea taceam, quàm optimi vini ferax sit. Ad hæc salium fodinis tam celebris est, vt vix parem in toto Oriente fundum comperias. Ibiq; præfectus Camerarum salium perfungitur officio Regio, & ex salinis Hungariæ Regibus annuam pensionẽm maximam tribuere solet, quam vel eo nomine nõ paruam esse, facili iudicio elicere possumus, quòd inde toti ferè Transyluaniæ seruiatur: Indeque sal Budam & ad alia pleraque loca extranea assiduè perferatur & euehatur, non sine magno Regiæ Maiestatis commodo.

A Thorda verò, duobus intercedentib. oppidis, Gochard & Monera, duodecim numerantur miliaria vsque Cibinium, quæ ciuitas huius Regni metropolis est, & munitissima, aurique & argenti, rerumque omnium longè abundãtissima, quemadmodum ex sequenti nostra descriptione cognosces. Reliquas demùm eiusdem prouinciæ vrbes, suo ordine & serie breuiter complectemur.

SVNT IGITVR HAE SEPTEM VRBES IN TRANSYLuania celebriores, à se per locorum interuallum suo modo & ordine distantes, vt sequitur.

CIBINIVM,	Hermanstat.
BRASSOVIA siue Corona,	Cronstat.
BISTRICIA,	Nösenstat.
SEGESVVARIA,	Scheßpurg.
MEGIES,	Mydwisch.
ZABESVS, siue Zaazsebes,	Millenbach.
COLOSVVARIA,	Clausenburg.

 Quarum

Quarum ciuitatum priuſquàm deſcriptionem aggrediamur, operæprecium mihi facturus videor, ſi paucis rem memoriæ non indignam intericero: Hanc nimirum ciuitatem Cibinienſem, poſt Sereniſſimi quondam Ludouici Regis, fœlicis memoriæ, interitum, ad ſeptennium vſque in aſſiduis bellorum tumultibus (dum ſcilicet Regnum Tranſyluaniæ, propter infœliciſſimam Regis Ioannis coronationem, in diuerſum erat diſtractũ) ſeſe contra omnium hoſtium impetum citra vllum externarum gentiũ præſidiũ & auxilium, armis ſuis & ſumptibus proprijs, quàm ſtrenuiſſimè conſeruaſſe: neque etiam ciues vlla obſidione aut oppugnatione, vel hoſtium incurſione aut formidine ductos, vt defeſſis viribus in aliquam deditionem prouocati fuiſſent, ſed alijs quoq; ciuitatibus, tam auſtera & militari defenſione, robuſtiorem animum præbuêre, ne hoſtium arrogantibus minis territi, in defectionem ſe trahi paterentur. Vnde ſibi ac poſteritati ſuæ immortalem laudem & memoriam perpetuam parauêre.

CIBINIVM metropolis ciuitas celebratiſſima, à Cibinio amne nomen retinens, quæ alio haud inepto vocabulo Hermanſtatt appellatur, ab Hermanno eiuſdem vrbis primo conditore. Quæ in planitie ſita, nullis prope montibus incumbentibus impeditur, quin ſe in admirabilem latitudinem aperiat, duplici muro munita, & foſſis admodum profundis, circumquaq; piſcinis lacunaribusq; non paucis ſpacioſè diffuſis præcincta eſt, magnificis deinde ædificiorũ ſtructuris, turribus, & propugnaculis ſuo ordine & ſerie interſertis, culta & ornata eſt, cuius Parrochia Cathedralis, ſuo Præſule infulato digna, viginti & quatuor ſacerdotum adaucta aris, eſt conſpicua.

Hinc annua frumenta in ſubterraneas foueas, ad multos annos, citra vllã publicæ annonæ iacturam, conſeruandi gratia conferuntur: Nec deſunt molẽdina triticaria ita laborata, vt nulla arte ab hoſtibus eſuriem ciuitati molientibus, eripi poſſint: adde quòd paſſim per ciuitatis ſingulos vicos placidiſſimo flumine riuulus decurrit. Magiſtratu regitur prudentiſſimo, cuiq; non facilè alium prætuleris, vſq; adeò vt ad eum nemo, niſi qui multis teſtimonijs fidem ſuam Reipub. probarit, admittatur. Pagos Regios decem, & octo tributarios habet. Huc quoque ſeptem Saxonum ſedes ſpectant, quarũ nomina ſequenti ordine explicata vides.

SEPTEM SEDIVM SAXONICARVM nomina.

Zazvvarienſis ſedes, pagos habet regios vndecim.
Zabeſienſis ſedes, Zabeſum ciuitatem, cum pagis Regijs quinque.
Reuſmarck ſedes, pagos habet decem.
Segesburgenſis ſedes (ciuitas ipſa) pagos habet ſedecim.
Olczna ſedes, pagos habet duodecim.
Schenkerſtul ſedes, pagos habet viginti & duos.
Rupenſis ſedes, pagos habet quindecim.

Præter has ſeptem ſedes Saxonum in Tranſyluania ſunt & aliæ duæ ſeparatæ, quarum caput eſt ciuitas Megienſis, pagi huc ſpectantes ſunt viginti quatuor: prædictis autem ſedibus interiacent multi pagi, poſſeſſionesq; Nobilium, quæ ad numerum ſedium Saxonum non conferuntur.

Numerantur etiam in Tranſyluania, quo ad penſiones taxarum, octo parrochialia Capitula præcipua, quæ ſimul appellant Vniuerſitatem.

Biſtricieſe Capitulũ habet Biſtriciam cũ viginti tribus pagis regijs.
Regnenſe Capitulum habet pagos pluſquàm triginta.
Barcenſe Capitulum habet Coronam ciuitatem cum tredecim pagis regijs.

Kiſden-

Kiſdenſe Capitulum habet Segesburgã & pagos quadraginta octo.
Duarum ſedium Capitulum complectitur ciuitatem Megienſem cum pagis triginta ſex.
Cibinienſium Capitula duo, quorum vnum habet Cibinium & pagos viginti tres.
Alterum Capitulum Cibinienſe, quod vocant Surrogatiua, continet pagos circiter viginti duos.
Sabeſienſe Capitulum habet Sabeſum cum pagis decem & ſeptem.

A prædicta ciuitate Cibinienſe diſtant ſalium fodinæ, in VVyzagna oppido, quod aliâs Saxonicè Salczburg appellatur, vno miliari, ex quibus quotannis ingens theſaurus conflatur, nec minus, vt arbitror, fodinæ oppidi Dees emolumenti, in annos ſingulos Regiæ Cameræ apportant.

Haud longè ab ea ciuitate Cibinienſi diuerſa circumfuſa iacent oppida, in quibus paſſim Saxones reſident. In primis Helta ad Meridiem vno diſtãs miliari, oppidum mediocri magnitudine, & quodam caſtello munitum, vbi falces meſſoriæ, quæ nuſquàm alibi, fabricantur, & plebeculæ ex communi meſſiũ ac fructuum quæſtu, victum quærere ſolent, magis cõmodũ.

Inde mons S. Michaëlis paulò infra Heltam, eodem ferè ſpatio diſtat, in cuius ſummitate inſigne caſtellum ex quadrato lapide pulcherrimè eductum, in quo coloni ingruentibus bellicis tẽporibus res ſuas & bona ab incurſu hoſtium ſatis tutè conſeruant: adde quod locus fertilis, & diuerſorũ fructuum ferax, ex quibus incolæ non mediocrem quæſtum faciunt.

Præterea Alutus amnis inter reliqua iſtius Regni flumina, non eſt incelebris, qui in montanis Ciculorum radicibus ortus, vbi primùm Tranſyluaniam attingit, & Barcenſem terram à Ciculorum metis dirimit, inde Cibinium verſus decurrens prope rubeam turrim, vbi ciues Cibinienſes, ne præter expectationem obruantur, excubias agunt, per anguſtas & abruptas valles in Tranſalpinam fertur, vbi eum auriferum eſſe perhibent, haud longè ſupra Nicopolim Iſtro miſcetur, quæ turris duobus à Cibinio diſtat miliarijs, vnde Turcis per ſtrictiſſimas & anguſtas admodum vias in Tranſyluaniam acceſſus eſt.

Tradunt hiſtoriæ, Turcas tempore quondam inuictiſſimi Regis Mathiæ, in Tranſyluania profligatos, & in turpiſſimam fugam verſos, in prædicto loco rubeæ turris, à ſummitate, quam in ea fuga conſcenderant, ob magnidinẽ tanti ponderis equorum, in vndã Aluti fluminis demerſos, corruiſſe.

CORONA ſeu Braſſouia ciuitas mercibus Turcicis celebris, intra montes amœniſſimos ſita, mœnibus, foſſis, & propugnaculis ſatis munita, habet tria ſuburbia diſtinctis vallibus poſita, quorum vnũ incolunt Bulgari, alterum Hungari, Saxones agricolæ tertiũ. Per ſingulos ferè vicos riuuli deſcendũt ſaluberrima fõtiũ ſcaturigine perpetui. Cãpos habet planiſſimos, lõgè lateq; denſis montibus cinctos, alpibuſq; altiſſimis à Valachia Tranſalpina diuiditur: frumẽto & lino præcipuè abundat, eſtq; quaſi horreum vicinarũ gentiũ. Studio liberali præ cæteris hoc tẽpore clara, eſtq; ibi nuper conſtructa Bibliotheca, qua nulla in Pannonia poſt diſſipatã Budenſem Matthiæ Coruini Bibliothecã, cultior vſquam fuit. Quæ à proximis Ciculorum metis & confinibus ſita (ſiue eã Græca voce Stephanopolim, ſiue ſemibarbara Cronopolim, ſiue cum Hungaris Braſſouiã appellare quiſpiã velit) in peniſſima Tranſyluaniæ parte, quã peculiari nomine Pannones Burczam, noſtri autem Burciam vocant, vel ab amne cognomine, qui id loci interluit, vel à radice, quaſi dicas noſtrate lingua VVurcziã, quæ vulgo recepta eſt opinio, hoc fortaſſis nomine, quòd radix Coronæ inſerta, Burtianis ſit inſigne.

Huius verò Burciæ pars eſt facilè ornatiſſima, ſed ſic dirempta ſitu, vt ferè altera Tranſyluania videri poſsit: clauditur enim vndiq; montib⁹, à Ciculis

fluuio

fluuio dirimitur,cui nomen eſt apud Ptolomæum Alutato, intus tota eſt cultiſſima,hortulum planè, ſi videas,dixeris. Sed & vrbs iſta (iam tandem, quod inſtitui,paucis abſoluam) in quodam quaſi loci huius receſſu,mōtibus confertiſſimis(vt præfertur)comprehenſa eſt,cuius gemini in latitudinem murorū foris excurrentium latera claudunt, quibus ſupernè propugnacula imminent, ſic vt niſi in ſumma montiū accliuitate circuitus non pateat:Duplex foſſa eximia altitudine ambit vndiq; mœnia,in quibus turres conſerto ſtant ordine:In longitudinē cum vallo deſcendit,vt quadrata ferè eſſe videatur.Suburbia autem complent quicquid eſt extra muros vallium,vbi ipſiSaxones,Ciculiq; mixtim habitant:reliquam loci iſtius partē intra ipſas vſq; montium anguſtias Valachi ferè occupant, hîc templū habent,& ei præſidentem ſacrificulum : Deinde Saxones rurſum cum Ciculis longiſſimis vicis commorantur.In ciuitatem verò non niſiGermanus recipitur.Inter amplas in ea ſubſtructiones,primas habet virgini Mariæ conſecratum quadrato lapide templum.

Hæc ciuitas ab arce Fogaras diſtat miliarijs quatuor,in paluſtri ac plano loco ſita,& adeò munita & fortis eſt,vt nulla ſuffoſſio huic metuenda ſit vnquā.Ex qua arce anno M.D.XLI.Stephanus Maylat,iſtius Regni Trāſyluaniæ VVayvvoda, vir militaris ac ſtrenuus, à Turcis & Petro VVayvvoda Moldauo,dolo & fraude ac ſimulata eorundem fide,elicitus,& in captiuitatem Cæſaris Turcarum abductus eſt Conſtantinopolim, vbi hactenus acerrimis detinetur vinculis:De cuius tam inſperata ac improuiſa captiuitate,& Petri VVayvvodæ perfidia,longa poſſet ſcribi hiſtoria.

Quam ciuitatem olim Stephanus VVayvvoda Moldauus,qui huic ciuitati erat hoſtis infenſiſſimus, bombardis & machinis bellicis in montem eminētiorem deductis,expugnare, & ſuo imperio ſubijcere moliebatur, ſed bombardis parum profecit,ſiquidem demiſſis globis,propter ſpacij longitudinē,quo deferebantur,vis & impetus eorum frangebatur,adeò vt citra vllam ædificiorum iacturam, in theatrum ciuitatis prolapſi deuoluerentur, quo facto,deſperata victoria,VVayvvoda obſidionem reliquit.

Nulla in Tranſyluanis vrbibus,multorū ſanè iudicio, populoſior illa:forum hîc ſingulis ſeptimanis,ruſticis ex agro confluentibus,tam celebre eſt, vt iuſtas nundinas putaueris, ob rerū merciumq; propoſitarum copiā : Eſt enim finitimorū emporium, & veluti communis officina rerum omniū: confluunt iſtuc Ciculi, Valachi, Armeni, & Græci:etiam Turcicis plerūq; mercibus tam ex Moldauia, quàm Valachia adductis, fit interdū opulētior. In ea ciuitate,qui magiſtratus agunt officia , viri ſunt graues & maturi, diuerſarūq; linguarum periti,Remp. ſummo ſtudio fouentes : ciues autem & belli & pacis artibus ſunt inſtructiſſimi, qui cum Moldauis plerumque bellum geſsêre,& nonnunquam inſigni victoria potiti ſunt.

BISTRICIA in ampliſſimæ vallis planitie poſita , habet vtrinq; vitiferos colles.Per mediam vrbem fluuius eiuſdem nominis labitur ad meridionale latus inferioris ſuburbij declinans,qui ſtatim poſt duo miliaria Zamoſo coniungitur amne,fundulis in primis abūdans. Quatuor miliaribus ab vrbe Biſtricia ſunt auri fodinæ Roduenſes, inde in extremis Tranſyluaniæ finibus Riuuli Dominarum aurifodinis non obſcuri.

SEGESVVARIA ciuitas partim in ædito colle, partim infra ad radices habitata,inferior tamen eius pars cultior exiſtit,ob faciliorem rerū neceſſariarū copiam:fluuius idem mœnia huius ciuitatis pariter & Megiēſis præterlabitur,qui paulò ſupra Albam Iuliam influit in Maruſium.

MEGIENSIS ciuitas,quæ in meditullio Tranſyluaniæ ſita, ferax vini, ac rebus alijs omnibus ad communem quæſtum & victum deſeruientibus ſatis referta, & clade quondam Ludouici Gritti gubernatoris non

incog,

incognita.Is Gritti ob indignitatem cædis magnifici quondā Emerici Czijbackij Varadienſis Epiſcopi, quem dictus Gritti ad ſe dolo & fraude accerſitum,occidi iuſſerat,atque demum paulò poſt à Moldauicis gentibus & Saxonicis,in ea ciuitate obſeſſus, captus, & in campum eductus, ſimul cum alijs multis tanti facinoris conſcijs, qui eum comitabantur, extremum recepit ſupplicium,cuius tandem duo filij inſignes adoleſcentuli quoque in captiuitatem VVayvvodæ Moldauienſis deducti, capite paternum ſcelus expiarunt,quod ex rebus geſtis melius cognoſcas : Acta ſunt hæc anno vigeſimo ſeptimo.Hæc autem ciuitas, olim oppidum, & non ante multos annos ſuis arcibus & mœnijs firmata,& in formam ciuitatis redacta eſt.

Quæ ciuitas quatuor à Cibinio diſtat millibus paſſuum , quam præterlabitur fluuius Kykellevv maior,qui in montanis Schijk oritur,& recepto minori Kykellevv amne,non longè à Balasfalvva paulò infra Ezombor & ſub Enijedino oppido in Maruſium influit.

Inde Kykellevvar vno miliari à Megies diſtat ad Occasū, illic fluuius minor Kykellevv ab arce non adeò procul præterlabitur,quā arcem quondam Petrus VVayvvoda Moldauus cum nōnullis pagis circumiacentibus,ex donatione & inſcriptione olim Diuorum Hungariæ Regum,poſsidebat: Hanc nunc frater Georgius,Regni Tranſyluaniæ Theſaurarius, adeptus eſt, & in ſuam redegit iuriſdictionem.Illic egregia vinearum promontoria , & vina optima,aliarumque rerum magna habetur affluentia.

ZABESVS ciuitas non magno interuallo ab Alba Iulia,in planitie, valle profundiſsima,aquis piſcium fœcundiſsimis munita,quanquam non ita fortibus propugnaculis defenſa ſit:Intus luculentis ædificijs exornata,quam primariam Saxonum ſedem fuiſſe dicunt. A qua ciuitate non longè duo ſunt oppida, vt pote VVijncz & Borboreck,quæ aliàs ex Diuorum Hungariæ Regum donatione,ad Tranſalpinum ſpectabant VVayvvodam, Regibus Hungariæ ſubiecta:vbi ſal Regium ratibus inſtructis Maruſio amne applicatur,& inde Hungariam prouehitur.Illic in ſummitate cuiuſdam monticuli caſtellum quoddam,in quo Diui olim Franciſci ordinis profeſſores reſediſſe dicuntur,non ante multos annos per internos hoſtes demolitum . Ea ciuitas habet pagos Regios decem & ſeptem.

COLOSVVARIA in planitie ſuauiter admodum ſita, tam murorum ambitu foris,quàm ædificiorū ſtructuris intus ſplendida : Eam Saxones mixti Pannonibus incolunt, Iudicem & Conſules alternis vicibus quotannis concordibus ſuffragijs,nec diſpari numero eligunt,hi Hungarum, illi Saxonem,ſuos quiſque Senatores ſalutant. Vbi ad portam Portinam hoc Epigrāma Traiano adſcriptum eſſe videas:

I. M. N.

TRAIANO PRO SALVTE IMP. ANTONINI ET M. AVRELII CAESA. MILITES CONSISTENTES MVNICIPIO POSVERVNT.

Non procul hinc Chryſus fluuius, qui primas Hungariæ metas à Tranſyluanis limitibus ſeiungit, ex Dacicis iugis Pannoniam contingentibus intra aſperas & præcipites alpes continuis anfractibus & celeri meatu diſcurrit,vbi Valachi in deſertis ædibus reſidentes, vſu ac quæſtu pecorum & piſcium affluentium quotidianum victum quęritant. Abundat hic fluuius nobiliſsimis piſcibus,qui ex eo, vt apparet,nomen accepit,quòd & auro abundet, quod à Græcis χρυσὸν appellatur : Vide Strab.lib. xiij.circa medium ab accolis.

Nec

Nec longè ab hac ciuitate duæ altiſſimæ rupes prodeunt, verſus Occaſum, à regione ſibi oppoſita, inter quas fluuiolus ſatis præcipiti labitur curſu, prout ex his cognoſcere licet verſibus:

Hic geminæ pariter tolluntur ad æthera rupes,
Saxaquè præruptis cautibus atque rigent.
Riuulus hinc curſu fluit inter vtramque rapaci,
Aureus hinc nitidis excipit amnis aquis.
Perſpicua eſt ipſo adductu quæ ſumitur vnda,
Candidulus ſcrupos fundus & imus habet.
Ante locis tranſis vicenis atque nouenis,
Quàm celſum videas quo fluit ille iugum.

ALBA IVLIA ciuitas vetuſtiſſima, atque ſede Epiſcopali celebris, quæ prædictis ſeptem Saxonum ſedibus, quaſi mediterraneo terrarum ſpacio coniungitur, olim Zarmijz Dacia appellata (Fuit enim regia Daciæ Regũ, quod ex veteribus monumentis, quæ ibi copioſè reperiũtur, cognoſcere liceat) in colle decliui ſita, circumfuſa vndequaque ad duo ferè millia paſſuum planitie. Ab Oriente fluuium Maruſium, & deinde ex altero latere amnem Ompaij Hungaricè vocatum, ex alpibus deſcendentem: ab Occidente verò amœnam, vt diximus, planitiem vſque ad montem S. Michaëlis, quo in monte in rupe altiſſima caſtellum quoddam diui Michaëlis ſitum eſt, à Romani imperij durans tempore, quod ex antiquitatis monumentis, quæ ibi non pauca ſunt, conijcere licet: à Septentrione eadem intercedit planities, atque inde Maruſius fluuius quoque duobus diſtat ab vrbe millibus paſſuum, qui olim per mediam vrbem perluiſſe dicitur, ex ruinis & ſepulchris peruetuſtis & dirutis accepto indicio. Tanta eius vrbis fuit amplitudo, vt in longum & latum ad quinque millia paſſuum porrigeretur. Quòd autem Gothi antiquitus eam incoluerint terram, vetuſtas inſcriptionum & characterum illic in tabulis & ſepulchris inuentorum oſtendit, literis paucis admodum noſtra ætate cognitis: proinde fidem faciunt, Romanorum legiones hucuſque progreſſas fuiſſe, cuius rei ſigna paſſim adhuc in viſceribus terræ occulta inueniuntur.

Ab Alba Iulia ad Occidentem ſunt montes & alpes excelſiſsimæ, & aditu difficilimæ, in quibus ſituantur ciuitates Montanæ auro & argento præſtantes, inter quas vel præcipua eſt Abrugbanija, quam Collegium Sacerdotum ex donatione Ioannis Huniadis poſsidet, venis metallicis celebris, vbi magna auri vis aſsiduè colligitur, quæ ad Cameram monetariam Cibinium defertur, ibidẽque conflatur, & ex ea aureæ monetæ cuduntur continuò, prout ex ſequentibus noſtris annotationibus planè liceat videre.

Diſtat hæc ciuitas Abrugbanija ab Alba Iulia miliarijs quinque: Eodem itinere alia ciuitas Zalathna non procul ſituatur, quam nunc Valachi incolunt, vbi ex vetuſtis monumentis apparet, olim maximam fuiſſe vrbem.

ZAZVVARAS, Saxonibus Bros dicta, diſtat à Kenijer ad Meridiem vno miliari, ſita ad flumen Mariſum, terra fœcundiſsima, frumenti, vini, & omnium fructuum ferax: Ibi populus admodum vrbanus, & ad Valachorum ritum & conſuetudinem, amictu & victu non parum accedens, qui paſsim in campis circumquaq; deſertis quibuſdam poſſeſsionibus reſident, & habẽt cœlum miræ temperieï: Etenim ſyluæ intenſiſsimæ, lepores, damas, & ceruos, in magna multitudine fouent, piſcibusqúe illic optimis abundant.

A prædicta ciuitate Zazvvaras, vbi per ſyluoſa montium iuga, duo ferè miliaria confeceris, ſubitò conſpicis nouam quaſi terram: Eſt prouinciola parua in extremo Tranſyluaniæ angulo, in qua Haczak oppidum ſitum, ea prouinciola à reliquo regno ſeparata, vndiq; montibus & alpibus eminẽtiſſimis circumſepta eſt, præſertim ab ortu & meridie, vbi ſpacioſiſſimus tranſitus in Mœſiam, quæ noſtro tempore Tranſalpina vocatur: Quæ regio ad octo miliaria ſe extendit, & quaſi in medio vmbilico ſita eſt, & ipſo regionis nomine Haczas appellatur, quod oppidum Valachi mixtim Pannonibus cohabitant.

Ad plagam Meridionalem huius regionis adhuc apparent & teruntur vrbis ampliſſimæ fundamenta latiſſimè porrecta, & parietes ædificiorum collapſi conſpiciuntur: Varheli loco nomen eſt, quod ſignificat, locus vrbis: Hic ſingulis ferè diebus Valachos inuenias, qui rudera vertunt, ac lapides pretioſos, atque numiſmata tam aurea quàm argentea ex viſceribus terræ, variaque antiquitatis monumenta effodiunt.

Præterea Alba Iulia ciuitas Daciæ, quæ nũc eſt ſedes Iſabellæ Reginæ Hungariæ &c. eamq; abrogato Epiſcopatu tenet: Et à diua Iulia Auguſta, matre diui M. Aurelij Anthonij Pij Aug. Imp. nomen ſortita eſt, cuius rei argumento Epitaphiũ in vetuſtiſsimo marmore templi diui Michaëlis deſcriptum eſt.

I. O. M. E. IVNONI.

PRO SALVTE IMP. M. AVR. ANTHONII PII AVG. ET IVLIAE AVG. MATRIS AVG. M. VLPIVS MVCIANVS MIL. LEG. XIII. GEM. HOROLOGIARE TEMPLVM A SOLO DE SVO EX VOTO FECIT, FALCONE ET CLARO COSS.

Sargetia fluuius Daciæ, ad regiam Zarmijz Decebali quondam Dacorum Regis fluens, cuius tempore Huniadũ arcem alluit: Decebalus autem ſubter vada Sargetię amnis, nõ procul à Regia prędicta Zarmijz, ſuos occultauerat theſauros, quos deinde Traianus Imperator, eo ſuperato comperiſſe fertur. Lege Traiani vitam, per Georgium Merul. ex Dione Græco traductam.

ZARMIS, inquam, vrbs ingens, quondam Decebali Dacorum Regis ſede clara, eo autem deuicto, Colonia Vlpia Traiana, Auguſta Dacia fuit appellata, quod ex ſubſcriptis Epigrammatis planè videre licet.

DIVO SEVERO PIO.
COLONIA VLPIA TRAIANA AVG. DACIAE ZARMIS.

Aliud Epigramma.

I. O. M.

ROMVLO PARENTI, MARTI AVXILIATORI, FOELICIBVS AVSPICIIS CAESARIS DIVI NERVAE TRAIANI AVGVSTI, CONDITA COLONIA DACIA ZARMIS, PER M. SCAVRIANVM EIVS PRO P. R.

Sunt prætereà in ea prouincia Montes auri & argenti ditissimi, vtpote Abrugbania, Zalathnia, & Keresbania, ex quibus magna vis auri & argenti sumitur, & Cameræ Regiæ pro cudendis tam aureis quàm argenteis monetis applicatur.

ABRVGBANIA diues auri oppidum, in cuius circuitu montes mira rerum omnium fertilitate, vsq; adeò cumulati, vt solertis terræ visceribus, thesauros Regijs opibus nō indignos alat: nempe illic obrisum aurum patulis de montium verticibus frustulatim præciditur, subter quorum valles vitrei & perlucidi amnes decurrunt, ex illis alpium iugis demergentes: plures deniq; eo loco chrysolapides in opulentis ac crebris chrysoplisijs, id est, aurilauacris inueniuntur. Abrugbania autem Romanorū olim colonia fuit, quantum ex hac inscriptione coniectura assequi possumus, in altari ædiculæ supra oppidum non ita longè reperta.

D. M.

CASSIAE PEREGRINE INTEG. FA. I. VIR ANN. XXII. F. BISIVS SCENOB. SARD. CONIVG. S. M. P. I.

ZALATHNYA oppidum tēporibus Traiani Imperatoris conditum, olim aurifodinis insigne, vbi adhuc extant aliquot Epigrammata in marmoribus sculpta, quorum hîc vnicum lectu dignum adiunximus.

D. M.

M. AVRE. ANTHONINI MIL. LEG. XIII. GEM. VIXIT ANN. XII. MEN. XI. DIEBVS II. MILITAVIT AN. V. LIB. RARA VRE L.

MARCIANVS ET VAL. VALENTIANA FILIO PIENTISSIMO.

KERESBANIA oppidum in procliuitate montium loco satis amœno situm, quod Saxones Valachis passim interspersi incolunt, à quibus ea loca interdum minus tuta sunt ex frequenti deprædatione.

Iam paucis post ciuitatum descriptionem, quæ hîc sint præ cæteris celebria flumina aperiemus.

MARISIVS, seu Marisus pen.cor. Daciæ, vel si mauis, Transyluaniæ aurifer fluuius, ex alpibus Transyluaniæ Moldauiam contingentibus profluens, à Ciculis in Daciam, inde in Tyssiam descendit (Vide Strab. lib. x.) mox Danubium influit, per quem Romani milites vasa olim sibi ad vsum belli necessaria deuehere solebant, adde quod hinc sal Regium in Hungariam importari solet.

ZAMO-

ZAMOSVS, pen.longa, fluuius Daciæ non procul à Chryso fluuio in iugis Dacicis ad Moldauiam vergentibus, in primis Orientem versus effluit, tandem arcem Gyvvla Episcopalem præterfluens, tendit ad Austrū, & ciuitatis Colosvvariæ pomœria radit, inde ad Solis ortum vertitur, angusto alueo & sinuoso nauigabilis, quo sal Regium oneratis nauibus quotannis euehitur, vulgus eundem fluuium appellat Zamos, non longè à Bistricio territorio, per vallē emissus abducitur in Hungariā Thybisco amne præcipitādus.

AVRATVS verò fluuius in montibus Abrugo oriens Tordam præterlabitur, & paulò supra Nadghlack in Marisio exoneratur, qui Transyluaniæ celeberrimus fluuius est, satis exili & angusto alueo prosiliēs, deinde collectis simul aliorum riuulorum & fluuiorum vndis augetur, Trāsyluaniamq; secat, ac præterfluēs oppida Zeckelvvassarhel, Enyedū, Albam Iuliā, Devvan, & Lyppiam, qui tractus totius prouinciæ est amœnissimus, atq; non adeò magna distantia à Zegedino in Hungaria, cum Thybisco coniungitur, & naualis est amnis, quo omne sal euehitur ex Transyluania, deponiturq; Zegedini, atq; inde per totam defertur Hungariam, & per Thybiscum, Belgradum, Seruiamque deducitur.

EST AVTEM TRANSYLVANIA (vt ad priorem nostram redeamus sententiam) quæ olim fuit Dacia, si non tota, tamen eius florentissima & præcipua pars, quam Imperator Traianus, vt prædiximus, victo Rege Decebalo, qui his locis imperabat, in prouinciā redegit, deductis colonis, & vrbibus conditis, quarum nonnullæ in hunc vsq; extant diem, quod adorandę vetustatis inscriptiones monumentorum pluribus locis repertorum indicia testantur: Eam Teutones primo tempore & aliquot retrò sæculis possidere, siue hi ex Saxonia, siue à Rheno venerint, tamen ex Germania profectos fuisse constat: Sed quam fortunā, quemúe Ducem sequuti sint, nullis quidem literis proditum est, nisi quod in Hungarorū Chronicis legitur, Diuo Stephano regnāte multas semel nationes Hungariam & istius confinia occupasse, inter quas Saxones fuisse memorantur.

CONCLVSIO.

EST itaq; hæc nobilissima & opulentissima regio & prouincia, pluribus aucta nationibus & incolis, omniumq; rerum, quæ ad humanum spectant vsum, longè refertissima, auro, & argento, saliumq; fodinis, ex quibus quotannis ingens thesaurus hauritur, cum viniferis montibus, & iumentorum & pecorū ingenti multitudine vndiquaq; referta: Estq; hæc regio Trāsyluania, quòd trans syluas sita sit, appellata, multorum cognitione & perlustratione, meoq; iudicio, latitudine & longitudine ad viginti & quinq; miliaria extensa.

Absoluimus igitur hanc breuē, & vt ita dicam, satis compendiosam Transyluaniæ descriptionem, qua præcipuas ac celebriores vrbes, pagos, & oppida eiusdem prouinciæ, suis limitibus & confinibus, nec non situ & locorū amœnitate, non indiligenter complexus sum: nihil addubitans, vt quicunque has commentationes simulatq; alias regiones distinctim expressas & adiunctas, suo perlustrauerit ordine, mox illius terræ ac regionum finitimarum verissimam assecuturus sit cognitionem. Neque suspicetur quispiam, in tota Europa, huic prouinciæ Transyluaniæ, opulentia & amœnitate, esse parem, aut vsu fructu præstantiorem, quod sanè ex præscriptis annotationibus nostris cuiuis legenti videre licet.

 EXHOR-

EXHORTATIO AD SACRAM REGIAM MAIESTATEM.

Serenissime & Inuictissime Rex, Domine, Domine Clementissime, legimus apud Xenophontem, Ducē quendam Græcum, dum militari expeditioni exercituali Regis Persici præficeretur, solerti cura & diligenti inspectione, Persiam & Joniam descripsisse, descriptamquè in membrana Spartanis Regibus obtulisse, vt regni Persici opibus & terrarum bonitate ac beatitudine inuitarentur ad suscipiendum bellum contra Persas: Fuitquè efficax eius membranæ exhibitio, persuasione Ducis illius, Spartanis oblata. Statim enim Spartani expeditionem in Persas mouerunt, Agesilao duce, qui vniuersum Persarum imperium sua manu & bellica virtute occupasset, nisi domesticis motibus in patriā retractus fuisset. Alexāder ille Macedo, qui à rerum gestarum magnitudine & gloria Magnus est appellatus, cùm audisset Democratis opinionem, asserentis plures esse mūdos, obstupuit, atq; lachrymans dixisse fertur: Heu mihi homini infœlici, quòd cùm plurimi sint mundi, vnius dominio nondum sim potitus, quid amplioribus regionibus subiugandis mihi sperandum sit vnquam? Tanta nimirum Alexander regnandi cupiditate stimulabatur, vt parui duceret, orbis terrarum imperiū se esse assecutum, nisi cætera quoq;, si quæ extra hunc mundum regna forent, consequeretur. Quamobrem Rex potentissime, vt Sacra Maiestas tua consilij & instituti mei rationem habeat, hoc in primis tuæ Maiestati declarare volui, quò demū Maiestas tua cognosceret, quàm opulenta & diues, diuersisquè nationibus & populis ista Transyluaniæ prouincia sit referta, quæ tuæ Maiestatis imperio iam propemodum adempta, atque in ditionem Tyranni, ac in seruitutem (proh dolor) non sine maxima totius Christianitatis iactura redacta, vt rursus istud Regnū, quod ad tuam Maiestatem omni iure & legitima & Regali successione spectat, ex faucibus hostium eripiendum, armisquè vindicandum, ac pristinæ libertati suæ restituendum niteretur. Quod & ante à diu tuæ Maiestati præcipuè curæ fuisse, nemo est, qui ignorat. Tantam enim Maiestas tua moderādi imperij sui rationem assecuta est, vt eo toto ferè orbis ambitu nec potētior, nec moderatior Princeps visus sit vnquam. Sed quoniam huic Regno inter cætera discrimina & futura metuenda pericula nihil pernitiosius esse queat, quàm quòd internis grauissimè fluctuat dissidijs. Quòd si in eo Regno cōstantes & vnanimes forent, suasquè ambitiones deponerent, haud ita facile ipse hostis atrocissimus istius Regni imperio, pro libito suo potiri, aut præsidia vlla in ea patria nostra, statuere posset firma: cùm potissimùm huic hosti tam valido exercitu per tam angustas vias nusquam commodus pateat accessus, atque etiam hæc regio amplissima, & natura mōtibus, syluis, & nemoribus vndequaq; adeò munita sit, vt ab hostium subito impetu, satis tuta esse queat. Quisnam Rex victoriosissime, hanc prouinciam adeò florentem, & opulentam, sublatis mutuis dissensionibus, aut subuertere, aut occupare, aut in aliquod discrimen adducere vnquam poterit? dummodo hæc strenuissima natio, suæ tranquillitati & pristinæ libertati restituta, & conformibus animis arma in publicum Christiani nominis hostem conuerterit, aliorumquè Christianorum Principum tempestiua auxilia & præsidia senserit: Constat enim omnibus, Rempub. ab initio orbis, semper discordia & intestinis simultatibus defloruisse, grauissimamquè ruinam accepisse: Quod sanè ex his versibus cuiuis perpendere & videre licet.

Vera equidem Diæ est Christi sententia magni,
　Diuisum regnum seditione ruit.
Sic olim cecidit discordibus excita bellis
　Carthago, Lybiæ culmina celsa lares.
Oppida, sic arces, vrbes, sic Ilion ingens
　Corruit, & Priami Regia pulchra senis.
Sic liquit celebrem sua magna potentia Romam,
　Fractaq; sic sensit publica damna neces.
Sic opulenta potens diris agitata procellis
　Pannonia, heu misera, seditione ruit.

Quare Maiestatem Tuam humilimè precor, vt hanc meam admonitionem gratioso ac benigno vultu amplecti, meq; in singularem tutelam & protectionem suam clementer suscipere, & commendatum habere dignetur.

E. Maiestatis tuæ

fidelis seruitor,

Georgius Reychersdorfferus.

MOLDAVIAE, QVAE OLIM DACIÆ PARS, CHOROGRAPHIA, GEORGIO A REYCHERSDORFF, TRANSYLVANO, Autore.

IN CLYTISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO FERDINANDO, *Romanorum, Pannoniæ, Bohemiæquè Regi &c. Domino ſuo Clementiſſimo.*

MVLTAS & eas quidem longinquas legationes, quas FERDINANDE Cæſar inuictiſſime, Rex potentiſſime, Sacra Maieſtas Tua mihi impoſuit, prompto alacriq; animo ſuſcepi, & pro virili ſtrenuè ac ſedulò perfunctus ſum, quarum proxima fuit, qua Sacræ Maieſtatis tuæ iuſſu, Moldauiam perluſtraui, atque oculis (quibus maxima fides eſſe ſolet) eius terræ montes, flumina, ſyluas, vrbes, oppida, pagos, ita conſideraui, vt reuerſus, quicquid ibi memorabile videram, ad vnguem recenſere potuerim: Quæ cùm annis ſuperioribus Lynzij Sacræ T. Maieſtati retuliſſem, memoria teneo, Maieſtatem tuam mihi negocium dediſſe, vt terrę illius ſitum, deſcriptionemque, quantum memoria aſſequi poſſem, literis mandarem: Quod equidem pro viribus feci, tum quò magis imperato legationis muneri ſatisfacerem, tum ne quid Sacram T. Maieſtatem eorũ, quæ ibi memoria digna ſunt, lateret, cùm nemo veterum ſcriptorum, ac ne recentium quidem eam fortaſſe prouinciam calamo antea ſit complexus, intermittere non potui, quin tandem in publicum emitterem hoc opuſculum, maiore à me fide quàm elegantia conſcriptum, quod Sacræ M. T. denuò offerendum ac dedicandum duxi, vt admonerem, Moldauiam minimè contemnendam, Regni Hungariæ quaſi ramum non infimum, inſidijs callidiſſimi atrociſſimique Tyranni nuper à totius Chriſtianæ Reipub. & regni veluti corpore auulſam, omnibus viribus conatibusque eſſe vindicandam, terram ſanè omnium rerum copia affluentem, quæq; hoſtem noſtrarum rerum auidiſſimum ſuis ad nos opibus tranſmittere poſſit, vt hinc ad Chriſtiani nominis Regna inuadenda expeditũ deinceps ſit iter habiturus: niſi vnanimi conſenſu concordes Chriſtiani Principes confeſtim aduolarint, ad reſtinguendum tam atrox incendium, vereor ne longè lateque graſſata flamma (quod Dij procul auertant) ſimul omnium opes hauriat. Quod meum quamuis tenue officium, ab optimo tamen deditiſſimoque animo profectum, Sacra Maieſtas Tua boni vt conſulat, ſupplex precor, meque humilimum clientulum ſuum in ſingularem Maieſtatis Suæ gratiam ac tutelam recipere, & commendatum habere dignetur.

E. Sacræ Maieſtatis tuæ

humilimus ſeruitor

Georgius Reycherſdorffer,
Secretarius indignus.

AD LECTOREM.

CVM plærique diuerſarum terrarum, nationum, gentium, & prouinciarum ſitum, ac regiones, ipſaque adeò climata abſque vera & integra perſpectaq; locorum cognitione, ſuo ſaltem priuato ſtudio aut opinione potius, quo cæteris etiam longè peritioribus ſeſe illa ſua minus indagata deſcriptione, ingenio tamen præſtare cupiunt, deſcribere ſoleant: atque inde citra veram ipſorum experientiam, non parui quandoque errores committantur, quæ non mediocria proficiſcentibus viarum diſcrimina adferunt, adeò vt aliàs multarum rerum ſanè peritis, in eiuſmodi exactiſſimis annotationibus fides certa non multum adhibeatur. Ego igitur cùm ſuperioribus annis in regno Moldauiæ diuerſis & arduis Sacræ Maieſtatis Regiæ legationibus verſatus & perfunctus ſim, totamq; hanc regionem ſatis diligenter & vſque ad vltimos eius prouinciæ terminos perluſtrauerim, conſtitui quantum vel per ingenij mei tenuitatem, aut temporis anguſtiam liceat (niſi me mea fallat opinio) terræ illius ſitum & ambitum, breui quodam compendio, rectageographicaq; methodo, ita depingere & conſcribere, vt nihil prorſus ab integra & exquiſita cùm locorum tum fluminum omnium cognitione & deſcriptione, intermiſſum eſſe videatur. Quo tandem quiuis eiuſmodi itinera ſuſcipiens, ampliore ſanè iudicio, certioreq; cum ratione iſtius regionis Moldauiæ ſitum & ambitum, nec non circumiacentia regna vndequaque magis perſpecta & cognita habere, hancq; meam vel minus bene politam, aut non ſatis omnibus approbatam deſcriptionem cognoſcere & iudicare queat facilius.

* * *

MOL-

MOLDAVIÆ DESCRIPTIO.

TERRA iacet ſæuis Thracum contermina regnis,
Iuncta vbi cum Chele ſydera Taurus habet.
Hicqúe vbi ſeptenos, mutato nomine, portus
Iſter in Euxinas gurgite fundit aquas.
Moldauiæ multos titulo celebrata per annos,
Adde quòd & ſolo nomine nota fuit.
Baſtarnæ hanc olim veteres tenuêre coloni,
Proxima Pannonij, Sauromatæqúe tenent.
Qua videt occiduum tenebris decreſcere Phœbum,
Falcigeros illo deſpicit orbe Dacos.
Vnde diem roſeis illuſtrat Lucifer alis,
AEquoreis illinc pulſa feritur aquis.
Inde vehit longos ſinuoſo in littore tractus,
Tendit in Eoos brachia longa ſinus.
Dum Mare deſertas ſuperet cum littore ripas,
Et ſimul in Pontum Neſter & Iſter eant.
Terra armis opibusqúe potens, belloq́; ſuperba,
Fœcundo ſemper gramine tecta viret.
Sponte ſua multos geminata meſſe racemos,
Lætaqúe non cultus munera reddit ager.
Attamen Euxini qua vergit ad æquora Ponti,
Horreſcit nimio terra relicta ſitu.
Non hîc pampinea vitis nutritur in vmbra,
Hanc nemo preſſo vomere findit humum.
Quodqúe magis miror, curámque & aratra recuſat,
Nullus arenoſi littoris arua colit.
Littora cùm videas alijs cultiſsima terris,
Quæ domino referant annua poma ſuo.
Nec quicquam bello minor eſt, rebusqúe gerendis,
Multa foris geſsit prælia, multa domi.
Et Mahometigeno populantes milite Turcas
Reppulit, estqúe hoſtem ſæpius vlta ſuum.
Nunc ſua Lunigero conceſsit iura Tyranno,
Victaque Theſſalico ſubdidit ora iugo.

EPIGRAMMA IOAN. ALEXANDRI Braſſicani.

Nota fuit paucis Moldauia magna, Georgi
Nunc facta eſt verè nobilis ingenio.
Debuit eſſe magis ſomno vinoq́; ſepultis
Cognita, qui Turcas ſomnia vana putant.
Interea dum tempora perdimus, impius hoſtis
Deuorat & Reges, deuorat & populos.

EPIGRAMMA AD LECTOREM.

Ex aliorum alij ſcripſerunt plurima dictis,
Et temerè auditis ſæpe habuêre fidem.
Hic vrbes, quas ipſe adijt, quæ flumina vidit,
Prudens veraci tradidit hiſtoria,


MOLDAVIÆ, FINITIMARVMQ; REGIONVM TYPVS.
Scala milliarium.
3 6 9 12 15 18 21
Septentrio
Meridies
Occidens
Oriens
Amadoka palus
Copesteryn
Olczydayow
Braczlau
Artaces fluvius
Sob fluvius
Morabes flu.
PO: DOLIAE PARS.
Mesta flu.
Bhele
Strucz fluvius
Camenecz episc.
Dueklioucze
Bocota
Czernouel
Culicow
Choczym episc.
Tyras flu. hodie Niester
Sroka
Vsczya
Cuczuchan
Sauran fluvius
Bog flu.
Sauran flu.
Zukow
Tarasoucze
Stepanouze
Oryhow
Coyaluyk
Tetykol
POKVCZE.
Smatyn
Colomia
Ceruouecz
Pruth fluvius
Crolow
Jehynie
Tubarcza
Mayak
Vidouo lacus
Cecykcoue
Soczaua
Serech
Badeorcze
Cutuar
Iaszy
Lasti
Jaris to
Tiras
Bialogrod
Cysea
Gergycz
Pudno
Nyemecz
Moldania
Margosest
MOL: DAVIA.
Lapuzna
Brassouia
Seps
Czysk
Bachono
Skea
Targorod
Lucania
Tirasspo
Kilia
PONTI EVXINI PARS.
Rasnouo
Totros
Bistricia fluvius
Serethus fluvius
Vasluy
Husz
Viduiza
Vosoue lacus
TRANSIL: VANIÆ PARS.
Pudna
BESSARA: BIA.
Aczud
Vastni
Barlath
Falczyn
Olten
Myscono flu.
Techis
Oblucice
WALACHIA.
Turiczkybroth
Barlath fluvius
Ren
Tuncza
Danubius fluvius
Rebuyk
Pudna
Braila
SYRFIA.
Baba
Chaliacca
Seretus flu.
Galacz
Ialonycza fluvius
Brailolouo
Urana
Flocz
Jalonyck
Danubius flu.
BVLGARIÆ PARS.
TRANSALPINÆ PARS.
47
48
49
50
51
52
53
54
55
45
46
47
48
49

MOLDAVIAE CHOROGRAPHIA, GEORGIO A REYCHERSDORFF, TRANSYLVANO, AVTORE.

IN PRIMIS igitur exordiendo à confinibus Regni Poloniæ, dum ſcilicet iter verſus Moldauiam ſpectat, plana eſt terra, rebusque ad humanam neceſſitatem pertinentibus pleniſſima, mõtibus & alpibus minimè impedita, donec per Ruſſiam propemodum deſertam, vſque ad ciuitatem Leopolim, Ruſſiæ metropolim inſignem, quæ quinquaginta miliaribus ab vrbe Cracouia diſtat, ad propiores Moldauiæ metas acceditur. Subinde non ita procul duo ſunt flumina haud abſimili latitudine, & nauigabilia, & profundiſsima, quæ totam hanc regionem naturali ſuo fluxu ingentibus vndequaque ambiunt anfractibus, vtpote Neſter, qui Boriſthenes amnis dicitur, & Moldauus, à quo Regnum iſtud primæuum nomen accipit: Illic ab eius Boriſthenis fluminis portu, arx quædam ſita eſt, Chotijna dicta, qui fluuius primo ſtatim in Moldauiam tractu deſcendit, atque in Mare album prope arcem Neſter Feijrvvar munitiſsimam continuo curſu influit. Tandemq; nõ multo itineris interuallo quoddam oppidũ Snatijna vocatum, quod videlicet Moldauos terminos à finitimis Ruſsiæ metis propè ſeiungit, attingitur: Iſthic Moldauiæ limites prima fronte apparent, inde recto tramite, totius Regni Moldauiæ ambitus in longitudine certo miliarium ſpacio ad calculum reuocato, vſque ad alpes Tranſyluanas, vbi illius terræ Moldauiæ extrema meta eſt, ad ſexaginta & quator miliaria ſatis longa protenditur & terminatur. Hinc per prædictas alpes & aſperam admodum & ſaxoſam anguſtamque viam, qua vix commodè currus vnicus progredi poteſt, per vnum & alterum diem non multo negocio ad ciuitatem Braſſouienſem, per Ciculiæ metas finitimas, in terram Bartza deflectitur. Quæ quidem ciuitas Braſſouienſis circumquaque contiguis cincta eſt montibus, atque ſatis firmata mœnijs, prædictis alpibus à Tranſyluana regione proxima, Moldauosque ſeiungens vicinos terminos, peruenitur in Tranſyluaniam. Huic regioni à Septentrionali plaga ipſa Valachia, quæ alio nomine Tranſalpina dicitur, & Bulgaria, Ponto contermina ſunt, inter Iſtrum & Thyram flumina.

VALACHIA autem longè lateque diffuſa, & patens regio, à ripis Danubij Turcis finitima, quæ olim Hungariæ Regibus obnoxia fuerat & tributaria, nunc verò (proh dolor) ſimul cum Moldauia Turcarum tyrannidi magna cum Chriſtianorum iactura ſubiecta eſt.

Fuit & olim VVayvvoda Moldauus Hungariæ Regibus iuramento adſtrictus: Eius enim prouincia quaſi regno Hungariæ addicta, ingruentibus bellis contra hoſtes publicos, in defenſionem & conſeruationem illius præſidia à Regibus Hungariæ obtinuit neceſſaria.

Ipſa autem Valachia Tranſalpini nominis originem ex re ſortita, alpibus enim & montibus continuis, & his quidem altiſſimis, ab Hungaria & eius potiſſima Tranſyluania parte, nemoroſis paſſim amœnisque interuenientibus ſyluis, diuiditur & conterminatur.

Prætereà Valachia appellatur à Flaccis Quiritum gente: Romani enim Getis ſuperatis & deletis, Flacci cuiuſdam ductu eò coloniam deduxêre, vnde primùm Flaccia, deinde corrupta voce Valachia dicta. Adſtipulatur huic opinioni Romanus ſermo, qui adhuc in ea gente durat, verùm adeò ex omni parte corruptus, vt vix ab homine Romano intelligatur. Igitur Va-

lachi Italicum genus, à veteribus (vt aiunt) Romanis deriuatū, præter quod historijs traditur, in coloniam Dacicam à Traiano Imperatore deductos esse, planè in Getarum mores abierunt, atque nihil antiquæ originis, suique monumenti retinent, præter natiuam linguam, quæ admodum barbara & corrupta est.

DE RITIBVS ET MORIBVS Moldauicæ gentis.

POPVLVS itaque Moldauicus conformi ferè vestitu maiorum suorū more & instituto incedens, non dissimilibus Hungarorum armis vtitur, vtpote hastis militaribus & clypeis, tamen illis parum succinctioribus, & his, quoque modo ensibus ac frameis ad vsum belli deseruientibus, non multùm discrepantes. Quique ad militarem industriam satis apti sunt & expediti.

Prætereà gens ista Moldauica ferox est, & admodum barbara, rebus tamē militaribus & bellicis, vt prædictum est, suo more eximiè instructa. Christum & diuos Apostolos agnoscit, ac S. Pauli, vt ipsi volunt, religionem hactenus iam inde ab initio non sine summa veneratione & pietate, coluit. Isthic diuersæ sectæ, & diuersa quoque religionum & nationum genera habentur, vtpote Ruthenorum, Sarmatarum, Rascianorum, Armeniorum, Bulgerorum, & Tartarorum, non minor denique pars Saxonum Transyluanorum, hanc terram passim inhabitantes, imperio Moldaui VVayvvodæ obnoxia, varietate tamen ceremoniarum & dogmatum sine vlla contētione vtuntur, & quælibet secta siue natio solitis suis ritibus & legibus pro suo fruitur arbitrio. Eodem quoque modo & ordine, Monachi Christianam religionem illic profitentes, sacris suis ceremonijs & officijs iuxta monasterij & ordinis sui consuetudinem siue regulam vtuntur. Postquàm autem de Ruthenis supra mentionem fecimus, eos Moldauiæ confines cōstituentes, par est, & alios finitimos ipsis populos, paucis calamo perstringere.

TARTARI verò eam regionem incolentes, quingentas (quas vocant) sessiones proprias habent, ij pariter VVayvvodæ ipsi sua fide adstricti, atque in expeditione bellica, contra externos quoque Tartaros (à quibus ista prouincia non raras sentit incursiones) suis instructis copijs proficisci coguntur. Gens admodum effera, quæ carnibus equinis quotidiano vescitur cibo, reliqua obsonia etiam delicatissima minimè curans.

RVTHENI olim prouinciæ Narbonensis populi, finitimi erant Auernis & Sanctonibus, vnde Cæsar in commen. & post eum Plinius lib. iij. ca. 4. Galliæ populos esse tradidit. Idem lib. 4. cap. 19. Aquitanis eos adnumerauit, modò inter Moldauos, Polonos, Tartaros, & Carpathiorum montium accolas habitant, eorum regio Russia vocatur, quam sylua Hercinia mediam ferè diuidit, rari apud eos Christiani sunt, Pauli sectam profitentes, sermone à Polonico parum discrepante vtuntur.

PRVTHENI verò vltimi Germaniæ populi, quos Mela Herniones appellat, vltra Pomeraniam illis occiduam incolunt: ad Septentrionem littore maris Oceani, partim ad Orientem Liuonia, partim verò Lithuania clauduntur: Meridianos locos Masouitæ ac Poloni tenēt: eius regionis metropolis Dantiscum, littoralis ciuitas, emporio ac mercibus extraneis clara & insignis, quam Fistula alluit, moxque Oceano absorbetur.

SARMATIA Europæ extrema regio, hanc Mela Germaniæ partem esse tradidit, recentiores contrà: nam ille Fistulam, hi Oderam Germaniæ terminum esse scripserunt, quæ Poloniam à Silesijs disterminat.

Ptolomæus lib. iij. duas esse Sarmatias tradit: Alteram in Europa, quam nostra ætas Poloniam appellat, hæc à Septentrione Oceano, ab Occasu Germania, à Meridie Iazigibus, Methanastis, ac Carpathijs montibus terminatur, in ea sunt Olijba, modò Russia & Tartaria: Altera verò Sarmatia, Scythicæ Asiæ pars est vltra Tanaim, in qua & Caucasi montes prominent. Hinc Sarmatæ populi modò Poloni, olim Herniones, vt Plinius & Mela, vel Omeones, vt Ptolo. Tacitus Germanis annumerat, vtpote qui contra Sueuos, Vannio Sueuorum Regi ab eis expulso, opem tulissent. Nos aliter sentimus: Nam Sarmatæ quondam, quemadmodum & hodie, carne equina more Tartarorum vescuntur. Inde Mart. Venit & epoto Sarmata pastus equo. Claudia. Tua Sarmata discors Sacramenta petit. Tranquil. in Domician. Expeditiones partim sponte suscepit, partim necessariò, vnam in Sarmatas legionem, cum legato simul Cæsar. Cæterùm auri argentique maximarum rerum ignari, vice rerum commertia exercent. Vide reliqua apud Mel. lib. 2. Græci Sauromatas vocant, ideò quòd lacertis consimiles oculos habeant. Pli. libr. 4. Sauromatas gentes Scytharum Græci appellant, quas Sarmatas Romani dicunt.

Celebriora autem loca, arces nempe & oppida nominatim quoque perstringere libet: Ea sunt, Svvczovva, Chotijna, Nempzs, Romani vvivvar, Bahloijazvvar, VVazlo, Zoruca, & Orhe. Item Huztvvaras, Tataros, Barlat, ac Romanvvasar, & plæraque alia oppida & castella, quæ breuitatis studio, suo ordine recensere aut describere voluimus.

Princeps verò istius regionis, quem VVayvvodam Moldauum appellant, pro aulæ suæ splendore, tria millia equitum quotidiano suo alit stipendio, qui quidem in armis semper præsto, & parati sunt, eundemq; VVayvvodam cum instructis copijs suis comitantur vndique. Poterit autem ipse VVayvvoda, dum belli necessitas ita postulauerit, non magno negotio & labore, in Regno suo generali habito delectu, ad sexaginta millia equitū & peditum exercitum conscribere.

Eadem quoque regio Moldauica alit insignes equos Turcicos, Valachicos, item Asturcones optimos, aliosque in magna copia. Illos tamen raro ob VVayvvodæ edictum ex ea regione, nec nisi nuncijs & Oratoribus publicis, educere liberè permittitur.

Eius generis equos nobiliores & elegantiores quingētos, & deinde Falcones trecentos quoq; insignes, necnon ingentem Ducatorum summā VVayvvoda Moldauus, Turcarum Cæsari, quò ab illius inuasione sua sit pacatior prouincia, quotannis in tributum pendere solet. Licebit & illud adijcere, quòd legitimi simul & illegitimi proles masculi indiscriminatim paterno succedūt imperio. Verùm quamprimum illius terræ hæres aut Princeps nascitur, corpori stigma quoddam ignito imprimitur ferro, vt de vero demum stemmate natus Princeps, ad virilem euectus ætatem, certo dinoscatur indicio. Consueuit namque hæc gens ob imperandi libidinem, alter alteri necem machinari, omnesque mortis struere insidias. Ideò plærunque inter fratres obtinendi imperij causa, suboriuntur bella pernitiosissima. Quod itidem in Transalpina prouincia fieri solet, & cōtingit frequentius.

In hac prouincia nullæ sunt naues, quibus flumina traijciuntur, præter rates, quæ ex compactis trabibus & applicatis asseribus extructæ sunt, quas nostrates nautæ Germanica lingua Pruckschiff appellant, quibus eo potissimum cōsilio vtuntur, ne vel hostes eam prouinciam celeri motu aut impetu obruere aut inuadere queant. Sed interdum etiā in traijciendis illis fluminibus, dum aliunde Principum Oratores aut nuncij ad VVayvvodam veniunt, quibusdam paruulis vtuntur nauiculis, ne vel à portu fluminis

aliquan-

aliquandiu remorari videantur, quibus ſatis commodè vnà cum equis ſimul & curribus traijciuntur quàm celerrimè.

Prætereà Moldauienſes ſimul & Tranſalpinenſes VVayvvodæ, vires Turcarũ Cæſaris nõ ſemel magno ſuo malo experti, ſuoq; imperio & regno depulſi ſunt. Quemadmodũ quõdam Petro VVayvvodæ Moldauo, Bogdano cognomine, paucos ante annos obtigit, quẽ Cæſar Turcarũ ſuo priuauerat dominio, & ablato eius theſauro in diram captiuitatem Cõſtãtinopolim abduxerat, vbi ad plures mẽſes vinculis retentus, tandemq; impetrata Cęſaris gratia, priſtinæ libertati reſtitutus eſt, poſt cuius obitum filius eiuſdem Elias Bogdanus, patris imperio ſucceſsit, fœliciterq; ac ſumma cum prudẽtia & moderatione atq; benignitate ſubditos ſuos omnes gubernare, & cum Tranſyluanis bonam amicitiam & vicinitatem ſeruare dicitur: nihilominus tamen Cæſaris Turcarum imperio ſubſtrictus, quibu ſuis annis ſolitũ tributum pendere ſolet. In Trãnſalpina aũt prouincia quidam Mijrcza, qui (vt aiunt) pluribus annis in aula Cæſaris Turcarum verſatus, & tandem nõ multis antè annis, priori illius terræ VVayvvoda VVlad nominato, è medio iam ſublato, autoritate Turcarũ Cæſaris, in dominium iſtius prouinciæ reſtitutus eſt, quem ſua credulitate & tyrannide prędeceſſores VVayvvodas eiuſdem prouinciæ multò ſuperare ferunt: hic ſiquidem initio regiminis ſui, potiores ſeniores, Barones, & Nobiles iſtius prouinciæ, nulla legitima occaſione habita, partim miſerabili nece affici, ac nonnullos in diram captiuitatem redigi iuſſit: vnde plures alij formidine ducti, ne in manus illius inciderent, relictis omnibus opibus, ſeſe clàm in fugã ſubduxêre, & in Tranſyluaniam, quò tutiores eſſent, contulêre. De cuius Vayvvodæ Mijrcza tyrãnide, rebusq; tam ſeueriter & crudeliter geſtis quiſpiam ocioſior longam poſſet edere hiſtoriam, quæ ſingula breuitatis gratia, cùm videbantur non adeò eſſe neceſſaria, potius prætermittenda fore duximus.

DE SEVERITATE MOLDAVIENSIVM VVayvvodarum.

IPSI autem VVayvvodæ Moldauienſes maxima quadam tyrãnide & ſeueritate in ſuos ſubditos ob leuiſſima quandoq; commiſſa graſſari ac ſæuire ſolent, quò magis illorum pertinaces animos obſequentiores reddant. Cuius rei ſpecimen videre licet in tam magna cæcorum caterua, qui ob patrata ſcelera exoculantur, aut ſuis mutilãtur membris, quiq; indies eleemoſynæ ac victus gratia, ſuis iam orbati luminibus, Principis ſectãtur curiam, quos, etſi flagitia deſignarint, nihilo minus VVayvvoda ipſe pro ſua munificentia & pietate fouet, benigneq; ſua in curia ſuſtentat: Ac extraneis omnibus tam ſacrilegis quàm adulteris & id genus perditiſſimis nebulonibus ad ſe fugientibus tutiſſimum præbet aſylum.

Rariſſimè verò ij VVayvvodæ vtriuſque prouinciæ tam ſcilicet Moldauiæ, quàm Tranſalpinæ, ob ſubditorum ſuorum occultas plærunq; inſidias, quibus vt plurimùm illos adeò feroces & ſeueros Principes clàm inſectantur, diuturno fruũtur imperio: necdum etiam ab incurſione hoſtium, tam ſcilicet Tartarorum, quàm Turcarum, à quibus admodum frequenter infeſtantur, in regno ſuo ſatis tuti ſunt, niſi cum illis quandoque confœderationem, aut pacis inducias ſuſcipiant.

Prætereà cùm ex Moldauica illa regione per Ruſſiã inferiorem, quæ proximis regni Poloniæ metis & finibus iungitur, à Podolia iter ad Hungariam verſus Marmaruſium, Munkacz & Beregh ſumitur, paſſim amœni ac ſpacioſi ſunt campi, nullo amne nauigabili interſepti, tantùm fluuio Brvvth vocato, qui Moldauiæ Poloniæq; fines dirimit, qui etiã humidis quandoq; temporibus traijcitur. Hinc tandem continuis & quidem altiſſimis montibus & alpibus per arctiſsimam ac multò difficilimam viam, qua haud ſatis commodè equus vnicus lento quidem paſſu progredi queat, ad præſcripta loca peruenitur in Hungariam.

Eſt autem prouincia Moldauica ſatis àmœna tam planitie quàm vallibus, oppidis etiam, & varijs poſſeſsionibus vndecunq; refertiſsima, nullis tamen arcibus aut ciuitatibus quacunq; arte & induſtria munitis, excepta ſola arce Nempzs, quæ in altiſſimo monte ſita, cincta eſt mœnijs, aliàs ſolùm fluminibus quaſi à natura adhibitis, munita.

Sunt prætereà duæ arces validis extructæ muris, vtpote Romanivvijvvar, quam planities quædam ad flumen Zered, quod in Danubium flectitur, ſuſtinet. Alteri verò Romanivvaſar nomen eſt: hæc vt vtrinq; duo occupant latera, ſic vtraſq; Danubius ipſe ſecat atq; interfluit bifariam, vtrinque dominia diſcernens. Altera etenim Moldauiam, altera Tranſalpinam, ſuis contuentur proſpectibus: habet & is Danubij curſus duo vtrinq; à portu fluminis ſita oppida, videlicet Barilla & Galaczs, quæ pari ipſius Danubij interluuio, amœno quodam naturæ beneficio, elegantique ſeiungit ordine.

Hîc nihil deeſſe comperitur, quod vſui humano neceſſarium videri poſſit. Adhæc diues auri, argentique ac ſalium fodinis, item agrorum, vinearũ, pecorum, piſcinarumque & ſtagnorum, ac ſelectorum & variorum piſciũ genere, longè omnium locupletiſsima, adeò vt rerum omnium copia vbertim affluentem cernas, alioqui etiam aeris clementia, victus commoditate, ipſaque politia ſanè quàm nobilis & ſpectatiſsima.

Per hanc totam regionem vetere ſaltem moneta Hungarica, item aſparis argenteis, & aureis tam Hungaricis quàm Turcicis vtuntur, neque aliam quamcunq; monetam ipſis incognitam publico quæſtu exponendam admittunt.

Hactenus REX Sereniſſime, viuis veluti coloribus Moldauiam regionem longè omnium præſtantiſſimam, quantum attinet non tantùm ad loca præ cæteris inſignia, flumina, oppida, monteſque, verùm etiam minimos pagos caſtellaque, perſtrinximus: gratum quidem Maieſtati tuæ (niſi nos concepta ſpes fallat) in eo præſtaturi officium. Multum igitur tuam Maieſtatem, cæteroſque Chriſtianos Principes, breuiſſima hæc Moldauiæ deſcriptio admonere debet, quantum hac amiſſa regione periculi omnium Chriſtianorum ceruicibus immineat: Siquidem humanum eſt, accepto iam malo, tum primùm conſilia velle capeſſere.

AD LECTOREM.

Cùm velis fortuna fauet prouecta secundis,
Lætaqúe tranquillæ tempora pacis habes:
Dormitas vtranque nimis securus in aurem,
Sunt tibi, sunt alio fata cauenda modo.
Expende afflicti tristissima tempora belli,
Et quæ sint capiti tela parata tuo.
Fortè tibi rerum series aduersa malarum,
Qua minimè credis, parte futura venit.
Inqúe tuis inimica volat fortuna capillis,
Cùm tua laurigera tempora fronde tegis.
Credo equidem, nec vana fides, fœlicia nunquam,
Quæ non sint multis obuia fata malis.
Quare si quid habent vatum præsagia veri,
In nostrum venient barbara tela caput.
Sic Scythicis perijt nimiùm secura cateruis
Moldauia, & rigido Flaccia pressa iugo.

DE AD-

DE ADMIRANDIS HVNGARIÆ AQVIS

HYPOMNEMATION, GEORGIO VVERNHERO AVTORE.

ILLVSTRI VIRTVTE ET SAPIENTIA VIRO, D. SIGISMVNDO LIBERO BARONI IN HERBERSTAIN, NEIPERG, ET GVTTENhag, Regio Consiliario, & summo in Austriæ prouincijs Quæstori, Sigismundus Torda Gelous Pannonius S. D.

NVPER vt Ausonia veni tellure relicta,
Hospes ad Austriacas fatis ducentibus oras,
De te prolixè sum percontatus, an esses
Incolumis? quas res gereres? an in vrbe maneres?
Sed tum tu Regi tuleras mandata Polono.
Quod cùm fortè mihi dixisset vnus & alter,
Continuò mœstum concepi corde dolorem,
Quòd tua pro voto non est licitum ora videre,
Nec tecum, vt volui, coram data copia fandi.
Cur verò expeterem congressus optime tantum
Sigismunde tuos, planè fuit vnica causa,
Vt mihi noticiæ tecum essent iura perennis.
Rursus vt hoc cuperem, magni vis suasit amoris,
Quo me deuinctum fateor tibi tempus in omne.
Nec nouus hic animo sensus mihi sedit in imo,
Peruetus, & multis est confirmatus ab annis.
Iam tum mirari te cœpi, & ducere magni,
Fama meas de te cùm primùm venit ad aures,
Non hæc obscuris vulgi sermonibus orta,
Verùm à laudatis illustri prodita voce.
Es verò multos inter dignissimus vnus,
A me prorsus & ingenuè qui semper amére,
Atque fide semper summa, officioqúe colare:
Vel quòd te natura parens formarit ad vnguem,
Vel quòd tanta tua vigeat sapientia mente,
Vel quòd dicendi nulli sis arte secundus,
Vel quòd Cecropia clarus celebrere mathesi.

Virtutem

Virtutem grauitas vitæ, constantia rara,
Integritas, mores placidi, moderatio, candor,
Et mansuetudo testatur, sobrietasque?
Quid dicam stirpem generis notam, atque vetustam,
Maioresque tuos, quorum virtusque, fidesq;
Egregiè est semper belli spectata, domique?
Quid reliqua ornamenta domus te vindice parta
Perpetuò à tota quæ posteritate ferentur?
Iam quid iustitiam memorem? quid fortia facta?
Quid bene de multis studium, curámque merendi?
Non leuis ambitio cæco te corripit æstu.
Non æris malè sollicitat furiosa cupido.
Vt taceam, quod te longa experientia fecit
Consultum, prauo vt rectum dignoscere poßis,
Vtile damnoso, pulchro secernere turpe.
Quis nescit, cultæ quæ sit facundia linguæ,
Mandata in causa simul expectata resoluis
Ora, virûm dictis animos & pectora mulcens?
Hinc te in consilium legit sanctumque Senatum,
Adiunctumque sibi voluit Rex inclytus esse,
Imperij quoties ingentia pondera poscunt.
Ad populos Oratorem, summosque Monarchas
Vnum te mittit toties, præque omnibus vnum:
Vnde tibi celebri quæsita est gloria laude,
Euasura rogum supremum, atque inuida fata.
Quæ tellus habitata patet sub Cæsare magno,
Illa tu pridem tota es benè cognitus ora.
Tu Bizantini subijsti castra Tyranni
Ancipiti in rerum statu, tibi sæuus atrocem
Sponte serenauit media inter claßica vultum.
Te norunt, & amant septem quicunque trionis
Gentibus imperitant Reges, tua nomina seruat
Terra Boristhenidum rebus cumulata secundis,
Dum pacem paci socias, & fœdera pangis.
Iam disciplinas te perdidicisse operosas,
Quæ spacia, & moles, numerosq; & sydera monstrant,
Quæq; docent rerum solerti indagine causas,

Cur ita quidque sit affectum, cur nil sibi constet,
Quin fluat, & pronas semper mutetur in horas,
Edita de Moschis à te monumenta loquuntur.
In quibus & mores hominum, legesque notasti:
Ocia quo studio ducant, pacémque togatam,
Quàm validi, celeresque ruant in Martia bella:
Quæ cultura viris superûm, quæ cura sacrorum,
Quantas poßideant fortunas: quo sibi quæstu
Rem faciant, cum qua iungant commercia gente,
Quo sint consueti vitam producere victu,
Quàm latè Scythia Moschus dominetur in ampla,
Inque breui descripsisti nitidaque tabella,
Dimensus regnum pollens armisque, virisque,
Mollibus & radijs signasti flexibus oras,
Qua volucrem Boream, qua solem spectet Eoum,
Quæ latera obtendat Zephyris, Austroque furenti,
Quoque gradu Arctoum se denique tollat ad axem.
Præterea ne quid lector desideret, aptè
Perpetuam regum seriem vsque ad tempora nostra
Digeris, & prima repetens ab origine ducis.
His ego virtutisque tuæ, laudumque tuarum
Illecebris captus, te, dum mea vita manebit,
Qua mihi cumque licet, statui ratione colendum.
Postulat hoc etiam cultor tuus, & meus idem,
Addubito socerum dicamne, patremne, profectò
Obseruandus pro meritis pater, & pietate
VVernherus, qui non studio commotus inani,
Sed votum sensumque tuum, & tua iußa secutus,
Comprendit docti grata breuitate libelli,
Pannonij nostris quicquid miramur in vndis.
Hic igitur cùm te summo veneretur honore,
Atque sibi ducat te nil antiquius vno,
Tanto te faciam maioris & ipse necesse est:
Fœderis hoc inter nos iuncti quia vincla requirunt:
Tu si suscipies me, & complectere vicißim,
Te penes arbitrium cogendi erit, atque iubendi,
Quaque velis de me statuendi summa potestas.

IOANNES LVDOVICVS BRASSICANVS GEORGIO VVERNHERO.

NE quis vana putet quæ scribis mira Georgi
De Præfecturæ fontibus ipse tuæ:
Is sciat effectus oculis nos testibus visos
Lustrasse, & certam nunc adhibere fidem.
Nam ferrum Cyprio indutum conspeximus ære,
Et vitrei tacta est stiria longa olei.
Si quis de causis dubitat, fontesque requirit,
Naturæ inficians omniparentis opus:
Carpatias adeat per nos licet impiger oras,
Inueniet dictis consona facta tuis.
Suspectæ fidei plærumque incognita res est,
Quamuis hoc tardi est indicium ingenij.
Sed quid dissimulare iuuat? nos credere par est
Testi, qui proprio plena fauore refert.
Et tu mirificas, nimirum abstemius, vndas,
Et causam tractas iustius ipse tuam.

SIGIS-

SIGISMVNDVS LIBER BARO IN HERBERSTAIN, NEYPERG ET GVTTENHAG, &c. GEORGIO VVERNHERO REGIO CONSILIARIO, ET apud Saros Præfecto S. D.

ETSI iam olim, & à multis quidem multa de admirandis in Zepusio aquis audieram, tamen iisdem de rebus, quæ plærisque incredibiles videbantur, à te imprimis certior fieri, & tuum iudicium audire desiderabam. Quia verò non dubitasti, quæ comperta de his haberes, ad me scribere, facilè effecisti, vt non modò, quid ipse posthàc de his sentire debeam, certò scirem, sed etiam multi alij excellentes viri testimonio tuo, cui plurima apud omnes est autoritas, cōfirmati addubitare desinerent. Sed cùm etiā in reliquis Hungariæ partibus multæ non minus admirabiles aquæ esse dicantur, rem valde gratam mihi, & multis alijs harum rerum cupidis, tuique studiosis facturus es, si eas quoque describendas susceperis. Scio quidem, & vidi ipsemet apud Serenissimum quondam Ludouicum Hungariæ Regem, Diui Imperatoris Maximiliani legatione fungens ad Budam sedem regiam, thermas esse, quorum calorem immissa manu ferre nequeas, quod ei vtique, qui antè non vidit, mirabile videtur. Sed quod in his etiā viui pisces sunt, id non pauci pro re incredibili habent. Talia quoque videntur esse, quæ dicuntur de alijs thermis in ripa fluuij Vagi, non longè ab oppido Galgocz, quod Germani & Slaui vulgò Freistat vocant, quas locum, prout crescit aut decrescit fluuius, in æquali semper distantia mutare aiunt. Legi nuper apud Arrianum libro tertio descriptum fontem, qui sub lucem tepentibus aquis manat, in meridie frigidus, vesperi calet, ac sub exortum diei rursum tepidus oritur, atque ita per singulos dies ac noctes æstus ac frigoris vices variat. Saxo Grammaticus in Islandia fontem esse testatur, qui fumigantis aquæ vitio natiuam rei cuiuslibet originem demolitur. Nam quicquid humido eius vapore afflatur, in lapideæ naturæ duriciem, forma tantùm superstite, subita conuersione transmutari. Hæc &

his

his similia, qui deinceps leget, minus mirabuntur, vbi animaduertent summum opificem in his etiam nostris, & alijs vicinis regionibus non pauca mirabilium operum suorum monimenta posuisse, quæ tamen indigenæ pro miraculis non habent, ac quandoque etiam, si interrogantur, ignorant, quemadmodum in Moscouia sæpenumerò sum expertus. Nam cùm nonnulla eiusmodi, quæ mihi narrarant alij, quærerem ab incolis, adeò nihil habebant, quod responderent, vt mirari se dicerent, vnde ea homo peregrinus accepissem. Non dubium est autem, nisi plæraque diuersis in locis obseruassent, & literis mandassent homines externi, quin ea indigenarum negligentia nunc luce, suique memoria, & admiratione carerent. Non potest igitur mihi, VVernhere ornatissime, non valde probari studium tuũ, quod hoc genus Hungariæ tuæ rebus eruendis, & illustrandis impendis, nec facere possum, quin te ad id continuandum cohorter. Nam eo non tantùm mihi fueris gratificatus, sed etiam tibi apud omnes magnæ laudi est futurum. Benè vale.

DE ADMIRANDIS HVNGARIAE AQVIS.

SIGISMVNDO IN HERBERSTAIN, NEIPERG ET GVTTENHAG BARONI, &c. GEORGIVS VVernherus.

ANnotaram iussu tuo nonnulla, SIGISMVNDE Baro verè magnifice, de mirabilibus aquarum naturis, quæ finibus Zepusij nostri continentur, vt me ceu oculato teste confirmares ea, quæ quidam audita ab alijs pro fabulosis habuerunt. Quia verò non modò fides habita est narrationi meæ, sed etiam quibusdam incensa cupiditas plura hoc genus cognoscendi, minimè inuitus, vt debui, suscepi, quod mihi denuò mandâdum duxisti, vt alia quoque aquarum miracula, quæ in Pannonia nostra visuntur, non minus penè prodigiosa, scripto complecterer.

Pannonia.

Pannoniæ autem appellatione non eam tantùm comprehendo Danubij ripam, cum qua ea, quæ dicta est secunda Pannonia, ab Arabone fluuio, qui Ptolomæo est Narabo, nunc vulgò Raba, ad Saum excurrit. Sed quicquid prætereà Hungari in altera Danubij ripa tenent, quod quidem latissimè patet. Tenent enim totam Iazygum Metanastarum regionem, quam Ptolomæus fluminibus Danubio, Tibisco, ac montibus Sarmaticis finit. Sunt autem montes Sarmatici, qui Hungaros à Rutenis, Polonis, Morauis, Silesijs, & ea Austriæ parte, quæ citra Danubium est, dirimunt, ad quos pertinet Carpatus, ita iam vulgata appellatione, vt omnis tractus Sarmaticorum montium Carpatus vocetur, quanquam mihi Ptolomæi descriptionem intuēti Carpatus ijsdem, quibus Dacia finibus videtur terminari.

Montes Sarmatici. Carpatus.

Porrò extat nunc quoque Iazygum natio inter Hungaros, quos ipsi voce decurtata Iaz vocant, ac retinent ijdem etiamnum linguam suam auitã & peculiarem, Hungaricæ dissimilimam, atque eas sedes, quas Plinij descriptione quondam tenuerunt, nimirum campos & plana, Dacis, vt idem ait, pulsis ad Patissum amnem, quem ego detracta prima syllaba Tissum, vel, vt nunc vulgò vocant, Tizam accipio. Is verò Tibiscus est Ptolomæo, limes veteris Daciæ, cuius cultissima pars est Transsyluania, Prouincia multis habitatoribus frequens. Nam eam & Germani, quos appellant Saxonas, & Hungari, & Hungarorum antiquissimi Siculi dicti, qui lingua sua sunt Zekheli, & ad huius imitationem à quibusdam vocantur Ceculi, incolunt, vt omittam peruetustas Romanorum reliquias Valachos, qui frequentes ibidem vicos & pagos habent. Potiuntur tamen rerum Hungari, & penes eos imperium est, eoque fit, vt Transsyluani quoque Hungarorum nomine censeantur. Est verò planè mirabilis diuersarum, nec vnius linguæ per vniuersam Hungariam gentium mistura, quemadmodum à me dicetur prolixius ea in commentatione, qua res Hungariæ, & populorum in ea origines, appellationes, leges, mores, instituta conor explicare.

Tibiscus. Transsyluania.

Cæterùm Iazygum regione, qua se Carpatus (vt hoc iã nomine omnem illorum, quos dixi, montium tractum complectamur) latissimè pandit, & in quosdam quasi ramos alibi eminentioribus, alibi mitioribus iugis diffundit, continentur oppida, à Germanis montana dicta, quòd inter mon-

Oppida mōtana.

tes metallorum omnis generis fœcunditate & præstantia cum primis nobiles sita sunt, & populo metallicam faciente cōstant. Qua ratione & eos, qui in metallo operantur, in monte esse, & in genere, vniuersam rem metallicā opus montanum vulgò dicunt. Eadem regione continetur Zepusium, & multi alij Comitatus.

Comitatus Hungariæ.

Sunt autem Comitatus, vt hoc quoq; obiter explicem, regni partes, quas Prouincias, aut Præfecturas, aut Græca voce, qua plærique Latinorum vsi sunt, nomarchias dicere possis. Plinius & conuentus, & iurisdictiones, & conuentus iuridicos in distributione Ciliciæ, & Beticæ Hispaniæ appellare videtur. Cicero vocat Diœceses, quod nominis Episcopi in appellatione suarum iurisdictionum, quanquam nunc vulgò corruptè vsurpant. Earum verò partium præfecti vocantur Hungaris Comites, quibus iurisdictionis cura incumbit. Fuit autem Hungariæ regnum, quo facilior & expeditior esset iuris dicendi ratio, in hoc genus Comitatus plures quinquaginta diuisum, ex quibus vix dimidium hodie retinemus.

Comites.

Sed hæc tanquā vsui futura ad cognitionem locorum, in quibus nostra de aquis narratio versabitur, præfatus, dicam primùm de calidis, quarum pro Hūgariæ portione, vix vlla regio plures aut salubriores habet. Vnde verò potius ordiar, quàm ab ipsa vrbe Buda, quam Hūgariæ Reges ob loci situ, opportunitatem, & amœnitatem meritò pro regia habuerunt. Hic propter ipsam Danubij ripam calidæ sunt multæ, inter quas differentia maior est, quàm pro loci discrimine. Quædam enim non modò tolerabili, sed ita iucundo sunt calore, vt ad hominum lauacra naturæ benignitate singulari datæ esse videantur. Huius generis sunt infra arcem regiam aliæ, regiæ vocatæ, vel propter vicinam regiam, vel quia regio opere ornatæ & conclusæ, vel quia in his Reges lauare cōsueuerunt: aliæ communes, quibus saxū ceu natiua fornix impendet, quas Turcæ post occupatam Budam latius excauata rupe ampliores reddiderunt, cæterisque præferre dicuntur.

Calidæ ad Budam.

At quæ supra Budam sunt, quarum aliæ item regiæ, aliæ hospitales à vicino ptochodochio dictæ fuêre, balneis sunt inutiles, nisi refrigerentur. Sic enim quædā calent, vel feruent potius, vt in eas missum ouum non minus citò, quàm ad luculentum ignem elixetur. Temperantur autem in balneis frigida, cuius ibi fons calidis ita contiguus est, vt qui haustum veniunt duabus vrnis, eodem in vestigio altera calidam, altera frigidam haurire possint.

Calidæ frigidis contiguæ.

Ibidem est sub dio fons calidarum cæteris amplior, quem purgatorium vocauêre, ea nimirum ratione, quòd quemadmodum proditum est, in purgatorio pœnas nocentium pro noxarum modo, alias acerbiores, alias mitiores esse, ita quædam insunt aquæ hoc in fonte discrimina. Nam qua in eum à Danubij ripa aditus est, subfrigida primùm, mox tepida, & quò in eā penetraris altius, hoc magis calet. In recessu verò interiore tam est calida, vt ferri non possit. Est autem is calor haud dubiè aquæ huius proprius. Nam alia, quæ dixi, temperamenta verisimile est à Danubio accedere, qui crepidinem huius fontis lambit, & cum vel modicè excrescit, totum inundat, neque tamen ita restinguit, quin caleat. Quin intra ipsam ripam, qua Danubio perennis cursus est, calidæ ebulliunt, vbi qui altius mergi volunt, lauare consueuerunt.

Porrò hæ ad Budam thermæ (licet verò mihi hac voce in calidarum aquarum appellatione vti) quòd alteræ, vt dictum est infra, alteræ supra vrbem essent, ex eo quoque inuenêre nomen, vt illæ inferiores, hæ superiores vocarentur. Vtrasque Turcę, quibus tamen omnia vastare libido est, non modò non corruperunt, sed etiam cultiores, ac per speciem religionis quasi

quasi augustiores reddiderunt. Nam Bassa Mahometh, quem Tyrannus victor Budæ captæ, ac reliquis Hungariæ à se debellatæ partibus gubernatorem imposuit, apud vtrasq; Deruisis domicilia, ceu cœnobia extrui curauit. Sacello etiam apud superiores in colle vicino, qui ante vitibus consitus fuit, posito consecrauit locum memoriæ cuiusdam eius ordinis, quem, dū viueret, ceu numen quoddam venerati sunt Turcæ, & nunc mortuum, illoque in loco conditum religiosè colunt.

Deruisç Turcarum.

Sunt autem Deruisæ Turcis, quod nobis monachi, qui mendicato viuunt, quibus ex religionis, quam affectant, instituto vsitatum est, sæuire in corpus proprium, quod alij per inustionem stigmatum ferro candente, alij per incisionem, quæ fit nouacula acutissima, quidam vtroque modo faciunt hoc crebrius, & crudelius, quo quisque sanctior & religiosior esse & haberi cupit. Est verò & in vestitu quædam inter eos diuersitas, & sanctimoniæ affectatio. Nam alij veste lanea alba ad talos vsque demissa amiciuntur, & calceati incedunt capite operto. Alij nudis pedibus & capite, imò toto penè corpore, nisi quantum pelles duæ ouinæ, aut caprinæ crudæ, quarum altera à fronte, altera à tergo ex scapulis propendet, tegunt. Quidam etiam vnica pelle pudendas tantùm corporis partes velant, cætera nudi. Gymnosophistarum dicas esse reliquias, quales India habuisse memoratur.

Turcarum lotiones.

Sunt quidem hæc à narratione, quam de aquis institui, aliena. Sed cùm huc delapsus sim, quid obstat, quò minus de Turcarum lotionibus pluscula addam? Cùm omnes aquas Turcæ, ceu præcipuum Dei munus, summo honore dignantur, tum viuas potissimum, & fluentes, idq; propter frequentes lauationes, quibus etiam crebrius per diem, non modò ad sordes corporis abluendas, sed ad scelerum quoque expiationes vti consueuerunt, quod procul dubio ab aliarum gentium ritibus habent, quibus etiam sola aquæ aspersio inter Februa fuit. Sic Romę olim ad portam Capenam, posteà Appiam vocatam, aqua Mercurij dicta, alij alios aspergebant inuocantes Mercurium, vt aspersi flagitia, & præsertim periuria diluerentur. Sic traditur Peleus absoluisse Patroclū, & Acastus expiasse Peleum à cæde fratris sui Phoci, cùm anteà Aegeus Medeam aquæ aspersione lustrasset. Sic Orestem à sanguine matris expiatum esse memorat Pausanias in Corinthiacis, cùm illum nemo lare suo, & hospitio dignaretur. Cuius loci hoc libentius memini, quòd continet exemplum ritus vetustissimi accepti à patribus, quo rei atrocium criminū à consuetudine omnium & colloquio arcebantur. Sic Aeneas quoque apud Poëtam nostrum:

Ter socios pura circumluit vnda,
Spargens rore leui.

Et idem, ceu multa sede pollutus, inquit.

Tu genitor cape sacra manu, patriósque penates,
Me bello è tanto digressum, & cæde madentem,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Quin in atrijs templorum suorum positam habent aquam Turcæ eundem in vsum, neque cuiquam nisi loto in ea ingredi fas esse arbitrantur.

Sed delectantur in vniuersum plurimùm lotionibus, & balneis Turcæ, eoque præcipuum apud eos pietatis opus est, instituere & condere balnea publi-

Pietas apud Turcas condere balnea publica.

publica, nec id tantùm viuentibus glorioſum eſſe, ſed etiam vita functis ſalutare putant. Hac ratione is, qui nunc rerum potitur, Solimannus tum alibi, tum Budæ in ædibus, quæ quondam fuerunt Archiepiſcopi Colocenſis, ampliſſimum balneum pro ſua, ſuorumque ſalute fieri curauit, in quod è Danubio, per canales ſubterraneos aqua in multam altitudinem, vt eſt Budę ad Danubium ſitus, ducitur. Ipſum balneum intus incruſtatū & ſtratum eſt monumentis marmoreis, quæ antea in templis fuère poſita, imaginibus tamen, ſi quæ inſculptæ fuerunt, reſectis, & toto opere perpolito.

Eadem gloria quæſita eſt ei, quem diximus Baſſæ Mahumeth, qui thermas Budenſes exædificatis illis Deruiſarum cœnobijs, conditorioque eius, de quo diximus, illuſtriores reddere ſtuduit. Hîc verò videre eſt mirabilem rerum commutationem. Nam quæ loca Hungaris incolumi & florente Buda voluptatis domicilia fuerunt, ea religioſè ornarunt Turcæ, flagitioſè contrà prophanantes, quæ antea habita ſunt pro ſacroſanctis.

Piſces viui in calidis.

In thermis ſuperioribus ſupra eos fontes, quibus ad lauacra vſus eſt, ſunt piſcinæ calidæ, in quibus naſcuntur, & viuunt piſces, qui in frigidam tranſlati, emoriuntur.

Calidæ ad Peſth.

Sunt etiā calidæ in oppoſita Danubij ripa ſupra Peſthum, ſed minus celebres, propterea quòd ita coniunctæ ſunt alueo fluminis, vt ad quæuis eius incrementa corrumpantur.

Loca à calidis nobilitata.

Solent ferè thermæ locis, in quibus ſunt, aliquod nomen, & quaſi lumen afferre. Ita nobilitatus eſt quondam ſinus Baianus in Campania. Ita nunc quoque in Italia, Germania, & in quauis penè terrarū orbis parte clara ſunt hoc nomine loca. Nonnulla etiam appellationem à calidis ſunt ſortita, vt in Theſſalia Thermopilæ, & in Germania oppida, quæ vocantur Badæ, hoc eſt, balnea. Sed fuerunt quaſi in obſcuro Budenſes, nec aliqua ei loco celebritas acceſſit, à tanta calidarum copia & varietate, quod procul dubio eò uenit, quòd reliquæ eius vrbis fortunæ atque opes hoc non exiguum alioqui clementis naturæ munus obſcurarunt. Nam quis fuit in tota Europa locus, qui ſe Budæ comparare potuerit, ſiue ſitus amœnitatem, ſiue cœli ſalubritatem, ſiue ſoli fœcunditatem, ſiue aliarum quarumcunque rerum ad quoſlibet vſus, ad ſplendorem, denique ad luxum pertinentium vbertatem & affluentiam ſpectes: vt ne quid dicam de opportunitate, in qua nō Hungarorum tantùm, ſed etiam multorum aliorum populorum defenſionem, & ſalutem ſitam fuiſſe quotidianis damnis, & periculis experimur. Quo grauior & acerbior eſt iactura, quam erepto nobis per Turcas hoc loco, fecimus. Sed faceſſant querelæ, quæ ſuum alibi locum ſunt habituræ.

Budæ nomen.

Niſi verò autoritate chronicorum noſtrorum magno conſenſu vrbem Budam à Rege Buda Attilæ fratre conditam, & nominatam eſſe tradentium impedirer, ego, ſi qua alia coniectura de eius nominis ratione faciunda eſſet, ob inſignem calidarum eo in loco celebritatem, & copiam, pro eo quod Germanis quondam fuerit Bada, vnius literæ inuerſione Budam ab Hungaris dictam eſſe ſuſpicarer. Nam ea ſecundorum Pannoniorum loca, antequā huc Hunni immigrarent, Germanos ſeu Teutonas tenuiſſe, minimè ambiguum eſt. Nec ita multum diſſimili mutatione vocarunt Hungari

VVeſprimium.

VVeſprimium, quod Germanis fuit VVeiſprun, hoc eſt, fons albus, qui loco nomen dedit, & etiamnum ibi ſub arce, quæ ſedes eſt Epiſcopi, oſtenditur.

Calidæ ad Strigonium

Sed redeo nunc ad calidas, ac Danubij ripam legens Iſtrogranum, vel, vt nunc appellant, Strigonium peruenio, qui locus ſecundùm Budam in Hungaria ſemper celeberrimus fuit, ſede Archiepiſcopi, qui idem Primas Hūgariæ dictus eſt, inſignis. Hîc ad radices montis, cui impoſita arx eſt magnificentiſſimè extructa, qua labitur Danubius, fons eſt tepidarum incluſus turri, in quam ex arce ductis eò per præceps muris deſcenſus patet. Ex eo tanta manat

manat aquæ copia, vt quondam molam frumentariam verſarit, nunc machinam hauſtoriam ſimilem tympano impellat, qua aqua è Danubio per ſubterraneum cuniculum in eam, quam dixi, turrim admiſſa hauritur, & in arcem transfunditur. Hoc largior eſt fons alter haud magno inde interuallo, qui in piſcinulam quandam influens, in qua etiam media hyeme coaxantes ranas audias, aquæ tātum, quantum verſandis tribus quatuorue rotis molaribus ſatis eſt, fundit.

Calidæ ad Peſthien in ripa Vagi.

Suprà Iſtrogranum, quod ex Iſtro & Grano mixtum eſt nomen, quòd ibi fluuius Granus Iſtro miſcetur, non longè ab arce Comaronienſi, quæ tenet oram cognominis inſulæ, quā Danubius prope Poſonium in duos diuiſus alueos facit, à Septentrione veniens influit Vagus, cuius ripa ſupra Galgocium, quæ arx eſt familiæ Thurzonum, nunc maximè nobilitata eſt calidis, non propter vim earum ſalubrem tantùm, qua omnes alias in Hungaria calidas ſuperare exiſtimantur, ſed etiam propter varium, planeque mirabilem eorum ortum. Non enim vllum certum fontem habent, ſed alueum fluuij ſequuntur, & vt is excreſcit & decreſcit, ita aut recedunt aut accedunt. Solent autem, quò magis exundat, hoc longius recedere, eoque qui lauare volunt, ſubinde alias atque alias ſcrobes fodere, & quaſi puteos aperire coguntur. Id cùm intra alueum eſt fluuius, fit in glarea, quod ipſius ſolum eſt: cùm verò exit, in terra ſolida, & argilloſa, in qua alioqui non reſtagnante fluuio nihil penè humoris exiſtit. Neq; tamen in ripa tantùm eruuntur calidæ, ſed etiam intra amnem, ſi fundum eius pedibus ſuffodias. Calent aūt immodicè, nec ſunt idoneæ balneis, niſi temperentur, quod admiſtione frigidæ de proximo hauſtæ in procliui eſt: ſed quia magis ſalutares eſſe creduntur ſine miſtura, qui medicinam inde petunt, deferuere eas ſinunt, quod pro temporis ratione aliàs ſerius, aliàs citius fit. Nunquā tamen ſic deferuent, quin, qui in eas deſcendunt, tegete, ceſpiteúe, aut ramis in fundum ſcrobis iniectis, imas corporis partes aduerſus ebullientis caloris vim munire cogantur. Eſſe autem eas aduerſus diuturnos, ac penè deſperatos morbos efficaciſſimas, multis experimentis cognitum eſt, & adhuc indies magis ac magis cognoſcitur.

Calidæ prope Trincinium.

Sunt calidæ aliæ nō longè à caſtro Trincinio, quod ad eiuſdem fluuij Vagi ripam eſt, ſupra Galgocium. Illæ ſuauiter calent, & ſunt limpidiſſimæ, atque ideo iucundiſſimi ſeceſſus loco fuerunt Comitibus Zepuſienſibus, qui paulò ſuperiore ætate Trincinij ſedem habuerunt.

Calidæ ad Baimocz.

Nec multum recedunt à Vago calidæ ad arcem Baimocium, quæ item eſt Thurzonum, quibus hoc honoris habuit Alexius Thurzo, qui in ea familia nomen illuſtre, & ſecundùm regiam aliquamdiu ſummam poteſtatē apud Hungaros obtinuit, vt eas quadam quaſi ciſterna ex quadratis facta lapidibus, qui etiam deſcendentibus ſcalarum, & ſedilium vſum præbent, includendas curauerit. Etſi verò minus ſpatioſæ ſint, tamen manifeſtum in ipſis eſt diſcrimen caloris, eoq; diremptæ ſunt muro, & quæ moderatius calent, delicatioribus tantùm patent, aliæ vulgi vſibus ſunt relictæ.

Calidæ ad Stubnam.

In Comitatu Thurocio, qui eodē in tractu eſt, ſunt pari penè interuallo à Vago diſtantes calidæ ad Stubnam vicum, qui eſt ciuium Cremnicenſiū. Hæ inſtar inſulæ ſunt: clauduntur enim riuo, qui ex propinquis montibus delabens, aquam vehit gratā lauantibus, cùm ſitiunt. Nam ad temperandum calidas nunquam, niſi quis recentibus aquis admiſſis continuò lauare velit, adhibentur: idq; etiā tum fit modicè, quòd per ſe minus intemperatè caleant.

Calidæ prope Semniciam.

Non diſſimiles ſunt his calidæ aliæ inter Cremniciam & Semniciam, quæ ſunt duo præcipua oppida inter montana, de quibus ſuprà dixi. Manant ex rupe ſic nata, vt lauantibus tectum & vmbram præbeat.

Nec tantùm ipſæ pro ſalubribus habentur, ſed etiam cœnum earum, quod Plinius quoque inter calidarum vtilitates retulit, medicam vim creditur obtinere. Itaque in eo quidam, vlceroſi præſertim, ibi propè, quà fluunt, volutari ſolent.

Calidæ Roſelinæ.

Sunt etiam Semniciæ calidæ, quæ vocantur Roſelinæ, in quibus canales, per quos fluunt, & ſedilia ex lignis facta, ſic ſunt accreto lapide ceu cortice tecta, vt prorſus lapidea videantur.

Tepidæ ad Diui Ioannis.

In Comitatu Liptouienſi ad pagum, qui vocatur Diui Ioannis, fons eſt tepidarum, ad quem plærumque confugiunt, quibus ſcabie, aut pſoris fœdata eſt cutis. Exilit verò is, & magno impetu eiaculatur potius, quàm emittit aquas, qua Vago ortus & curſus eſt ex propinquis montibus, qui Carpati caput eſſe exiſtimantur. Nuſquam enim altius ſeſe attollunt, nuſquam pluribus & horridioribus iugis aſſurgunt hi montes, ad quos Carpatum pertinere dixi. Altitudinis indicium eſt, nix in his perpetua, vnde accolis Germanis mõtes niuis vocantur: Aſperitatis, quòd ijdem montes ſunt imperuij. Slauorum lingua appellantur Tatri, hoc eſt, Tatari, quòd in regionem Tartarorum, qui veteribus ſunt Getæ, vulgi opinione protendantur. Hungari vocant Tarczal, quod nominis lingua eorum à nudo, ſeu deraſo vertice ductum eſſe videtur. Nil enim aliud, quàm eminentiſſimi, & prorſus nudi ſcopuli ſunt hi montes. Ego rupes Sarmatiæ eſſe crediderim, quarum mentio fit apud Solinum, quo loco Germaniam inter Hercynium ſaltum, & rupes Sarmatarum extendi ait. Nam ex Sarmaticis montibus, neque ita longè ab his rupibus Viſtula, quem Plinius alio nomine Viſtillum, alij Iſtulã vocant, ortũ ducit, quo amne præter Solinum plæriq; alij Germaniam finiunt. His verò rupibus ſubiectum eſt Zepuſium, vbi aquæ ſunt, quæ & ferrum erodunt, & lapideſcunt, & animantes potæ enecãt, de quibus, quæ alio ad te ſcripto complexus ſum, attexam.

Rupes Sarmatiæ.

Zepuſium.

Aqua ferrũ rodens.

Et vt ab ea, cui conſumendi ferri vis ineſt, ordiar: hæc eſt ad Smolniciam, quod oppidum ad arcem Zepuſienſem pertinet, intra montes, vnde quondam metalla eruta ſunt. Extrahitur autem hauſtro, quale Iſtrograni eſſe diximus, quod ab aqua ſupernè illabente impulſum circumactu, & raptu funis, cui implicati ſunt crebri nodi coriacei, implet fiſtulas, per quas funi meatus eſt, quibus adiuncti canales effuſam aquam excipiunt, & emittunt ſub dium in alueos in terram defoſſos, quibus ferrum, ſiue vetus, ſiue nouum imponitur. Quæ minora ſunt ferramenta, citius adeduntur. Solea ferrea equi conſumitur intra horas viginti quatuor. Quæ verò ſunt craſſiora, cuiuſmodi ſunt, quæ in vicini montis ferrarijs hũc in vſum fiunt, poſtquam per aliquot dies aquæ immerſa iacuerint, ceu limo quodam obducuntur adeſa, eoq; ſtatis temporibus abluuntur, & purgantur, vt in id, quod ſupereſt ferrum, aquæ vis efficacius penetret. Quod pereſo ferro manet luto ſimile, cuprum eſt (ipſi vulgo cementum vocant.) Id in fornace cõflatur in maſſam, & deinde per aliam fornacem eliquatum fit purius, & purgatius, & ad oẽs vſus non minus vtile, quàm quod fit ex metallo, cuius multæ ſunt fodinæ eodem in loco.

Cuprum ex ferro.

Non dubium eſt autem, quin aqua hanc vim à venis metalli trahat, præſertim à pyrite æris (vulgus marcheſitam appellat) cui ibi vim ineſſe acerrimam, vel ex eo ſatis apparet, quòd aqua pluuia, aut alio quo humore terrã ſubeunte, ex ipſo id, quod vocant vitriolum, quod Græcis chalcanthum, Latinis atramentum ſutorium eſt, deſtillat, pyramidatim concreſcens ſtiriæ in modum. Hoc vitriolum natiuum dicitur. Eſt enim aliud factitium, quod quidem eodem in loco in hunc fit modum.

Vitriolum duplex.

Solent ſectores metalli ligna intra fodinas tranſuerſim poſita, in quibus itur & ſtatur, pyrite minutius cæſo conſpergere, & eo quaſi viam ad firmãda veſti-

veſtigia ſternere. Ei ſimul atque penetrantibus in terram aquis permaduerit, innaſcitur vitriolũ, idemq; vbi madere deſierit, ita conſolidatur, & adhæreſcit lignis, vt non poſſit niſi ferro reſecari. Reſecantur aũt ſic concreta, & è fodinis per vtres extracta mittuntur in alueos. Hic aqua feruente ſuperfuſa vitriolum omne, quod pyriti innatũ eſt, reſoluitur, fitq; aqua tota viridis, quæ deinde in alia vaſa transfunditur, vt depuretur: depurata autem transfertur in caldarium plumbeum, in quo ſuppoſito magno igne bullit ad horas octo, aut nouẽ, donec per euaporationem, quam vocant, denſetur, influente tamen ſemper eodẽ liquore, vt eadem caldaria plena maneant. Poſt infunditur in cados ligneos, quibus inſertę virgæ ſunt, quibus accreſcit. Atque hoc eſt, quod vitriolum coctum ſeu factitium vocant. Ac tantum quidem de aquæ ferrum rodentis vi & efficacia.

Aquæ lapideſcentes.

Nunc de lapideſcente dicam, cuius generis multæ ſunt in Zepuſio, inter quas etiam nonnullæ non aliter, quàm calidę, aut aliæ ſalubres frequentantur. Et ineſt his quoq; caloris, vel potius teporis aliquid, quòd cùm alijs temporibus, tum per hyemem manifeſtius ſentitur. Eſt verò inter eos fons eximius vnus ad pagum, cui apud Zepuſienſes Germanos à riui murmure nomen eſt, qui inſtar piſcinę ſtagnat, & plurimam aquam reddit, in quam item ligna iniecta, lapide ceu cortice obducuntur. Alter ad pagum qui vocatur Ioannis. Nam qui anguſtius ſcatent, ſtatim atque paululum profluxerint, lapideſcunt, & ita in tumulos exurgunt, cuiuſmodi videtur vnus ad pagum Diui Andreæ nomine, alter cæteris inſignior prope arcem Zepuſienſem ad ædem Diui Martini, quæ ſacrarum ædium in Zepuſio princeps eſt. Hic ſcaturit, vel erumpit potius aqua bullienti ſimilis, cum magno intus murmure & ſtrepitu, qui admota aure non ſine admiratione auditur. Erumpit autem non foras tantùm, & ſub dium, ſed etiam meatus ſub terra quærit, & quacunque vadit, lapis fit, quanquam qui ſubterranei ſunt eius generis lapides, pluuijs aquis irrigata humo, & eo madore diutius manente diſſoluuntur. Solent autem accolæ his ſic diſſolutis & effoſſis ad opera cementaria vice calcis vti. Qui verò ſub dio naſcuntur, ipſiſſimi ſunt lapides, tofi dicti, leuitate & raritate non diſſimiles pumicibus. Et quia veriſimile eſt ijs aliquid glutinis ineſſe, qui in propinquo ædificant, libenter his ad muros faciendos vtuntur, eoque quidam illic dictitant, ſe domos ex aqua factas inhabitare.

Rauſchenpach.

Aqua æſtate glaciata.

Cæterùm non minus miraculi videtur habere quibuſdam, quod in monte arci contiguo, intra ſpecum quendam aqua per hyemem fluida, æſtate ita congelata, vt refrigerandis poculis glacies inde peti ſoleat.

Fontes letales.

Porrò quod ad fontes bibentibus ex eo animantibus letales attinet, eorum vnus eſt ad radices rupium Sarmaticarum, quæ, vt dictum eſt, Zepuſio imminent. Alij duo hoc famoſiores ſunt in Comitatu Saros, quaſi in conſpectu arcis cognominis, cuius ipſe præfecturam teneo. Nam qui eſt ſub rupibus aues tantùm ex eo guſtantes necare dicitur. At alios duos non tantùm auibus, ſed etiam alijs animantibus noxios eſſe ferunt. Quam ob cauſam, ne cui pecori ad eos aditus ſit, diligentiſſimè caueri ſolet. Naſcitur autem ad alterum eorum, qui propemodum intra Eperienſium noſtrorum fines eſt, plurimum aconiti, cui herbæ venenum ineſſe vel vnicus Ouidij verſus arguit:

Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ.

Atque hinc quidem videri poteſt fons hic virus trahere. Tales enim, ait Plinius, ſunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt, qualeſq; herbarum, quas lauant, ſucci. Sed eſt re vera ſingularis huius fontis natura, vt qui & creſcente luna augeri, & deficiente minui, atque adeò in interlunio prorſus deficere dicitur tanto omnium conſenſu, vt mihi ne libuerit quidem, an hæc aliter ſeſe haberent, explorare.

Fontes acidi.

Fontes acidos,& quas acidulas vocant, consulto prætereundos putabam, quòd minimè rari sunt in Hungaria. Ne non tamen ex his quoque aliquid delibem, celebres sunt in primis, alter in Comitatu Zoliensi ad arcem eiusdem nominis, cui oppida, quæ dixi vocari montana, subiecta sunt: alter ad oppidum, cui mons regius nomen est, vterque spleneticis manifesto sensu mederi dicitur.

Aqua viridis.

Ad oppidum Bistriciam, Germani Neusolam vocant, vbi fodinæ sunt æris opulentissimæ, quæ nunc appellantur regiæ, quòd in ijs impendio regis opera fiunt, cuniculus quidam reddit aquam viridem, ex qua vbi subsedit, chrysocolla colligitur.

Specus letali halitu.

Quia verò in Comitatum Zoliensem, dum aquas persequimur, ventum est, non possum præterire hiatum terræ ijsdem in locis famosum ob pestilẽtes expirationes, quibus aues supervolantes,& quęuis alia animantia extingui constat, manifesto eorum experimento, qui eius rei periculum facturi, gallum, gallinamue, aut felem, aut canem longo hastili alligatum supra eũ hiatum, qui septo ad arcendas inde animantes circundatus est, protrudere & efferre consueuerunt, quibus non aliter vita subitò eripitur, quàm si strãgularentur.

Acidula.

Est item ad eum fontem, qui potus aues, vt dictum est, enecat, sub Sarmaticis fontibus acidula, quæ etsi eandem cum eo ipso fonte originem habere creditur, tamen plærisq; ita grata est, vt etiã ægroti inde potum petant.

Acidula saporem mutans.

Alia est non longè ab arce Leua in Comitatu Barsiensi, quæ nisi ab haurientibus pleno vase perferatur domum, saporem amittit. Itaq; qui occursantibus, vt fit, potum ex ea præbent, vel modicè exinanito vase, quod reliquum est, effundunt,& ad hauriendum denuò recurrunt. Addunt quidam aliud hoc prodigiosius, sed minus simile vero. Nempe, si pura sit, dum hauritur,& pura permaneat, donec offeratur ęgrotis, qui eam mirificè appetere solent, quòd hoc certissimum ad salutem signum sit. Sin turbida reddatur, planè pro deplorato haberi ægrotum. Itaque eos, qui potum tantùm infirmis, non omen petunt, antequam hauriant aquam, turbare solere. Sed hoc superstitiosorum credulitati relinquamus.

Acidula & alia lapidescens.

Ab hac quoq; rursus acida alia haud magnis distat spacijs, ad quam etiam propè est fons, qui tumuli in speciem assurgit, & subinde mutat fluxum lapidescente nimirum statim aqua, quam effundit, & ideo sic excrescente ea parte, qua aliquandiu manarit, vt sese aliam in partem, quæ humilor est, effundere cogatur, quod quidem quasi circuitu quodam fit per omnem fontis oram.

Stillaticia lapidescẽs.

Ad arcem Fileg, quæ inde in Boream euntibus occurrit, in Comitatu Neograd, specus est, in quo supernè destillans aqua, continuò durescit. Ibi verò videas ceu statuas hominum consistere saxa ex hac destillatione concreta. Albus his color est, nec per se tantùm sunt alba, sed etiam coloris albicantis vsum trita pictoribus præbent.

Fõtes salsi.

Sunt præterea ad fines Eperiensium fontes salsi tantæ acrimoniæ & salsuginis, vt inde sal excoquatur, qui ad omnis generis conditura, & in primis ad cocturam piscium cæteris vtilior esse existimatur. Habetq; locus nomen ab his fontibus: Hungaris enim Sovvar, hoc est, Salisburgum dicitur. Nam & arx eius nominis supra eum locum fuit, meæ item præfecturæ subiecta, antequam dirueretur. Esse autem salis vim magnam in aliqua eorum montium parte, in quibus promontorij instar arx extat, vel hoc magno est argumento, quod in aduersa quoque eorum parte salsi fontes sunt, qui item sua appellatione insigniunt locum. Sed quod in eo inquirendo aut eruendo minus elaboratum est, id non negligentia hominum, sed proculdubio Regum prouisione euenit, ne immodica copia salem vilescere contingeret.

Sal saxeus.

Abundat enim Hungaria sale natiuo, qui lapidicinarum modò cæditur in Maromarusio. Item in Transsyluania, vbi etiam piscinæ salsæ stagnant, à quibus omne pecus arceri necesse est: Compertum est enim earum immodico haustu, qui salsugine incitatur, enecari. Insunt tamen in his alicubi pisces, quod minus mirũ videri posset, cùm ipsum quoque mare piscium parens salsum sit, nisi hîc non in aqua salsa, sed in ipso penè sale viuere viderẽtur. Sunt autem sapidissimi, carne duriuscula, & ita impatientes aquæ dulcis, vt in eam missi, exanimentur.

Pisces viui in salsa aqua.

Quia verò in salis mentionem incidimus, etsi de eius, qui cæditur, ortu diuersæ sint sententiæ, alijs nimirum eum cum ipsa conditione rerum ab initio extitisse, alijs posteà natum esse affirmantibus: tamen vt vero propius sit, ex humore aut succo salso concretum esse, & adhuc concrescere, ea potissimum ratione ostendi posse iudico, quòd in ipsis lapidicinis salis, vbi solidissimus fuit, inuenta sunt varia instrumenta ad humanos vsus facta. Quodam etiam in loco Transsyluaniæ gallina incubans cum ipsis ouis incorrupta. Quin nunc quoque plærunque magna carbonum vis eruitur cum sale. In Desiensi fodina, qua nulla est in Transsyluania altior, paucis antè annis excisum est de medio sale ingens robur trabi simile, tanta duritie, vt ne ferro quidem facile cederet. Sed idem extra fodinam extractum sic computruit intra quatuor dies, vt primis digitis concerpi & conteri posset. Idem solet carbonibus dum exciduntur durissimis, simul atque sub dium prolati fuerint, euenire. Hæc verò vulgus in illa confusione rerũ, quæ Noë temporibus in cataclysmo fuit, ibi oppressa, aut alio quopiam casu eò abrepta esse interpretatur.

Excisa de medio salè ligna.

Flos salis.

Flos salis alibi copiosior, alibi raro in reliquo sale reperitur: Gemmam vocant, quòd gemmarum quarundam in morem pelluceat. Faciunt autẽ hoc reperto iudicium salicidæ docti experientia, salem, qui sequetur, aut impurum futurum, aut citò desiturum, neque temerè ipsos in eo falli compertum est.

Sal Polonicus.

Abundat & vicina Polonia huius generis natiuo sale saxeo, sed hic minus syncerus & solidus est Hungarico. Non enim fibris tantùm, aut venis, sed etiam ingenti mole terræ plurimis in locis distinguitur, ac præterea longius abest à superficie terræ. At in Hungaria putei, in quibus cæditur, minus alti sunt vsque ad salem. Quin in Transsyluania etiam scopuli instar extat supra terram ad ripam Marisi fluuij, cuius item alueus sal est, non longè ab oppido Thorda salinis celebri. Fitque sæpenumerò, vt arantes etiam vomerem in salem impingant. Sed eum nemini cædere licet, ne quid vectigalibus regijs decedat. Liberum est tamen Siculis, qui vt dictum est, nonnullam Transsyluaniæ partem tenent, suo in solo quantum domesticis eorũ vsibus satis est sumere. Sed hæc de salsis obiter dixisse sufficiat.

Calidæ ad VVaradinũ.

Restant inter calidas, quibus quidem aliquod in Hungaria nomen est, vnæ prope VVaradinum, quæ vocantur diui Ladislai, siue quia hîc diuus Ladislaus lauerit, siue quia ad ædem ei sacram, & sepulchro ipsius claram, ac tum ipsius, tum Sigismundi Imperatoris, qui hîc quoque condi voluit, munificentia opulentam pertinet. His pleriq; inter oẽs Hungariæ calidas primas tribuunt, in quo tamen amœnitatem potius earum, quàm salubritatem spectare videntur. Sunt enim calore periucundo & temperato, præterea tam puræ & perspicuæ, vt speciem rerum, si quæ inijciantur: ampliorem, quàm sunt ipsæ res, reddere videantur.

Frigidæ salutares.

Sunt tamen præter calidas multæ aliæ salutares frigidæ in Hungaria, cuiusmodi dixi esse in Zepusio geminas, quæ lapidescũt. Sed hoc tẽpore maximè prædicatur, & à multis frequẽtatur fons ad Mislam, qui locus à Cassouia haud magno distat interuallo. Huius aqua lapidibus, qui prope fontem

ſunt, ferueſactis calefit,& ita balneis idonea redditur. Non deſunt tamen, qui vim medicam, quæ aquæ ineſſe creditur,ipſis potius lapidibus, quàm aquæ tribuendam eſſe cenſeant, quòd ipſa per ſe pura ſit, & bibentibus gratiſſima,& contrà,quàm ſolent aliæ ſalutares,nullam miſturam reſipiat.

Georgius Agricola.

Verùm vnde medendi vis inſit aquis,& cur aliæ alijs atq; alijs morbis, nec vna ratione eædem omnibus medeantur, prætereà vnde ipſis tot, tantæq; in calore,ſapore,odore differentiæ, denique cur aliæ concreſcant, aliæ ferrum rodant,id ſpeculatoribus,& venatoribus naturæ phyſicis explicãdum relinquo. Georgius Agricola,cuius in hoc genus rebus inquirendis,& excutiendis ſtudium atque iudicium exquiſitiſſimum eſſe libri ab eo doctiſſimè ſcripti arguunt, multa de his egregiè prodidit eo in opere, quod de natura eorum,quæ de terra effluunt,inſcripſit,& idem plura ſe traditurum pollicetur in iis libris,quos ſe de medicatis fontibus inſtituiſſe ait, ad quorũ lectionem ſeſe referent,qui de his volent plenius erudiri. Nam mihi hæc ſcripturo propoſitum non fuit,vt docerem quenquam,ſed vt voluntati tuæ,Sigiſmunde Baronum optime,quæ mihi ſemper imperij vice eſt,morẽ gererem.

Moſcouia Sigiſmundi Herberſtaini. Hungarorũ origo & nomen.

Quantum aũt tuum quoq; ſemper fuerit ſtudium in his eruendis, quæ in cognitione naturæ rerũ atq; locorũ vel obſcura ſunt, vel aliquam admirationem habent,cùm omnes, qui te norunt,ſciunt, tum ſcriptus à te, & nuper editus de Moſchicis rebus liber abundè oſtendit. Nam quid eſt in tota nobis ante paucos annos minus nota regione aut in moribus gentis Moſchicæ,aut in eius religione,quod non ſcitiſſimè explicaris? Quid?quod Hũgaris noſtris penè ignotę eſſent origines ſuæ, niſi tu confirmaſſes Moſchis confinem eſſe,& ad imperiũ eorum pertinere Iuhram,vel, vt alij dicere malunt,Iugariam,vnde & initio profecti ſunt Hungari, & nomen traxerunt. Ex Scythia quidem veniſſe eos nemini erat dubium, ſed de nomine diſceptabatur,cùm alij ab Hunnis & Auaris voce compoſita dictos eſſe aſſererent, alij aliud comminiſcerentur. At verò propius eſt ab Iuhra manaſſe Hungarorum nomen,cùm nunc quoque Slauorum lingua, qua nulla per vniuerſam Europam latius patet,Iuhri,vel prima ſyllaba nonnihil,vt fit,leuigata Vhri vocentur. Mitto, quod te quoq; confirmante credibilius viſum eſt, montes,quos vocant Ripheos nõ extare his in locis,vnde tanto veterũ ſcriptorum conſenſu Tanais decurrere dicitur. Sed hæc qui magis perſpecta habere volent,ex commentarijs tuis,& his addita chorographia petent.

Inſignes Hũgariæ quatuor amnes.

Mihi hic narrationem de aquis,quæ in Hungaria aliquo miraculo, aut nouitate quapiam inſignes ſunt,finire libet,vel relinquere potius. Namſi omnes,quæ aliquid admirationis habent, conſectari velim, perſequendũ eſſet mihi quicquid eſt in Hungaria amnium,quorum quidem tantum eſt, vt non facilè dare poſſis æqualem regionem, quæ pluribus & maioribus abundet,vt non immeritò veteres Hungari in regni ſui inſignibus quatuor ductus,totidem præcipuorum fluminum,Danubij,Saui, Draui, & Tibiſci imaginem repræſentantes,vſurparint. Sed ne nihil tamen de his dicam.

Amnes auriferi.

Eſt laus amnium pręcipua eſſe nauibus ferendis idoneos,& piſcoſos. Quo in laudis genere quotuſquiſque eſt extra Hungariam fluuius,qui illis, quos dixi,quatuor conferri queat? vt ne quid commemorem de alijs Hungaricis amnibus,qui etſi magnitudine illis minimè pares ſunt, tamen non minus ferè ſunt admirandi. Nam præter hoc, quod optimorum & ſaluberrimorum piſcium copia affluunt, feraces auri plærique habentur, in ea præſertim veteris Daciæ parte,quam Hungariæ attribui & Tranſſyluaniam vocari diximus, quorum etiam nonnullis ab auro nomen eſt. Cuiuſmodi ſunt tres cognomines Chryſi dicti,& qui Hungaris vocatur Aranyas,hoc eſt, aureus,ne quis Hungariam ea,quæ Thraciæ,Hiſpaniæ,Lydiæ,Indiæ, amnibus gloria eſt, carere exiſtimet. Rapiunt autem non ramenta tantùm auri per-

enni

Maſſæ auri effoſſæ.

enni curſu,ſed etiam plærunque maſſulas, alias piſi,alia nucis auellanæ, caſtaneæue,aut iuglandis magnitudine, quoties videlicet inundant, imbribuſue,aut alia quapiam eluuie,aut arte inducta corriuatione aucti ripas, & ea,per quæ currunt loca,ſubruunt. Nec commentitium eſt ijs in locis effodi quandoque maſſas, alias puri auri,alias concreti ſaxi aliquid habentes, quæ aliquot vncias vſque ad ſelibram, & libram, & hoc amplius appendunt. Quin liceat mihi dicere,cuius certos autores notæ fidei homines habeo,effoſſas eſſe,quæ quingentorum,imò quæ mille florenorum non modò pondus,ſed etiam precium eleuarint.

Sed vt ad illos principes Hungariæ fluuios redeam,Danubium,Drauum, Sauum norunt vicini Germani, Norici, Carni, apud quos eorum fontes ſunt,& prima incrementa,quæ etſi præclara ſint, nequaquam tamen tantũ laudis addunt amnibus,quantum hi, mox atq; ſolum Hungaricum attigerint,conſequuntur. Hic enim continuò & plenius & ſpacioſius fluunt,eoq; nauigationi magis habiles ſunt, piſcibusq; & maioribus & melioribus magis abundant,vt omittam,quòd diuerſi generis piſcibus, quibus ferè prima eſt gloria, extra Hungariam carent. Quapropter de his, quorum origines magis notæ & celebres ſunt,plura referre ſuperſedebo, dicamq; de Tibiſco tantùm,quem Hungaria ſola totum ſibi vendicat.

Tibiſci ortus.

Oritur in Maromaruſio ſub altiſſimis Carpati iugis, fonte quidem exiguo,ſed tantis ſubitò incrementis,vt intra tertium milliariũ pro temporis tamen, quod incrementa moderatur, ratione patiens ſit nauigiorum, quibus ſales euehuntur. Eſt autem ferè iuſtum vnius nauigij onus, quater mille fruſta ſalis,(vulgo lapides vocant) ſingula viginti plus minus pondo librarum. Fertur autem intra Maromaruſium curſu citatiore, vt inter mõtes,qui plurimos in eum torrentes & riuos effundunt, eſtq; ibidem limpidiſſimus,ſolo glareoſo,ſed idem ex illis Maromaruſij anguſtijs eluctatus,ſimulatq; campeſtria attigit,incedit lentius, & fluit impurius, admiſſo præſertim amne Zamos,qui ex Tranſſyluania ruens,viam prębet nauibus,quibus ſales Tranſſyluanici exportantur, videturq; tũ ſanè prorſus alius eſſe, non ob augmenti tantùm, aut curſus ſui modum, ſed quod etiam piſcium in eo ratio eſt diuerſa. Nam intra Maromaruſium non habet ferè alios,quã quos aquæ puriores alunt,& eorum quidem omnis generis copiam ingentem: At foris quem facilè dabis piſcem, cui quidem in profluente vita eſt, quem non ſuppeditet Tibiſcus? quiq; & ſapore, & magnitudine non præſtet ſui generis piſcibus,qui alijs in fluuijs capiuntur?

Copia piſcium in Tibiſco.

Porrò de copia quid dicam? Habet quidem Hungaria multos amnes piſcoſiſſimos,inter quos etiam eos numero, qui ex vicinis terris immittũtur. Sed neq; inter hos,neq; inter alios,quorum fontes apud Hungaros ſunt, vllus prouentu piſcium ſuperat Tibiſcum, vt eum, quod de Pado Italiæ dixit Poëta,meritò fluuiorum Regem in Hungaria dicere poſſis. Etſi verò idem contingit fluuijs,quod terræ,nempe quod vt hæc fruges,ſic & illi piſces,nũc vberius,nũc malignius producant,tamen nullum eſt tempus Tibiſco, quo piſcibus non magis,quàm cæteri amnes abundet. Quin,qui propius ad eius ripam in æſtiuis præſertim caloribus accedunt, manifeſto ſenſu experiuntur eum piſculentiam quandam,vt ſic dicam, redolere. Nec deſunt vulgo, qui dicant duas eius partes aquam, tertiam piſces eſſe, non eo quidem ſenſu,quod ita ſeſe res habeat,ſed quod planè admirandam, peneq; maiorem fide multitudinem piſcium ſignificatam volunt.

Vidimus ipſi autumno ſuperiore,cùm illuſtrem Comitem Nicolaum à Salmis exercituum regiorum ſummum in Pannonijs imperatorem vltra Tibiſcum ſequeremur,apud arcem Thokai,quo loco Bodrogus,idem valde piſcoſus amnis, Tibiſco miſcetur,millenos carpiones, quos nonnulli cyprinos dicere malunt, citra delectum tamen, ſicut eos capi contigit, ve-

 nire

nire centum numis Hungaricis, hoc eſt, floreno, vt vocant, vſitato, quem pro præſentis rei monetariæ illis in locis ratione aureus vnus ſuperat ſimilibus numis quinquaginta. Eadẽ eſt plærunq; luciorum vilitas ſub hyemis ferè initium. Vtor autem lucij appellatione in deſignando piſce notiſſimo, quem quidam lupum dicendum eſſe contendunt.

Vilitas piſcium.

Sed quanto longius profluit Tibiſcus, quantoq; propius accedit ad Danubium, in quem ſeſe exonerat è regione Sirmij, hoc minus eſt precij piſcibus, propter vim eorum infinitam, præſertim cùm exundat. Nam tum in plana effuſus, omnia latè loca non tam aquis, quàm piſcibus complet, & quædam quaſi ſtagna facit, quæ agreſtes antè, quàm decreſcit, & in alueum redit, clauſtris quibuſdam obſepiunt, ne refluentibus aquis vnà recedant piſces. Hîc itaque non aliter, atque in piſcinas concluſi tenentur, neque tamẽ raròcontingit, vt impetu facto, qualis eſt acie congredientium, effractis ſeptis perrumpant, ſpemq; & laborem agreſtium fruſtrentur. Quo fit, vt hi pro magno negocio habeant, inuitare populares vicinos, vt piſces emptũ veniant. Sed quod prouerbio dicitur, vltroneas putere merces, vix vnquã magis quàm hîc habet locum. Nam ſæpè aut nulli veniunt, aut ſi qui veniunt, tantillo licentur, vt nihil penè interſit, gratuitone eis des, an vendas. Quin fit quandoque, vt ne gratis quidem dati, aut quaſi relicti ad prædam, auferantur, ſed porcorum gregibus, qui ſubſidentibus aquis immitti ſolẽt, lætam paſtionem, & quaſi piſcationem prębeant, ipſa tamen piſcium multitudine nihilominus ſic plærunq; ſuperante, vt magna eorum pars emoriatur, & computreſcat, vnde tam tetri naſcuntur halitus, vt qui iter faciunt, ea loca nõ aliter, quàm quæ peſte infecta ſunt, vitare conſueuerint. Nec hoc foris tantùm, ſed etiam in oppidis euenire ſolet, dũ nimirum tãta vis piſcium in forum curribus & equis infertur, vt qui eos importarunt, deſtituti ab emptoribus ſeſe clanculùm relictis piſcibus inde ſubducunt. Quò fit, vt plærunque edicto cum pœna propoſito, caueri ſoleat, ne quis illinc niſi ablatis vnà piſcibus, diſcedere audeat.

Sed longius quàm inſtitueram, progreſſus ſum, illuſtris Baro Sigiſmunde, non tam admiratione harum rerum, quæ mihi iam maxima vitæ meæ parte in Hungaria exacta admirabiles eſſe deſierunt, quã ſtudio efficiundi imperata tua incitatus. Non inficior tamen plæraq; à me minus explicatè tradita, neq; non multa prætęrita eſſe, quæ cum hac narratione congruebant. Verùm id ceu data opera à me factum eſt, quòd his & aptius & vberius explicandis locum alibi ſim habiturus.

Porrò quod in epiſtola ad me tua duorum admirandæ naturæ fontium, alterius quidem ex Arriani, alterius verò ex Saxonis Grammatici hiſtoria mentionem facis, equidem dubitaui aliquamdiu, an non hoc conſilio à te factum eſſet, vt quæ de ſimilibus miraculis aliorum autorum ſcriptis prodita ſunt, ea mihi cum his noſtris coniungenda, ac componenda eſſe innueres. Etſi verò huc inclinabat animus, tamen cùm viderem mihi nihil relictũ eſſe pręter colligendi laborẽ, quem ſibi quiſq; legendis libris præſtare poteſt, ſatis eſſe putaui, breuiter, vnde hæc potiſſimũ peti poſſint, indicare.

Miratur Plinius ab Homero non eſſe factam calidorum fontium mentionem, neq; hoc ſanè iniuria. Quem enim mihi facilè dabis autorem, qui nõ quã accuratiſſimè in rerũ, locorúmue deſcriptionibus recenſere ſoleat, ſiquid fortè occurrit, quod vſitatũ naturæ curſum excedit, aut aliqua nouitate eſt inſigne. Imò quem dabis, in quo non aliquid eiuſmodi reperias?

Miracula aquarũ qui autores potiſſimum ſcripſerint.

Sed inter eos, qui cæteris diligentius, quaſiq; ex profeſſo de his Latinè ſcripſerunt, primas obtinet Plinius, qui non contentus aquarum, fontium, & fluminũ miracula capite elegantiſſimo in ſecundo naturalis hiſtoriæ ſuæ libro complecti, rurſus iiſdem aquis & aquatilibus deſcribendis etiam peculia-

culiarem dedit librum, qui eiuſdem operis eſt triceſimus primus. Secundũ Plinium multa de his inuenias prodita à Seneca in naturalium quæſtionũ libris. Nec pauciora penè à Vitruuio de architectura libro octauo. Quędam etiam à Strabone, Pomponio Mela, Solino referuntur, vt alios præterea recentiores. Sed omnium inſtar haberi poteſt vnus Georgius Agricola, qui quæcunq; eiuſmodi ſunt, vel in Græcis, Latiniſq; ſcriptoribus à ſe lecta, vel domi foriſq; obſeruata, vel accurata indagatione comperta, non modò in illos, quos ſuprà dixi, libros retulit, ſed etiam cauſas eorum quàm ſcitiſſimè ſtuduit explicare, quanquam quotam quæſo hæc factura eſſent partem, ſi cætera quoq;, quæ adhuc ignota latent, proferrentur: qua in re neſcio profectò, ſecordiane magis an ingratitudo hominum accuſanda veniat, qui dũ iſta pro neglectis habent, non ſatis æterni illius architecti Dei potentiam & magnitudinem admirari, & eius beneficia agnoſcere videntur.

Lacus ad Zirknitz.

Memini te mihi aliquando de quodam in Carnis lacu, cui à pago vicino Zirknitz nomen eſt, non minus penè miranda dicere, quàm à me de Hungarię aquis ſunt memorata, vt is videlicet quotannis ferè ſub autumni finem, aquis de repente ex abdito venientibus, magnamq; piſcium copiam ſecum trahentibus inundetur: appetente verò æſtate aquis rurſus abdita petentib. exareſcat, hac quaſi perpetua viciſſitudine, vt quo in loco paulò antè piſcatus fueris, in eo meſſem & ſementem facere, ſimulq; ſi libeat venari, ac rurſus vertente anno piſcari poſſis.

Sed quid obſtat, quo minus loci faciem, vt eam ab alijs delineatam accepiſti, de tuo ſermone deſcribam. Claudi aiebas eũ circumquaq; montibus, è quibus riui quidam ignobiles ſuo quiſq; alueolo procurrant, ab orientali quidem plaga tres, ab auſtrali quatuor: ſingulos quo longius fluant, hoc minus ſcatere aquis, terra nimirum ipſas combibente, donec poſtremò abſorbeantur ſcrobibus ſaxeis, ita natis, vt humano operæ exciſæ videri poſſint. Hîc aquis ita redundantibus, vt recipi nõ poſſint, fieri, vt regurgitẽt ſcrobes, neq; ſolum nihil aquæ admittant, ſed etiã quicquid receperint, effundant tanta rapiditate, vt refluxus impetum ac curſum equiti quamuis expedito, & fugienti, ægrè effugere liceat. Itaque quacunque pateat locus (patere autẽ eum ad ſeſquimilliarium minus laxa latitudine) diffundi aquas, & lacum efficere, qui pleriſq; in locis decem & octo cubitos altus ſit, & vbi minimum profundus eſt, æquet iuſtam humani corporis menſuram.

Hæc fortè minus mirabitur, cui conſtabit eſſe eadem in regione amnes, qui terras ſubeant, & vbi per longa ſpacia mearint, rurſus effluant, quoſdam etiam vbi ſemel ſeſe abdiderint, amplius non comparere. Nam hinc occultis quibuſdã canalibus illas in lacum manare aquas ratiocinabitur, præſertim ſi cognorit ibidem aliquot in locis eſſe caua montium ampliſſima, in quibus aquarum ruentium fremitus exaudiãtur, & earum quaſi ſtagna ſint, vnde illos venire riuos hoc minus dubium videri poteſt, quòd conſtat iiſdem anates viuas euehi, quas nemo neſcit in locis ſubterraneis, in quę aurę aditus non ſit, degere non poſſe. Sed quia pro comperto habetur illam aquarum acceſſionem non duci è mõtibus per riuos, aut alios occultos meatus, ſed venire ab illa ſcrobium regurgitatione, & quaſi vomitu, rurſuſq; eodem redire, & reſorberi, idq; ſtatis temporibus fieri, quis hęc miraculo carere negabit?

Auget verò hoc quoq; rei nouitatem, quod ferè non minus celeriter recedunt aquæ, quàm acceſſerunt, non per ſcrobes illas tantùm, ſed vniuerſa penè terra eas non aliter recipiente, quàm ſi per cribrum diffunderẽtur. Quod cùm fieri ſentiunt accolæ, continuò grandiorib9 eius meatibus, quoad fieri poteſt, obſtructis agminatim aduolant ad piſcationem, quæ ipſis nõ modò iucunda, ſed etiam perfructuoſa eſt. Nam & piſcium vis ingens facilè capitur,

pitur, aqua nimirum eos destituente, & apud vicinos precium habent, ad quos conditi sale exportantur. Inuenias aũt ibi plærũq;, quod iure mireris, lucios (nam his magis q̃ alijs piscibus abundat hic lacus) qui duos cubitos excedãt, quæ res satis magno est argumento, eos intra illas voragines nasci, aut saltẽ augeri oportere, cùm fieri non possit, vt dum foris stagnant aquæ, ad tantam magnitudinem perueniant.

Porrò siccato lacu fit messis, qua parte solum consitum, & idem rursus conseritur ante quàm inundet. Solum ipsum firmum, lætum, & in primis ita ferax graminis, vt post vigesimum diem secari soleat. Non est tamen eadem vbique fœcunditas. Nam magna eius pars præter iuncum nihil gignit.

Quò verò magis cognobilis fiat lacus, libet addere, quod tu ceu insignem notam adiecisti, nempe distare eum ad vnius milliarij spacium ab arce Carnis pariter & Italis dicta *Postonia*, quam Venetos aiebas Maximiliano Imperatori, dum percuteretur fœdus, quod inter eos postremum fuit, ademisse, & dum pacta conuenta præstari oporteret, reddidisse, in illustri eius loco tanquam pro trophæo relictis his versibus, quos ibi tum legeris,

Postonia victa rediens post omnia victor
Leuiades affert pulchra trophæa domum.

Quia verò id quod dictum est de aquarum ad statum tempus accessione, me quorundam fontium, quibus idem accidere dicitur, admonet, etsi mihi externa minimè persequenda duxi, facere tamen non possum, quin de duobus dicam, vt tibi illud quasi pensem, quod ex Arriano & Saxone Grammatico de totidem fontibus annotasti.

Calidæ ad Pfeuers. Alter est calidarum laudatissimarũ in alpestri Rhetia apud Fauarias inter rupes eminentissimas, qui cũ ferè deficiat mense Octobri, redit mense Maio, sicq; rursus vsq; in autumnũ exuberat, vt saluberrimis eius aquis mola frumentaria impelli possit.

Fons in Heluetijs. Alter hoc magis mirabilis est in Heluetijs, quem recens Helueticorum chronicorum scriptor tradit siccari mense Augusto, quo tempore nouis ibi niuibus cadentibus pecus inde mitiora in loca depellitur, neque posteà manare, nisi mense Iunio, cùm nudatus niuibus mons rursus pastioni pecoris patet. Manare autem eum è petra in fossam propinquam ad aquãdum pecus comparatam, per interualla tamen, & bis tantum quotidie, manè, videlicet & vesperi, rursumque toties occultari, & has quotannis retinere ac continuare vices, donec rursus, vt dictum est, Augusto mense siccetur. Dicas aquationi pecoris singulari Dei munere in illa horrida solitudine datum hunc fontem esse, idq; bruta ipsa agnoscere, vt quæ eum ferè vltrò, quoad ibi in pascuis sunt, ad id tempus, quo fundit aquã, petere soleant. Quin additur experimento cognitum esse, quod idem fons tam impatiens sit sordium, vt si quid impuri in eum missum, mersumúe fuerit, per aliquot deinde dies nõ compareat, nec aut manè aut vesperi aquæ quicquam reddat. Montem, in quo is fons est, Heluetij sua lingua appellant Engstle, ea in regione, cui ab amne Arula Argevv fecêre nomen.

Prudenter Plinius ad confirmanda exempla potentiæ aquarum à se in illo præclaro opere prodita: Si quis, inquit, fide carere ex his aliqua arbitratur, discat in nulla parte naturæ maiora esse miracula. Hoc quanquam ipse quoque vsurpare aduersus eos possem, quibus fortè in hac mea de aquis narratione quædam fide maiora esse videbuntur, tamen monebo potius non temerè quicquam eorum, quæ de admirandis naturæ operibus feruntur, pro incredibili haberi oportere, ne quid infinitæ autoris sapientiæ & potentiæ temerè derogetur.

Habes

Habes Baro clarissime, pro epistola libellum magis ieiunum quidem illum, quàm vel ipse fortè exspectabas, vel materia, quam mihi tractandam dederas, exigebat. Sed cùm non ignores me minimè abundare ocio, tuæ erit æquitatis, non tam quid assecutus sim, quàm quid assequi voluerim, æstimare. Hoc vnum quidem certè, vt tibi gratum facerem, sedulò sum conatus.

FINIS.

LACVS AD CIRKNITZ



Russia.

II. Historia
b. speciali